
# THESAVRVS
# ANTIQVITATVM
ET
# HISTORIARVM
# ITALIAE,
## MARI LIGVSTICO & ALPIBVS VICINAE.

*TOMI SECVNDI PARS POSTERIOR.*




J. Goeree In. H. Eland fe

# THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE, MARI LIGVSTICO & ALPIBVS VICINAE;

*quo continentur*

Optimi quique Scriptores,

*Qui*

LIGVRVM ET INSVBRVM,

*Seu*

GENVENSIVM ET MEDIOLANENSIVM,

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

*Collectus Cura & Studio*

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

TOMI SECVNDI PARS POSTERIOR.






*LVGDVNI BATAVORVM,*
Excudit PETRVS VANDER AA, Bibliop.
MDCCIV.

# JOSEPHI RIPAMONTII
*CANONICI SCALENSIS*
ET
*CHRONISTAE URBIS MEDIOLANI*
# HISTORIAE PATRIAE
## PARS SECUNDA,
*In qua habentur*
LIBRI XI---- XVII.

# LECTORI OPTIMO
## REGIUS TYPOGRAPHUS
### FELICITATEM.

*NE diutius haereas, Lector, tuis jam prudens votis occurro. Quod meis typis excudi placuit Josephi Ripamontii opus posthumum, lubens sisto tibi, quod sane desiderio tuo, & moerori publico intercedet. Prodit illud ex Officina mea, egregium sane opus, & quod expleri facile potuisset, nisi tantae rei artificem majora conantem etiam occupassent fata. At si minus expleri potuit, illa quae rei gratia inest, statuet operi decus. Denique quidquid istud est, quod Ripamontius expressit, oculo, non supercilio tuo exhibetur. Interim hisce frui liceat, dum alia a me subinde nova proferentur, quae cumulatius votis respondeant. Vale.*

---

# HIERONYMI LEGNANI,
## PATRICII MEDIOLANENSIS, ET EX LX. DECURIONIBUS URBIS,
# IN AUCTOREM
### *ELOGIUM.*

DICTURUS de Josepho Ripamontio, utar paucis, veneraturus magis Virum,
quam merita assequuturus, impar nimis. Oriundus fuit ex obscuro pago Brian-
taei Collis aspero & confragoso, ipsum dein illustraturus. Parentes ei medii inter
divitias & paupertatem, contenti sorte, contenti coelo, domestica atque avita
rura bobus, at non manibus exercuere suis. Indiderunt nato aptissime ipsi consti-
tuti decorem oris, congruentiam membrorum, firmumque corporis temperamen-
tum. Nactus ultro puer egregiam indolem, dedit nomen Clericali militiae, & pu-
bescente vix aetate, deseruit patrios lares, ut liberalibus instrueretur artibus scientiisque, ut moribus
piis imbueretur, oblitus sanguinis, oblitus soli. Urbis ingressus Academias, brevi, acerrimo uti
erat ingenio, portentosa memoria, patiensque laboris, libros pervagatus fere omnes, convertit in
se studiosorum ora admiratione litterarum, cunctas nempe florentibus nondum annis assequutus scien-
tias, atque admirabilem scribendi artem. Adamavit tenerrime juvenem, captus facundia Faederi-
cus Borromaeus, Cardinalis idem, & Antistes sapientissimus vir inter eruditissimos. Adscitum in
Ambrosianam Academiam jussit tradere monumenta Ecclesiae Mediolanensis, cujus eventus, & fa-
cta jacebant in obscuro, vel exarata inconcinne, vel involuta silentio. Effulsere volumina Urbi, Pro-
vinciaeque toti, quae admiratae sunt in Scriptore uno quaecumque in caeteris seorsim suspexere. Evo-
catam ajebant e prioribus aevis ab Insubre homine, & donatam aevo huic priscam Romanae orationis
dignitatem, in qua asperi inesset nihil, nihil obscuri. Neminem e Scriptoribus, qui anteirent,
eloquutum praestantius, & prout res ferrent, sive conati ipsi persequi gesta hominum, sive assequi
meditamenta. Percrebuit fama ad exteras quoque oras, atque in adyta Regum, e quibus exstitere,
qui flagrarint cupidine viri. Praefecti Urbis destinabant Catholico Imperio in ipsa Regis Aula; sed
irritis conatibus statuere hunc in aliena licet Aula, ac sub remoto coelo edere, quaecumque praeclara
magis exstarent Regni, Regisque. In apice meriti, in plausu Orbis, favore hominum minime reso-
lutus, non leviter est conflictatus varios expertus modo blandientis, modo saevientis fortunae ca-
sus, immota semper mente, prosperis, atque adversis aeque eruditus. Evenere inde pacata cuncta
vicibus nullis alternantibus umquam. Et Borromaeus Cardinalis, uti videre fuerat, infensus aliquan-
do, amore potius dixerim, quam odio stimulante, accersitum inter domesticos, ac charos magis
muneribus oneravit amplissimis. In aetate jam graviori, ac prope senescente vegetiores cernebantur
spiritus, & sapientia, cui accedere posse videbatur nihil, miris aucta incrementis. Subibant hinc
animos desideria vehementiora viri; Marchio Leganensis, Gubernator Urbis rebus in bello plus, quam
in pace gestis, adeptus famam voluit esse hunc inter hospites, ac commensales suos, & nequaquam
ipso flagitante egit cum Rege, ut cooptaretur is inter Canonicos Scalenses. Decuriones ipsi, quibus
minime potitis re, statutum id jam pridem fuerat, assumpsere hunc sibi in Chronistam, persequutu-
rum res Urbis, ac monumenta, acclamantibus cunctis, ac praecipue sapientioribus. Accitus ad
opus praeclarissimum, quod anxie concupierat incensus studio patriae, aggressus est enarrare quae
acciderant, cum, vel ira Numinis, vel nequitia mortalium, vel ipsa coeli inclementia saevierit
pestis, quatefactis Civium animis, & traducta in squalorem, ac solitudinem Urbe. Docuit luculen-
tissime, quae primordia luis, quaeve incrementa, quae pietas Praesulis, atque beneficentia, stu-
dia,

dia, & conatus Patrum, immensosque sumptus, incredulum antea, & contumacem populum, trepidum eumdem, atque effusum in lacrymas, & preces, adhibitos in exitium Daemonum astus, portentosa supplicia; traditos neci unctores impios, ac parricidas, desperatas prope res, ac perdita omnia. Luxit Civitas ad volumen miserata sui, tamquam visa sibi experiri mala, quae jam abierant; versa inde in exstasim admirata Scriptorem. Editum post volumen alterum, in quo perficiuntur inchoata a Scriptore Calcho; non vetera tantum hic, sed recentiora, & quae nostra fere conspexit aetas. Crevit veneratio viri post vulgatum opus hoc, veluti supergressi se ipsum, transmissi Codices ad Italiae praecipua capita, atque in longinquas regiones magis auxere famam. Eruditissimi Civium consulebant illum, & ipse responsa dabat; & qui maxime omnium profitentur scientias, & tradunt caeteris, contemplabantur novam quamdam scribendi rationem, quam ipsi imitarentur. Proceres, & ex his qui summe callebant litteras, invisebant frequenter venerabundi, oblectati alloquio, atque omnigena eruditione. Annum jam agens octavum ultra sexagesimum, dum adhuc suppeteret robur, incidit in tabidam febrim, & paulatim intumuere venter, & crura. Decuriones, ut audivere aegrotantem, anxii de salute, ac rati fore e decore atque existimatione Urbis si publicis studiis, & expensis levaretur aegritudo, statuerunt ex ordine unum, qui attentus rei opem ferret aegro quam maximam posset, sollicite agendo, atque effuse; zelus idem, & cura subiit mentem Montii Cardinalis Eminentissimi, & Principis sacrorum aeque, ac sapientum, sed priores obstitere sollicitudines. Adhibiti peritissimi Medicorum, qui simul erudite differentes de origine, & magnitudine morbi, opportunioribus pharmacis, & artibus certatim optatae consulerent valetudini; statuta item loca, in quibus rite, ac studiose pararentur cibi, quibus aeger quisque, ac languens vesci, ac foveri queat. At non studia haec, non pharmaca artesve ullae medentium juvabant aegrotantem, nequidquam vel tepescente ardore, vel tumore decrescente. Contumaces morbi insederant nimis corpori, & eludebant spes, & conatus. Cupido vehemens convalescendi, qua tenemur cuncti mortalium, injecerat spem potiundae valetudinis si subductus crassiori coelo huic eveheretur ad amoenius, & salubrius Brianteae regionis, sub quo coelo sortitus fuisset ipse primordia vitae. Verum, seu evenisset ita res, seu fefellisset illum credulitas, ut pervenit, exhauriri jussit sibi aliquantum humoris, quo intumuerat, veritus ne nimia exuberantia spiritus intercluderentur; exhausto humore extemplo corruerunt vires, & praesagiens ipse imminere mortem, expiavit se mysteriis omnibus, elargita post per tabulas re familiari propinquioribus, qui & sedulo adstiterant, inservierantque. Deprecatusque Deiparam extremis vocibus, ut juvaretur in summo discrimine, explevit mortalitatem.

Fuit hic perspicacissimo ingenio, ac singulari memoria, quae illi loco monumentorum erat; numquam oblitus eorum, quae didicisset aliquando. Callebat idiomata multa, nempe Hispanicum, Gallicum, Graecum, Hebraicum, nec non Arabicum, & Vernaculo elegantissime utebatur. Eam fuerat in scribendo, vel dictando recondita quaeque, ac difficiliora vim assequutus, ut ageret id celeriter & absque litura, stylo elegantiori per horarum intervalla complexus stylos illustriorum, quos noverat perfecte imitari, decerpens consultissime ex singulis, quae probarentur magis conflaverat sibi unum, ac peculiarem. Brevis erat eloquio, parcens linguae, & fortasse perraro disertus, sed erumpebant semper, quae sapientiam viri, atque eruditionem redolerent maxime. Non fuit aspernator auri, caeteris potius quam sibi consulturus. Commendabant hunc insignis modestia, atque humilitas, quae inter tot merita, ac tanta, corruscabant magis. Adveniens nuncius de obitu perculit Urbem, & litteratorum coetus collacrymatus est, conquerens orbam patriam, & exstinctum virum, cui parem saecula nulla sint habitura.

---

ILLUSTRISSIMO

# CAROLO GALLARATO,

## MARCHIONI

CERANI,

## PRAEFECTO URBIS,

JOSEPHUS RIPAMONTIUS.

*Magnum in hac patria nomen, magnumque munus Vicarii provisionum, cui muneri praefectura urbis spatio temporis annua diuturnitate famae sempiternae inest, cum tibi, Illustrissime Gallarate, generalis consilii suffragiis Principis auctoritate mandaretur, subierat animum meum recordatio veteris quidem & nimium vulgatae, sed gravissimae, & locis omnibus memorandae sententiae, qua princeps humanae sapientiae definierat, quinam optimus status, quaenam optima forma Reipublicae esset. Dixerat enim, beatas fore civitates, cum aut Philosophi in Magistratibus Imperiisque essent, aut qui obtinerent ista, philosopharentur. Neque tantummodo memor eram Platonicae sententiae dictique hujus, sed*

# JOSEPHI RIPAMONTII,

## *CANONICI SCALENSIS, CHRONISTAE URBIS MEDIOLANI*

## HISTORIARUM AB METROPOLI CONDITA,

## *LIBER XI.*

ANNO demum altero postquam Carolus Caesar diem suum obierat, mortuo interim etiam Pontifice Paulo IV. Cardinalis Joannes Angelus Medicaeus, Jacobi frater, Sancti Caroli avunculus, attollitur in ejus locum, & novo nomine Pius IV. appellatur: statimque rem Mediolanensem & Patriam omnem insatiabiliter ille decorare aggressus ipso Pontificatus initio praecipua curarum huc vertebat. Destinatum ei inprimis erat, in supplendo Collegio assumere ex nobilitate Mediolanensi idoneos viros sapientia, & magnitudine animi, & rerum usu, scilicet, ut tantae dignitatis splendore refoveret illustreis domos, superiorum temporum clade miseriaque vastatas, & praesidia Metropoli in posterum etiam pararet. Ipsum primo Borromaeum Cardinalem creavit, admovitque sibi in principem favoris & gratiae locum, nihil fortasse tunc aliud respiciens ille quidem, quam ut sororis filio, pio & prudenti circa summam rerum & arcana Pontificatus, inniteretur: sed divinitus alia, quae deinceps prodiere, struebantur. Alios deinde nobiles Mediolanenses in ordinem eum cooptando, tum sacro Senatui decus, tum Metropoli robur addebat. Cooptavit enim adscivitque Antonium Cerbellonum, Ludovicum Simonetam, Franciscum Castelleonaeum, Alexandrum Cribellum, Carolum Vicecomitem, Franciscum Crassum, & Franciscum Alciatum e Primoribus Urbis, sive prudentia litterisque primos. Ab eadem clarissimi sanguinis, vel eximiae litteraturae commendatione probatos sibi praeterea complures excire subinde ab Mediolano & addere Patribus in animo habebat, quorum nomina in commentariis reperta sunt postquam ille decessit. Erant fere omneis e collegio Jurisconsultorum, quae apud Mediolanenses est certissima nota vetustae & incorruptae nobilitatis, atque in id collegium fuerat olim etiam ipse cooptatus. Ac benevola erga ordinem eum recordatione, cuncta, quae possent esse decori & ornamento, excogitavit ultro & concessit, exstructa aula domicilioque amplo ad quotidianos conventus, datis insignibus, aureoque torque, quod bini in orbem Abbates suo munere gestamen collo haberent. Instituit, ut inter Rotae Auditores, & inter Sacri Consistorii Advocatos (Romanorum munerum ea vocabula sic usurpantur) unus e collegio perpetuo esset, jussitque caelibes tantummodo nominari: nominatione per collegas facta, mitti quem Pontifex Maximus e tribus unum probasset. Ita viderat fore ut occasione muneris utriusque, numquam spes collegio abesset adipiscendi summa. Primi in eam spem idque munus ab collegio nominati, a Pontifice admissi, Pompejus Cotta & Franciscus Bossius fuere. Diploma concessionis ejus Apostolicique privilegii subsignavere Cardinales, sicuti autographum exemplar inter collegii monumenta exstat.

Haec & alia pleraque, vel praesidia, vel ornamenta Medicaeus ipso Pontificatus initio adjunxerat Patriae, quorum summum atque amplissimum fuit datus interim etiam Archiepiscopus ille, qui cuncta pure ac sancte renovando restitueret Apostolicam Urbi antiquitatem, & cujus denique nomen ac toto vulgatus orbe coelestis honor incomparabile decus fieret. Sed ingrati profecto simus erga tam bene meritum de Patria Pontificem, si beneficia tantum memoraverimus, ob quae, alienigenae etiam Pontificis reliquam omnem tradi memoriam jus fasque erat. Tanto justius, & civis & Parentis nostri Pontificatum hae litterae custodient, Metropolique assignabunt, repetita etiam origine ejus, & honorum cursu, per quos ivit.

Medicaeorum nomen genusque Mediolani nullum antiquitus fuerat. Pulsi seditionibus ab Florentia, commigravere in urbem, cum patria extorres, quacumque sors tulerat, nominis ejus familiae dissiparentur. Jacobus, Pontificis avus Mediolanum, casu, sive sponte, delatus, in vico, qui Moronorum dicitur, consedit. Ea Paroecia Sancti Martini est, cui Nusigia gens condito templo cognomen fecit. Jacobo Bernardinus ortus, ducta in matrimonium Caecilia Cerbellona, complures suscepit ex ea liberos, e quibus secundo loco natus hic, fratris fama, litterisque suis, & tegendis offensionibus profundo animo, per honorum gradus imos & ancipites, deinde per altiora felicius, ferens semper dissimulansque multa, semper fortunae prioris memor, eo denique pervenit, unde Divino nutu, Cardinalium suffragiis, Ecclesiae totius gratulatione extra fines mortalitatis assumeretur, Christique Vicarius fieret. Stat adhuc in eo Moronorum vico Paroeciaque Nusigiensi, rudis, & antiqua, nec in honore domus, intra cujus parietes, Bernardinus & Caecilia Pontificem procreavere. Et matrimonium illud ea vicinitas, quamdiu fortuna nihil movebat, fortasse nihilo curiosius respiciens, quam caetera conjugum paria, thorosque humiles alienos, postquam ab tecto prodiisse illo Pontificem Maximum sensere, tamquam de Principali Regiove partu minutissima etiam cuncta narrabant. Quippe Caeciliam matrem, ex proximo templo, quo sese rei divinae causa ipso Paschatis die contulerat, stimulante utero, nondum porrecta per Sacerdotem Hostia, rediisse domum, partumque edidisse. Bernardinum patrem, posteaquam nunciatum ei fuerit, in eodem templo grates egisse Numini, quod salva uxore filio auctus esset, votumque nuncupasse, ut qui natus esset infans, frugi piusque evaderet. Est in aedium ipsarum aditu gentilitium insigne Medicaeorum, qui, relicta vetere patria, Mediolanum profugere: sphaerula nempe una exsculpta simpliciter in parvo informi lapide, media inter duas litteras, quae Bernardinum Medicaeum dominum esse tecti pari simplicitate ostendunt. Nondum scilicet felici sua rebellione ac virtute Jacobus, Pontificis frater, de cujus fortuna & exitu demonstratum est, meruerat, ut Florentiae Ducum erga ipsum adulatio, ad solitariam illam ingloriamque pilam quinque alias adoptato velut stemmate, aggregaret.

In ea natus domo puer, nec segni patris cura, nec tarda ipsius indole erudiebatur, spesque de eo tacita, & occulta domi erat. Simul, hujus aetas & litterae, simul fratris fortuna ingentesque ausus adolescebant. Postquam inter Jacobi facinora & pericula, Joannes Angelus ad Ticinum solita juvenum curricula emensus, Philosophaster quidam, & Legulejus, & nonnulla tinctus Medicorum arte, Declamator item, & Lyrici carminis artifex redierat domum, agitandis aliquamdiu causis Mediolani exercebatur. Mox ingratum eum laborem animo grandiore pertaesus, abiit Romam, inventoque sibi ad Cardinalem Farnesium Collegii facile Principem aditu, comis ingenio, promptus ad obsequia, fidus Principi, simplex & apertus inter amicos, in aulicorum grege dissimulator, quocumque poterat modo sese adversus fortunae aulaeque lubricum regebat. Evecto ad Pontificatum Farnesio, jam antea fratris ope a Clemente Septimo Protonotarius factus, minoribus agitatur praefecturis, quae tendentes ad majora Romanos aulicos tentant in experimentum, aluntque: & saepe ex eventu, fastigia honorum, vel emortuam ibi spem dedere. Asculum primo mittitur, quae antiquissima Piceni urbs, certamine partium, & factionum licentia similis rebellanti erat. Deinde Castellum in Umbria (id nomen urbi)

urbi) postea Parmam, spatio nonnullo interjecto Fanum rexit. In Pannoniam, in Germaniam Pontificii exercitus legatus, Anconam, Perusium cum imperio est missus, anxia casibus interim & periculis vita, quae semper exercuere virum: & Pannonico bello, cum in exercitu versaretur, displosus ex Turcica bombarda globus praetervolitavit aures ejus rasitque caput, ex quo postea surdaster fuit. Jacobus interim frater, per Martiam Ursinam uxorem, cujus soror nupta cum Petro Aluisio Farnesio erat, Domui Pontificis per id matrimonium immistus esse coeperat: neque diu dilatus honos, qui in Apostolici favoris praerogativa primus ultimusve habetur. Archiepiscopus Epidauri primo, dein Cardinalis creatur: atque in Purpura etiam obnoxius periculis, sive livori & obtrectationi multorum erat. Sub Julio Tertio coactus ferre arma in nepotem Pauli, cujus beneficio venerat in Collegium, Cassanensem in Brutiis Ecclesiam expeditionis ejus praemium a Caesare adeptus, sermonibus hominum carpebatur. Cum Paulo Quarto nulla ei gratia fuerat in ipsa Collegii societate, & postquam is Carafa Pontificatum tenuit, ferebatur frequenti Patrum conventu acerbe invectus esse in praesentem Medicaeum, quod multa prave, & ambitiose moliretur, ut Mediolanensem Ecclesiam ipse haberet. Quibus convitiis intellecto Pontificis animo Medicaeus statuit vitare offensiones, suosque & illius oculos liberare. Itaque, per speciem curandae valetudinis Lucam usque progressus, inde Mediolanum venit. Ibi in Patria, tum veterum amicorum consuetudine, tum studiis amoenioribus, quibus ab ineunte aetate deditus fuerat, jucundissime oblectabatur. Aedificia etiam a fratre olim inchoata per id tempus absolvit, ad Braidam in urbe, ad Frascarolum, ad Melinianum: quae subinde mutabat domicilia, cinctus arcto, sed honesto litteratoque comitatu: & fuit ea vitae forma, donec, mortuo Paulo, Romam ad comitia proficisceretur, quae supra cunctos mortales ipsum extulere. Post Carafae obitum in Vaticano de more congregati Patres, cum de novo Pontifice creando agitarent, in quartum usque mensem jurgia consultationemque extenderunt. Quarti demum mensis exitu Cardinalis Medicaeus, quo demonstravimus apud Mediolanenses loco ortus, fortunaque ad sexagesimum suae aetatis annum usus ea, quae item demonstrata est, suffragiis omnibus eligitur anno millesimo quingentesimo sexagesimo salutis humanae, tertia fere vigilia noctis ejus, quae Christi natalem insequebatur.

Moti Patres erant in ejus rei deliberatione, cum caeteris virtutibus meritisque viri, tum vel maxime, quia superioribus annis, ob bella, & Tyberis inundationes premente urbem fame, diviserat populo Romano magnum frumenti numerum, quem ex praediis suis congestum in horrea habebat, munifico eo in egenam plebem munere, pauperum Pater vulgo appellatus, nulla ipsius jactantia nullisque sermonibus, sed quia vere ille in tali tempore sustentaverat plebem. Mite id Apostolicumque & excelsum interpretabantur, etiam quibus grave exemplum fuisset. Praeterea, testamento fratris heres relictus, tradiderat cuncta Xenodochio Mediolanensi, ut si quid culpae militariter ille contraxisset, ea in pauperes largitione foret expiatum. Faverat etiam unice ingeniis, atque inter ancipites illos casus, & magnis actionibus exercita semper vita, sapientiae studiis excoluerat animum. Animus ei, sicut intime gnarus omnium fraudum, quas meditantur inter se homines, assidueque exercent, ita compositus palam in faciem imaginemque simplicitatis, & pleraque sane simplicissime agebat, vitata interim capitalium vocabulorum vecordia, ne circa res Ecclesiasticas Hispanus Gallusve diceretur. Ita praeparatis in se animis, post diuturnas intra Conclave dissensiones Patrum, unius nocturnae horae momento Pontifex Maximus creatur. Id quo fieret, praecipuo inter alios studio adjuverunt, Collegii principes, Carolus & Alphonsus Carafae, Alexander Farnesius, Sfortia, & Ghisa. Die ipso, quo Patres comitiorum eorum causa, intra Conclave sese abdiderant, columba una per fenestram in

A Sisti sacellum forte devolavit, lenique in varias partes, per conclavia illa meatu supra Medicaei denique operta consedit: idque tunc iis qui viderant, ob alienam ab tanta spe simplicitatem illius Cardinalis haud sine irrisu acceptum, dato denique illuc Pontificatu, felicis augurii loco omnibus fuit. Ita creatus dici sese Pium voluit, tamquam Apostolicae benignitati paternisque erga genus humanum sensibus nulla convenientior appellatio esset. Festo deinde Epiphaniae solenni quanta raro alias publica gratulatione coronatus, erecto statim ad Rempublicam animo, & elusa eorum spe, qui segniter ac remisse regnaturum credebant, universum Pauli Pontificatum recognoscere atque examinare est aggressus. Ex B institutis ejus, alia per nimiae severitatis rigorem apta lacessendis hominum culpis vertendoque in contumaciam obsequio, mollius placidiusque temperavit, alia dissoluta, & languida mutavit aequabiliter, & severe. Formam in universum imperii ac disciplinae sequebatur & volebat eam, quae nec aleret vitia, nec animos irritaret. Levibus hominum peccatis clementiam, flagitiis extremis pares poenas accommodabat. Initia Pontificatus haec fuere.

Volens deinde magno aliquo exemplo sancire disciplinam eamdem, quam legibus decretisque firmarat, simul, hoc in Ecclesia Christi necessarium esse exemplum, vi- C dens, ut regnantium Pontificum propinqui meminissent, fore sibi sub aliis etiam aliquando Pontificibus vivendum, in Carafas, cognita causa animadvertit quomodo numquam ulla Pontificia Domus oblivisceturs. Rescidit abolevitque actionem, quam Paulus Carolo Caesari, & Philippo Regi super Neapolitano Regno intentarat, atque in eo judicio ita est praefatus: Catholici Regis opes & regna, subsidia esse fidelia & firma Apostolicae Sedis: quacumque Hispanus imperitaret, imperitare Pontificem etiam Romanum: Nusquam alibi inventuros obsequia Pontifices, si alienatum offensumve quippiam in ea parte esset. Pari praefatione verborum animique sensu Ferdinandum Austriacum, Caroli fra- D trem, patruum Philippi, auctoritate Apostolica Caesarem appellavit, quod semper antea Paulus abnuerat. Pergebat inde eadem celsitudine animi miscere praemiis poenas, ut coercendis sceleribus, & fovendae virtuti innocentiaeque sublevandae nobilia in utramque partem monumenta Pontificatus sui relinqueret. Absolutus Moronus fidei crimine, quam ejus nomini labem nonnulli adsperserant, non tam odio erga ipsum, quam ne Rex Catholicus civem eum Cardinalemque Mediolanensem per alios suae factionis Cardinales ad spem Pontificatus producere umquam posset. Dempta aliis vincula, carcereque emissi illustres & probi viri, quos inimicus quemque suus caetera inculpabiles, prompto ad talia superiore E Pontificatu, calumniis illis inevitabilibus circumvenerat, vocula delata aliqua per quam ambiguae religionis arguerentur. Cardinalium uni, qui nequaquam innoxius rei capitalis arguebatur, ademta sacerdotia ampla, quae obtinebat. Ea ipsa data probis aliis honestisque Cardinalibus, sive conversa in usus pios: & quae ad Miramundum ille tenuerat praedia, Xenodochio Mediolanensi, quod inter alias Patriae necessitates curae Pontifici erat, cessere. Inter quae, Patriarcha Christianorum Orientalium, qui trans Euphratem colunt, & Assyrii cum eo nobiles in urbem venere, petentes, ut in Romanae Ecclesiae corpus Orientalis illa Ecclesia reciperetur: ipse- F que Patriarcha apud Cardinales, Amulium, & Alexandrinum, in verba Pontificis juravit. Foedere scilicet eo nomen & fama Mediolanensium perlata usque ad Indos, cum homines illi accepti a Pontifice perquam liberaliter, donisque etiam in discessu culti, cuncta de origine ejus & patria, sicuti curiosi & humani admodum erant, cognoscere voluissent. Abeuntes petiere, ut Concilii Tridentini decreta statim, ubi peracta res foret, sibi quoque transmitterentur. Jam enim etiam ea gravissima actio Pontificibus nequidquam aliis ad constituendam Ecclesiae disciplinam expetita & tentata, missis in omnia regna provinciasque legationibus feliciter inchoabatur. In tumultuantes invidia rei per Galliam Ugonotos, a Fa-

a Fabritio Cerbellono Mediolanensi, consobrino Pontificis prospere dimicatum: excitae Regum provinciarumque fere omnium legationes: & celeberrimi quique divinae sapientiae studiis Tridenti adfuere. Ibi Pontificis sumtu per biennium alebantur. Collegii Principes urbe in illa Sedem Apostolicam, Pontificemque ipsum, quanto decuerat splendore repraesentabant. Inter eos Simoneta Mediolanensis fuit.

Romae interim summa rerum consiliorumque omnium avunculi nutu Borromaeum respiciebat. Is una cum Pontifice intentus Romanarum emendationi rerum, adnitebatur sedulo, ut domestica disciplina toti Christiano orbi praeferret facem. Injecta primum omnium frena vaganti aulicorum licentiae, adhibitaeque leges, ut pure ac pudice viverent, vel certe absconderent flagitia, quorum inveterata consuetudo lente exsuitur. Regimen omne urbis, Tribunalia, Causidici, Scribae, Quaestorium, & Aerarii cura, Satellites, carceres, & quidquid aliud in magno Imperio, magnoque populo, Principis Majestas, & licentia hominum requirit, suis cuncta decretis & legibus opportune coercita, cum ad eam diem, licenter & dissolute haberentur. Proscripti gladiatores & homicidae: sublata asyla: sclopi rotati breviores inertis perfidiae capitalia tela, vetiti, & damnati: adjecta viridis galeri nota decoctoribus, in quos actio nulla alia creditori relinqueretur: coacti mendici in unam sedem & publice eis constituta alimenta: aliaque multa generis hujus privatim ad urbis Romae disciplinam pertinuere.

Concilio deinde apud Tridentum absoluto & dimisso, quae communiter Ecclesiam universam attingebant, ea uti in mores publicamque consuetudinem inducerentur, majore cura adlaboratum. Et privata rursus alia in urbem cura Pontifex induxit subterraneis rivis, aquas, portas, viasque novas aperuit, propugnacula & muros exstruxit, laxavit Vaticanum aedificiis, aurata laquearia statuasque & picturas adjecit: quae opera frequentiam & admirationem hodie Vaticano augent. Caeterum, in tam splendido Pontificatu, exsuperantibus saepe vectigalia impensis, crebrae necessitates oriebantur imperandi tributa populo Romano, urbibusque subjectis: & constitit, amplius centum quinquaginta millia nummûm aureorum annuis reditibus per ejusmodi exactiones accessisse: eaque onera populis, & Apostolico Fisco accessiones mansere etiam ubi necessitati satisfactum erat.

Gerenti ita Pontificatum avunculo, minister Borromaeus particepsque consiliorum, & factus interim Mediolani Archiepiscopus erat, & muneribus praepositus aliis quae summa & amplissima Pontifices conferre possunt in eum, quem sibi e proximis unice extollendum sumsere. Aronae is in avitae ditionis arce natus, exortu statim ipso spem de se magnam fecerat, comitante fama natales Infantis, tamquam splendor inusitatus supra tecti culmen emicuisset, ubi Margarita mater ediderat partum: deque ea coelesti flamma, vigiles, qui in arce excubias agebant, retulere. Per omneis deinde aetatis gradus, puer, adolescens, juvenis, affectatione sapientiae, pietate in Deum, contemtu mortalitatis, modestia inter aequales, auctoritate adversus alios ita egerat, ut fortuitum eum fuisse splendorem illi etiam negarent, qui talia ultimi omnium credunt. Annum vigesimum alterum ingrediebatur, cum ab avunculo Pontifice Romam evocatus, Apostolica cuncta, praeter nomen sedemque tradente eo excepit. Habuere virtutes idonea spatia campumque virtutibus parem: & sicuti nullus umquam antea Pontificius propinquus tam effuso studio, tantaque propter spectatam indolem securitate factus fuerat arbiter omnium rerum, ita non fuit, qui ex fastigio potestateque illa minus sibi usurparet. Curas tantummodo Borromaeus, & labores, continentiamque usurpabat. Vaticanae noctes fuere documento, queis nobilium litteratorum instituerat sibi colloquia & congressus, cum diurna tempora summae rerum impenderentur. Concilii Tridentini stimulator auctorque praecipuus fuit. Eo absoluto contendit, ut decretis & institutis cuncti obedirent, ipseque primus omnium obedivit: ac coeperat ex eo tempore coelestium unus inter mortales haberi, cum antea summus tantummodo mortalium haberetur. Mediolanensem in primis Ecclesiam ad ea Tridentina decreta conformare totam volebat, & accepta, sicuti dictum est, Metropoli, duos tunc innocentia vitae & rerum Ecclesiasticarum usu laudatissimos viros, Hieronymum Ferragatam Episcopum, & Nicolaum Ormanetum misit, qui nova illa disciplina mederentur urbi, populumque & Clerum, donec veniret etiam ipse, continerent. Mox utique aderat, aegre impetrata missione ab avunculo, qui sese hactenus exorari patiebatur, ut vellet cum redire Romam simul atque provincialium Episcoporum acto conventu, gravissima quaeque constituisset.

D. Carolus anno post Virginis partum millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, relicta Romanarum rerum majestate, quae ad ipsum avunculi nutu tota respiciebat, Mediolanum venit, novam suo Pontificatu salutem ferens Urbi, cui prior antiqua salus ob temporum miserias, & hominum vitia coeperat prope irrita esse. Per tot namque annos inhibuerat nemo: vixdum quieverant bella: ex bello pesteque assurgebat civitas disciplinae expers, atque ut inter calamitatum & gaudiorum extrema, fere accidit, oblita vel ignara honesti. In hos mores inducere, non honesta solum, sed etiam Apostolica instituta, sicuti parabat novus Archiepiscopus, arduum, nec nisi mentis divinae erat: eamque divinitatem, & coelestem in mortali corpore spiritum, & continua miracula vitae Pontificatusque ejus, ac decerni denique Coelum vidit eadem aetas, quae tale hominis miraculum tulerat. Ingens materia novo operi, si quis experiri volet an ea omnia possint adhuc uberius explicari, quam quomodo tot aliorum voluminibus explicata consignataque exstant.

Me, certe, quasi meditantem tale quiddam aliosve provocantem juvat in hoc operis fine sternere quodammodo ad id viam. Et quia Pontificatus ille D. Caroli, socia Philippi Regis majestate ac religione, mutatae in melius Reipublicae principium urbi nostrae tulit, ac nova post id tempus facies & forma sacris profanisque rebus, tum quaesitiore rituum cultu, tum piorum operum atque aedificiorum amplificatione, studiisque etiam litterarum & artium exstitisse visa est, repetam de origine statuque urbis, & Ambrosianae Reipublicae omnia, quae magnae surgenti Historiae quasi praebere vestibulum possint: eaque narratio, tum prioribus libris omissa multa supplebit, tum posteriora delibabit.

Parva principio urbs, & ante urbium aliarum Italicarum magnitudinem, nulla alia re, quam vetustate originis celebrata, paulatim deinde bonitate soli, virtutibus atque vitiis incolarum, finitimorum invidia, vel si quos ex longinquo sollicitaverat cupido terrae potiundae ejusdem, tantopere crevit opum sive calamitatum fama, ut diu nulla felicior, diu miserior nulla, vel civitas, vel provincia haberetur. Decius Ausonius Poeta, qui pueros Caesares Mediolani erudivit, ab Trojanis usque temporibus petit gloriam famamque Urbis: neque ego ab dira terrarum omnium eluvione, nepotibusque Noemi proxima fabulis, & invidiosa illa admiserim, quae nonnulli tamen in tradenda Mediolanensium origine, firmavere testimoniis, conjecturisque & argumentis rerum. Est haec certe vetus insania scribentium, ut primordia urbium semper antiquiora facere, seculisve addere quamplurimum velint.

Sed Urbem Mediolanum constat, anno fere millesimo ante partum Virginis, ab Sicambris esse devastatam: inde Etruscos irrupisse: hos rursus pulsos a Belloveso Gallorum duce: qui, quoniam diutius aliquanto, quam caetera barbaries Insubriam tenuerit, conditor urbis imperiique hujus in annalibus plerisque appellatur. Romani deinde Gallos ejecere: & Romanorum imperium adspernati Mediolanenses gessere cum his bella: quorum exitu victi ac deliniti beneficiis, meruere vicissim obsequio, ut Caesares huc aliquando transferrent sedem: rursusque rebellis ei dominationi civitas, libera, vel serva fuit cum eventis & fortuna, quae superioribus

bus libris demonstrata est. Et antiquitas quidem, priscaque gloria urbis ita sese habet, neque tam incredibilis & profunda quam fabulosae historiae tradunt, neque secunda rursus urbis alterius antiquitati, quae ab origine sua casibus superstes hodie incolatur. Etiam in asserendo veterum Regum illustriumque virorum proventu, qui, vel imperitasse hic, vel profecti hinc esse traduntur, inducta ad miraculum & pompam nomina promte repudiaverim. Furor, profecto, fuit, furor, Galvaneum Flammam & Philippum Seprienfem prodere ausos, Janum & Manassen, Abraham fere temporibus, Mediolani Reges ex Angleriae Comitum Domo, & Reges alios viginti septem ante Gallorum adventum, & alia pari ad fingendum temeritate, quasi puerorum secula successura essent, apud quos ejusmodi mendaciis fides.

Sanior memoria prodidit, Julium Didium & Valerianum, & Galienum Liciniumque & Constantium, & Theodosium, & Galerium ab Mediolano oriundos fuisse, quosdam eorum & Mediolani natos: eique nos memoriae assentimur. Omnino autem habitavere Mediolani, multumque delectati sunt terrae hujus ingenio, Julius Caesar, & Pompejus Magnus, & Trajanus, & Diocletianus, & Constantinus, & Constantius, & alii: insuperque triginta amplius Imperatores coronam hic accepere. Ingentes animas, quae per omnia, unde nomen & splendor hominibus & urbibus venit, auxere Patriae decus suo, tulerat Urbs ante D. Carolum, neque deinceps ab ea parte sterile solum fuit. Namque Pontifices Maximi, quo imperio & nomine nihil capere mortalitas altius potest, idque adeo est longe supra mortalitatem, prodiere inde sex numero, splendore ac sanctitate Pontificatus, omnibus comparati, qui fuerant antea, quive deinde successere. Nec tamen abfuere nonnullis eorum si quae in fastigium etiam illud citra divinarum rerum inviolabilem majestatem vitia humanum animum comitantur. Sed Alexander Secundus ex Badagiorum gente, clara olim, nunc vix nota Mediolani, vitiis omnibus humanis longe superior, in magno dissidio, quo tunc Ecclesia lacerabatur, magnaque Henrici Caesaris pro Pseudopontifice Cadolo pertinacia, legitimus ipse justusque Pontifex, suffragia Cleri, & auctoritatem Apostolicae Sedis absque ulla alia mortali cura retinuit constantissime ac defendit. At Urbanum III. Joannis Cribelli filium pari vitae innocentia, robore minore animi moeror absumsit, cum obsessae Hierosolymae suppetias ferre parantem, in medio rerum conatu nuntii captae sacrae Urbis oppressissent. Celestini Castelleonaei propera mors, & ille viginti dierum Pontificatus Ecclesiam universam perculit in longum tristi recordatione magnarum Pastoralium virtutum, unde aureamrursus aetatem gravata malis tempora sperarant. Fuit hic ex Castelleonaeorum domo, cui tam breve decus illud, Ecclesiae annalibus & omni publica memoria prorogatur in hunc diem. Longioris aevi Gregorius X. e Vicecomitum stirpe, major etiam clariorque Celestino habitus est, nisi quod, ubi summus jam mortalium ipse erat, non desiit meminisse factionum, quas in minore fortuna secutus fuerat occulte, sive palam, quasve etiam, adepto Pontificatu, sicuti in rerum omnium apice illo mutantur animi, vel nudantur, deprimendas sibi aut attollendas repente destinarat. Caeterum, quatuor annis & mensibus duobus (tamdiu enim regnavit) magnarum Pontificalium actionum prudentia & gravitate, non suo tantum nomini, sed patriae simul huic paravit famam. Finita per eum Venetorum & Genuensium bella: rursus in Venetos, quia portoria exigendo, potestate maris abutebantur, vindicatum: vocata ad Sedis Apostolicae auctoritatem Graecia: datus Occidenti Imperator: concita Christianorum in Saracenos arma: nihil quadriennio illo omissum, quo publica salus & disciplina in perpetuum constituenda esset. Seculorum deinde aliquot interjectu, petitus ex eadem urbe ingenio non dissimili Pontifex, cui ipsi non dissimilis in militari vita Jacobus frater fuit: duosque Medicaeos, alterum toga, alterum sago ad summa enixos, inter exempla fortunae sive virtutis aetas omnis feret. Post Pium hunc Quartum ultimus ad hanc aetatem ex urbe nostra Pontifex prodierat, quem Gregorium XIV. appellavere, cum in priore fortuna Nicolaus Sfondratus is fuisset. Mite ingenium placidique mores, & sincerus animus vitia Pontificis hujus fuere inter eos, quibus nulla nisi callida torvaque virtus placet.

Cardinales, quae proxima summo honori dignitas est, vel certe prima post eum, quinquaginta prodiere ex urbe hac: bello nobiles item extitere majore etiam numero, sicuti necesse erat in terra, quae raro umquam olim a bellis quievit: & in omni civitate, gloriam & studia veterum posteri aemulantur, stimulosque semper magna exempla addunt. Antiquissimus omnium Mediolanensium, qui tractando strenue ac feliciter arma in eo truci genere claruerit, atque hauriendo mortalium aliorum sanguine, tristem eam palmam, laudemque illaudatam tulerit, Ducarius fuit. Hunc inhumanitatis commendatione ejusdem carissimum fuisse Annibali memorant: Consulque Flaminius ab eo in acie interfectus terribile Mediolanensium nomen Senatui fecit populoque Romano, & gentibus, quae Romanos tantummodo antea, sive Carthaginienses timebant. Post eum coepit militaris fama extollere Mediolanensem item Rufum, qui Romae ter Consul fuit, ter populi Romani exercitum ductavit, & pulso Vindice, imperium asseruisse, non sibi, sed Patriae est dictus: cumque apud Alsiatum in agro Mediolanensi, monumentum ei fieret, inscriptio est addita ea, quae monumento ipso hodie perennior durat. Sed & plerosque tulere alios prima illa tempora florentis aut afflictae Reipublicae, qui in re bellica consilio manuque boni munimenta patriae haberentur: & rursus eis alii strenui milites, atque ductores exercituum disciplina & aemulatione gloriae succreverunt.

Procedente dein tempore & gliscente semper apud posteros admiratione priorum, soboles hinc prodiit illa militarium virorum, quae Regnis fere omnibus sufficeret, dum in discrimine quique suo Principes aut populi, gerendorum bellorum administratores sive Chiliarchas, aut Tribunos, vel alia praesidia rebus tuendis ab Mediolano expeterent, Gallus, Neapolitanus, Anglus, Pannonus, Boemus, Veneti quoque & Florentini, & Caesares, & Pontifices: quarum dominationum, in urbem hanc, sicut injuriae, ita etiam honores & beneficia manavere, prout ex eo militari commercio, mutua studia, vel pro studiis offensiones iraeque exarserant. Et postquam Austriacae ditionis Insubria facta est, Reges semper illi, tuendo imperio circumferendisque armis ab Metropoli sumsere quantumcumque imperitantium artes petere solent a subjectis, ac vicissim praemia & munera contulere largiora quam ut in subjectos. Ita Mediolanenses, externorum, sive suorum Regum munificentia, priscis temporibus, sive recenti hac aetate, publice vel privatim assecuti sunt, ut in alieno etiam imperio, mediaque servitute, parte dominationis hodie perfruantur. Adeo scilicet in tam numerosa nobilitate rarae sunt domus, queis non municipia sive rura aliqua obediant: stemmataque passim & tribunalia stant apud minores penates, quos ipsos stemma deinde tribunalque majus urget. Demarchi, Comarchi, Toparchae, Principes etiam, & Reguli, foris dominantur, in urbe serviunt absentis Regis praesenti majestati, atque hoc ipsum servire majestas ipsis splendorque est. Bonas artes, & litterarum studia semper coluit Civitas, etiam inter bella & seditiones, quae nullam magis gentem exercuere: demonstratumque alibi est, quemadmodum, & librorum copia jam inde a primordio urbis publice prostaret excitandis ingeniis, & alimenta de publico item essent constituta ingenuis, quorum humilis alioqui fortuna subsidium id postularet. Palatinae Scholae etiam antiquitus fuere in urbe, Romanum opus jam inde, scilicet, ab eo tempore, cum Caesares Mediolani tamquam in altera imperii sede commorarentur, alteramque Romam dici hanc vellent. Obtinuit eas Scholas D. Augustinus, quem Roma ipsa invidere potuit nobis, eaque rudimenta fuere gentium Doctori, cum dicendi artem, quantamcumque capiebat aetas illa, profiteretur. Par fama secutis fuit, quantum

tum etiam assequi celebre illud ingenium potuere quibus haud perinde faverat Numen. Neque Chalcondylas, & Chrisoloras, & Aonius, & Merula, fuere post Augustinum primi, qui cum plurima, & veneranda imagine antiquitatis ea in sede profiterentur.

Olim publico sumtu Gymnasium steterat: nunc Regis aere sustentatur. Doctores, sua quisque munera statis horis obeunt, qui Graecae, quive Latinae linguae specimen idoneum dare potuerunt, quosve etiam, uti corruptela rerum omnium est, audacia favorve aliquis raro extulit in eum locum, munerique litterario per ambitionem admovit. Juris civilis elementa qui juventuti tradat, eligitur ex nobilium Jureconsultorum collegio, non tamquam ad munus, & stipendium, sed exercitationis experimentique causa, ut ad majora nitentibus eae scholae spem roburque addant. Etiam juventuti, quae post primas pueriles litteras ad primordia illa civilis prudentiae accedit, gradus ad Ticinense Gymnasium hinc paratur. Canobianam Academiam instituit eo cognomine civis unus, virorum etiam oblectamento, non juventuti tantum erudiendae, divisis inter Philosophos muneribus, ut ab alio disciplina de moribus interior elegantiorque explicetur: Mathematicis alius insistat: non nemo disserendi subtilitates versutiasque tractet. Ipsa Gymnasii sedes capaci & excelsa rotunditate fundatoris animum praefert: ac Morali praesertim Philosopho sexcenti sunt annui attributi: scilicet, ut non gregarius quotidianusve aliquis, quales nimium saepe Philosophastros, rancidum, & rude garrientes apud Gymnasia pleraque audimus, sed politus quidam, & Latinus, & praeter spectatam in suo illo genere profunditatem, multa Poetarum omnium, multa veteris memoriae pertractatione, Graecaque inprimis excultus litteratura conduceretur. Et queis omnia ista adessent, reperit adhuc velut in suo sinu abunde civitas, nisi si forte semel rerum domesticarum insolenti fastidio externos etiam voluere experiri. Indigenas porro Philosophos, quos Canobiana haec emolumenta excitavere, quamdiu Civitas eadem in conspectu habuit, iniqua semper erga vivos aestimatione, vel ubi decesserant, recenti in mortuos etiam invidia, sicuti homines caeteros locuta est, aut oblivioni dedit. Futura vero secula eosdem admirabuntur, semperque in ore habebunt, Octavianum Ferrarium & Zacchariam Caimum, & eum, qui, scribente me, ista philosophabatur in eadem sede, Ludovicum Septariensem, capita nata scientiis, libros pervagata omneis, vitae etiam spatio testata culmen Principatumque artis. Et scholae quidem istae prius in urbe fuerant non disciplinarum tantummodo juventutisque causa, sed etiam ad otium honeste oblectandum, quibus id ipsum nihil agere grave esset. Postea, inducta in urbem Societate Jesu, frequentia major in Braidense Gymnasium incubuit, non solum, quia Patres, aptiore quadam forma constitutas statim habuere scholas, progressusque juvenum simul exhibuere mirificos, & magnos, sed etiam, quia nova semper veteribus officiunt, & civitatibus quoque ipsis, non animis modo singulorum libido inest, recentissima quaeque consectari veluti per satietatem. Venere Patres in Urbem accitu Divi Caroli, sicuti dictum est, idque accidit anno cIↃ IↃ LX. Prima eis tecta fuere ad D. Viti, quae sacra aedes, Ticinensi via, capace satis domicilio adjuncto, peregrinos, commode, uti erant initia, admittebat. Ibi Sodales, cum aliquamdiu detenti fuissent, fausto mox agmine, tota cum laetis ominibus prosequente Civitate deducuntur ad D. Fidelis aedem, quae humilis, & angusta tunc fuerat, paulatim inde crevit liberalitate civium, & Patrum fama: atque hodie finitima tecta superbi quondam Liguris & humanae superbiae assurgentem ibi in vicino pompam obterit majestate sua.

Sed postquam Humiliatorum Ordo sacrilega absurde ausus excidium meruit, ab D. Carolo in domicilia eorum inducti, vacua propter scelus alimenta sanctius honestiusque occupavere. Ex eo tempore, ad Braidam alumni scientiarum, & magistri, ad D. Fidelis, magistri ducesque animarum, discreto in duas familias Ordine agunt. Sub eorum adventum, institutum Mediolani Seminarium est ad D. Joannis aedem, unde litterae, & humanitas, & disciplina Clero toti. Ducentorum juvenum domus, translata illuc ex patriis penatibus tenera aetate ad Sacerdotales usque annos detinet in utriusque Philosophiae studiis Ecclesiasticam sobolem: puerosque Philosophos, & Theologos adolescentes imbutos simul varietate linguarum reperias ibi, qui publice docere eadem possint. Si qui in tanta multitudine reperti sunt forte tardiores, segregantur a caeteris, & in collegio separatim ignobiliore exercentur ad dijudicandos Christianae vitae casus, atque per compendia quaedam, arte regendarum animarum imbuuntur. Agrestium Parochorum id fere Seminarium est. Ex altero Seminario majores Ecclesiae magistratus, & munera ampliora supplentur. At ex collegio Germanico mittitur in Helvetiorum Rhaetorumque pagos ad fovendas illic Catholicae fidei reliquias litterata Clericorum manus, qui rudes, & barbari ab primordio aetatis ducti inde in urbem, ut rediere domum, scientiis, & modestia vitae miraculo sunt inter suos: novaque semper proles ex rupibus pagisque illis Mediolanum ad spem eamdem destinatur. Tecta, & alimenta prius ea fuerant venaticorum canum, immodestiaeque totius, quae Humiliatos ad facinus provexit, quo excidium sui Ordinis meruere, ingentesque divitiae hominum illorum infelicium, Ordine sublato absurdo, & inutili, in praeclara, & mirifica haec cessere.

Nostra deinde aetate, Cardinalis Archiepiscopusque Federicus, sublatis etiam prioris nequitiae aedibus, ibidem excitavit moles, qualia decebat esse litterarum, & sapientiae tecta, ut ingenia juvenum etiam pulchritudine, ac majestate domicilii provocarentur. Stant spatiosa, & alta conclavia, columnatae porticus, atria solitudinum instar: ingrediensque aliquis, facilius ipse judicaverit, quam hae litterae demonstraverint, homines Reges, illa, vel commoditate, vel splendore ad habitandum posse esse contentos. Exstruxit Borromaeus, & posuit haec domicilia Musis, postquam studia litterarum artiumque omnium ipse constituerat: magistrique partes, & docendi taedium in Purpura non dedignatus, nova disciplinarum itinera Clero aperuerat, ut qua ipse incessisset via, leniter ac tuto deduceret suos. Et nondum historiae locus erat hic narrandi praeterea magnum Bibliothecae opus, & quas ille collegio Ambrosiano vias monstrarit, ac reliqua Pontificis ejus opera inducendis in Patriam hanc litteris, atque per gloriam, & nitorem earum, inferendae in aetatem nostram antiquitati. Singularum quoque Paroeciarum templa, cum squalerent vetustate sua, & prope collaberentur, scribentibus ista nobis, ille renovabat atque instaurabat assignato in publicum censu, flexa ad Ecclesiasticam modestiam profanorum delubrorum arte, & emendata veterum structura politis inventis, ut antiquitatis imago cothurnum atque umbras recenti elegantiae addat, & antiquitas ipsa vicissim refoveatur amoeno hoc floridoque cultu. Talia surgere templa in priscarum aedium vestigiis Tribules quique admirantur, & Parocciarum merito conditorem Borromaeum, ceu Monam alterum ventura secula populi Mediolanensis loquentur. Sed, & Fulcorinam, & S. Mariae Pedonis aedem augere Canonicorum collegio parabat, ut antiquissima monumenta Dei Matris ostenderet populo magisque commendaret. Posteriorem vero hanc, propterea quod veterum Borromaeorum ossa tumulo illic cohibentur, instaurare a fundamentis parabat, ut novi operis dignitate splendidoque cultu magnitudini Domus responderet. At in diversa parte Urbis ad D. Euphemiae, qua Domus alia Borromaeorum noscitur, ne ulla monumenta Avorum sineret indotata Superûm cultu parabat Deiparae cellam coagmentatione gemmarum, quae sectae, & coassatae singulos colores picturae ratione operi praestabunt, eique faciundo rerum natura margaritis pretiosissima sui parte sic ancillata erit. Sane pingi demum ita salutis humanae Parentem Divam maxime conveniebat in Urbe, quae cultu ac veneratione ejus jam caetera cuncta pietatis experimenta consumsisset.

Ne-

Pag. 783




Joseph Garavaglia del.

A. Palazzo di Tomaso Marini. B. Fianco della Fabrica di S. Gio: le Case Rotte. C. Chiesa di S. Fedele de Padri Giesuiti. D. Casa Prosessa de Sudetti Padri.



Joseph Garavaglia del.

*Templum Mariæ Virginis juxta S. Celsi.*

Neque opibus tantum, & fortunae magnitudine Borromaeus augebat ita coelestium cultum, & religionem Urbis, sed majora interim erant opera Oratoris divini, miraculumque eloquentiae populo Mediolanensi exhibuit nuper, cum dedicata ad D. Barnabae Fontem ara, de inclytis illis aquis ac de Religione loci sub dio concionaretur. Tot millia mortalium ibi in campo, clauso velut ore, ac veluti ne reciprocante quidem interim spiritu fixa in silentium vidimus: enixos in arborum summa plerosque juvenum, pendentemque concionem in ramorum nexu. Primam & antiquissimam Mediolani sacrorum sedem hanc fuisse, dictum est in priori operis parte, cum Apostoli Barnabae adventum, & initia religionis traderemus. Parva ea cella fuit inaedificata Fonti, qui, subita, & larga scaturigine aquarum, peregrinantem circa urbis moenia Apostolum invitavit, ut subsisteret ibi, atque confluentes ad Christiana sacra populos coelestibus eis lymphis expiaret. Proxima antiquitas aedi, quam Apostolus idem, media in urbe, Salvatoris nomini dicavit, sive delubrum id inanis alicujus Dei, sive publica aliqua sedes, sive privata domus fuerat. Suppresso postea Salvatoris nomine ob reverentiam, credo, altitudinemque nominis, Tecla virgo & Martyr obtinuit templum, atque in illa sede consecrata est. Rursus, haec ipsa aedes vetustate jam fatiscens, avorum memoria diruta est, translatoque in templum maximum omni divinae Martyris ministerio, & cultu, supellex illa simul, & sacer apparatus, & quidquid redituum erat, in Metropolitani templi majestatem concessere. Patescebat in diversa urbis parte sanctior campus ob madentes inclyto Martyrum cruore glebas, atque sepultos illic Christianae fidei proceres, quorum tormentis, & caede fundamenta Ecclesiae hujus jacta. Namque Philippus Oldanus, e primis Barnabae filiis unus, quos ad fontem ipse susceperat, conversa sua in templum domo, hortos quoque circumjectos in eum sepulturae usum abdicavit ultro, & sacravit. In domus area omnium Sanctorum aedes, quae deinde, antiquata priore appellatione, templum fuit Naboris, & Felicis, ac variante cuncta aevo, Franciscana aedes nuncupata est, idque hodie nomen manet, multum aucta majestate ob sacella, quae primi civium posuere: & Joannis Borromaei tumulus sacellumque D. Joanni Euangelistae ab eo ibi exstructum, marmore, & auro, & artificum ingeniis monstrant piorum operum magnificentiam, quae prioribus saeculis in urbe fuit, & nostra aetas aequare non potuit antiquum splendorem, cum dilapsum illic aurum evanidique colores nuper a Federico Borromaeo Cardinale restituerentur. Qua steterant horti, templa alia duo surrexere, quae mutatis etiam ipsa nominibus, D. Ambrosii alterum nunc, alterum Divae Valeriae nuncupantur. Eadem regione urbis, gemina Philippi proles, Portius, & Faustus paternae pietatis imitatione posuere templa, quae prius ab conditorum nomine, dein ab D. Vitalis, & D. Martini, cultum Religionemque accepere. Patruus horum Castritianus, post Barnabam Anatalonemque & Cajum, Episcopus Urbis D. Joanni Euangelistae sacram aedem exstruxit, Martyrii ejus monumentum, addiditque cognomen ex ferventis olei Conca, quo demersus ille ambustusque est. Id templum Romana via Carmelitae Fratres habent: & porta eadem egredienti fit ad dexteram D. Calimeri aedes, quae, fanum Appollinis antea, post Episcopi ejus admirabilem divinumque Pontificatum sacrata est ipsius nomini: & Archiepiscopus Crassus, circumacto Apostolicae simplicitatis tempore, opulentiore jam Metropoli, aureum altare, quo reliquiae Calimeri ipsius conderentur, adjecit. Monas hinc ille, sextus quidem Episcoporum, primus vero constituendi populi describendarumque Paroeciarum auctor, Apostolorum Principi Basilicam instituit, acceptis ab nobili cive aedibus, & honore vicissim habito ei, ut familiae illius posteri a Basilica Petri cognominarentur. At Graecus Eustorgius praecipua sua erga Christi incunabula pietate & sensu, trium Magorum memoriam, populo Mediolanensi colendam exhibuit juxta D. Barnabae Fontem, quae deinde aedes senescente Regum cultu, cultum nomenque Pontificis, a quo fuerat exstructa, renovavit, & Basilica Eustorgiana dicta est.

Atque haec quidem fuerant divini cultus apud majores nostros primaeva domicilia & antiquissimae sedes, quas aetates postea insecutae laxius magnificentiusque excoluere, additis opibus ad tuenda sacra collegiis Ordinum sacrorum, & quidquid in aliena Metropoli satis esse posset ad majestatem, etiam si nihil aliud praeterea religiosi sacratique haberetur. Deiparae Virginis aedes quae dicitur ad D. Celsi, illa complexa brevi compendio quidquid praedives aliquis & eximius in Superûm cultu conari populus queat, originem duxit ab Nazarii Celsique Martyrio, quos Anolini saevitia, sub Nerone laceratos, diuque ignobili tumulo apud Ceratium quemdam occultatos, divinus Pastor Ambrosius, ut reperit diversa in latebra, Nazarium quidem transtulit in Basilicam Apostolorum, Celsum vero ibidem ubi erat inventus reliquit. Et exstructa super tumulum utrumque cella, qua Nazarii corpus steterat, pingi Sanctissimae Virginis imaginem jussit, quae deinde imago, tamquam transfuso in colores & lineamenta coelesti spiritu perculit & obstupefecit saepe miraculis urbem, & manet adhuc. Atque cum cresceret quotidie dignitas ac frequentia loco, & salutarium beneficiorum monumenta certatim ibi statuerentur, motus est ultimi Vicecomitis animus, ut pro magnitudine Divae & civium concursu faciendum ibi templum locaret. Addita est Principis ejus munere ac pietate pecunia sacris faciendis, & sacrorum eorum jura sunt assignata Vicecomitum Genti, ut dispensatio arbitriumque in domo esset. Post aliquot inde annos, tempore, quo pupillum Sfortiam Ludovicus patruus tyrannica tutela opprimebat, die quodam, cum eo in templo ad aram imagini appositam res divina fieret, beatissimo lumine circumfusa Deipara, populo qui aderat, inspectante, effulsit, dimovitque sua manu velum, quo pictura tegebatur, & excitato ad rei miraculum omnium clamore, stetit in iisdem vestigiis aliquamdiu, deinde inenarrabiliter est repente subducta. Ea incrementa majestati, quae concitos illuc admiratione rei populos praefert, & fit ipsa prope miraculum artis. Tabella, quae visionem narrat, pendet templo, & leguntur eorum nomina qui adfuere. Conterminum huic aedi templum diruta humiliore cella exstruxit D. Celso Landulphus Carcanus, Archiepiscopus urbis, addiditque Monasterium & Monasterio opes, quae super Monachorum alimenta, pars hodie Romani splendoris fiunt, amplissimumque sacerdotium novit Aula. Par opulentia splendorque Benedictinis, ad D. Simpliciani aedem, quae item ab sui primordio fuerat dicata Sanctissimae Virginis nomini: sed postquam D. Simplicianus, acto divinitus Pontificatu, & expleto virtutibus ac meritis quidquid capere mortalitas potest, ibi conquievit, studia civium retinuere id nomen, ipsamque adeo Basilicam ditavere praediis & vectigalibus, quae tuerentur Pontificis cultum, famamque urbis.

Basilicae Ambrosianae, quam Sanctus Pater Ambrosius ereptam superstitioni vanitatique gentium, sanctioribus caeremoniis, & veri Numinis adoratione consecrarat, diximus alibi decora & honores: sed repeti hoc haud alienum fuerat: crevisse sic nimirum eam Caesarum certamine, dum privilegia & dona cumulando illuc, semper anteire alius alium invicem student. Et Pontifices ipsi in eo studio anteiri sese a profanis quodammodo profanum improbumque existimavere: vestigiaque & monumenta magnarum illic olim rerum, & nobilitata cuncta mysteriis, certamen aemulationemque eam accendere potuerunt. Inde illa Principum liberalitas, Archiepiscopusque Pusterula totam ex auro aram posuit intervenientibus gemmis, qua munificentia successores suos commovit, cum sollicitassent veterum dona ipsum, ne Ambrosianam illam aedem Ambrosii domicilium ipsius parcius segniusque excoleret. Pusterulae fere opus ejusdem fuit sub Quatuor Mariarum nomine aperta domus publicae egestati, ut tamquam e publicis penatibus infima plebes alimenta & subsidia vitae peti-

tum eo iret. Namque Archiepiscopus ille, cum passim quiritantes ob famem ex infima plebe jacentesque per compita multos videret, hortari coepit nobilissimum & ditissimum quemque civem, ut dignum aliquid genere ac pietate sua susciperent sublevandae infelicium calamitati, ne scilicet perirent fame, quibus obtigisset, ut in urbe tam opulenta, & inclyta nascerentur.

Forte interim nobiles viri tacti desiderio ac pietate adeundi terram, quae patria Salvatoris fuit, suscepta illuc peregrinatione, tetendere grege uno, atque divina ibi vestigia venerati cum lacrymis & perfusi gaudiis incomparabilibus incolumes revenere domum. Praecipuo sensu ac teneritudine animi commoti erant erga Sanctissimae Virginis nomen, provectique pietate in illam, treis etiam alias Marias Deiparae sorores, sociasque tormentorum inter sese differendo, veneratione, & cultu dignas esse autumabant. Stat sententia moliri dignum aliquid origine sua, & Divarum stirpe: memoresque etiam Archiepiscopi consiliorum destinavere pauperum alimentis praedia, quae amplissima habebant. Ea donatione publicam domum sibi esse instituendam, quae Quatuor Mariarum diceretur: idque in itinere ipso votum nuncupavere. Res deinde confestim ad Archiepiscopum Pusterulam delata, comprobatur ipsius auctoritate: dantur instituta & leges & ministerium omne novae domui: Archiepiscopusque ipse, quo primum die fundata domus & aperta est, rem divinam fecit, attribuitque de suo florenos aureos ducentos, quo expeditiora primordia operis forent. Dies ejus inchoati operis fuit ad X. Cal. Junias anno salutis Iↄ ccc XLV. mense altero postquam cohors ea nobilium virorum ab Hierosolyma rediisset: meruerantque etiam ipsi, ut quo quisque fuerint nomine ac gente in transcursu hoc sacrorum operum diceretur. Fuere autem: Guidus Vicecomes, Ubertus Pirovanus, Petrus Pusterula, Gaspar Vicecomes, Federicus Cribellus, Gulielmus Pusterula, Thomas Crassus, Paulus Marlianus, Caesar Paganus, Vincentius Cattaneus, Bernardus Cittadinus, Carolus Pusterula: hi singulos alios assumsere. Ita quatuor & viginti numerus effectus, binique in singulas urbis regiones descripti. Reditus annui triginta millium aureorum summam expleverant, nisi bella insecuta, conditione iniquiore locari pleraque in perpetuum alienarive coegissent. Id aliqua ex parte damnum sarcitur magnis civium aliorum liberalitatibus, quae imitatione priorum subinde excitabantur. Et Joannes Archiepiscopus, idemque Princeps urbis, ex ingenti fortuna, qua imperium utrumque tenuit, contulit eo vectigalia & fundos: Caesarumque & Regum beneficia ad tuendam loci dignitatem adfuere.

Ambrosianae aedis antiquitati (nam inde diverteramus) compar antiquitas fuit aedis quae D. Victori sacra, ab Martyris ejus ibidem asservato corpore cognomentum tenet. Basilica haec fuerat jam inde ab temporibus Apostolicis, exstructa per Portium, Philippi Oldani filium, quem Barnabas abluit sacro Fonte. Sanctus Pater Ambrosius ibi quoque habitavit cum cederet furori Arianorum, qui congesta lignorum strue circa valvas facibusque subditis, absumserant incendio templum: & Vir Dei divinitus evasit. Miracula simul & injuriae fecere huic etiam aedi magnas opes, quae ab necessario cultu sumtibusque sacrorum ad illustres Ecclesiae viros redundavere: nec leve certamen ambitioni, quis D. Victoris Abbas fieret. Demum Olivetani Patres egere cum Andrea Gallarato, qui Abbas fuerat ultimus, ut ea vectigalia Sacerdotiumque ipsi haberent, resque convenit in eas conditiones, quae parti utrique placuerunt. Patribus postea curae fuit, ut reliquias & vestigia illa quam splendidissime frequentarent: curaque eorum & splendore, stetit Monasterii simul & templi moles, quae visitur inter decora urbis. Laurentiana aedes, antiquior, non sanctior, Herculis primo, sive, ut alii credidere, Apollinis inane fanum fuerat, rotunda forma, quale Romanum Pantheon adhuc cernitur. Postquam sublato & spreto ficti Numinis cultu, Laurentium Martyrem ea in sede Christiana religio venerari instituit, haud minora pro Martyre studia piorum Regum exarsere, quam quanta effusione prisca vanitas Heroi suo monumenta illa adornaverat. Namque Placidia Galla, quae Caesaris filia, & soror, & mater, & conjunx, unico ad eam aetatem inter Christianos exemplo fuerat, profanam illam superbiam impiosque sumtus obruit pietate sua, additis ex ritu consuetudineque nostra omnibus, quae Romanae superstitioni magnifica umquam fuere.

Caetera Augustae opera, quae Martyris aedem Christiano ornatu supra fastum omnem Idolorum extulere, sunt absumta fortuito igni, quo aedes aliquando tota conflagravit, collapso in cineres redactoque ad metallum informe, turpiterve ambusto ac torrefacto quidquid Reginae opibus, & artificum certamine celebre ibi inclytumque erat. Aquiliniani Sacelli superstites reliquiae monstrant eorum etiam quae periere pulchritudinem. Genesio Martyri posuerat id Augusta: postea veterem Religionem abolevit recenti semper & perpetuo miraculo situm ibi corpus Aquilini cum capillo adhuc & cute floridum, incorruptum, atque per tot secula exemptum vetustati, quae marmora etiam excedit. D. Nazarii Basilica fuerat ante Regnum Euangelii superbia & fastus inanibus Diis, ideoque Principibus Apostolorum dicavit eam Pontifex Ambrosius: postea translatum illuc, ut demonstravi, ab eodem Pontifice Nazarii corpus appellationem quam indiderat ille mutavit. Primae tamen originis reverentia manet, ac sacra quotannis Petri & Pauli dies majore pompa ibi & apparatu solenniore agitur, quod monumento esse possit primordia illa aedis fuisse. Excoluit hanc aedem stravitque marmore Serena Stiliconis, cum pro viri salute & reditu, votum id nuncupasset.

De D. Stephani templo, quod Nazariano huic, splendore ac dignitate Collegii proximum est, neque dubia pro veris affirmaverim in origine ejus tradenda, & quid veri sit in variis auctorum sententiis, explicare nondum potui. Ceu sententiam unam indicabimus, carmen, quod ad templi valvas in lapide insculptum deplorat absumtam incendio aedem, quae diu pulcherrima omnium fuisset: estque ei carmini adscriptus annus humanae salutis millesimus septuagesimus sextus. Inde facile conjectaveris Basilicae vetustatem, & decora alia, cum ante veterem eum casum antestetisse pulchritudine alias dicatur. Post incendium renata, cum rursus magnificentiae nostrorum temporum improbaretur, novam ipsa quoque faciem introrsus accepit: ab exteriore parte frons templi manet, qualis olim fuerat: eique renovandae destinantur sumtus, queis urbes aliae non unum exstruere templum possint. Ea civitatis nostrae pietas erga Christi Protomartyrem fuit: scilicet, ut qui suo sanguine primus viam in coelum tot millibus ostendisset, praecipuis etiam ille honoribus coleretur. At Rocius Cortesella, civium unus, admiratione, & pietate erga sanctissimam Christi necem, media urbis regione ornavit S. Sepulcro aedem, posuitque ibi simulacra partium singularum illius tremendi actus, quo violentius incurrerent in mortalitatis oculos eminentes figurae, excuterentque sopitae mentis aciem objecta tormentorum facie, & sanguinis quo redemti sumus. Cortesella Canonicos quatuor, Monachos octo ad frequentandam divino cultu aedem instituerat: nostra deinde aetas & sancti Pontificis divina cura, cum omnia providentius atque utilius mutaret, Ecclesiasticae disciplinae litteraturaeque sanctioris domicilium id fecit, habito semper & ibi collocato juvenum sacerdotum delectu, qui ad omnes Archiepiscopi nutus obtulere sese ultroque devoverunt. Anselmus Pusterula Paroeciam ibi instituerat, ejusque monumentum institutionis repertum est in Gratiani Cantoni aedibus, quae cum caetera vicinia Paroeciae ei contribuebantur. Res tota templorum urbis brevi compendio peragi in hunc modum potest. In universum erant bis centum quadraginta tria: Paroeciae septuaginta treis: Monasteria sexus utriusque octoginta: Collegia Canonicorum undecim.

Publicorum vero operum, unde subsidia & alimenta pauperibus, praeter Xenodochii maximi, & quatuor Mariarum indicatas jam opes, & si quae alia insuper osten-



J. Ghisulfius delin.

Columnæ ante Templum S. Laurentii.

ostendimus, larga adhuc & ditia quaedam patebant. Nam Sanctae Coronae domum instar Xenodochii cujusdam honestioris Ludovico Sfortia regnante, duo praedivites ex illius aula viri instituerant, ut ejus liberalitate domus curarentur apud suos quisque lareis, queis in publica illa aegrotantium pauperum multitudine conspici grave indecorumve esset. Pharmaca hinc, & potiuncularum omne genus, & viribus quoque in ultima debilitate refocillandis pretiosa scitamenta, & succi, gratuita omnia affatim praebentur, qualia divites aegroti pauperibus istis invidebunt, ob simplicium semper illic bonitatemque, delectumque & curam, quae miscendo & componendo summa ibi adhibetur. Circumeunt vero Medici quotidie decumbentium domos, & explorato cujusque statu, necessaria singulis atque opportuna praescribunt. Eadem circumeundi cura Sacerdotibus est, & inspiciendi quid cuique desit, feruntque pecuniolas secum, & praesenti subsidio corpora animosque solantur. Nec semper aegrotare necesse est, ut subsidiorum hujusmodi particeps aliquis fiat, & ea Sanctae Coronae liberalitate sustentetur. Etiam recte valentium necessitatibus miseriisque subvenitur: puellae ob egestatem destitutae dantur nuptum: & ob aes alienum vincti saepe ex hac domo stipem accepere, qua sese exsolverent redimerentque lucem. Annotatum relatumque est, sena fere quotannis aureorum nummûm millia officiis hujusmodi insumta esse, praeter patentes assidue tantae multitudini pharmacopoeias, quarum potissimum causa inventa res ipsa est, abundeque sufficit sumtus ob magnas subinde hereditates, quae ad piam eam domum pervenere.

Erant praeterea in urbe aliae pauperum domus, quae titulo inscriptioneve ipsa publicae benignitatis dexteram quasi tenderent egenti populo, vocarentque ultro ad stipem accipiendam. Misericordiae namque, & Charitatis, & Humilitatis, & Divinitatis Sodalitia, quae dicuntur, fundaverant superiore aevo civium primores, quibus in magna fortuna mitis piusque sensus fuit: hique sub nominibus eis, vel seorsim singuli, vel plures simul, paterna omneis cura prospexerant atque constituerant miserrimae plebi panis & salis & vini copiam, vestimenta quoque, & pecuniae partem, ne sexus miseri prolem cum periculo vel dedecore domi haberent. Fuere operum eorum auctores, Vitallianus Borromaeus, & alii, quorum nomina in Sodalitatum ipsarum litteris monumentisque exstant. Lazarinus Legnanus item, exstructa, quae Corporis Christi aedes dicitur, praeter sumtum in quinas quotidianas Hostias, reditus annuos addiderat, unde plures honestae puellae dotem, & vestimenta viri quotannis ab vertice summo ad pedes imos acciperent. Jam per singulas portas regionesque urbis, ad templa & aras, ad Oratoria & sacella, descriptae per menses, aut hebdomadas, diesve singulos fuere piae largitiones rerum ferme omnium queis vita sustentatur. Ac, sicuti dictum alibi est, Gallicis utique temporibus pleraque largitionum earum fuere instituta, sicuti mortales, in periculo, vel metu, mediisve malis maxime religiosi esse consueverunt.

Pietatis Montem (id Sodalitati nomen, quae, pignoribus acceptis, absque ullo foenebri pacto cumulante usuras gratuito pecuniam commodat) id Christianae benignitatis opus viri nobiles in media Ludovici Sfortiae tyrannide instituerunt, cum inter magnas Principis ejus clades, Civitas simul ipsa crebris Gallorum eorumdem incursibus saevissime laceraretur. Eadem Sfortiae aetas, in magna pestilentiae calamitate, atque in posterum metu, auxit urbem opere alio, cujusmodi nullum alibi adversus publica haec infortunia exstare crediderim. Cum enim antea, saeviente peste, quos lues corripuerat, vel ad Gregoriana prata, vel ad casas novas, viri feminaeque & totae gregatim domus ablegarentur, atque circum eas solitudines agmina infausta procul ab civili ope contabescerent: res digna magnitudine Principatus & urbis est visa Principi civibusque, separatam populo pestilenti ponere urbem, quae sub ipsa majoris urbis moenia, suis discreta & cincta moenibus, nec inficeret contagione integros, nec a publico subsidio discluderetur. Condendae parvae urbi sedes est electa in saluberrima suburbana parte medio campo Novam inter Orientalemque portam, qua planities amoena purissimi solis radios & mollem ex Briantaeo coelo auram foecundo etiam sinu excipit. Architecti cum diu inter se certassent, formam denique operis quadratam antetulere, eaque recepta, cum strenue urgeretur opus, intra annum stetere tecta accipiendae multitudini, quantamcumque pestilentia aliquando ejicere moenibus posset. Excurrunt in latera singula septuagenae quaternae domus, ad lineam directae, murusque extimus, & frontis ipsa substructio moenium est instar. Satis lata fossa circumdata est in omneis partes: per eam fluunt copiosae & salubris aquae perennes rivi: obversae sunt in eos fenestrae: laterum singulorum longitudo colligit mille fere passus: ab interiore parte columnata porticus undequaque seriem aedium comitatur: portas claustra ista aperiunt duas, unam in meridiem, alteram in septemtriones. Campi spatium, quem structura universa includit, dimensi decempedatores retulere ad perticas, ut loquuntur ipsi, ducentas triginta unam paulove amplius. Medio hoc spatio stat ara conspecta undique, superne contecta, ut neque affluant imbres, & ab limine sui quisque tecti sacra visat. Cardinalis Ascanius, Ludovici frater, plurimum adjuverat id opus, cumque Gallica mox arma supervenissent, Rex etiam victor, dignitate aedificii delectatus, tria millia nummûm aureorum in fabricam eam contulit, quae quidem principio descripta ita fuerat, ut per totam campi latitudinem alius cubiculorum ordo continuaretur, eumque ipsum ordo alius intersecaret, atque ita quadruplici per decussim serie tantumdem praeterea domiciliorum fieret, quantum hodie visitur. Sed tempora, quae paulo post sunt insecuta, curas alias attulere Principibus simul & Civitati toti, donec pace reddita, negligentia etiam & oblivio operis successit.

Ante haec pestilentiae tecta fundaverat publica pietas aliam domum alendis ex utroque sexu, qui egestate, & senecta miseri absque flagitio essent. Manet id etiam hodie senile Xenodochium: eoque septuagenarii tantum & septuagenariae accipiuntur: sed quarta insuper ea conditione, si nullo alio quam senectutis morbo laborent. Numerus quoque definitus quo ne plures in capularem eam familiam accipi possint. Ad centum fere aluntur, non qualicumque nutritu, sed quo maxime aetas illa indigeat. Quod alimentis ejusmodi superest, in pauperes dividitur alios, atque per omnia Christiani officii opera dispensatur. Nominatim autem in Crassorum Lampugnanorumque familiam legata a fundatoribus pecunia, prioris familiae binae quotannis puellae maritantur, alterius bini per octonos annos adolescentes ad frequentanda litterarum studia stipem inde accipiunt. Hinc fides, ab earum maxime familiarum hominibus Xenodochium ipsum olim fuisse constitutum, & ita quidam scripsere. Atque Hospitii quidem hujus benignitate fruuntur indigenae tantum & honesti pauperes, quos naturale malum senecta oppressit. Illud vero maxime peregrinis patet, quod Apostolo Jacobo antiquitus dicatum viri nobiles tuentur & munifice administrant. Ac sicuti Romana via, D. Petri, quam antea diximus, hospitalem domum, Religionis causa peregrinantes Romam, sive ex peregrinatione inde redeuntes, uti suam intrant: ita Vercellensi porta, sub D. Jacobi nomine apertam hanc alteram, Hispani, Hierosolymitanive peregrinatores, queis subsidio aliquo opus fuit, petunt. Vere hoc iterum videor esse dicturus. Quot facies & formae calamitatum sive egestatum humanarum sunt, tot praesidia mortalibus in hac urbe, vel ante D. Caroli Pontificatum, excogitata parataque fuisse, vel postea, nova veteribus accessisse, sicuti antegressas semper aetates, tempora, quae successere, aemulantur.

Inter ipsas ultimi Sfortiae miserias, & praecipitia ruinantis domus, cum hostes propulsando Gallos pateretur civitas eadem mala, quae pertulit, ubi propulsare non potuerat, exorta est paterna cura hominis unius, qui colligeret undique puerulos orbos, & compulsos in unam

domum aleret educaretque, quomodo bene moratus aliquis attentusque parens suos filios ali educarique vellet. Hieronymus is fuit Aemilianus, origine quidem Venetus, sed gloriae destinatus huic, ut apud nos praedicatione & fama renasceretur. Utrumque principio fuerat ejus opus: & Martiniana scilicet soboles, quae subducta mendicitati excolitur artibus & disciplinis, & puellarum altera, quae subducta pudicitiae discriminibus sub D. Catharinae tutela excolitur item artificiis & disciplina, quam patitur miseria sexus, quaeve ubi matrimonii tempus venit, sit instar dotis. Postea parens idem & magister nutritiusque desertae alienae prolis, suam instituit etiam prolem auctor Ordinis, cujus initia pagum obscurum Somascam accepto inde nomine nobilitavere. Ea decora & subsidia vir externus addidit urbi: simillimique spiritus alii item externi homines, quos divitiae, quos pietas studio aliquo publicorum operum accenderat, veluti communem hanc gentium esse patriam rati, non secus atque natale sibi solum eam excoluere. Nam Melchior Osorius, natione Hispanus acta omni militariter aetate, stipendia denique sua, & pretium laborum insumsit collegio instituendo, quo pauperum militum filii, & filiae a primis annis ad militarem usque aut nubilem aetatem alerentur.

Melchior alter Bonaventura, nationis ejusdem, in cinerea lacerna Mediolanum profectus una cum sociis viginti, conquirendo aegrotos, qui neque in valetudinaria admitterentur ob depulsam jam febrim, neque refici tamen & assurgere ex debilitate corporis possent, squalido ipse vultu, & inflexa ad miserabilem sonum voce mortales ad benefaciendum invitando, commovit, ut nova cuncta solent, magnopere civitatem, paravitque domicilium sibi, & sociis, & tabidorum gregi, queis, nec totus morbus, nec tota sanitas, ideoque subsidia alibi nulla erant. Id hodie domicilium ad extremos portae Novae fines in molli culcitra, sub conopoeo quemque suo convalescentes delicate alit, donec nitidi & robusti quietis jam lectulique impatientes ultro ab cubilibus exsiliere. Coemere Fratres aream aedificio tribus millibus aureorum nummûm, cum id spatii superaret finitimo collegio ubi nobiles juvenes educantur: proterviaque olim etiam ibi Humiliatorum habitarat. Hispanus, de quo dixi, prior ille pueris suis Vercellensi porta emerat domum de Principe item alienigena: & magnis ejus Osorii coeptis incrementa majora accessere, postquam privati hominis consilium Regis majestas comprobavit. Sed ex nostra Insubria Cremonensis homo, Bonus nomine, cum sacco & cruce principio desipere visus, mox rigore perseveranti & praedicatione adversus impudicas, deterruit ab infando quaestu plerasque, & earum grege ab lustris, & popinis in claustra pudicitiae deducto, reliquae vitae disciplina & sanctitate puriores innocentioresque fecit quam si numquam contaminatae fuissent. Hujus deinde concionatoris exemplum secuti alii pari conatu & successu mulierculrum flagitia vertere in poenitentiae miraculum, & Thaides pleraeque ad Magdalenas ibant. Cumque fremente inhonestate, lupanaria quotidie desererentur, collegia alia facta feminarum hujusmodi, quae detestatione vitae prioris meritum & decus virginale aequarent magna hodie invitamenta dedecoris exsuendi castimoniaeque amplectendae, quandocumque ingenia forte illa salutis honestatisve amor tetigerit.

Haec publica opera, partim ante D. Carolum Mediolani fuerant, partim sunt excitata sub ipsius adventum. Cujus viri Pontificatus, quoniam mutatae in melius Reipublicae initium dedit, repetam de origine, initiisque ejus altius, quam sicuti tetigi antea carptimque delibavi.

Philippus, Borromaeorum ex Germania primus in Italiam venit, Caesariani Vicarii nomen titulumque gerens. Constitit primo statim adventu ad San Miniatum, qui locus in Hetruria est: ibique forum, & jurisdictionis suae sedem posuerat, secutus, ut ajunt, loci amoenitatem & mite illic coelum. Inde jura populis dabat: ac populorum Hetruriae veluti Regia tunc illa fuit, quamdiu scilicet quietis rebus, & incolumi Philippo, Vicaria potestas & obsequium erga Caesarem manebat. Postquam mutata omnia Caesaris simul & Vicarii morte, finisque dominationi aderat: mansit quidem Federico, Philippi filio, velut usu possessum imperium in San Miniatenses, isque in ejus oppidi Principatum paterno jure successit. Caeterum, divisa in factiones provincia, nihil uspiam stabilis aut quieti erat, & pulsus aliquando possessione Bonromanus, rursumque restitutus, ac pulsus iterum, varie misereque agebat. Sic Philippo alteri, sic Lazaro, sic Lazarino, quae totidem in San Miniatensi toparchia Bonromanorum successiones numerantur, turbulenta & incerta omnia fuisse invenio, dum partium certamine cadunt invicem ac resurgunt. Inter eas calamitates eximia Lazari pietas fuit: fortunasque etiam fuisse pietati pares oportet, siquidem anno saeculari, peregrinantes undique Romam sustentasse potuit. Traditum namque est, pauperum agmina, positis in aedium vestibulo mensis, large eum aluisse. Ex eo scilicet, & simul, quia plurimum ipse circum religiosa loca peregrinaretur, inditum Bonromani nomen ferunt, promta inter hanc vocem, vetusque cognomentum allitteratione, ad significandam comitatem erga peregrinos. Nam Romeus Italice est, quisquis religionis causa Romam proficiscitur. Viam item, quae Romea dicta est, stravisse ipsum, & marginasse, & munisse, custodibus etiam appositis, quo tutius commodiusque peregrinantium multitudo commearet, credunt adhuc Hetrusci, & narrant. Quinquaginta millium censum habuisse is fertur. Minorem aliquanto Borromaeus filius, cui nomen id dederat pater, cognomento suo delectatus, quod ex favore vulgi, pietateque sua, & erga peregrinantes caritate erat adeptus. Lazarino autem, Borromaei filio, res adhuc angustior fuit. Philippus atavi fortunam aequabat, cum eum Florentini, capto San Miniato, caesisque familiaribus, & direpta domo, fortunis omnibus everterunt. Duplex inde fama est. Alii, caesum cum familia sua Philippum, superstites filios, qua quemque sors tulerit, aufugisse memorant. Plures, & quibus assentiri malim, spoliatum quidem, sed cum liberis incolumem evasisse contendunt. Sunt, qui timentem ea quae accidere, filios aliquanto ante misisse Mediolanum scribant. Hos potius ut sequar, inclinat animus. Filii fuere, Borromaeus, Alexander, & Andreas, & Joannes, & Margarita. Talda mater ibat simul. Ea soror fuit Beatricis, quam Facinus Canis, intima apud Vicecomites gratia, in matrimonio habebat: neque alia creditur fuisse causa, cur hanc exsilio sedem Philippus eligeret. Cum ipso quin etiam Bernabove summam Philippo fuisse benevolentiam ferunt. Accepti benigne, ad D. Georgii aedem comparato domicilio, simul ob pecuniae summam, quam portaverant secum, simul munificentia Principis erga spectatam inquilinorum nobilitatem, inter primores haud dubie Mediolanensium stabant.

Mox, compositis in Hetruria rebus, prioris fortunae partem & publicata illic bona recepere: dataque Borromaeae Genti pax a Florentino populo, sicut urbis etiam illius monumenta testantur. Non tamen in Hetruriam rediere. Urbs, credo Mediolanum, & tanti populi frequentia, Vicecomitumque majestas placebat magis. Paulo post, exorto Bernabovem inter & Galeatium dissidio, cum clarissimus quisque traheretur in partes, vereri Borromaeus coepit, ne difficili aliquo negotio implicaretur. Ob id periculum, salutato Bernabove, petitaque venia, Patavium proficiscitur. Ajebat, visendam sibi esse urbem, ex qua se oriundum crederet: simul invitatione consanguineorum illuc vocari. Illa suberat causa, ut subduceret sese periculis & turbis, quae aderant. Imperitabant adhuc Patavii Carrarienses: & Jacobinus Hieronymi Bonromani filius, ea quam demonstravimus arte, vitato novae dominationis lubrico, in parte Principatus ibi erat. Ita nactus amica & prolixa cuncta Borromaeus, ab Jacobino consanguineo simul, & ab regnante illic Carrariense detinebatur, ne ultra Mediolanum rediret. Consilium inde mentioque

ex

ex consuetudine in dies arctiore orta est, ut quoniam nubilem sororem Borromaeus haberet, caelebsque esset Jacobinus, jungerentur eo vinculo, & consanguinitatem, quam longinquitas aevi diremisset, matrimonii foedere renovarent. Ita Margarita Jacobino datur. Sponsam deduxere Patavium fratres, Alexander & Andreas. Talda mater, & Joannes Mediolani mansere. Foedavit nuptiarum hilaritatem Borromaei captivitas, quem Carrariensis in media illa gratulatione comprehensum contra fas hospitii oneravit vinculis, & carcere clausit.

Creditum est, pecuniae magnitudinem, quam in Borromaeorum domo asservari fama erat, causam ejus fuisse captivitatis, eamque opinionem exitus ipse affirmavit: quippe viginti millibus aureorum nummûm redemto captivo paucis post diebus, ut nihil aliud quaesitum fuisse appareret. Ea res, idque pretium, & facta Borromaeis injuria, Carrariensem exsuit dominatu, qui jam in tyrannidem prope degenerabat, paulatimque referebat Ezelinum. Namque elapsus vincla illa Borromaeus, non ante destitit cum Galeacio Vicecomite, Venetoque Senatu agere, quam utraque arma in tyranni ejus perniciem foedere jungerentur. Inde Patavino populo parta libertas: ductus Mediolanum in vincula Carrariensis: aucta Vicecomitis & Venetorum potentia divisis in partem utramque victoriae praemiis, & Borromaeo, cujus consiliis suscepta res & administrata erat, auctoritas ingens, non apud victores modo, sed apud gentem Patavinorum universam, qui foedere eo oppressum esse tyrannum, laetis in Borromaeos sermonibus ferebant. Revertitur postea Mediolanum cum Alexandro fratre Borromaeus, ibique tota Domus ob recens meritum & veterum famam, civitate donatur, quo Vicecomitis munere in parte deinde rerum omnium erant. Sed Andreas sapientiae studia sectabatur, ob eamque causam Patavii agebat: Alexander & Joannes, ob animi tranquillitatem, publicis negotiis haud magnopere miscebantur.

Penes Borromaeum, qui maximus natu erat, actionum & honorum gloria fuit. Consiliarius Principis hic, & eo mortuo, tutor liberis relictus summa quaeque administrabat. Hic Bononiam cum imperio est missus: paci apud Genuam cum Carrariensibus faciendae interfuit: pecunia sua refecit classem, cum navali praelio Vicecomes afflictus subsidium id ab ipso poposcisset. Ob ea in Principatum & Rempublicam merita, Arquatum, & Vallem Tari, & onerum omnium immunitatem, & stipatores corporis armatos, Joannes Maria, Galeacii filius, & Catharina mater concessere, quarum rerum concessionumque omnium diplomata & monumenta in familiae tabulario adservantur postquam res ipsae periere. Et Borromaeus quidem honoratus ita pollensque Mediolani manebat, donec Joannes Maria inimicorum conjuratione sublatus, infesta & turbata cuncta, plenaque suspicionum & odiorum, sanguinisque ac caedis reliquit. Tunc vitans pericula Venetias abit, participem periculi sociumque ducens Alexandrum. Joannes, & Talda mater, illa senio, hic adolescentia extra temporis illius turbas quieti & incolumes, strepitum tantummodo civilium armorum audiendo, sese domi continuerunt. Varia hinc fortuna fratrum fuit. Consenuit Venetiis Alexander, obverso in alterius vitae curas animo, & inania saeculi sub vitae finem plane adspernatus. Monumento est D. Helenae Monasterium in illa urbe excultum ipsius opibus & auctum: manentque adhuc vectigalia & fundi: & visitur ibi sacrificalis apparatus, qui stemmata Gentis praefert. Sepultum in ejus Monasterii templo Alexandrum, marmorea tabula contra aram maximam ostendit, incisis ad latera veteris formae litteris, insculptaque ipsius imagine priscorum Florentinorum habitu: idemque Borromaei tumulus fuit. Sed Borromaeus prior moritur apud Patavium, quo se contulerat, relicto Venetiis fratre, indeque infertur sepulchro, quod vivens Alexander commune sibi cum eo posuerat.

Opes hic Borromaeus habuisse tantas fertur, ut divitiarum exemplum ipse esset haud secus, quam quomodo Crassus olim inter Romanos. Eas inter se divisere filii, Galeacius, Antonius, & Joannes: ex quorum deinde stirpe complures per Italiam prosеminatae familiae, dum partibus trahunt illud veteris patrimonii corpus, ad res modicas delapsae, vel casibus variis, ad prioris fortunae magnitudinem extulere caput, vel inferius etiam dejectae afflictaeque fuerunt. Nec talium exquisivisse posteros instituti nostri erat, cum ab D. Caroli origine, quam exsequimur, abscedant, ac declinent.

Caeterum, Borromaeus, & Alexander, post Joannis Mariae necem, ut memoravi, periculorum metu, relicta urbe Mediolano, cum Venetiis, aut Patavii morarentur: Joannes adolescens, & Talda mater, prospere vitato quidquid turbidi inter Mediolanenses erat, ille fratrum, haec filiorum desiderio sollicita, Vicecomitem rogavere, ut utrumque revocaret in urbem, ejusque invitatu cum rediissent, abiere rursus, nec ultra fuere Mediolani. Talda deinde moritur in septuagesimum quintum annum egressa vitae spatio, Matrona ultra feminam prudens, & suae Domus utramque fortunam experta pari animo. Sita est in D. Georgii aede ad Palatium, qua domicilium sibi paraverant cum extorre matre fratres profugi ob seditiones Hetruscas, & saevientes illic intestina rabie animos, ultimaque civilium malorum exempla. Jam adoleverat Joannes aetatis robore simul, & apud Vicecomitem existimatione, quam post matris mortem auxit singulari merito per Beatricis materterae suae nuptias. Uxor ea Facini Canis fuerat, sicuti dictum est, & eo mortuo, magnarum opum heres femina Vicecomitum domum infra fortunam suam pene despectabat. Cumque conciliante Joanne, Philippo Mariae innupsisset, Principatum, de quo tunc ambigebatur, haud dubie firmavit in maritum favore suo, & pecuniarum vi. Tantum momenti in nuptiis illis fuit, artifexque matrimonii Joannes, imperio sic firmato potiebatur aula. Nescitur autem quid causae fuerit, cur Joannes ipse caelibem agere vitam voluerit, nulla Penatibus inducta uxore, quod exstet. Libero fortasse thoro delectabatur, deditus ab ineunte aetate litterarum studiis, & adulta jam Borromaei fratris prole, pluribus insistere munimentis domum videbat. Et Principis, amicorumque hortatu consilia nuptiarum interdum agitanti nonnulla, eligentique, vel differenti, aetas obrepserat ea, quae consultare jam prohiberet. Tunc incessit animo consilium adoptandi filium sororis, quam nomine Margaritam Jacobino Bonromano datam fuisse memoravi. Jacobini filius Vitallianus nomine, Patavii erat indole eximia: decesserat pater: cura matris adolescens erudiebatur. Consilia Joannis in adoptando eo fortasse alia quaedam etiam fuere: manavit in vulgus percrebuitque illud: velle Joannem Borromaeum inserere stirpi suae Patavinum adolescentem, e sorore sua & Jacobino Bonromano natum, ut domum utramque prima origine conjunctas, successionis longinquitate divulsas, cognomine quoque degenerantes, necteret rursus, atque conglutinaret. Simul caritate in sororem, simul teneritudine erga majores suos, fortuna quoque adolescentis moveri. Namque Jacobinus Vitalliani pater, tantos feceret sumtus, tantumque pecuniae prodegerat, ut valde impedita cuncta puero & matri esse appareret, nisi subsidium ex avunculi fortuna pararetur.

Hi sermones fere erant, & quaedam publica exspectatio domum utramque circumsteterat, cum Vitallianum & Margaritam missi in id homines deportavere Mediolanum. Paratae separatim instructaeque aedes stabant. Ibi Vitallianus & Margarita collocantur, circumdato omni ministerio ex majore familia: nam statim tamquam una domus habebantur. Non tamen festinari adoptionem placuit. Aliquamdiu Vitallianus, & consuetudine civium, & artibus honestis, imbuebatur: Principique & aulae, avunculus eum admovebat. Donatur inde civitate, & assumitur in nomen familiamque Borromaeorum, dato per Principem in id diplomate, cujus summa haec fuit: *Donari civitate Vitallianum, concedique ei, ut posito Vitallianorum nomine Borromaeus in posterum appelletur.* Datae sunt litterae ad V. Idus Octobris, anno salutis CIƆ CCCCXVI.

Ex eo tempore Patavini Bonromani Borromaeorum tenuere nomen, cum antea, nunc Vitalliani a conditore Gentis Vitalliano Rege, nunc Bonromani ex Joanne primo, qui cognomentum illud servata urbe meruerat, promiscue nuncuparentur. Gaspar tantummodo & Anastasius, titulum indicantem parentis sui victoriam, & perpetuo retinuere ipsi, & posteris transmisere: mansitque Bonromanorum ea appellatio propagatae per Germanias stirpi, donec in Hetruria Lazarus ex piarum peregrinationum studio nomen adipisceretur affine priori ex vetere gloria, & recenti pietate conflatum. Id nunc Germanica domus, in Hetruriam olim, inde Mediolanum transgressa, cum Patavina sua stirpe communicabat: ac deinceps Borromaei fuere, qui antea Vitalliani, sive Bonromani erant. Vitallianus in familiam nomenque Borromaeorum ita adscitus, exspectabat majorem quoque adoptionem, qua desponderat sibi avunculi opes: nec jam ut avunculum eum, sed observabat uti patrem: vicissimque erat ipse loco filii, nisi quod adhuc caeremonia differebatur.

Interea juvenis, neque petens quidquam, neque dissimulans quid optaret, cum designaretur ab omnibus veluti tantarum opum heres, eleganti invento lusit in illam fortunae suae exspectationem, comiterque id etiam accepisse avunculum ferunt. Instituit enim sibi vulgavitque tale quoddam emblema, considentem scilicet in fiscella Camelum velut oneri accipiendo: quae pars postea stemmatis fuit. Haud multo post secuta est adoptio, summa Civium approbatione ob modestiam juvenis, probatosque etiam aerarii praefectura mores, quam paulo antea Princeps ei mandarat in experimentum. Decessere post adoptionem, continuatis prope funeribus, Joannes & Margarita, felices interpretatione vulgi, quod mater filium vidisset in alienas adoptari opes, avunculus paterna jura collocasset in sororis filio: illa paternae domui prolem suam, hic alienae proli commodando fortunas, cuncta tamen in eadem domo retinuissent. Fuisse Joanni proprium quoque filium invenio, eumque Venturinum esse vocitatum, indicante nomine casum fortasse quemdam, quo proles ea suscepta esset.

Caeterum is Venturinus inter Canonicos Lateranenses mutato nomine, tanta fuit innocentia vitae, ut Beatus Basilius Ecclesiae ritu appellaretur, atque patris juvenile flagitium in gloriam honestatemque verteret. Attribuerat pater Venturino opes, queis ample sustentaretur etiam in urbis civiumque luxu: intra claustra vero, atque in illa paupertatis professione, specie Principis ageret. Has ille contemsit, inclususque Monasterio Casoretano, quod duo fere millia passuum ab urbe abest, degenerantes illic ad luxum tunc prope Canonicos exemplo severitatis continuit, atque emendavit. Ea quanta severitas fuerit, declaratum est supremis tabulis, quarum auctoritate cuncta mortalium adspernatus, Vitalliano fratri (hoc enim nomine eum appellat) tradidit vectigalia, quae a Joanne patre sibi assignata essent, addiditque preces, ut ea pecunia pie collocaretur. Vidimus earum tabularum autographum exemplar, cum caetera originum monumenta tractaremus. Neque Vitallianus distulit exsequi fratris vota, praeterquam illius obtestatione commotus, etiam pietate ingenita: seclusisque ab domo sua aedibus, quae Humilitatis etiam hodie aedes ex antiquo Gentis stemmate dicuntur, sedem eam Borromaeae pietatis fecit. Attribuit ei domicilio vectigalia & fundos, unde M M tritici sextariûm quotannis in pauperes dividerentur, sumtumque quotidianum ad sacra facienda, & in pauperum matrimonia stipem assignavit. Ea est domus, in cujus aditu picta cernitur Vitalliani ipsius effigies cibaria dividentis plebi circumfusae: eamque domum Cardinalis Federicus, non piorum operum modo, sed litterarum quoque instaurator, cum olim alienata fuisset, collegii Ambrosiani nomine coemptam exaedificavit atque expolivit, & Doctores Ambrosianos in ea tecta induxit.

Vitallianum deinde Philippus Maria Vicecomes Castellatii Toparcham creat. Mox Palestrum, dein Aronam, postea Camairagum beneficiario jure eidem donavit. Hinc Canobium, Vergantiosque, & Vigetios, Margotium, & Vogoniam, & Angleriam, ac tenore deinceps uno, cuncta fere, quae Verbanus alluit adspicitque, in Borromaei ditionem venere, partim persolvente Vicecomite praemia illa virtuti fidemque remunerante, partim persoluto vicissim pretio, dum partes imperii venduntur ob bellorum necessitates. Ad haec, in agro Hastensi Cairascum, in Parmensi Ardisonem, in Mantuano Cesolam, alibi alia loca possedit, ampla & honorifica cuncta Borromaeorum nomini: sed cum Castellatium, deinde Arona traderentur, forma litterarum haec fuit: Egregias virtutes summamque fidem, & merita Vitalliani Borromaei postulare, ut honos invicem habeatur tali viro, praemiaque factis digna exquirantur. Semper eum, manu consilioque & fortunis suis ad omnia publica munera obeunda adfuisse, nec umquam esse defatigatum subveniendo necessitatibus, quascumque tempora Principi imposuissent. Ingentes pecuniae summas liberaliter, atque effuse dedisse. Prudentia & sollicitudine, auctoritateque sua rem administrasse publicam, & sustentasse Principatum. His Borromaei meritis obstrictum Philippum Mariam Viceccomitem, velle in eum conferre beneficia quae possit, ut etiam alii deinceps ad eadem decora excitentur. Proinde fideli amico & potenti concedi oppida illa imperiique partem. Addidit Princeps Borromaeorum stemmati Monocerotem testificandae virtuti: idque animal obverso in solem capite, cruribus arrectis, volitante per cervices vitta, coronatumque inter insignia Gentis ex eo tempore semper pingitur.

Per haec, aucta potentia, Vitallianus, simul opibus suis, simul munificentia in eum judiciisque Principis, proximum haud dubie summo fastigio locum in urbe obtinebat. Referunt temporum eorum scriptores, quam splendido, & Regio vere apparatu Regem Aragonium domi suae acceperit. Divitias familiamque Borromaei majori admirationi Hispanis fuisse, quam Principem urbemque ipsam. Sed beneficia quoque ejus in patriam multa & magna memorantur: illudque in primis, quod, Vicecomite exstincto, labantem inter bella pecuniae difficultate Rempublicam suo aere sustentarit, atque inter IV-Viros summae rerum a Senatu praepositus, nutantes in eo rerum motu collegas prudentia & auctoritate confirmarit, donec saevienti plebi cedere ipse cogeretur. Cessit deinde vita, situsque est in Franciscana aede, qua rarae artis monumentum ex lapide alabastrite nondum perducto ad fastigium opere attollebatur. Excitaverat id monumentum, posueratque Vitallianus ipse collocandis D. Justinae reliquiis, quas a Senatu populoque Patavino posse impetrari spes ei facta erat. Postea, excitatis Patavinorum animis ad rem praecise negandam, quae concessa dedecus futura esse suae civitatis videretur, simulque fatigato Vitalliano, rem saepius petendo nequidquam eamdem, spe abjecta illa, arca inanis manebat, tantaque moles in nullum alium usum stabat, quam ut irritae ac delusae spei monumentum esset. Ingrata Domui opportunitas fuit ex Vitalliani morte, Auctorique Operis ponitur illic statua, os habitumque ipsius referens, non sine civium approbatione ob viri religionem, & minime degenerem animum ab consanguineae Martyris fama, cui sedes parata haec fuerat. Funus Vitalliano duxere filii Philippus & Jacobus, quorum ille princeps heresque Domus mansit, hic otium & litterarum studia secutus, D. Barnabae Abbas primo, dein Ticini Episcopus creatur. Utriusque honores, Philippi vero etiam prolem adultam Vitallianus vidit, ab hac quoque parte felix, felicior, si Francisci Sfortiae, qui post Philippum Mariam imperitavit, effusam voluntatem, summumque studium ornandae Domus videre potuisset. Nam is, & omnia, quaecumque priores indulserant genti nominique Borromaeorum, firmavit, & nova pleraque addidit.

Sic Vitallianus ipse meruerat officiis erga Sfortiam trahendo rem ad eum, utique postquam inevitabilem vim urbi imminentem, & vergere cuncta illuc senserat. Et Philippo quidem, tum ob Vitalliani patris memoriam, tum

tum ob ipsius quoque dexterum ac liberale ingenium summa gratia & auctoritas apud Sfortiam hunc fuit. At Philippi filiis, Joanni & Vitalliano, quos ille ex Franciscina Lanciloti Vicecomitis filia susceperat, ex tanto favore invidia orta est: & claritudo Gentis sollicitare Ludovici Sfortiae animum coepit, quasi ea Principatui officeret, opesque Borromaeorum, & imperium illud suum in eadem urbe stare non possent. Duxerat uxorem Joannes e Carpensium Principum familia, Cleosen nomine: atque per id matrimonium, non domum modo eam, sed plerasque per Italiam haud minus potentes alias conciliaverat sibi, & propinqua cognatione junctas habebat. Ea res augebat invidiam, & una cum prosperis Borromaei rebus, Sfortiae crescebat dolor: ac tamquam in potentiae aemulum insidebat cura animo. Sed & cura alia nimium per se conspectas Borromaei res aggravabat ob magnum ejus injustae dominationis arcanum, cujus tabes ad alia quoque illustria capita manavit. Cum enim Ludovicus Sfortia, Joanne Galeacio fratre per conjuratos interfecto, pupilli tutor idem & patruus, & utriusque necessitudinis immemor, alienum id imperium occulta animi sui destinatione rapuisset, consiliisque & factis omnibus id moliretur, ut exsuto fratris filio, spolia ipse haberet, oderant haud minus quam pupillum ipsum omnes, quos sibi ad eam obtinendam injuriam adversarios fuisse suspicaretur. Apud volventem talia animum praecipue timebantur quos Sfortia pater, nato statim infante, adegerat in verba ejus: juraveratque Borromaeus inter primos. Itaque cum alios alio crimine objecto circumvenisset, Borromaeum, in quo minus speciosa criminatio foret ob vitae dignitatem, arte nova aggreditur.

Vitallianus ei frater erat natu minor, innutritus litteris, ob animi quietem contentus privato cultu: unde amplior fortuna Joanni, & capite in uno retentae sic opes antiquum familiae splendorem egregie tuebantur. Itaque, ut minueret dissidio domum Sfortia, serit primo jurgia mutuasque suspiciones inter fratres Borromaeos: deinde Vitalliano suadet, ut Ludovicum Vicecomitem sororis filium (soror namque Borromaeorum Justina nupta Joanni Mariae Vicecomiti erat, & ex eo matrimonio Ludovicus hic ortus) adoptare velit. Praeclarum fore, si Domus utriusque decora adoptione miscerentur: & ipsum adversus fratris insidias munimento hoc firmari. Facile persuasum, adoptioque festinata, quae divisione opum, & translata in Vicecomitum gentem veteris patrimonii parte, Borromaeum utrumque debilitaret. Ex eo tempore, Joannes & Vitallianus dirempti ab ope mutua, expositi ad omneis Ludovici Sfortiae petitiones, patiebantur quidquid sub infesto Principe timere summae fortunae proximus aliquis possit. Atque exacta inter magnas difficultates vita, fessus uterque luctando adversus artes, potentiamque dominantis, morte demum invenere sollicitudinum finem. Obiere diem suum, Vitallianus prior anno salutis cIↃ CCCCXCIII. Joannes biennio post, cui primus finitae etiam invidiae fructus, magnitudo funeris fuit. Ita namque est elatus, quomodo Principem ipsum efferri invidiosum foret: summumque funeri ornamentum miseratio publica erat, subeunte animos memoria, quam infestam sollicitamque vitam artibus & malignitate Sfortiae ille egisset.

Ante Galeacii necem, & patrui scelus in pupillum, secunda & ampla cuncta ei fuere in urbe, primusque haud dubie locus in Aula, quam tristis exitus manebat, ut caede Principis, & spoliatione pupilli, rerum humanarum exemplum fieret. Quin etiam eo tempore, quod fuit inter Galeacii necem, & Ludovici tyrannidem, cum ob atrocem eum casum turbata cuncta Mediolani essent, viduaque & puerulus, & in medio civitas, nondumque maturo scelere tutor, veluti scena quaedam infelix haberentur, summa rerum ad eum delata fuerat, ut regeret ipse statum urbis: nec ulli magis inter tot publica pericula fuisse creditum constat. Joannis Borromaei nomen, adscripto Gubernatoris titulo praeferunt temporum eorum annales, & ante illud summae potestatis nomen, continua honorum serie, alia atque alia munera pro salute Urbis, & incolumitate Principatus gessit, ita, ut Magistratui splendorem adjiceret dignatione sua potius, quam ut ipse subsidiis ornamentisve illis indigeret.

Anno cIↃ CDLXXIV. post grave cum Venetis bellum, adductis denique ad pacem rebus, ei firmandae paci missus a Principe Venetias, splendore legationis auxit inter ejus Reipublicae homines nostrae urbis famam, incertumque reliquit in Senatorum animis, prudentiusne an magnificentius res administrata illa ab ipso esset. Vicissim ad eum excipiendum ostentaverant Veneti suas opes, & quacumque per suos fines legatio illa incessit, instructius ampliusque praebuere lautia, quam erga legatos alios usitatum. Brixiae praesertim apparata cuncta fuere ad certamen, deque apparatu & certamine eo pompae Helias Capreolus Brixiensis, qui patriam historiam Latine scripsit, refert. Exorto deinde rursus adversus Venetos bello, quo Ferraria urbs defensa Mediolanensium armis, atque in Estensium & Ecclesiae ditione retenta est, inter magnas de eo bello consultationes, quae perscriptae exstant, Joannis Borromaei primam fuisse auctoritatem invenio, nec absque ejus sententia quidquam fere transactum.

Sed hujus Borromaei fortunam, & principem in urbe locum ex eo maxime conjectaveris, quod temporum eorum scriptores in referenda nuptiali pompa, quae Mediolani Regalem in modum spectata est, cum Elisabella, Neapolitani Regis filia, Joanni Galeacio desponsa, Principum omnium gratulatione deduceretur, caeteris eum anteposuere. Namque Stephanus Dulcinius, qui pompae ejus ordinem accurate descripsit, Sponsae majestatem incessusque augustissimos unico verbo repraesentatos esse putavit, cum ita diceret: Joannem Borromaeum & Franciscum Palavicinum tenuisse fraenum, cum illa urbem ingrederetur. Tantum momenti in splendore & fama nominis ejus fuit. Sed neque ad bella segnis erat: obtinuitque militare decus, pulsis e Provinciae finibus Valesianis Helvetiisque, qui perturbatione temporum & discordiis freti nostris, facta per Domussolae fauces irruptione late praedas agebant. Ob id meritum additur Borromaeorum stemmati, Principis decreto, fraenum, quod monumento esset, subactam a Joanne Borromaeo victamque Gentem. Tot merita simul & decora, simulque familiae nomen & inveterata potentia, quos dixi stimulos animo dominantis admoverunt, postquam is circumvento legitimo herede corripuerat habebatque cuncta per injuriam, & occupatum ita imperium tyrannorum etiam more exercebat suspectans omnia, & ob suspiciones atrox. Verum, non sicuti imminuerat infensus Sfortia domum divulsis arte sua Borromaeorum opibus, atque translata earum parte in alienos penates, ita potuit in posterum officere gloriae atque incolumitati. Superstites fuere Joanni filii quinque, filiae totidem: qua prole, non modo continuata domus est, sed in alias etiam late diffusa domos per matrimonia, quae proceres urbis expetivere. Et feminae quidem, paterna avitaque decora ferendo ad maritos, subsidia simul nova intulere domui, quo major ampliorque fortuna maritorum erat: fratres vero, Gibertus, & Philippus, Ludovicus, Lancilotus, & Galeacius, ingenio, vel sorte quisque, sua famam auxere.

Gibertus in primis, sicuti stirpis maximus erat, ita ferendo vel declinando easdem Sfortiae insectationes, quae patrem exercuerant, retulit paterni animi similitudinem hoc ipso, quod numquam succubuit malignitati temporum, & dissimulatione atque obsequiis adversus damna feliciter, ut inter adversa est usus. Praecipua materies irarum Principi Ludovico adversus Gibertum ex Consiliarii munere erat, quod ille ab ipsomet Sfortia injunctum adversus ejus destinata pro salute Patriae fortiter ac libere obeundo, satis jam per se aegrum malevolentia animum irritabat. Cum enim statuisset Princeps in Italiam accersere Gallorum arma, ac de ea re saepe consilium haberetur, semper Borromaeus institit demonstrare dedecora & damna, quae viam illam consilii sequerentur, ejusque auctoritate permoti caeteri, congruentes sententias dicebant, ut non nisi reclamante Senatu posset

posset Sfortia exsequi id quod de Gallicis armis in animo habebat. Inde ira dominanti, atque ad veterem simultatem nova addita irritatione, dictitans inter suos, Patris infensi prolem inimicam hanc esse malo damnisque subigendam ut ferre obsequium ac revereri majestatem disceret, Angleriam Giberto, & Aronam, Vogoniamque ademit, dimissis illico, per quos arces & oppida illa occuparentur. Initio deinde hoc facto, nova quotidie aliqua injuria exoriebatur, cum quidem, neque Sfortia ipse, imperitantium ritu, satis umquam expletum esse animi sui dolorem, satisve exemplo & majestati cautum putaret, &, quod in omni Aula quotidianum indignissimumque est, Principis iras imitari etiam servi auderent.

Ita Giberto Borromaeo, praeter ademtas, quas dixi, arces, gravia & indigna pleraque patienda fuerunt, non solum offensione imperitantis, sed etiam temeritate ministrorum, quos lucrum ex herili amentia alit. Si in Aulam veniret, torve adspiciebatur: si de re aliqua apud Judices disceptaret, conditione semper iniquiore abibat: rumorque per tribunalia incedebat occultus, inimicum hunc esse Principis, & inimice oportere tractari. Et Sfortiae mancipia quidem fremebant in hunc modum augebantque, ut Principi gratificarentur: inter proceres vero Urbis fremitus alius erat indignantium Borromaeae Domus vicem, & Joannis patris calamitatem in Giberto filio renovatam hanc, ut pro gratia odium ei redderetur. Versa & mutata sunt omnia, postquam Ludovicum Sfortiam malis imperii principiis similes eventus ex urbe praecipitem ejiciebant, ipsum parvosque filios, & veluti convulsam a fundamentis infelicem illam Domum, tamquam exempli statuendi causa, ne quis postea consanguinitatis & tutelae jura violare auderet. Cum enim spe abscissa omni aufugeret Sfortia, atque in extremis suis rebus, sero praesidii aliquid ex Principum civiumque reliquorum benevolentia parare sibi vellet, Borromaeo in primis restituit cuncta, quae ademerat, atque beneficia in eum alia contulit, tamquam in illo fugiendi procinctu, non familiam unam, sed civitatem sic reconciliari universam posse arbitraretur. Late namque, sicut antea demonstravi, diffusa Domus erat per matrimonia sororum, ut quomodo injuriae & damna huic illata familiae domos alias plerasque alienarant: ita reconciliata Borromaeorum Gente, multorum simul tumentes ira animos, eo subitario blandimento placatos fore, trepidus fugitansque Sfortia sperare posset. Ita externas quoque gratias recolligi sic atque comparari: certissima praesidia & adjumenta exsuli, sive ad toleranda adversa, quae ingruebant, sive ad resurgendum ex tanto casu, si qua melior fortuna daret. Nam Elisabella inter sorores maxima natu, Juliano Medicaeo Florentinae nobilitatis Principi nupserat primo, deinde post ejus mortem juncta Francisco Bolognino, per utramque necessitudinem, multas & potentes domos amplectebatur, quae Borromaeis annexae possent facere grande momentum ad opprimendum excitandumve Sfortiam, prout in hanc illamve partem, majore, vel minore odio inclinassent.

Hippolita Claudio Demarcho Raconisii nupta erat, arma exercitumque habenti, & quod permagni tunc ad spem metumve interesse poterat, e Sabaudiae Ducum sanguine: cujus respectu affinitatis credidere plerique, Sfortiam maxime esse commotum, ut in media illa desperatione rerum suarum, placare sibi Borromaeos studeret. Caeterae primoribus urbis locatae sorores, fratresque ipsi haud minus splendide quam Princeps familiae Gibertus, agebant, asseclasque & factionem quisque suam habebant. Nam Galeacius, sacra & Ecclesiae honores sequendo, jam duo Sacerdotia magni nominis adeptus, S. Gratiani Abbas & S. Barnabae Commendatarius, nec vitae dignitate ac splendore, civium ulli secundus habebatur: & studiorum fama celebre erat nomen. Lanciloto gesti cum laude Magistratus & summa inter cives auctoritas, obitae legationes, & apud exteros, quoque gratia ob aptum Regum ingeniis animum amoenosque mores, qua commendatione postea Cardinalis Sedunensis eum & Novariam cum imperio misit, & suum in Provincia Mediolanensi Vicarium appellavit, cum foederatorum Principum ipse legatus hanc obtineret.

At Ludovicus & Philippus etiam ob matrimonium uterque suum magnarum opum heredes, ille ex Bona, Ambrosini Longhignanae filia, hic ex Francisca Vicecomite susceptis liberis, veluti subsidia quaedam & munimenta Domus adspiciebantur, per quae non posset sperari Borromaeorum finis, etiam si cum sua prole Gibertus ipse concidisset. Armis pariter & litteris innutriti jam adoleverant horum filii, Carolus, & Camillus, & Joannes ac Julius Caesar: qui postea sub Carolo Caesare floruere magnarum virtutum praemiis, & novi imperii munificentiam inter primos sensere: priores duo quidem, alter Puteolanum in Campania Pontificatum, alter Novocomi, dein Ticini praefecturam adeptus, posteriores vero summis in urbe honoribus perfuncti.

Hanc igitur Borromaeae Domus sobolem, adeoque munita cuncta intuenti Sfortiae pretium fuit, veteres injurias oblitterare nova comitate, deditque blandimenta Genti, restituendo cuncta, quae ademisset. Id ita Guiciardinus quoque refert: nostrates, non restituta modo, sed novis insuper aucta beneficiis tradunt. Inde major fortuna Giberto, & post afflictas aliquamdiu res, pristinus cum incremento splendor: arcibusque recuperatis, non titulo tantum & natalium jure, sed opulentis etiam & rerum omnium apparatu ac specie, familiae princeps habebatur, cum antea nomen illud inane penes eum fuisset. Magdalena uxor, e Brandeburgi Marchionum domo, vim ei roburque addebat, annexa ipsa magnis Germaniae domibus, quae velut oriundos indidem Borromaeos hac addita matrimonii necessitudine, ceu sui sanguinis gentem impense fovebant ac tuebantur. Nam Borromaei Mediolanenses, sicut antea memoravi, ex Patavinis in Germaniam, inde in Etruriam profecti, ex Etruria Mediolanum venerant: eaque prisca origo, matrimonii necessitudinem augebat. Peperit Giberto Magdalena Brandeburgensis filium unicum, quem ob Aenobarbi memoriam Federicum appellavere. Hic Divi Caroli avus est, quem, ut inveniremus, tot secula, tot evolvendae successiones fuerunt: neque tamen obscuri perplexive quidquam in hac explicanda successione occurrebat.

Adeo certo ordine constant pater subinde & filius, & filiorum filii quosve illi procreavere jam inde, scilicet a Vitalliano, Patavii Rege, ad usque Federicum hunc, qui Gibertum genuit, Sancti Pontificis patrem. Sed longinquitas aevi necessarium hunc laborem attulit, quo minime gravatos esse oportebat, aut me scribentem, aut legentem ullum, quippe reputantes, originem inventam ita traditamque esse hominis divini, qui Civitatem Ecclesiamque hanc condidit vere & servavit. Federicus Giberti filius, Giberti pater, ducta in matrimonium Veronica Galeacii Vicecomitis filia, prolem ex ea suscepit hanc, quae datura Divum erat: aliique liberi ex eodem matrimonio fuere, quos recensebo cum nominibus fortunaque singulorum. Sed primo loco Gibertus nascitur adolescitque magna statim apud Carolum Caesarem gratia, quam Hispani praefecti intuentes, in praecipuo semper honore habuere Virum: & Antonii Levae per quam familiariter scriptae ad eum litterae exstant omni remota superbia, quae propria hominis ejus fuit. Giberti matrimonium, ex quo D. Carolus ortus est, caeteraque ejus decora deinde exponentur. Fratres habuit, Franciscum, & Julium Caesarem, alterumque Franciscum: sorores vero, Magdalenam & Eleonoram, hoc ipso natam ordine sexus utriusque prolem, quo etiam descripta & numerata est. Quies & mansuetudo vitae singulis fuit, nec sine honesto splendore, nec periculis ac turbis lacessita ullis, quae penates dedecerent, intra quos tanta coelestis gloria latens in occulto aleretur.

Franciscum alae equitum praefecit Carolus Caesar, cum ampla testificatione meritorum ejus: idque diploma vidimus honorifice perscriptum fere in haec verba: Ob spectatam Francisci Borromaei virtutem, cognitamque fidem, Caesarem esse commotum, ut eum hoc munere cohonestaret. Ac pro ea virtute & fide, non dubitare, quin

quin rem egregie sit administraturus, majorum etiam suorum memor: caeteraque sequuntur ad eamdem formam. Et Franciscus quidem is in ea Equestri praefectura consenuit obiitque. Alter vero Franciscus cum Lutetiae in Gallia natus educatusque esset, ornatus ab eo Rege beneficiis rediit domum, & Jacobum postea Medicaeum in Pannoniam est secutus, ut ejus contubernio ac disciplina rei militari assuesceret. Ut autem in Gallia is nasceretur, casu quodam muliebri est factum, cum scilicet ferens uterum mater sororem Caesaris Eleonoram secuta esset, quo tempore ad Regem Franciscum sponsa deducebatur. Nam Principes feminae ex Hispania Italiaque & provinciis aliis, quae Austriaco regnantur, deduxere Reginam: & quia fuit iter opinione lentius, Borromaeam illic oppressere menses, ediditque in Regia partum: quo casu Rex ipse delectatus, & sustulit e sacro fonte infantem, & in caritate atque honore liberum aliquamdiu habuit. Ipse etiam Francisci nomen dedit e suo, cum jam alter in domo Franciscus esset.

Priori Francisco vita celebs & litterarum studia cordi fuere: posterior hic in Gallia natus, uxorem e Tolentina gente & ex ea liberos habuit. At Julius Caesar, e cujus stirpe futurum erat, ut Gens Borromaea propagaretur, cunctaque demum huc vergerent, ex Margarita Trivultia ituram in saecula prolem suscepit, cum reliqua soboles funeribus immaturis casibusve aliis exhaurienda esset. Militarem artem a prima juventa adamarat atque didicerat, neque legendi vel scribendi incuriosus fuit. Carolum Caesarem inter Germanica bella voluntarius primo miles, deinde tribunus militum impigre assectatus, postquam firmata illic pace redierat domum, curam in subalpinis accepit arcium omnium, quae ea tempestate in Caesarianorum potestatem venerant. Quia D. Caroli genus jam usque a conditore stirpis Vitalliano deduximus ad patrem divini Pontificis Gibertum: moxque ab hac tradita origine ad Pontificatum ipsum, cujus causa instituta narratio est, gradus fiet, repetam stemmatis quoque origines, & quomodo singulae partes assumtae ac veluti coagmentatae fuerint, explicabo. Pars antiquissima stemmatis, eademque stemma primaevum fuere Undae, quas Justinus, primi Vitalliani filius, induxit, assentiens, ut initio demonstravi, Patavinorum fortasse fabulis, qui primordia Domus ad Antenorem retulere. Cremata patria profugum eum multos terra marique labores exantlasse, symbolumque id errorum suorum mixtas telluri undas instituisse. Initia & rudimenta haec fuere Borromaeorum stemmati.

Mox accessere Comae supervolitantes, ex quo Justina Martyr sanguine suo testata Christi fidem, muliebri hoc decore gentem domumque nobilitarat. Hinc Suevicae fasciae succedunt mixtum cum ea Domo genus asseverantes per Gasparis & Anastasii prolem, qui Gaspar & Anastasius in Germaniam profecti, familiam ibi novam, appellatione diversam, sanguine ac stirpe eamdem fundavere, quae insigne illud stabile sibi propriumque usurpavit. At coronata Humilitas hujus Suevici stemmatis additamentum est, indidemque partum ex Germania per Aenobarbi cognationem, quem ex hoc sanguine ortum fuisse demonstravi. Et numismata ejus haud aliter signata cernuntur. Decumbens autem in fiscella Camelus tamquam oneri accipiendo, juvenile inventum fuit Vitalliani VIII. qui cum a Joanne avunculo adoptatus fuisset, litterate ludens in divitias ejus & spem suam, emblema hoc finxit, quo Joannem ipsum plurimum esse delectatum ferunt. Et partes istas quidem, ac membra stemmatis antiqui Borromaeorum, aliis alia temporibus ipsimet excogitavere Borromaei, prout casus ingeniumve tulerat: caetera vero Principes ipsi addidere cum jam Mediolani Domus constitisset, lacesseretque obsequiis praemia simul, & ad obsequia praemiis ipsa lacesseretur. Ita Philippus Maria Vicecomes Monocerotem, Sfortia successor hujus & gener, consertos inexplicabiliter annulos, alius Sfortia fraenum dedit, honorifica quidem & ampla Borromaeis ob interpretationes, quae suberant, sed ampliora propter res adjunctas, quibus rebus familia haec attollebatur. Namque cum daret Monocerotis insigne Vicecomes, dederat simul terras, & immunitates, ac privilegia, quae eodem comprehensa diplomate exstant. Et cum magna haec haberentur, magis tamen in ore famae erat emblematis ipsius interpretatio, propterea quod animal illud fixo in anguem obtutu, candore niveo, volitantibus circum colla vittis pingi jusserat Princeps, ut ea specie inter insignia Borromaeorum staret. Id eo referebatur, quasi gloriam & decora Borromaeorum intuenti Vicecomiti cordi fuisset, ut stemmatum quoque contextu Domus utraque conjungeretur. Annulorum etiam contextus eodem pertinuit. Insigne Fraeni, ob domitos a Joanne V. Helvetios, datum.

## *LIBER XII.*

GIBERTUS, Federici filius, ex hac avorum serie futurus D. Caroli pater, prima sua juventa inciderat in tempora plena turbarum, cum Carolus Caesar & Franciscus Galliae Rex Urbem Mediolanum uterque suo jure vindicarent armis. Quae contentio caeteras Italicas urbes, in hunc, aut illum perniciose armavit, & ipsis urbium Principibus emolumento vel exitio fuit, dum victoris denique ira vel studio sua singulis praemia in belli fine rependuntur. In eo duorum Regum certamine, maximoque totius Italiae motu, non leve praesagium coelestis gloriae propinquantis videri potuit, quod tota in Hispanas Gallicasve partes divisa Mediolanensi nobilitate, Gibertus omni se contagione rerum abstinuisset, gravis, mansuetus, conditus in altitudinem animi, quae tantae prolis parentem deceret. Non nisi post eventum id interpretata est fama suo more: sed caetera hominis studia consuetudoque vitae potuerunt praesagium esse majus apud eos, qui prudenter & pie conjectarent. Et duravere senes ad nostram aetatem, qui talia quaedam narrabant partim cognita sibi & spectata ad Aronam, quae fere Giberto sedes, partim audita de aliis, quibus comperta esse potuissent.

Nempe, Gibertum descriptas in horarum mysteria preces flexo quotidie poplite recitare solitum fuisse, quod pietatis officium oneris nomine appellant etiam qui illud sanctis Ecclesiae ritibus ob quotidiana emolumenta persolvunt. Effusa in pauperes benignitate nomen inter subjectos tenuisse Patris: & tertio quoque die sacrosancta mysteria obeuntem retulisse prisca sanctorum exempla. Monstrabantque narratores iidem in Aronensi arce depressam in modum antri cellam, qua saepe abditus totos precando dies exegisset. Hic Giberto tenor vitae in medio fervore aetatis procellisque civilibus fuerat, donec parta victoria imperioque constituto Caesar, quietem nobilitatemque & egregium animum ejus respexit, atque summis Imperii muneribus admovit, ut & negotia pacis, & consilia belli penes eum essent. Uxorem duxerat ex Medicaea gente Margaritam nomine, Bernardini filiam, Joannis Angeli, & Jacobi sororem, quorum uterque, ille pace, hic bello, duo magna spectacula fortunae mortalium parabantur: jamque sponsae fratres, Cardinalis, & Imperator exercituum erant.

Nascitur ex hoc matrimonio D. Carolus, cum intenta illuc & obversa civitas, majorem aliquem exspectare partum auderet, quam quidquid istud esse solet, quod ex miseria mortalium gignitur. Annus erat humanae salutis MDXXXVIII. Romana sacra Paulus III. regebat: Urbem & Provinciam Carolus Caesar, confusis bellorum exitu Gallis, firmaverat sibi, atque post exhaustum inter Regum certamina genus omne malorum, res animique Mediolanensium miti hoc imperio refovebantur. Gibertus & Margarita, sive fugitantes, ut fit, ab urbano strepitu, pertaesique fortasse multa, quae in novo Imperio nondum probe constituta erant, sive rerum suarum causa, curaque in subjectos, secesserant cum familia ministerioque suo Aronam, unde jura late Verbani populis dantur. Ibi in arce ad VI. nonas Octobris, paulo ante lucem Margarita infantem enixa est Carolum: cui parentes id dixere nomen, sive ob memoriam ejus Caroli, qui primus in Domo appellatus hoc nomine

 erat,

erat, sive erga Caesarem obsequio, notaque multorum arte, per filiorum etiam nomina testificandae fidei erga dominantes. Thalamus, in quo puerpera decumbebat, adspiciebat undique subjectos sinus; ejusque cubiculi molem Cardinalis Archiepiscopusque Federicus nova machinarum arte dimotam ab sede sua templo addidit, quod vicinus hodie collis attollit Divo. Turricula & Falco sunt nomina duobus hinc inde propugnaculis, qua excubiae aguntur in Arcis molem. Toto hoc spatio splendor effulsit qua hora nascebatur Infans, ita ut ex materni tecti culmine orta flamma nocti solem inferret, nec prius quam sole orto dilapsa fuerit: idque postea jurati vigiles affirmavere, cum super ea re testimonium dicerent.

Ita natus Carolus, cum, & prima puerili institutione, & secutae deinde aetatis rudimento, talis cerneretur, qualem coelestis illa flamma futurum esse denuntiarat, Giberti patris cura, & sua ipse voluntate sacram togam sumsit: atque inde in spem Ecclesiasticae fortunae educabatur, cujus summas opes assecuturus erat, ut postea relinqueret, sive dispensaret majore gloria. Primus aditus ei ad sacros honores, primumque etiam excelsi adversus talia animi specimen in ipsa fuit adolescentia familiare Sacerdotium, quod a Comite Julio Caesare patruo ad eum pervenerat, cum etiam ille secutus aliquamdiu vitae formam eamdem, consilium postea mutasset ipsius hortatu Giberti timentis id quod futurum erat, nisi uxorem is quoque duxisset. Id Sacerdotium cessione patrui Carolus adeptus petiit obtinuitque a patre, ut fructus & emolumenta ejus seponerentur quotannis dividenda in pauperes, nec ullo modo cum reliqua pecunia miscerentur. Id cum ita instituisset puer Abbas, laetabatur quidem tam novae rei fructu Domus vicinitasque tota: sed multo majorum etiam rerum spem animis auguriumque concipiebant. Mittitur inde Ticinum, florente temporibus illis Academia ob Alciati praecipue famam, sub quo jus civile discebat: morsque patris interim ei magnae actionis gloriam tulit. Nam eo nuntio revocatus domum, cum aliquamdiu ibi moraretur, sensissetque D. Gratiani Monachos ad Aronam, cujus ipse templi Abbas, sive Commendatarius erat, neglecta vetere disciplina, solute ac licenter agere, componendis, atque in pristina instituta formandis eorum moribus adjecit animum, remque tantam in illa aetate confecit, quomodo vel quilibet alius gravissimus censor exsequeretur. Coerciti sunt vinculis & carcere, poenisve aliis, quos juvenis Abbatis leniora consilia non emendabant. In caeteros fuere vincula, suus cuique animus, verecundia praeteritorum, metus futuri. Et super omnia fraenum tumultuanti contumaciae injiciebat quaedam insidens animis de juvene divinatio ob avunculum Cardinalem, cui Pontificatus Maximus alta conjectura interpretantium quietem dissimulationemque ejus, destinabatur.

Jam frequenti fama, crebrisque etiam per Monasteria susurris autumabant homines otiosi: quo remissior in speciem humiliorque foret Medicaei senectus, eo magis Principes ituros in id caput, studiaque inclinaturos. Si Pontifex ille fieret, Borromaeum haud dubie hunc parari, cui spes imperiumque avunculi niteretur. Ea fortasse magis fama exspectatioque futurae dominationis, quam jure Sacerdotii praesens in Monachos potestas, obedientes Abbati Borromaeo sua quemque sollicitudine praestitit: Monasteriumque vetere disciplina constitutum est, egesto quidquid licentia & luxu corruptum intra claustra absurdumque erat. Constituto Monasterio, disposita re familiari, quae morte patris in ipsum tota incubuerat, confirmata etiam solitudine ac viduitate matris, litterarum studia repetebat, cum gravi ac diuturno morbo implicitus Aronam rursum ex Academia deportatur. Ibi servile flagitium illusit juveni, quemadmodum memorabo.

Erat inter servos jam inde a puero enutritus quidam, cui plurima apud heros fides ob vetustatem, nec fortasse antea infide quidquam egerat, nisi quod ultimum illud in domo scelus malam ad omnia mentem repraesentat. Is, posteaquam Abbatem Carolum ex morbo refectum, velut renovato virium flore, videt, ausus est corruptam unam pretio virginem in ipsius collocare cubiculo tamquam inevitabilem Juveni illecebram ad peccandum: jamque nihil aliud stupro deerat, quam paratus turpitudini animus. Sed non ad similem sui venerant, scortum pariter & leno. Inhorruit Carolus mulieris adspectu, ac sese protinus cubiculo ejecit. Mox comperto artifice flagitii ejus, hunc ejicit domo: ludibriumque id impudentiae servilis & exemplum continentiae Caroli, re postea divulgata, aliquamdiu in sermonibus hominum fuit, donec avunculi Pontificatu, haec, & alia fortunae minoris obruerentur.

Anno salutis M D LX. de more congregati Patres, Joannem Angelum Cardinalem Medicaeum Pontificem Maximum renuntiavere: isque novo nomine dici se Pium voluit, secutus famam trium aliorum, qui rem feliciter Ecclesiasticam sub ea appellatione administrassent. Idem annus Carolum in proximo fastigio collocavit: statimque Romam a Pontifice excitus, & per honorum gradus, dato in minoribus experimento, Cardinalis creatur, & summae rerum admovetur. Annorum erat fere viginti trium, cum Archinti exsilio, dein morte, vacua per id tempus & orba Metropoli, Archiepiscopus etiam Mediolanensis est factus, credente Pontifice, posse consilio prudentiaque absentis per idoneos ministros obtineri provinciam, ita ut Romanis negotiis nihil ea cura obesset. Diversa sententia sederat ejus animo, scilicet ut Mediolanum primo quoque tempore iret, atque perditis Patriae rebus eo suscepto Pastorali munere ferret opem. Tum soluti per ea tempora Mediolanensium mores, squalorque diuturnus, & Ecclesiae solitudo, tum sanctorum exempla Pontificum incitabant, queis tantus populorum suorum amor, ut inter carnificum quoque manus paterna defungi cura, & interesse Gregibus vellent. Notavere Principes Aulae viri, qui a Pontifice Maximo appositi Cardinalem assectabantur, quosve etiam ipse assumserat, primis susceptae Mediolanensis Ecclesiae diebus, conceptam atque meditatam animo formam eum habuisse disciplinae, quae postea in mores consuetudinemque inducta Pontificalis officii exemplar fuit.

Ob eam curam, habito per urbem delectu, praeparabat excellentissimos in omni litterarum genere homines, vel si qui etiam sanctimonia & severitate vitae monstrabantur apti mortalibus emendandis: qua circumfusus Apostolica cohorte Mediolanum veniret laturus gloriam & salutem immortalem Urbi. Sed nondum maturum ejus rei tempus erat, detinente avunculo consiliorum hunc unicum participem, subsidiumque gerendis rebus: unde cunctatio non solum discedendi ab Urbe exsequendique destinata, sed etiam depromendi quid pararet. Interea formam & statum, quem Ecclesiae Mediolanensi daturus suo tempore erat, inclusumque animo habebat, veluti qui rem militarem in otio exercent, commentando quotidie multa & sciscitando a peritis volvebat in omnes partes, donec ad perfectum expolita res manibus teneretur. Ad ea consultanda & pertractanda nocturnos coetus instituerat, ne gravissimarum aliarum rerum & actionum tempora sermones ejusmodi occuparent, eisque conventibus Vaticanarum noctium celebre nomen dedit.

Delecti, sicut antea dicebam, ex omni litterarum & sapientiae flore erant homines, partim quibus sequi novum Archiepiscopum in Insubriam utile foret, partim quibus unica Romae spes, curaque & voluptas: omnes vero innotescere Cardinali, cui cuncta obedirent, & gratiae viam apud eum tentare, grande rerum suarum emolumentum censebant. Inter hos, non modo quaerebat Cardinalis de officio Episcopi, tutelaque animarum, sed etiam ad concionandi facultatem exercebatur: novoque exemplo vanum alias Academiae nomen ad Pastoralia instituta traductum erat. Ex eo postea numero prodiere magna Cardinalium & Episcoporum nomina, quos Princeps Academiae Borromaeus probabat primo congressibus illis, deinde commendabat, & super alios alii ad gubernacula rerum inde petebantur. Ita Juvenis, qui nostra aetate, nondum expleto virilis aevi cursu, coelestium

lestium numerum aucturus erat, magnisque miraculis coeca mortalium pectora illuminaturus, laetam adhuc inter litterarum studia, & regimen humani generis vitam Romae agebat. Vergebant cuncta in eum, avunculusque Pontifex, nomen tantummodo fere & majestatem addebat rebus: arbitrium & dispensatio, summaque potestas, provinciae, legationes, tutelae Regnorum & ordinum in manu Cardinalis hujus erant: & pleraque repudiarat.

Interea gravis casus afflixit Pontificis domum, ipsumque Cardinalem, exstincto Federico, cujus morte successio Giberti stirpis interciderat. Frater hic Caroli unicus erat in medio etiam ipse flore juventae spes altera Pontificis, cum in hunc Carolumque cuncta divisisset. Decorum ei corpus, animus etiam supra fortunam quieta cum modestia, quae obsequio erga Pontificem, comitate in alios omneis cerneretur. Sumtibus effusis & rerum omnium apparatu Domui simul & Pontificatui gravis erat: ductaque in matrimonium Virginia, Ducis Urbini filia, nuptiarum earum gratulatione compendiisque magnis auxerat etiam in posterum famam. Hujus morte commota Domus est, turbatusque Pontifex eo inclinabat, ut Cardinalis Carolus exsuta Purpura ad spem eamdem propagandae stirpis educeretur. Quod abnuit ille: ac ne cogeretur, inexplicabili sacrorum vinculo sese illigavit, atque per Cardinalem Caesium initiatus est clandestina, sicuti ferunt, caeremonia, ne luctandum cum desiderio & auctoritate avunculi esset negando id quod concedi non poterat. Tam constanter acta res, postquam infecta reddi non poterat, admirationem ultro habuit apud eos etiam, qui consilium improbarant: Pontificemque ipsum, & indoluisse tali facto, & magnopere esse laetatum ferunt.

Ex eo tempore, Cardinalis perficiebat exsequebaturque opera, quae descripta olim & inchoata suis de re Ecclesiastica consiliis habebat. Eorum primum & antiquissimum erat, ut Ticini collegium poneret alendis in litterarum studio nobilium liberis, quibus in ipsa nobilitate paupertas innoxia esset, ipsorumque adolescentum probata indoles tum moribus pudicis, tum Latinae linguae rudimento, unde ad majora studia fit gradus. Seminarium id fore Metropoli Ambrosianae simul & Ecclesiae toti, qua Sacerdotum illustrium, qua fidorum etiam inter profana Magistratuum hoc ipso, quod meminisse juvenilium alimentorum deberent. Alimenta porro ipsa, domiciliumque, & quotidianae disciplinae formam ita dedit, ut supra natales etiam suos, ejus munere collegii, alumnus unusquisque sese evectum fateri posset. Ac Patriae quidem & Ecclesiae Mediolanensi subsidium illud, longe prospiciens in futura secula Carolus pararat, attributis collegio vectigalibus & fundis, quae sufficient splendori sumtibusque donec disciplina eadem manebit. Ad totius Ecclesiae statum, atque ad salutem humani generis alia pertinuit actio, qua Concilium Tridentinum per eadem tempora Carolus urgebat, ut aliquanto ante suscepta, deinde omissa res suo molimine gravis, gravior ob difficultates interpositas, ad exitum finemque deduceretur.

Auctor primus ejus instituendae actionis, Conciliique indicendi Paulus III. fuerat, commoto ad id animo ob Lutheri & Calvini sectas, quae per Germaniam & Pannoniam, aliasque provincias late proseminatae, Italiam quoque appetebant, & jam in Subalpinis Rhaetisque prava dogmata pronis animis, ut fere nova cuncta, accipiebantur. Ea causa Pontifici, cur indicto Provinciarum omnium conventu, exciret in unam sedem undique Patres, velletque constituere Catholicae fidei summam, ita ut recepta communi consensu, nullis postea haereticorum interpretationibus ac mendaciis inquinari posset. Verum, eorum artificiis, qui jam infecti Lutherana illa, sive Calviniana tabe erant, impedita res & extracta est, donec Pontificis ejus morte deponeretur. Julius III. postea pari animo eamdem actionem ingressus, quo minus coepta patraret, improborum conatibus, dein vitae exitu prohibitus fuit. Atque ita, plenum salutis & gloriae negotium, ac divino vere nutu

A suscepta res, sive ob hominum peccata, sive inenarrabilibus divinae Providentiae consiliis, in aliam semper ex alia difficultatem atque dilationem inciderat, donec sub Pio IV. opera & sollicitudine D. Caroli perficeretur. Namque Carolus, ubi colloquendo saepe cum Principum legatis, & multa etiam ipse per homines idoneos explorando, & inquirendo cognovit quae potissimum causae ei actioni obstarent, aggressus disjicere impedimenta omnia, simul componebat praeparabatque animos, ne ultra turbarent, simul emolumenta necessitatesque ejus agendae rei Pontifici Max. demonstrabat.

Ita repetita actio Conciliumque indictum: cujus rei B gloria, tum ab temporum eorum scriptoribus, tum sermonibus hominum famaque communi pene tota in Carolum ideo collata est, quia cuncta per eum agebantur. Ad xv. Cal. Februarii, anno salutis MDLXII. primus Concilii dies fuit. Ante diem eum, & ex eo die per totum Concilii tempus, quod biennii fere spatium fuit, ut quaeque res agitata decretave erat, si quid etiam inciderat anceps atque controversum, Legati Cardinales de rebus eis ad Carolum subinde referebant. Ipse ad ea consultanda, delectos habebat peritissimos omnis humani divinique juris, quorum sententiis de unoquoque capite exquisitis, ex Pontificis denique responso definita cuncta Tridentum ad legatos ordine perscribebat. Per ardua C & infesta pleraque, per magnas rerum hominumque difficultates, cum exitum impedire Concilii conarentur iidem illi, per quos turbata initia fuerant, in biennii denique fine Patres transacta cuncta habuerunt, ac dimisso Concilio abibant domos. Hoc fuit Concilium, quod Ecclesiam hodie regit, evecta in tantum auctoritate, ut nomen Urbis quae fuerat ei sedes, hac una gloria Romanam fere majestatem aequarit, atque ibi quoque sit venerabile & augustum. Egit inde cum Pontifice Carolus, ut ex Cardinalium numero deligerentur, qui sua deciderent auctoritate controversias, quae religione, vel inscitia, vel pravitate interpretantium oriri possent in quotidiano decretorum usu. Delecti sunt octo D litteris & sapientia principes, atque in eo numero Carolus fuit. Is simul animo conceperat eximium Catechismi Romani opus, de quo opere conficiendo sanxerant Patres, idque decretum inter caetera exstabat: & jam ei digerendae institutioni capitibusque disponendis summi Theologorum adlaborarant. Sed consilium erat Caroli, ut divinitas & altitudo rerum atque sententiarum pari verborum dignitate explicaretur: adhibitisque Latinae linguae summis ea tempestate hominibus, per eos absolvit opus, quod meliore Romanorum seculo natum videri possit.

Reperimus inter Epistolarum volumina litteras ad Lusitaniae Regem, quibus petit ab Rege Carolus, ut veniam dare velit Francisco Ferrerio, Dominicano, & E Achilli Statio, quod, dimisso Concilio, legationeque peracta, in quam missi erant, non redierint domum. Eorum operam sibi necessariam fuisse in conscribendo Catechismo, tantisperque detineri, dum absolvatur opus: eo perfecto, statim in Lusitaniam esse redituros. Alias etiam de ea re litteras in commentariis invenimus, tum ad Cardinalem Henricum patruum Regis, tum ad Cardinalem Varmiensem in hanc sententiam utrasque conscriptas: Jam absolutum esse Catechismum: sacrorum librorum editionem adornari, quae piorum studiis satisfactura sit.

Haec publice agebat Carolus: privatim actionem F aliam longe maximam gravissimamque susceperat, ut, & moribus suis vitaque interiore, perfecti Episcopi formam exprimere conaretur, & Pontificatu ipso, administrationeque Ecclesiae Mediolanensis, omnia Concilii Tridentini decreta disciplinamque repraesentaret usu rerum talium, qualis hodie volumine inclusa circumfertur. Ac ejus novae vitae instituta cujusmodi fuerint, postea exsequemur sicut ab iis accepimus, qui singula spectavere. Mediolani tentabat, quam dixi, viam, misso statim Hieronymo Ferragata Episcopo, qui praepararet populum ad accipienda remedia, quae mox ipse

allaturus erat. Huic Ferragatae permissa summa rerum omnium potestas in Metropolim, datis simul mandatis ad praesentis temporis quietem, ne quid intempestive movendo, potentiorum animi in tanta licentia irritarentur. Ac profectus Ferragata Mediolanum deteriora etiam & solutiora cuncta invenit, quam vel crediderat ipse, vel Carolo significabant homines, quibus mandarat, ut statum rerum ad se perscriberent. Is cum tristia crebro scriberet de statu urbis & Ecclesiae, deque corruptis civium moribus ob duo contraria mala, bello, dein luxu: anxius ea re Carolus, aliquot Ignatii Lojolae alumnos paullo post misit: quae tunc Societas sub nomine Jesu instituta divinitus ad omnem litterarum & sanctimoniae gloriam assurgebat.

Benedictus Palmius inter eos erat, quem non facile alius ea tempestate, vel divinarum rerum intellectu, vel concionum vi aequaret. Hunc, & socios, cum Mediolanum Carolus Apostolici muneris causa destinaret, binas ei Pontificias litteras dedit: alteras quidem ad Sinuessae Ducem, qui provinciam eo tempore obtinebat, alteras vero ad Senatum, utrasque pro salute Patriae amabiliter ac tenerrime a Pontifice illo conscriptas. Inerat querimonia in temporum calamitates, unde illa deformitas urbi populoque & Ecclesiae, quae ab Apostolo fundata caput Insubriae esset. Tum commendatio Patrum, & quo consilio Mediolanum ea delecta manus a Cardinale & Archiepiscopo Carolo mitteretur. Demum obsecratio ad Regios ministros, ut sicuti sub Catholico Rege quies & securitas ac fortuna civitatis ex diuturna tandem jactatione confirmata esset: ita divinos cultus etiam, & Ecclesiae statum, animorumque disciplinam instaurari vellent, ac missae in id cohorti sese fautores praeberent. Patres benigne sunt accepti, eosque in D. Viti aedibus porta Ticinensi invenio statim fuisse collocatos, atque ibi in subitario illo domicilio magnos fecisse motus animorum, nec rem magis aliam profuisse Civitati ad novae disciplinae fructum, quae Caroli adventu parabatur. Ipse crebris ex occasione sermonibus exponendo apud Pontificem ea, quae de statu Mediolanensis Ecclesiae Palmius & Ferragata perscribebant, eo rem adduxerat, ut diceret Pontifex, posse ipsum celeri excursione invisere Metropolim, si quidem in animo haberet, peracto Episcoporum conventu, compositisque rebus redire Romam: alioqui, melius fore, non deseri senectam suam, & urbem, unde in cuncta regimen.

Hac sibi facta potestate parabat ea, quae ad proficiscendum pertinerent: praesertimque familiam ex vetere illo delectu supplebat, ut plena illustrium ingeniorum esset. Ac meriti sunt eorum aliqui dignitatibus suis, & litterarum fere miraculo, ut ipsorum nomina tradantur. Habuit enim, duxitque secum inter caeteros, Silvium Antonianum, Joannem Baptistam Amaltheum, & Julium Pogianum: inclytos homines Latinae linguae studio, interioreque litteratura aptos expoliendis Ecclesiae monumentis, & vitae etiam exitu fortunaque sua postea testatos, quod studia haec leviora secuti essent. Nam, aut in contumeliam quasi humanarum opum, ab humili loco profecti pervenere ad summa, aut luctando frustra cum labore & egestate, non nisi morientes finem fecere. Scipionem Lancelotum, & Michaelem Thomam, & Joannem Baptistam Castaldum, aliosque ad negotia severiora, nempe ordinandis Ecclesiae legibus, jurique dicundo elegit. Nicolaum Ormanetum grandi virum natu, & regendis populis sub Matthaeo Giberto jam inde ab juventa assuetum praemiserat. Comitatus universus non tam compositus ad modestiam & pietatem, quam pius vere & modestus, & quamquam Romanae Aulae proceres inerant, vel munere quisque suo impliciti, vel spe, cupiditateque aliqua, removerant tamen universi fastum: idque reverentia & admiratione Cardinalis, qui propter vitae genus a cunctis ceu mortali major adspiciebatur. Nam cum sub concilii Tridentini finem statuisset ingredi Apostolicae perfectionis iter, vitaeque institutis exprimere ea, quae litteris & decretis comprehensa essent, primum omnium coeperat etiam honestis abstinere solatiis, quibus antea misceri propter temporum hominumque consuetudinem aliquando solitus fuit. Ita vitatis aequalium coetibus, inutilibusque colloquiis, abditus in assidua divinarum rerum meditamenta, precesque procul ab omni mortali labe agebat. Mensam, qua ultima exsuitur voluptas, abdicarat, parvo vulgarique cibo contentus ad tolerandam naturalis desiderii necessitatem, nisi si necessitas fortasse alia propter urbanitatis & officii legem urgeret. Extima veste splendorem & insignia dignitatis praeferebat: interiora saccus horrorque erant, eoque processerat duritie in se ipsum & asperitate, ut nocturnis horis ad templa incedens, nudo per intervalla poplite progrederetur.

Tradunt, dulcedine contemplationis illectum voluisse abjicere rerum omnium alias curas, ac de relinquendo seculi strepitu agitasse, ni inhibitus ab Episcopo Bracarense foret. Eum, cognita Caroli destinatione, vehementer institisse demonstrare quanta damna consilium id sequerentur, atque ita Carolum ab ea mente destitisse. Nam, & Episcopo demonstrante, & suis ipse conjecturis viderat, si cessisset administratione curaque rerum, posse praecipiti jam avunculi Pontificis senecta, invalescere apud eum gratia & auctoritate alios, qui nequaquam pari fide defungerentur. Hoc inhibito impetu, quem coelestium rerum suavitas & contemplandi studium injecerat, impetus deinde ad omnem virtutem atque perfectionem cepisse novos videbatur: ac piis praecipue largitionibus, & effusa in pauperes liberalitate spectatum id cognitumque est. Ex eo namque tempore, non Ecclesiastica sua vectigalia tantum, sed magnam paterni quoque census partem, tum adjuvanda infelicium egestate, miseriisque sublevandis, tum publicis operibus excolendo & augendo rem Ecclesiasticam, occupabat. Cumque late per Italiam agrorum spatia possideret, erectis ad eum locupletandum jam inde ab initio avunculi studiis, & solita in Pontificum propinquos adulatione Regum, etiam attributa Toletanarum opum parte, volebat terrarum potissimum earum homines fructum sentire benignitatis, unde vectigalia sibi illa exigerentur. Harum rerum fama jam inter Mediolanenses divulgata erat, jamque erecta civitas laetitia & admiratione novum Archiepiscopum exspectabat. Nec minor laetitia vel admiratio civitatum aliarum, per quas incessit, cum tantae Urbis Pontificem, Pontificatus Maximi tunc fere arbitrum Cardinalem, & per universam Italiam legatum Apostolicae Sedis (id namque summae potestatis vocabulum discedenti Pontifex addiderat) modeste incedentem, & sanctimoniae passim impressa vestigia relinquentem viderent.

Ad IX. Cal. Octobris anno salutis M D LXV. ingreditur urbem, in qua nihil fere sani erat praeter desiderium exspectationemque salutis, & praeter hoc ipsum, quod Caroli adventu gestiebant. Annum aetatis agebat vigesimum sextum: sed jejunia frontem asperaverant, macieque & pallore, juventae flos tegebatur. Et super omnia admirationem apud cives augebat, quod, cum mortuo, sicuti dictum est, fratre, subsidium & heres unicus ipse paternae stirpi relictus fuisset, aderat ultro abrupta successione, & antehabita castimonia. Ferunt, cum exsultam eo die in theatri modum, urbem ingrederetur, fremitus esse Daemonum auditos, veluti cum mysteriorum adspectu lymphata capita commoventur, sive turbat vere spiritus impuros praesentia Divinitatis, sive ludibria illa vanitate muliercularum eduntur. Septimo post die quam Mediolanum pervenerat (ea Dominica dies fuit) in templo maximo rem divinam fecit, atque post Euangelium, primum illud populo Mediolanensi pastoralis eloquentiae specimen dedit, collacrymantibus prae gaudio multis, ob Cardinalis Archiepiscopique gloriam, & quia insueti erant Pontificum suorum verba audire. Convenerant frequenteis viri feminaeque quantam capere multitudinem vasta templi moles potest. Concionem ipse orsus est Christi Salvatoris voce: desideriumque illius coenandi cum Apostolis transtulit ad desiderii sui similitudinem, quo gregem invisere & alloqui suum concupiverat.

Caetera deinde exsequendo de pietate debita erga Patriam & Ecclesiam, in qua natus ipse educatusque esset, de amore erga singulos, qui geniti secum in eadem Patria essent, de absentiae suae causis, ac de maturato quantum fieri potuerit, adventu, flexit paulatim ad temporum calamitates, quae populum & Ecclesiam tantopere afflixissent. Ubi vetus Metropolitana majestas? ubi magnum Ambrosii nomen? ubi Apostolica disciplina Fundatoris Barnabae: haec, & in eamdem sententiam alia rogitans, neque populum ipsum, Clerumve, sed tempora incusans, bellorumque vicissitudines, & mutatum toties imperii statum originem malorum, sub Catholico demum Imperio instaurari civitatem, & decora antiqua renovari, atque inhorrescere omnes extremi judicii metu, nec priores ullas, quam alterius vitae curas deinceps agitare quemquam pastorali suo jure jubebat. Simul ad novum illud emendandae Patriae, publicaeque constituendae salutis opus, labores & vigilias, & opes, vitamque & sanguinem offerendo suum, commoverat universos admiratione tam paterni animi, lacrymaeque singulis manabant, & suspiria undique exaudiebantur. Concio nulla umquam, aut flagrantior animis, aut exspectatione alacrior fuit. Missum sibi divino munere, vereque delapsum e coelo Juvenem ajebant, qui dignitate praeditus augustissima, non spiritus modo Apostolicos ad id pastorale munus, sed affluentes quoque opes earumque contemtorem animum attulisset. Nam congruentia verbis facta novi Archiepiscopi memorabantur: ut sacrarum virginum coetus, multasque egentes alimentorum familias, primo statim adventu, missa clam stipe sublevasset, ut etiam immisti turbae familiares ipsius cernerentur pecuniae subsidia in miserrimum quemque dividentes. Inter hujusmodi sermones concio laeta simul & attonita ex templo abibat, atque sic ille transiit dies.

Proximo deinde, & secutis diebus, divisa tempora curaeque Cardinali erant cognoscendis Ecclesiae necessitatibus, & sublevandae multorum egestati: neque Principum urbis alloquia differebantur, qui vestem exosculari Pontificis avebant, eoque officio & adeuntium frequentia obsessum Aulae limen videres. Plurimum vero temporis indicta jam Synodus Provincialeque Concilium occupabat dispositione rerum & apparatu, qui necessariae quietis etiam horas eximeret. Jam enim ex universa provincia Patres aderant: & venere extra ordinem aliqui: praesertimque Placentinus: qui ne fraudi ac detrimento ea res Ecclesiae suae esset, testato denuntiavit, professusque est: obire se Concilium, atque ad celebrandam actionem adesse cum Patribus caeteris suo privatim studio ac pietate erga Cardinalem Archiepiscopum, non quia Metropolitana ulla lege ac decreto teneretur. Ea Synodus vere fuit totius Ecclesiasticae disciplinae fundamentum, quae spectatur hodie Mediolani, & quacumque Provinciae fines patent. Quidquid enim in Tridentina Synodo, vel ad divini cultus Catholicaeque fidei conservationem, vel ad Episcoporum jura, vel ad Clericorum mores, totius Ecclesiae consensu, tanta Patrum prudentia, tam accurata meditatione decretum institutumque erat, id omne repraesentabatur hoc Mediolanensi Concilio: provinciaque tota componebatur ad eam formam.

Pontifex Max. accepto ejus rei nuntio, magnopere laetus exitu tam felici scripsit ad Carolum: videre se praesens Numen, & favorem haud dubie divinum, in constituenda per ipsum Ecclesia Mediolanensi, quandoquidem adeo secundis illic animis, nemine repugnante, Tridentina decreta accepta essent. Simul adnectebat, debere jam ipsum Romam primo quoque tempore redire, ita scilicet, ut Tridentum usque prius excurreret ad excipiendas illic Principes feminas, quemadmodum placere sibi jam antea intellexisset. Maximiliani Caesaris sorores istae erant, Joanna, & Barbara: illa Francisco Medicaeo nupta, haec Alphonso Estensi, & ad maritum utraque deducebatur. Carolus deducta Ferrariam Barbara, cum eodem in Joannam officio fungeretur, nuntium in Hetruria accipit: Pontificem Max. periculose aegrotare: maturato esse opus si colloqui cum eo vellet. Nec sane ille cunctatus, excusata necessitate relictoque illo deductionis officio, noctis & diei unius cursu ad aegri lectulum pervenit. Mox interrogatis medicis, postquam tristia cuncta respondebantur, severe dixit Pontifici, versam esse vitam, & nihil jam aliud quam petendam ex morte salutem, seque extremi officii causa advolasse nec a corpore abscessurum. Ita Pontifex ille, adsidente Carolo, & singula momenta deficientem Ecclesiae ritibus prosequente, moritur anno aetatis suae LXVI. cum ad sextum Pontificatus annum sexdecim dies deessent: idque dictu minimum in magna Pontificis memoria homines notavere.

Pontifice mortuo, conversa in Borromaeum erant studia Principum & Regum, & suo quisque artificio ac sollicitudine apud eum nitebantur, ut alios quidem arcerent excluderentque summi honoris aditu, alios vero producerent, atque tantae spei admoverent. Nam quia Borromaeus propinqua cognatione Pontificis mortui, longe maximam collegii partem trahebat, credebatur quocumque voluntatem animumque suum inclinasset, grande momentum in dando vel adimendo Pontificatu facturus. Et proponebantur quae cavenda etiam ei, quaeve speranda & sequenda in unoquoque Patrum essent: quis ex praeterita fortuna, avunculique Principatu memoria beneficiorum gratus & fidus, quisve etiam offensione interposita aliqua alienior, & ubi rerum omnium arbitrium adeptus foret, ultor dissimulati olim fortasse doloris, humani animi malitia futurus videretur. Qui postea Caroli nutu factus est Pontifex, documento erit, nihil eum ex callidis hujusmodi consiliis, vel admisisse in animum, vel in Conclave detulisse.

Michael Ghislerius erat in Cardinalium numero, cujus moribus & innocentia tam gloriabantur Patres caeteri, quam origine erubescebant. Puer olim in Dominicanorum Ordinem sorte quadam divinitus acceptus consueta inter gregales curricula scientiarum obeundo, nemini secundus evaserat divini juris notitia, vitae autem severitate & in Ecclesiae rebus ardore quodam facile primus Ordinis habebatur. Hinc praefecturae & honores nulla ipsius ad prensandum arte quidem: sed morum animique simplicitas speciesve recusantis ipsa per se prensabat. Ita minorum negotiorum aliquamdiu probatus experimentis, in magno mox Ecclesiae negotio gravissimoque judicio, unde procul abesse gratiam & studium omne quam maxime expediebat, praeficitur habendae quaestioni. Et cum ea ipsa res ac demandata quaestio requireret parem dignitatem homini, in quem forte habebatur, Cardinalis a Paulo IV. factus fuerat. Ea ipsa res, auctorque dignitatis & largitor purpurae Paulus suspectum Carolo Ghislerium facere poterat, propterea quod alienarum partium esse iste diceretur ob edita avunculi Pontificatu exempla in Pauli proximos, miserumque sub eo Pontifice Carafarum nomen. Ghislerium quin etiam hunc Pontifex ipse Medicaeus numquam rectis adspexisse oculis ferebatur, sive respectu Pontificatus unde ille esset, sive solita Principum inclinatione in hos, alienatione in illos, sive demum, quia imperantibus invisus esse solet quisquis proximus destinatur. Posse hominem eum, vel Carafarum Paulique ultionem agitare, vel infensis premere animis si quid in proximo priore Pontificatu minus benevole factum dictumve in se esset, & ingenii simplicitatem, quae nunc fortasse simuletur, ad infestiora, magisque torva artificia erupturam. Homines intempestive seduli, magisque prudenter quam pie solliciti, sive etiam sollicitudinibus circa novi Pontificis electionem corrupti alienis, his aliisque rationibus alienare a Ghislerio Caroli animum tentavere, nec potuerunt.

Ad VII. Idus Januarii, anno sal. MDLXVI. summa Borromaei contentione Michael Ghislerius Pontifex Max. renuntiatur, haud sine Patrum susurro multaque vulgaris prudentiae querimonia, quod collegii Princeps haud dubie bonitate sua provectus, suspectum, uti rebantur, & infidum, benevolis & amicis, in ratione comitiorum antetulisset. Ipse spretis, quae ad spem metumve privatim afferebantur, commune tantummodo

 bonum

bonum spectarat inclinato in eum Pontificatu, cui mentem vere esse Apostolicam arbitrari posset, ejusque opinionis ac judicii fructum Ecclesiasticae deinde res senserunt. Fuit enim vere Pontificatus, quem saeculis omnibus imitari successores possint. Sed neque privata inter publicas virtutes officia defuere erga Borromaeum, cui debebatur, quidquid, illud, vel si quid potius humanis consiliis in creando Pontifice administratur. Jam primum omnium, in mutando, sicut assolet, nomine, dici se Pium V. voluit, quasi Medicaei memoriam appellatione ea propagaret, idque Borromaeo datum. Caetera, quae vel petierat ille, vel ad dignitatem ejus aliquo modo pertinebant, promta fuere, haud minus, quam cum avunculi Pontificatu, cuncta ipse obtineret: eaque novi Pontificis facilitate Carolus ad statum & disciplinam Ecclesiae suae confirmandam utebatur. Ante omnia sollicitus anxiusque erat, ut concilii Provincialis decreta firmarentur Apostolica auctoritate adversus licentiam hominum semper vincula coadspernantem. Id facile impetratum.

Altero dein mense, postquam Pontificis indulgentia rem eam, aliaque Mediolanensis Ecclesiae negotia turbata propter avunculi mortem, ex animi sui sententia composuerat, Mediolanum rediit, multum quoque luctatus cum ipsius recusatione Pontificis, qui captus, uti fama fuit, ejus sanctimonia magnisque institutis, participem sibi curarum eum, & socium vitae destinarat. Opes & fortunae Cardinalis, hoc tempore, cum Mediolanum ab avunculi interitu rediisset, ita se habebant. Principatum Auritanum in Regno Neapolitano, patrimonium amplum, veteresque Borromaeorum dynastias, armatas quoque triremes morte fratris acceperat. Abbatiae duodecim erant: tutelae praeterea Regnorum, & provinciarum, & Ordinum sacrorum cum suis unaquaeque emolumentis si penes alium essent. Summus Poenitentiarius idem, & Archipresbyter Sanctae Mariae Majoris multum expetita inter Cardinales dignatione erat, & titulum utrumque vectigalia ampla sequebantur. Toletana Ecclesia novem millia nummûm aureorum pensionis nomine quotannis ferebat. Census universus centum millium summam explevit. Nimium id pecuniae, nimiumque divitiarum Carolo visum, & rursus, Ecclesiae populique sui deformitatem inspicienti, angusta ea res videbatur. Addubitasse ipsum ferunt, num deponeret cuncta, molemque animo suo ingratam abjiceret. Demum, inter fastidium auri, populique miserias, & Ecclesiae squalorem aliquamdiu anceps, id consilii elegit, quod medium inter Apostolica exempla, & pastoralis officii necessitates esset. Etiam avitae Domus habita ratio, ne patrimonium vetustum, atque per tot conservatum discrimina, largitionibus dilapidasse suis, familiaeque fuisse clades apud posteros diceretur. Ita, Principatum quidem Auritanum, & triremes, omnemque earum armaturam, uti rem adventitiam vendidit: supellectilem quoque pretiosam & illo Pontificatus tempore Regali magnificentia paratum instrumentum: multum auri, multum argenti, multumque stragulae vestis, & pleraque alia, in quibus artificum nomina supra pretium omne habebantur.

Harum rerum pretio, tum rem excolere Ecclesiasticam, tum egentissimorum sublevare miserias, initium peccandi, tum bonarum artium studia excitare in animo habebat. Abbatias & Sacerdotia, summique Poenitentiarii munus, & Archipresbyteri titulum, alia statim, alia spatio interjecto abdicavit, magnopere a Pontifice precatus, ut ea onera, onerumque praemia transferre in alios vellet: quod promtissime factum. Toletana pensio retinebatur. Patrimonium Julio Caesari Borromaeo & Francisco patruis suis habendum reliquit, annua etiam inde pensione reservata, scilicet, ut ad Mediolanensis Ecclesiae reditus hoc adjecto subsidio, viginti millium census, & annua summa sibi conficeretur. Constituta hinc familia, ministerioque forensi in eam formam, easque leges, quae propriis descriptae voluminibus exstant: fundatis quoque seminariis & collegiis, cuncta Urbis templa inspicere ac lustrare est aggressus, ut ordinato apud cives divino cultu, Ecclesiasticaque disciplina, totam cum eadem cura Dioecesim obiret. A templo maximo est orsus, ubi sacrorum incuria, & squalor indignus Metropolitanae aedis majestate erat: & quo altius pretiosiusque Basilica assurgit marmoris ac structurae nobilitate, eo segnius atque negligentius ibi colebatur Numen. Nulla psalmodiae cura, admodumque rari statis horis Canonici templum inibant. Causa flagitii ejus majus aliud flagitium & divini cultus injuria, quod Metropolitanae aedis Canonici singuli Ecclesias per urbem Dioecesimque alias obtinebant, & duo vel tria Canonicorum loca Canonicus unus in ipsa Metropolitana aede occupabat. Id ipsum fiebat tenuitate vectigalium, unde quotidiana pecunia psallendi pretium dividenda erat. Nam cum arcta admodum stipe contineretur id munus, exiguum etiam tenueque illud irreligiose distrahebatur, ea corruptela sublata est, redactis in ordinem Canonicis, divisioneque Sacerdotiorum ad Concilii Tridentini formulam instituta, ne plus uno cuiquam habere licitum esset. Ac ne privati solitis emolumentis Canonici vitae subsidia desiderarent, novis subinde vectigalibus & praediis commune Canonicorum instruebatur: impetrataque olim avunculi Pontificatu mille nummûm aureorum pensione Carolus obviam ire coeperat huic malo. Coactis hominibus ea deponere, quae retineri non poterant, & expugnata pecuniae difficultate, quae semper in omnibus negotiis capitalissima est, haud difficile deinde fuit dare Metropolitanae aedi gradus hosce & discrimina ordinum, queis majestas divini cultus interlucet. Rem quoque musicam & alternantes inter sacra choros ita ordinavit, ut sublato quidquid vani ineptive inesset, purum & sacrum tantummodo melos relinqueretur.

Postquam, & ad quotidianos usus, ministeriique splendorem, ac dignitatem, & ad caeremoniarum rituumque disciplinam, & ad divinarum laudum cantus atque modulamen apte ac decore composita omnia & legibus ac decretis, & stipendiis ac reditibus fuere: summum addere decus ac firmamentum instituit auctor ipse operis, eosdem ineundo choros & psallendo quotidie in Canonicorum coetu, tamquam hanc sibi prae caeteris legem dixisset. Et tantae urbis populus, nobilitasque in primis, antea spectaculis potius ludicrisve omnibus assueta, coeperat nulli jucundius libentiusque interesse spectaculo, quam huic, ubi coelestia oblectamenta animo parabantur omnibus horis, summumque oblectamen adspectus ipse Pontificis, qui, & instituerat talia, & promtissime exsequebatur. Templa vero interim etiam alia urbis obibat Carolus, inspiciebatque deserta scilicet ac neglecta jampridem ob easdem causas, quae Metropolitanam aedem caput principemque cunctarum, sicuti demonstravi, partim avaritia hominum, partim necessitate deformarant. Nam & Praepositi divites, Canonicique & Parochi, nequaquam una Ecclesia, unove loco propter luxum & habendi cupidinem contenti esse poterant, & quibus tenuissima obtigerant loca, tenuissimaeque Paroeciae, his tenuitas ipsa pene justam flagitii excusationem dabat, ut corriperent templa desererentque, & curandarum animarum emolumentis nulla vicissim impensa opera fruerentur. Ea quoque pestis idque portentum ex Ecclesia Mediolanensi tollebatur describendis in singula capita sacerdotiis & praefecturis: atque ubi deessent alimenta Sacerdoti, contributiones variae subsidio erant, praecipuumque subsidium Miramontana trium millium pensio, ut cuique necessitas, opportune dispensabatur. Brevi effectum est, ut suum unaquaeque Paroecia Parochum haberet, & Canonicorum collegia cum suo capite plenis subselliis descripto in singulas horas cantu divinas per intervalla preces & laudes rite personarent, & ex unica ara spem emolumentumque peterent. Quae optima forma cum in omneis partes & in singula Ecclesiae membra pertineret, totum id corpus, ex mutilo nuper ac deformi, suo cum decore perfectum integrumque exhibebatur. Et in perdita olim civitate, nihil jam, neque ad divini cultus caeremonias, neque ad disciplinam salutem-

temve populi desiderares. Populus ipse, antea, etiam ubi quid pie faceret, impius, serio nunc colere pietatem, & religiose ac pure obire sacra docebatur. Id maxime spectatum est instauratione supplicationum, quae tradito antiquitus ritu per triduum ad praecipua urbis templa, dissolute alias, nunc religiose sancteque habentur.

Cum enim ea res, & mixtum nocturno sacro diurnum, confusaque mulierum & virorum turba, similior lasciviae Bacchanalium, quam ulli coelestium irarum placamini esset, tam severe emendata jam cernebatur, ut supplicantis populi moestum ac lugubre spectaculum vere lacrymas excutere posset cujuslibet alterius urbis populo, si spectator adesset. Par petulantia fuerat portandis regionatim stato die donis ad templum maximum: multoque sacrorum dedecore, & magnis in Deum injuriis ea civium liberalitas stabat, donec pari cura & fructu res etiam illa emendata est. Fructum vero longe maximum tulit alia solliciti Pontificis cura etiam in capite damnatos, ut homines desperati ac projecti salutariter & bene morerentur. Quippe instituta olim in id nobilium societas sub D. Joannis Baptistae Decollati nomine, incuriose remisseque agebat: & quasi in eadem vilitate essent capita animaeque noxiorum, ita, simul atque statutum de aliquo esset, nullis de altera vita monitis alloquiisve praeparatus carnifici tradebatur. Remedium huic animarum cladi paratum est, dignatione addita societati, numeroque Sodalium eorum aucto, simul & decreto facto annuentibus Regiis, ut damnato cuilibet ad disponenda suprema triduum daretur. Et Mediolani quidem ab Archiepiscopo Cardinaleque Carolo haec & alia pastoralibus consiliis agebantur, nondum circumacto anno, postquam ab avunculi excessu in urbem redierat.

Insequens annus habuit agrestis Ecclesiae, rusticanique Cleri recognitionem, quam tamen urbana negotia mox interpellavere per fremitum querelasque Regiorum, qui transilire fines, & invadere aliena jura Cardinalem jactabant: eaque contentio malorum initium fuit, quae per totum jam hinc volumen nobis peragenda erunt. Nam, uti dissidiorum fere origo sese habet, suspiciones primo & susurri: dein apertae querimoniae: mox gravior ira: hinc minae exstitere. Et semel asperatis Magistratuum animis, ruptaque inter eos reverentia, deterrimus quisque sequi exemplum audet. Tum versa in furorem contumacia tragici sceleris exemplum dedit, e scelere miraculum, ac caetera quae deinceps exsequi pergam.

Nunc Carolus, inspecta, sicuti demonstratum est, & in meliorem aliquem statum adducta per urbem Ecclesia, ad lustrandam Dioecesim urbe egressus, tanto dissolutiora illic atque magis corrupta omnia invenit, quo plus licentiae mortalibus, ac minus disciplinae, tum apud amoena rura, tum in montium valliumque recessu. Praecipua calamitas erat, quod Pastores animarum, & agrestium illorum Parochos nulla sui muneris cura tangebat, & aut mercimonio aliquo impliciti ob paupertatem, aut propter alienarum Ecclesiarum emolumenta luxu delitiisque affluentes, promiscua cum popularibus suis intemperantia sordibusque agebant. Populares vero ipsi, ut quisque praediis suis proximum aliquem Ecclesiae agrum attingebat, finitimas paulatim rapiendo corradendoque glebas, totos invaserant fundos, & ea passim injuria rem Ecclesiasticam afflixerat turpi cum eorum silentio ad quos damna pertinebant. Reducti sunt in sua tecta Sacerdotes, datisque recuperatoribus, fundi, quaeve alia privatorum dolo intercepta fuerant, in pristinam Ecclesiae ditionem jusque redacta. Neque sacri tantum & sacra ex miseriis coenoque extrahebantur, sed vincula etiam poenaeque in adulteros auferebant stupra multiplicemque pellicatum, rem olim diuturna licentia, velut concesso jure usurpatam. His coercendis Archiepiscopi satellites suspecta cubilia circumibant, implebaturque carcer etiam captivitate feminarum, propterea quod aliter inhiberi flagitia non poterant. Erat item captivitate opus in eos, qui per Ecclesiae damna auctam rem pari scelere tuebantur, & raptis inde glebis decedere, mortis instar ducebant.

Dum in hos aliosque vindicat suo jure Carolus, excitati sunt Regiorum Magistratuum animi, nimiumque id esse potestatis inter se conquerentes fremere occulte, deinde palam indignari coeperunt. Et crescente paulatim indignatione, non defuere, qui simplices eas esse curas negarent, ac profecto quaeri Regnum, & invadendae Provinciae conjurationem cum Pontifice Maximo factam esse criminarentur. Haec inter ipsos aliquamdiu jactata, tanto promtius accipiebantur, quo plus flagitiorum quotidie coercere Cardinalis necesse habebat. Tandem Senatus Praetori urbano negotium dat, ut Ecclesiae satellites cum vinculorum & exsilii minis vetet cuiquam laico manus injicere, pignorumve capiendorum causa ullius intrare domum. Simul denuntiatum, ne Regis decretis vetita arma haberent: alioqui poenas daturos, quae edicto continerentur. Haec dicta satellitibus. Cardinali nihil gravius dixere, quam Regia se jura propugnaturos constantia sua, & fide. Atrociora in Hispaniam ad Regem scripserant: vicissimque Cardinalis illuc de statu Mediolanensis Ecclesiae scripsit, intulitque causas, cur haud aliter sanari posse Provinciam credidisset. Rex Philippus, cognitis, quae utrimque afferebantur, censuit, rem esse Summi Pontificis arbitrio & auctoritate componendam. Interea mandat suis, ne quid novi fiat, neve ulla in re sacrum Ecclesiae jus violetur. Confirmat quoque Cardinalem amicissimis verbis, & ejus optima studia collaudat, quibus nullo modo sese defuturum, sicuti de fide vicissim ipsius & benevolentia erga se dubitare non possit. Scribebantur ista & agebantur: Pontifexque Max. delegata Cardinalibus cognitione rerum, quae in controversiam vocabantur, Borromaeum interea monuerat, ut de Ecclesiae suae potestate ac jurisdictione nihil imminui pateretur.

Mox, nihil eo remittente de pristinis institutis, poenaque & terrore carcerum in contumaces, circitorem Ecclesiasticum repente comprehendi Senatus jubet. Comprehensus & publice tortus equuleo, ita ut ter ad summa subductus, ter ad ima demissus cum articulorum omnium fragore quassaretur, in exsilium pellitur, facto Senatusconsulto, ut si postea repertus in urbe foret, e furca suspenderetur. Offendit ea res magnopere Cardinalis animum, ac proponi locis omnibus jubet, interdictum esse communione sacrorum eis, qui satelliti suo manus injecissent, qui mandassent super ea re aliquid, quive exsecuti fuissent. Praefectus rerum capitalium, & Regii fisci Procurator unus, & Scriba quidam praecipue notabantur. Senatus quoque cum Praeside ipso ejus publici Concilii citabatur universus, ut doceret is ordo, quo suo jure, quave in Ecclesiae ministros potestate exempla illa in circitorem edidissent: Clericusque est inventus, per quem eae tabellae, spreto periculo, in Curiae limine figerentur. Patres e suo ministerio certum hominem ad Archiepiscopum misere, qui diceret, comprehensum & punitum fuisse satellitem, quia Regiis edictis de armorum usu non paruisset. Sic, & quemlibet alium oportere puniri, qui edicta ea violaverit.

Alburquercius eo tempore Provinciam regebat, vir inprimis acceptus Regi suo ob civilem animum & mistam pietate prudentiam, quae tamen adversus eas turbas aliquamdiu firma satis & constans labavit postea, & negotiis implicita difficilibus, principio rerum quam exitu felicior habita est. In praesentia ille nihil omisit, quod quivis alius unicus Ecclesiae cultor facere posset: ultroque Regii Principem accusabant, quasi pronior in partem alteram favore ac pietate in Cardinalem excederet modum. Namque, & dolenter ad Pontificem Maximum super iis rebus, quae acciderant, scripserat, incusato, sicuti ferebatur, Senatu: & satellites aliquot, qui anathematis tabulas diripuerant a Basilicae valvis, ejus haud dubie jussu conjecti fuerant in vincula, pessimeque multati. Quin etiam unum e primoribus urbis, propterea quod intemperantia linguae Cardinalem ob ea dissidia incessere solitus esset, inhibuerat pari poena: talibusque exemplis deterritos esse caeteros constabat, ne irreverenter aut libere loquerentur. Dum ea Mediolani aguntur, Rex Philippus, Seralvii Demarchum opportunis

tunis a se mandatis instructum dimiserat, ut Romam hujus controversiae causa proficisceretur. Is Mediolanum ex itinere cum venisset, ita cum Cardinale egit, ut mistas precibus querelas in eo alloquendo adhiberet: neque dubitatum est, quin temperamentum illud sermonis praescriptum a Rege habuisset inter caetera mandata quae afferebat. Dixit enim: favisse Cardinali semper Regem, & curae esse illi, ut res Ecclesiastica quam maximis incrementis augeatur, quae modo incrementa non splendeant Regiae suae ditionis detrimento. Valde turbatum esse rerum incommoditate, quae accidissent, & velle in posterum, ut homines ministrique sui cum omni erga Ecclesiam reverentia obsequioque agant. Caeterum, ipsum quoque Cardinalem commodius aliquid & officio suo convenientius fuisse facturum, si non Pontificis Maximi aures convitiis lamentisque onerasset. Nunc alienatum esse eum, & ardere ira. Jecit ad extremum, nullas hominum turbas apud Regem fore tanti, ut sperni minuique Imperium sinat. Flexit inde rursus ad meliora verba, ac de Regis voluntate prolixa & amica cuncta pollicebatur. Quoniam vero, missus ab Roma cursor unus Apostolicus Pontificias litteras attulerat, quibus litteris inerat, uti Praeses Senatus, duoque Senatores, quorum praecipua inter eas controversias fuisse violentia dicebatur, Romae intra trigesimum diem sisterent: institit Seralvius idem magnopere contendere, ut Cardinalis ipse deprecatorem sese apponeret, ne Patres eo tempore proficisci cogerentur. Cardinalis ad ea, dicere: rem haud boni exempli futuram, si Senatores ea profectione supersederent: neque decorum sibi, de ea re egisse. Reliqua oratio fuit, neque humilis & abjecta, neque Regiae majestatis immemor, versa primum in Regis ipsius laudes, cujus pietate ac magnitudine, non Ecclesia tantum Mediolanensis, sed nomen omne Catholicum niteretur, deinde, ad sui muneris, & divini praesidii fiduciam elata: ferebaturque legatus ab ejusmodi responso, placatior discessisse quam venerat. Romam inde proficiscitur, qua in urbe, cognitio causae controversiaeque hujus acribus primo animis inchoata & suscepta, remissius jam exercebatur, & sive hominum taedio, sive arte quadam, sive natura sua & conditione, uti pleraque, consenescebat.

Spatium interea Carolo fuit, quo reliquam Dioecesim obiret, unde fuerat tumultu hoc avocatus: missoque Romam Ormaneto, & obsecrato per litteras Pontifice, ut consuleret Ecclesiae Mediolanensis quieti ac dignitati, relicta Metropoli proficiscitur in Valles, Ducibus olim nostris, nunc Helvetiorum genti subjectas. Nomina his, Brennium, & Leventina: centum fere millia passuum ab urbe recedunt: & Ducum tempore possederant eos tractus Canonici Metropolitani quatuor. Hi sub Comitum nomine jura populis dabant: sacra illic & profana in eorum potestate, donec orto cum Helvetiis bello, gens ista invalesceret teneretque Valles. Tunc Sfortia in facienda pace, populos quidem terrasque eas Helvetiis relinquit: Canonicis vero ad jacturae solatium assignat loca reditusque alios in Sepriensi tractu: nec recusavere Helvetii, quo minus Vallium sacra penes Canonicos manerent: ipsi dominatum alterum tenuere. Hanc adire atque invisere gentem, memor antiquae jurisdictionis, voluit Carolus, idque quo expeditius foret, praemissis ad Helvetiorum Principes litteris, petiit, ut mitterent aliquem e suorum numero, qui per eas terras, Apostolici muneris causa ituro sibi adesset. Treis pagi singules legatos destinavere. His mandatum, ut deducerent quam honorificentissime Cardinalem & publica auctoritate prosequerentur. Incolae Vallium istarum, ea tempestate, gregibus suis, quam ulli hominum coetui similiores, dederant oblivioni sacra ritusque sacrorum: tantoque solutius ac foedius agebant quam agrestes caeteri, quo longius etiam a cultu & humanitate urbis ea Regio abest. Interjecti duobus imperiis, neque unde olim exciderant, neque unde nunc regebantur, ulla legum vincla respiciebant, quae peccantes inhiberent. Apud novos dominos, disciplinae loco erant Barbari mores & feri, multaque temulentiae, quae illic celebratur, imitatio: Mediolanensibus tamquam pars hostium adspiciebantur. Adventu Caroli, & dierum aliquot peregrinatione circum eas valles, gens, quae fortasse numquam antea viderat in finibus suis Episcopum, ad Religionem modestiamque adducta est, cum quidem etiam ipsa in rectum honestumque facilitas documento esse posset, quam coeco impetu ad vitia omnia prolaberentur homines, quibus, non mens, non ratio, nisi indita & aliena esset.

Haec ingenia, rudesque animi praecipue capiebantur liberalitate Cardinalis, cum pecunias ille pagatim spargeret ac divideret: ac positis alicubi mensis ejus sumtu primores vallium comiter & laute accipiebantur. Quin etiam Helveticae legationi, quae simul ibat, per omnes eos dies praebita lautia: feruntque Cardinalem, ad conciliandos animos, cum ipsis aliquando legatis acumbentem, speciem praebuisse tamquam patrio eorum more epularetur. Credidere qui in eo comitatu erant homines, plus ea comitate profectum, quam severitate decretorum, & concionum vi, apud assuetos aestimare magnas etiam virtutes inter poculorum certamina. Principemque legationis eo blandimento ac familiaritate illectum, eo processisse accipio demerendi Cardinalis cupidine, ut in celeberrimo Vallium conventu, ultimo Visitationis die ad populum Clerumque de novis institutis & illata per Pontificem disciplina ac salute concionaretur. Specimen minime Barbarae indolis ea concio praebuit Cardinali simul, & omnibus, qui Cardinalem in ea peregrinatione assectabantur. Haec fere dicta: Videre jam Vallium Alpiumque incolas, in quantis ad eam diem erroribus miseriisque vixissent. Nova nunc itinera vitae aperiri, quae promte ingredi singulos oporteret, non solum, si vellent apud Deum salvi esse, sed etiam si praesentiores capitis & fortunarum, exsiliive poenas timerent. Namque Helvetios, in quorum imperio ac potestate valles eae sint, decrevisse ita, & velle, ut Concilii Tridentini decreta, quorum instaurator Cardinalis Archiepiscopusque Borromaeus adsit, per omnes Imperii sui fines religiose ac sancte observentur. Si quis eorum decretorum violator contemtorve, aut homo, aut populus exstiterit, in animo esse facere, ut is exemplo suo caeteros mortales doceat ea sancta credere quae violarit. Desinerent vero iidem incolae Vallium in posterum exspectare quam antea vidissent Helvetici dominatus in Ecclesiastica jurisdictione contrectanda licentiam atque facilitatem. Nam miseris olim Ecclesiae temporibus, destituto Clero promtoque ad omnes humanae vitae culpas, nulla disciplina, nullo Pastore, fortasse licitum fuisse profano dominatui, consilium & potestatem aliquam suam admovere sacris: nunc intacta atque integra cuncta relinquenda esse regimini, & arbitrio unius, qui Provinciae salutem, divino nutu, prudentia & auctoritate sua complectatur.

Talia quaedam ajebat legatus obstricto haud dubie animo, propter munificentiam comitatemque Cardinalis, magna instrumenta difficillimarum rerum: injectoque populis terrore, simul obsequium intrabat animos. Addidit Cardinalis benignitatem aliam, blandimentumque majus Helvetiorum nomini, ut ille repentino susceptus impetu favor erga rem Ecclesiasticam, stabilis etiam constansque in posterum foret. Namque ad excolendam gentem, sobolemque illic Ecclesiae suppeditandam, aliquot indole quam optima adolescentulos transtulit inde in seminarium, quod nuper instituerat, aluitque ibi in studio litterarum. Ac dum ea adolesceret, confirmareturque justa Sacerdotali aetate soboles, idoneos interim e praesenti copia Sacerdotes opportuno instructos commeatu peculioque submittebat, qui pastorali apud eos populos munere fungerentur, neque tamen iisdem ulla in re oneri essent. Lustrata Dioecesi, constitutaque rerum summa, partes adhuc singulae, tam in urbe, quam extra urbem, propria cura propriisque remediis indigebant. Humiliatorum Ordo Mediolani erat jam inde a temporibus & irruptione Aenobarbi, qui, capta & direpta crudeliter urbe, nobilissimos Mediolanensium in discessu captivos abduxit secum, & diu miserrima pressos

pressos servitute, tabeque confectos ad extremum dimisit. Hi sub jugo Barbarico, aliena in terra, ingemiscentes, atque etiam timentes tristiora, votum nuncupavere: si patriae compotes fierent, consociatis omnibus fortunis, reliquam uno coetu vitam pie religioseque acturos.

Postquam revenere domum, conferunt in unum opes, quantascumque singuli post tot casus tantamque communis patriae cladem, ex vetere sua fortuna reliquas invenere. Quotidianae vitae leges ac disciplinam ex D. Benedicti formula eligunt sibi instituuntque, & commigrant deinde in unam domum. Qui deinceps eadem instituta formamque vitae adamassent, esse recipiendos conscivere: & volventibus postea seculis, multi sunt inventi, qui nomina in eam familiam darent, ita, ut novi Ordinis pleraque domicilia numerarentur. Haec origo Humiliatorum fuit, quod sibi nomen indiderant, seu ex tristi casu, qui ipsos afflixisset, seu ex professione virtutis, qua fastum, inanemque superbiam humanarum rerum vitare statuissent. Prima aetas Ordinis hujus, qualia solent initia esse, fuit egregia fama, floremque virorum tulit. Nec insecuta proxime tempora ab primordiis illis magnopere degeneravere. Paulatim deinde labente disciplina, tepescentibusque animis, soluti sunt, ac desedere mores eorum hominum: tum magis magisque prolapsi praecipites iere, donec eo perventum est, ut nec vitia Humiliatorum ferri possent, nec remedia vitiis invenirentur. Singulae familiae sive domicilia Ordinis ejus, habuere singulos Praepositos. Hi fiduciarias eas temporariasque praefecturas, calliditate primum & artibus variis, deinde per violentiam usurpando, perpetuas sibi fecerant: nec, ut fruerentur ipsi solum, sed etiam, ut nomen honoremque illum, & omnes Monasterii fortunas hereditaria successione transferrent in clientes propinquosve suos, quomodo Sacerdotia alia Pontificis auctoritate transferuntur. Et nati per scelus filii plerumque succedebant in locum sedemque parentis. Turpior hac ipsa successione & hereditate erat usus & quotidiana dispensatio fortunarum ejusmodi. Nam cum ditissimus quisque olim delectatus institutis & fama Humiliatorum, recipi vellet in eum Ordinem, receptusque vectigalia & fundos inferret secum, atque ita res ibi perampla facta esset, & singulae instituti ejus familiae, Principum fere aequarent domos: cesserant passim cuncta in libidinem arbitriumque unius, qui subsidia ea divini cultus instrumenta flagitiorum haberet. Flagitium autem Praepositi minimum erant, venatici canes, instrati magnifice equi, gregesque servorum, pretiosa vestis, & circa ipsum foedata cuncta profano cultu. Mulierculae alebantur sumtibus effusis: nec sine illustrium feminarum suspirio noscitabatur ea, quam Praepositorum aliquis unice deperiret. Adeo, & splendidior impudicae currus, & mundus muliebris illius, & famuli nitidiores, pudicitiae honestatique insultabant hoc ipso, quod sacrilegus fastus eminebat. Proximum aliud, atque oriens ab hac fere muliebri face erant malum, factiones & inimicitiae cum primoribus urbis, & sanguinaria mandata, cingentesque Praeposito latus armati homines, & occulti alii ministri sceleribus: opesque sacrae abibant in hos sumtus.

Indignum est, ac triste dictu, quod referam, neque id ex antiqua aliqua memoria repetitum, famave hominum obscuriore, sed recens certumque adeo, ut adolescentibus nobis, tamquam in re praesenti, capillus inhorruerit, artusque rigore perfusi steterint. Inter alia miserrimi Ordinis domicilia, quae tum in urbe, tum in agris, multa & egregie instructa tenuere, Pobica fuit amoenae solitudinis locus, ob circumjecta nemora frequentesque sylvas: aptissima nunc sedes Musis, opportunumque silentium, & Briantaei coeli temperies grata Philosophantibus, si quis ibi tamquam in sacro luco agat aevum. Tunc Braidenses Humiliati cum amplissimis circa praediis habebant eam sedem, persatiatusque flagitiis urbanis Praepositus saepe ibat illuc, & tamquam in simpliciore libidinum recessu delitescebat. Stuprorum atque capitum nundinae ibi erant. In ea igitur solitudine, post deletum Humiliatorum nomen, & sanctius occupata praedia domosque, cum aestiva fere tempora, scribendo, vel dictando consumeret Cardinalis Archiepiscopusque noster, nosque interim oblectaremur agrestium sermonibus, qui circumcolunt sylvam, grandi quidam natu nemoris accola, qui se illo Humiliatorum tempore fuisse juvenem diceret, ita narrabat: *Hospitium illud, in quo securi nos hilaresque versaremur, sepulchrum esse multorum infelicium, quos in ea tecta per fraudem deductos temereve ingressos, Praepositi satellites oppressissent. Profecto, si glebae illae ipsae (in impluvio eramus) evolverentur, posse effodi, vel caput aliquod humanum, vel truncum absque capite corpus, vel necis alicujus alia vestigia, corporumque reliquias.* Talia senem affirmantem audivimus, inhorruimusque.

Nec diu deinde mansit honos & gratia loco illi: studiisque suis apud innocentiora rura sedem Herus quaesivit. D. Carolus Humiliatorum Ordinem jam inde ab avunculi Pontificatu inter alias Ordinum Regnorumque clientelas tuendum protegendumque cum accepisset, haud umquam dissimulaverat, displicere sibi quae de moribus eorum hominum occulte tamen adhuc inter mussitantes, & minora veris ferebantur. Ac voluerat sane redigere eos in antiquam formulam, circumciso ac sublato quidquid obstaret. Verum, aliae semper ex aliis curae distulerant rem, tantoque solutior licentia efferaverat animos. Archiepiscopus inde factus, cum Nicolaum Ormanetum, caeterarum rerum causa Mediolanum ab Roma praemitteret, inter alia, dederat hoc ei mandatum, ut Praepositos Humiliatorum, Sedis Apostolicae nomine exciret in unam sedem, habitoque totius Ordinis conventu, statum & formam rerum inspiceret, & corruptissima quaeque emendaret. Sed contumacia spretura Cardinalem ipsum, plumboque & igni allatura vim ejus vitae, quanti facere peregrinum hominem, & alienae potestatis Vicarium debebat? Nihil eo conventu, nihil Ormaneti consiliis profectum: & tamquam irritata aliqua a rectore suo bestia, sic Ordo ille saeviebat novis ab Archiepiscopi Vicario decretis asperatus.

Nunc Carolus vi majore urgebat, ut serio redirent ad bonam frugem Humiliati isti modestiamque docerentur. Arduum id impeditumque fore prospiciens, abstulerat a Pontifice Maximo diplomata opportuna, quorum altero arbitrium ipsi concedebatur omnium rerum, quae pertinerent ad Ordinis disciplinam: altero nominatim facta potestas propriam instituendi familiam propriumque domicilium ad imbuendos litteris & religione juvenes, qui subinde reciperentur, eique domicilio & familiae alimenta ut descriptis in singula monasteria pensionibus assignaret. Adversus fremitum insolentiamque Praepositorum, tumultuantesque animos, hoc munitus auctoritatis Apostolicae subsidio, convocat Praepositos, capita rerum, & frequentissimo totius Ordinis conventu coercet ac tollit & emendat cuncta quae displicebant. Neque dubitabatur, quin salubris & egregia disciplina adhibita esset ad perpetuitatem decusque Ordinis, siquidem ingenia illa sanabilia essent. Sed homines, quibus, non verecundia praesentis famae, non cura ulla status futuri, qua suis quisque, qua Ordinis universi opibus, dimisso statim conventu consurrexere ad evertenda decreta dissolvendasque leges: & turbavere Principum etiam animos, tamquam decretis iisdem violata & imminuta majestas ipsorum foret. Ac nihil quidem in praesentia valuere magni rebellium motus adversus constantiam Cardinalis, aequitatemque decretorum: verso deinde in rabiem dolore, ut facinus horrendum immane tentarint, quo excidium meruere, in tempore demonstrabo.

Carolus nunc, coercita, sicut rebatur, Humiliatorum licentia, securo, quod ad Ordinem eum attineret, animo, cura & sollicitudine eadem aggreditur Franciscanos, ipsos quoque per id tempus multum a vetere sanctimonia & severitate degenerantes. Insueverant horum etiam Custodes & Praefecti, spreto Paupertatis voto, propria vectigalia fundosque habere, & omissa sui quisque Monasterii communitate separatis domiciliis lau-

lautiſſime habitabant. Quem luxum adſpernatus Amedeus, Ordinis ejuſdem homo, natione Ulyſiponenſis, dum cupit emendare, auxerat: deſciſcenſque ab ſolutiore illa Franciſcanorum familia quemdam ſuorum coetum inſtituit, qui primo ſeveri & innocentes, mox eadem illa vitia, quorum odio deſciverant, retulere. Amedei vocitabantur ex fundatoris nomine, neque jam aliud ex nova illa formula praeter nomen retinebant. Et alia pari ſtudio paribuſque initiis ex eodem corpore avulſa familia, Clarenorum ſibi nomen indiderat, nec ex illuſtri ea appellatione retinebat quidquam. Quod certamen eſſe debuerat pietatis & modeſtiae inter hoſce Clarenos & Amedeos, id exceſſerat in deliciarum ſuperbiaeque contentionem: & cum inter ſe ipſi, tum ab univerſa Sancti Franciſci diſciplina legibuſque diſſidebant. Hanc tollere inclyti Ordinis labem cupiens magnopere Carolus, ne recuſatione Fratrum ſolitiſque convitiis obturbaretur, Apoſtolicam ejus rei poteſtatem impetrarat: ac ſicuti paulo antea in Humiliatos, ita nunc in Clarenos & Amedeos habebat diplomata, quae depromeret.

Hujus ſupremae auctoritatis fiducia rem aggreſſus, Mediolani in Monaſterio Pacis adeſſe jubet Franciſcanos, qui Clareni, quive Amedei vocentur, cumque frequentes conveniſſent, depromi mandat recitarique diploma, in quo Pontificia decreta inerant de familiis eis reſtituendis in corpus, unde ſeſe abſtraxiſſent. Tunc homines, quibus morte triſtius erat, ſi redigerentur in Ordinem, privarenturque dulcedine licentiae, quam uſurparant, ita conſternati ſunt, ut repentino mox furore amentes, & campani aeris ſonitu, & minis Cardinalem inſectarentur. Quod ubi vidit ille praecipites animos tam longe eſſe prolapſos, ne furori materiem praeberet, nocentioreſque eos faceret, conventum illico dimiſit, nihil aliud ſuper tam atroci re effatus, quam melius fore, ſi quietis animis ſalutaria decreta acciperent permitterentque ſeſe regendos. Enim vero Sodales in contumacia perſtare, tumultuari, ſollicitare quamplurimos, ut pro ſe adverſus violentiam importunitatemque Cardinalis niterentur. Talia namque verba jecere in pulcherrimam graviſſimamque actionem, qua ille palatos ab ſuo grege homines, tamquam in priſtina paſcua cauläſque traducere tentabat, quo amplior & major Franciſcani nominis gloria foret. Caeterum, neque praeſens tumultus, neque concurſatio poſtea Fratrum, neque multiplex in ſeceſſionem eam favor, apud Cardinalem valuere, quo minus deſtinata ille exſequeretur, poſitiſque Amedeorum & Clarenorum nominibus, veterem diſciplinam & vetus nomen utraque claſſis ſumſere. Voluerat autem Pontifex Maximus gravia exempla ſtatuere vindicandae in poſterum temeritatis, niſi Cardinalis ipſe ultro deprecari inſtitiſſet nonnullorum poenas, quos in eo negotio tumultuandi auctores fuiſſe conſtabat. Id factum, eaque deprecatio, manſuefecerat contumaces, ut voluntatibus etiam deinde ſuis, non poenarum tantummodo metu eſſent in poteſtate coercentis.

Haec ferme ſunt acta toto triennio: duobus deinde continuis annis occupabatur Carolus, altero quidem, ut Dioeceſim, altero vero ut Provinciam univerſam inſpiceret, num ad concilii Tridentini praeſcriptum, ſicut ab initio deſtinarat, convenienter & apte cuncta formarentur. In id habita concilia Dioeceſanum & Provinciale, quae ſecunda inſcribuntur, atque cum eo titulo exſtant: & vel in conciliorum eorum apparatu, vel Clero, Patribuſve jam dimiſſis, ad varia ſubinde loca excurrebat, ut reſiduas ex vetere ſtatu corruptelas, quae deprehenſae erant, tolleret. Cumque per Introtios Montes Vulturenae Valli conterminos, pedibus iter faceret, magnum vitae diſcrimen adiit, evaſitque, ita ut miraculi loco haberetur res apud eos, qui, ſicuti acciderat, ſpectavere. Ventum ad flumen erat, & proluvie aquarum e montibus, qui circa ſunt, & nocturno imbre auctum, quod tamen tuto tranſiri accolae affirmabant. Familiares & aſſeclae Cardinalis, alii vado reperto aliquo tranſiere, alios tranſtulere montani cum in humeros ſuſtuliſſent. Cardinalem ipſum qui tolleret atque tranſportaret, offertur Dominicus Valinellus nomine, quem agreſtes illi eſſe valentiſſimum ajebant: & proceritas lacertique conſpiciebantur. Iſte enim vero ſuſpenſum tergo Pontificem ferens, in medio repente alveo corruit, & tradito undis pondere, ſui tantummodo anxius retro repetiit ripam. In veſtitu erat oblongo Cardinalis, prout re divina facta ad proximam aram, nihil mutarat. Eo mirabilius fuit, evaſiſſe, cum & ſyrmate impediretur, & vortice petriſque intortum attenuatae jejuniis vires deſtituerent. Madidus inde & fluens ad proximum tugurium deducitur, ubi mutata veſte tunicaque interiore, refectus pauliſper, trepidum ſupplicemque bajulum dimiſit benigne, & nonnulla etiam ſtipe donavit.

Ex montana dein illa peregrinatione Modoetiam, ad decimum ab urbe lapidem cum veniſſet, res accidit alia, quam homines etiam duris ad talia credenda ingeniis in miraculi locum accepere. Sacrarum virginum coetus Modoetiae erat, ſub D. Catharinae nomine, idque Monaſterium adjunctum alteri D. Martini Monaſterio floret ibi hodie ac viget. Inſederat Virginum aedes Faunus unus, & laſcivis illic umbris ingratiſque jocis multoque cachinno geſtiens aſſidue ſentiebatur, ſive lemuribus aliqua eſt ejuſmodi dulcedo, ſive nulla poteſt eſſe deſperatis, & ludibrio etiam illo inter ſua incendia conflictantur. Saepe ſubductae dapes e menſa vel loculo, ſaepe direpta velamina capitibus inenarrabiliter fuerant: & ſimpliciſſima quaeque puellarum evolutam lectulo ſeſe, vel replicata in caput lodice, contrectatam fuiſſe conquerebatur. Item inter conſueta opera, vel fluere ſibi acum, vel inſtrumenta caetera dilabi ſentiebant ſorores eadem fraude. Fuiſſe & aliquam memorant, quam ceu delicias amoreſque ſuos Faunus inceſſeret praecipue atque inſectaretur. Quae, licet ludicra, turbabant tamen velut praeſentis Tartari horrore animos, & angebant hoc ipſo, quod tam foeda res Daemon illic in contubernio erat. Id ludibrium, eaque calamitas ſublata eſt Cardinalis ipſius inceſſu per Monaſterium, & facta per ipſum aquae luſtralis adſpergine cum Virgines eam opem imploraſſent.

Mediolanum inde ille revertitur, ut miraculum majus ipſe fieret ab Humiliatorum ſcelere, qui frementes ob novarum legum vincula frenoſque injectos, conſilia de interficiendo Pontifice in occulto agitabant. Et jam parato percuſſore, tempus, & locus, & ratio agendae rei, quaeve alia tantum facinus poſcebat, exquirebantur. Ignaruſque ipſe conſilii ſceleſti, quippe qui acquieviſſe Praepoſitos crederet, exſequebatur alia, quae ad populi ſalutem & Cleri diſciplinam deſtinaverat olim, quaeve circumſpicienti aſſidue ſtatum rerum ſubinde occurrebant. Theatinos Clericos in urbem hoc tempore induxit, recenti adhuc pietate flagrantem Ordinem, quem Petrus Carafa Archiepiſcopus antea Theate inſtituerat, fugiens ibi vanam hujus mundi gloriam, & inde rurſum adepto Pontificatu Paulus Quartus appellatus. Litterati erant homines, & cum caeteris virtutibus, eam quoque paupertatem & modeſtiam afferebant, ut ne petendi quidem & corrogandi alimenta, jus atque ſubſidium extremum ſibi reliquum feciſſent. Egentes tacitique intra ſuarum aedium clauſtra tantum accipiebant, quantum divina providentia ſingulis capitibus imminens, & civium benignitas quotidie ſubmitteret ac praeberet.

Credo, primos Ordinis auctores (nam praeter Carafam alii duo perhibentur) hoc ſpectaſſe, ut religioſiſſimi Sodalium mores, magnaque & quotidiana merita eorum in publicam ſalutem, mererentur potius alimenta, quam homines ipſi in otium corrogandique fiduciam reſoluti foribus aedium tabernïſve ſupplicarent. Hos homines & novi Ordinis ea inſtituta crediderat Carolus in magna civitate, tum vitae exemplo, tum Apoſtolicis omnibus officiis poſſe facere motus animorum ad ſtudium amplectendae virtutis: & viciſſim aptum eſſe populum alendis etiam qui nihil peterent. Domicilium his primo attribuerat ad D. Calimeri: neceſſariam ſupellectilem, omneque ſacrum inſtrumentum de ſuo aſſignarat, ac donec in populi notitiam venirent, quotidiana ſubſidia

vitae

vitae praebebat. Postea in Antonianam Domum ejusdem beneficio & commendatione commigravere: quae nunc Domus, & adjunctum domui templum veluti publicae opulentiae specimen adspicitur. Nihilo ampliora fuerant initia Patrum e Societate Jesu, quos jam inde ab initio praemissos in urbem fuisse, memoravi, & eum quoque coetum hoc tempore auctor idem, plaudente Civitate, ab D. Viti domicilio transtulit ad D. Fidelis, jecitque ibi fundamenta digna Martyris ejus nomine, digna magnitudine Ordinis, qui urbi Provinciaeque toti, litterarum & vitae Magister parabatur.

Dum Carolus excolit ita munitque pulcherrimis operibus urbem, Humiliatorum interea scelus magno animorum aestu coquebatur, cujus veluti praesagium esse potuit alia hominum violentia ausa Cardinali intentare manus, auctoritatemque ejus horribili exemplo conculcare. Templum D. Mariae Scalensis posuit Mediolani Beatrix Scaligera, Bernabovis Vicecomitis uxor, addiditque Canonicorum collegium, eo jure, ut Sacerdotia familiaria suae Domus essent: multumque postea delectati Duces amplitudine Ordinis & erga Deiparam cultu, decora addidere collegio & opes, quibus incrementis stat hodie, & praecipua inter Ordines alios fama celebratur. Huic collegio Franciscus Sfortia, qui Gentis ejus ultimus regnavit, a Pontifice Clemente Septimo impetrarat ut extra jurisdictionem imperiumque Archiepiscopi Mediolanensis esset: eaeque litterae datae erant anno M D XXXI. Sed quia additum in iisdem litteris adscriptumque erat, ut ratum ita id esset, si etiam Archiepiscopo videretur, neque ullus ad eam diem Archiepiscopus eximendos Metropolitanae jurisdictioni esse Scalenses consenserat: ideo Cardinalis adire templum, & cuncta ibi suo jure inspicere ac recognoscere decretum animo habebat, consulto super ea re Pontifice, haud ultra rem eam dilaturus. Caeterum obfirmati Canonici ad tuenda jura detractandamque jurisdictionem, aperteque dictitantes, nihil ibi juris esse Metropolitano, supersedere coegerunt. Opponebant Regiam praecipue Majestatem nomenque Regis, ad quem hujus collegii templique tutela & possessio una cum reliquo Mediolanensi dominatu pervenisset. Ei defendendam esse Scalensis Ecclesiae libertatem: magis adeo ipsius quam sua interesse, ne violaretur. His aliisque vocibus Regios homines sollicitabant, & ita commoverant ipsum Alburquercium, ut edictum capitale promulgaret tamquam in rebelles, si quis verbo, vel facto Regiae jurisdictioni ulla in re offecisset. Haud dubie potestas Ecclesiastica notabatur hoc edicto, Cardinalisque & Ministri ejus per hujusmodi ambages admoniti esse credebantur, ne praesertim in Scalensi hoc negotio quidquam moverent. Scalenses ex diverso faustum sibi id aptumque interpretati, tantos inde spiritus sumserant, ut non modo perstarent in pristina illa recusatione, sed etiam Cardinalis ipsius Vicarium interdicto notarent, propterea quod ex illius templi ministerio Clericum unum in vincula conjecisset.

Ob eam rem nihil ultra cunctandum ratus, Cardinalis postridie quam haec acta erant, praemisso e suis qui denuntiaret, ipsum adesse, templum adit. Canonici, matutinas preces, velati suis insignibus canebant, cum eum nuntium accepere: consternatique Odaeum relinquunt, & egressi tamquam armata acies consistunt in vestibulo templi, ut Pontificem aditu arcerent. Simul ex tota vicinia conciverant amicos quisque suos, & momento temporis, tela ibi, & saxa, & gladii, & quidquid in hostem paratur. Mox Cardinalis ipse aderat Pontificali vestitu, mitratus, insidens mulae, cum caetero solenni apparatu & comitatu, qui hostibus etiam offundere religionem posset. Nulla ibi religio, nulla apud infensos reverentia tantae Majestatis valuit: coecaverat ira animos, ut ne mysteria quidem tremenda humanae salutis oculi intuerentur. Stringunt armati gladios, expediunt tela, & facto in sacrum agmen impetu propellunt atque excludunt Crucem simul & insignia Pontificatus, quae duo Cardinalis familiares in equis praeferebant. Jam in conspectu Pontifex ipse erat plus misericordiae quam indignationis animo volvens ob atrox illud factum. Anxius quatenus miseri furorem exercerent, descendit illico ad pedes, Cruceque, quam illi rejecerant, apprehensa, pergit inferre gradum, si forte pudor saltem ibi aliquis animos subiret. Nihil ea specie mitigati, dirigunt ictus vanos illos quidem in auras tantummodo ad terrorem: sed pleraque vulnera in Crucem ipsam incidere foediore spectaculo, quam si hominum corpora percuterentur. Ita Carolus per gladios urgentiumque turbam crebro huc illuc impulsus & cum sacro pondere nutans ad limen usque templi cum pervenisset, occlusis in faciem valvis, stetit aliquamdiu ibi, confuso & attonito animo, ob ignominiam, quae illata Cruci videbatur: deinde tacitus abiit.

Duorum eo die hominum maxime conspecta insolentia temeritasque fuit, quorum & tradi nomina ad Historiae munus pertinet, ut saltem hanc communi memoriae poenam luant. Petrus Barbesta & Antonius Calaber fuere, ille Civitate Ticinensis Presbyter quidam, & legulejus, assecla Canonicorum, hic ejusdem templi Canonicus Oeconomusque Regius, de quo homine alibi memoratum est. Barbestam, Canonici magna illa arte delegerant ad tuenda collegii jura Judicem & patronum, ut quoniam inscitia legum inter rabulas, & cupidine lucri praecipuus esset, auctore & ministro eo ad praecipitia quamvis & periculosa uterentur. Is cum instigator ad caetera promtissimus fuerat, praebueratque nomen, ut aliqua judicii forma & ritu peragerentur, tum infausto illo tumultus die ausus est suspendere tabellas, scriptum habentes: Cardinalem Archiepiscopumque Carolum illigatum esse anathematis poena, propterea quod Apostolicae sedis auctoritatem, & privilegia Scalensis Ecclesiae contemsisset. Calaber autem Oeconomus idemque Canonicus fere auctor universae seditionis fuit. Is, & ad primum de Cardinalis adventu nuntium excivit movitque ab sedibus suis collegas, & cum in vestibulo constitisset dux agminis universi, minaciter & contumeliose pleraque jactando in Cardinalem, implevit sui furoris animos etiam eorum, quos verecundia alioqui majestatis ejus tenebat. Hic ipse postea Calaber, & socius amentiae Barbesta cum tota factione Canonicorum, quomodo fuerint aliis in perpetuum exemplo, ne quis talia tentaret, suo loco demonstraturus sum. Carolus postero die quam acta ea fuerant, pronuntiat, Barbestam, & Calabrum, caeterosque Canonicos damnatos esse lege, quam Bonifacius VIII. in Cardinalium violatores tulit, ejusque anathematis tabellas omnibus locis proponi jubet. Simul Alburquercio Gubernatori, caeterisque Regiis per litteras denuntiat: considerent etiam atque etiam, num ei culpae ac violationi dicto factove aliquo affines fuerint, ut si id ita sit, eadem lege se esse damnatos sciant. Ad Pontificem quoque Maximum, & in Hispaniam ad Regem de tota re perscribit, neque Scalenses interea quiescebant. Ad omnia tribunalia concursando, circumeundoque Regiorum domos, Alburquercium permovere ipsum, ut minacibus in Cardinalem litteris apud Pontificem Max. de violentia ejus & asperitate expostularet. Etiam contentione animi provectus inter scribendum jecerat: nisi Cardinalis ex urbe provinciaque amoveretur, videndum sibi esse, quomodo sui Regis Majestati consuleret: ac vereri, ne gravius aliquid facere cogatur. Unis ea litteris scripserat. Alterae mox subsecutae litterae inconsultius projecere id ipsum, quod ambigue antea intulisset. Necessarium denique consilium amovendi Cardinalem haud ultra dilaturum se. Inerant alia verba quaesitae asperitatis, tamquam in seditiosum, & turbulentum, & Regi inimicum, publicaeque paci insidiantem. Rescripsit ad ea Pontifex egregio temperamento inter summi imperii majestatem, & mansuetudinis Apostolicae, paternique animi sensum. Miscuit irae simul & clementiae signa, & jacta in Cardinalem crimina minasque ita confutavit, ut neque mentiri Hispanum argueret, & posse in ejus caput recidere pericula benigne minitaretur. Si quis videre volet Pontificiae gravitatis exemplem, exstant ad verbum eae litterae transcriptae aliorum cura, qui Caroli

roli Pontificatum ante nos composuere. Summa earum fuit: *Spectatam Alburquercii nobilitatem, honestumque animum mereri quidem, ut ipsius dicta cum fide accipiantur: caeterum, ea, quae de Cardinale Archiepiscopoque Borromaeo scripserit, non congruere, neque cum fama, quam ille apud omnes bonos obtineret, neque cum maximis virtutibus, quarum monimenta per eum edita avunculi Pontificatu, Romae adhuc in animis hominum & in memoria rerum exstarent. Videret nobilis vir, & magnae Provinciae Gubernator, ne, dum sui Regis jura tueri se credit, evertat, & mali Daemonis impulsu, cujus arte dissidia serantur haec, in praecipitia ipse auferatur. Proponeret sibi ad terrorem, tristem illius casum, qui, cum eidem antea Provinciae praesedisset, ibique inter ortas cum Archiepiscopo controversias, anathemate damnatus, ad Pontificem postea Paulum III. legatus ab Rege mitteretur, obierit in itinere diem suum, nondum diris illis vinculis plane absolutus. Pontificem namque Paulum jussisse dici, ne urbem ingrederetur, atque ita subsistentem, dum deprecatur iras, dum veniam petit, exspirasse.* Inerant in iisdem litteris alia, tum graviter & severe scripta, tum leniter ac benigne in errorem, quo lapsus improvide Alburquercius ad periculum exitii similis inclinaret.

Quoniam vero petierat a Pontifice Alburquercius, ut Scalensis controversia Mediolani dijudicaretur, atque Leonis X. decretum in eam rem protulerat de Provinciae causis haud alibi cognoscendis: id praecise negatum, addita etiam ratione cur negaretur. Non enim de causis negotiisque Cardinalium decrevisse Leonem: ac si decrevisset, liberam utique tamen potestatem esse Christi Vicario in leges & decreta priorum, si quid addi, demi, mutarive oportere, vel censeat ipse, vel dies monstret. In hac verborum litterarumque pugna, Humiliati caedem sanguinemque Cardinalis assidue meditati, certamen illud alienum fecere suam occasionem, & interea dum in Scalenses, Regiosve averti posse suspicio tanti facinoris videretur, rem tentavere. Hieronymus, & Laurentius, & Clemens totidem Monasteriorum Praepositi erant: priores duo, Vercellis & Caravagii, tertius apud Veronam. Hi communicatis inter se consiliis, Hieronymum Donatum, cognomento Farinam, sui Ordinis hominem, ministeriis aliis experti audacem & promtum, emerant quadraginta nummis aureis ad patrandam caedem: summamque sibi haud paulo majorem quaesiverat. Farina, sublato ex Braidensi aede argento quod in sacris ibi vasis reliquave supellectile erat. Hoc instructus peculio, parricida per lustra & popinas aliquamdiu vagatus, parat sibi manualia tormenta recentioris ingenii, ad concipiendum rotata vertigine ignem displodendumque plumbum: coque missili probe exercitatus quaerebat aliquamdiu aptum facinori locum tempusque. Voluerat primo in D. Barnabae aede rem aggredi, cum ibi Pontifex ad aram die quodam rem divinam faceret. Sed cingentibus latera Clericis, & frequenti arae ministerio stipante quem petebat, veritus ne in aliena terga aberraret, eo quidem die sustinuit atque supersedit. Circumspicienti deinde alia momenta occasionum, aptissima visa est hora vespertina, cum Cardinalis quotidiano suo more in domestico sacello, circumfusa familia, precibus vacaret. Capto igitur ad ejus rei consuetudinem tempore, die Mercurii, qui dies fuit ad VII. Cal. Novembris stetit in sacelli limine, displositque, & protinus nemine insequente aufugit. Positis ante aram genibus, obverso ad Oratorii valvas tergo procumbebat Cardinalis effusus in preces: familiares, pro suo quisque ingenio, vel in symphoniam intenti, vel coelestium rerum contemplatione sensibus alienatis. Pertinetque ad miraculi magnitudinem etiam referri divinas voces, quae canebantur illo ipso temporis momento, cum fragor, & fumus, & plumbeae glandes subitum offudere animis terrorem, praeterquam ei, in quem vis Tartarea directa erat. Canebantur autem haec: TEMPUS EST UT REVERTAR AD EUM QUI ME MISIT, NON TURBETUR COR VESTRUM NEQUE FORMIDET. Dum id carmen musici homines arte sua modulantur, collinearat Farina disploseratque. Fit subita consternatio familiarium Cardinalis trepidantque & tumultuantur, & horrent tamquam haud dubia caede. Conspexere namque avertentem sese Herum, velut dato in tergum ictu. Sed plumbea glans haud aliter quam conjecta inermi alicujus dextra, cum in exteriore lineo amictu labem, in cute tumorem etiam fecisset, irrita defluxerat ad pedes. Quadrata segmenta, alia in subselliis, tabulisve, quae circa erant, haesere, alia muri partem oppositam laceravere cum enormi hiatu, qui obturamentorum eorum vim, & parricidae rabiem indicaret. Unum etiam ex plumbeis ejusmodi segmentis, quae cum glande majore contorta fuerant, trajecta veste ad cutem usque penetravit, ac sine noxa sedit ibi conciditque.

Pervasit illico tam atrocis rei fama totam urbem, & tamquam, si prodigium aliquod triste evenisset, ita perculsi omnes attonitique haerent, etiam quibus, ut in tanta multitudine, severa instituta displicebant. Momento pene temporis compleverat circumsteteratque Palatium turba ingens moerentium, indignantium: sed adhuc incerti de miraculo, pavebant magis, & irrumpere conclavia conabantur, ut Cardinalem viderent. Submoveri populum irruentem, stationibus ad valvas appositis, necesse fuit. Simul enim Alburquercius ipse ad primum tumultum intrarat, ejusque jussu praetoriani milites obsederant limina, impetumque prohibebant. Primoribus tantum dabatur aditus: hisque etiam interiore conclavi exclusis, ingressus ad Cardinalem Alburquercius, quomodo res gesta esset, simplicissime exquirebat, fauste in media consternatione admurmurantibus qui intus aderant, quive foris exspectabant. Namque inter eas, quas memoravi controversias, Cardinalis & Gubernator, aliquamdiu nihil inter se egerant, abstinuerantque congressu, hic offenso, sicuti demonstratum est, animo, ille ne offensum turbaret. Nunc Hispanum, in tanto Pontificis discrimine versa in caritatem ira, tamquam pro suo capite sollicitum videbant. Memorabile inde colloquium fertur inter Principes, quorum alter aditum pro Ecclesia sua discrimen in gloria & lucro profiteretur, alter ad regendam ejus vitam suas & provinciae vires frustra offerret, uterque veterum certaminum obliti novum certamen exhiberent. Petere Alburquercius & instare, ut fateretur suos timores Cardinalis, ederetque omnium nomina, quos id conflare potuisse scelus autumaret. Sciret Regis opes subsidia firma atque fidelia suae salutis fore: vellet modo interim ipse esse salvus, ac circumdari sibi praesidia pateretur adversus insidias, sive unius id flagitium, sive plures conjurassent. Cardinalis ad ea dicere: non sibi vitam esse tanti si tegenda armis foret. Regiam sane opem & auxilium benigne adeo quod offerretur, honori sibi esse & solatio, sed nequaquam Episcopo homini decorum, aliunde, quam a Deo petere auxilia. Si vellet auxiliari Rex Catholicus, promtam eam voluntatem conferret ad res Ecclesiae sublevandas, ibique tam egregium animum occuparet.

Inter haec & alia colloquia, simulque dandis opportune mandatis, quae in tali tempore res postulabat, ad multam noctem Alburquercius in Palatio Archiepiscopali substiterat. Postero inde & secutis diebus accuratissime exsequebatur, si qua posset vestigia sceleris invenire, ultroque praemiis & proposita impunitate conscios ad promendum indicium vocabat, appositis interim crebris ad portas urbis custodibus, qui percunctarentur exeuntes retinerentque suspectos. Portae quin etiam aliquamdiu clausae effugium omne prohibuere, donec, quaestione per cuncta diverticula habita, posse ullum in coeco crimine indicium explicari, spes decessit. Farina post flagitium, ut dixi, nullo insequente, elapsus, ignotam latebram insederat, indeque, ubi tutum fuit, profugus in Taurinos, militari habitu praesidiariis illic immixtus occultabatur, ut suo mox tempore deprehensus dederetur ad supplicium. Caeteri tanta ad rem supprimendam arte usi erant, quanto deinde miraculo ad prodendum ultro suum ipsi scelus consensere. Ita desperato prorsus in praesentia

tia indicio, cura simul inquirendi remittebatur, donec res, ut demonstrabo, ipsa, conscientiae furiarumque instinctu per se se emersit. Perseveravit tamen Alburquercius interea per aliquot dies, & armatorum praesidio munire Palatium, ne qua vis ad Cardinalem fieret, & Cardinali ipsi stipatores corporis offerre, quos ille recusabat, dictitans, esse sibi Crucem, & animum, vel vitae, vel neci paratum, & denique spem in Deo collocatam, qui propulsato tam evidenter discrimine praesentem auxilii sui vim ostendisset. Congruentia inde his Romam ad Pontificem Max. perscripsit, talibus fere verbis usus: *Benignitate Numinis gravem casum evasi, quem Sanctitati Vestrae Ormanetus exponet. Neque tamen ego tanti eram, ut servari sic mererer: sed vel muneris causa, quod sustineo, vel ut temporis adhuc aliquid ad expiandas animi mei culpas habeam, divina misericordia sum servatus. Proinde, sicut ego coeleste beneficium toto animo amplector, veneror que inturbidus & quietus, ita S. Vestram, nihil hoc meo casu esse conturbatam velim.*

Constat, Pontificem Maximum, hoc accepto nuntio, non secus ac sui capitis discrimine esse commotum, atque affirmasse, non tam rabiem illam furoremque mortalium posse videri, quam coeleste prodigium & signum irae Numinis in res humanas, ubi tanta vecordia mortalibus ullis injecta esset. Vocato statim Senatu, Cardinalibus exponit rem eam atrocem: multa de Viri laudibus memorat, hortaturque Patres, ut privatis quisque consiliis ad pervestiganda indicia solliciti intentique agant: se publice, quantum auctoritate, quantum tota Pontificatus vi possit, adnixurum, ut & securitati Cardinalis consulatur, & gravissima in posterum exempla statuantur vindicandi in impios. *Videtis*, inquit, *alienatio Principum adversus Episcopos, quanta incitamenta sceleribus addat, & quale telum ea sit in Dei servos, quos tamen divina potentia Regnis dominationibusque cunctis imminens tuetur atque armat.* Talia quaedam in Senatu dixerat Pontifex Pius: Cardinalesque etiam id quod obscure esse illatum videbatur, intellexere magis quam credidere. Mox litterae & decreta Regis perhonorifica in Borromaeum actionesque ejus Mediolanum afferuntur. Abolebant edicta omnia, quae Senatus, quaeve Gubernator adversus Ecclesiae potestatem paulo antea promulgassent. Simul obnoxios atque subjectos Archiepiscopo Scalenses debere esse, declarabant. Ita placitum Regi, nec levem ex eo gratiam si collegii ejus templique constituendi curam suscipere Cardinalis vellet. Inerant etiam mandata pervestigando sceleri, & pleraque alia honorifica in Cardinalem, in Ecclesiae majestatem pia: neque cunctatus est Alburquercius, quin cuncta exsequeretur.

Sed pervestigatio sceleris, dilationes, intervalla consiliorum, quaestionis apparatum requirebat. Sine contatione sunt peracta quae statim fieri poterant, sublatisque edictis, unde res Ecclesiastica detrimenti aliquid accepisset, pristina statim frequentia Pontificio foro & pristina securitas Ministris redierat, cum antea Magistratuum Regiorum metu rarus ad Archiepiscopi tribunalia litigator, & trepidatio inter Scribas orta prope circum nostra limina solitudinem fecissent. Praecipue auxit Ecclesiae dignitatem confirmavitque animos oblatum per eos dies populo Mediolanensi spectaculum ingens, quod non solum praesenti laetitia, sed etiam salutari in posterum exemplo memorabile fuit. Namque Regius Magistratus, qui praesederat actioni, cum Archiepiscopi circitor ob vetita arma comprehensus equuleo torqueretur, ob id crimen illatamque injuriam Ecclesiae rebus, publice ad templi maximi valvas absolutus est anathemate quo implicitus tenebatur. Ibi pegma stabat actioni celebrandae, Cardinalis jussu excitatum: delectus quoque dies pridie ejus diei, quo Sanctissimos Christi natales Ecclesia concelebrat, quo major frequentia exemplum spectaret. Ibi Regius Magistratus cum Scriba suo caeterisque Ministris in locum superiorem admissus, dein per tabulata illa prostratus, petita precibus infimis absolutione recipitur in Ecclesiae gremium, & piacula injuncta reverenter excipit. Juravit ipse, caeterique flagitio affines homines Regii Sacramentum idem apud Cardinalem dixere: numquam postea rem Ecclesiasticam esse violaturos. Postquam juravere ordine omneis, eos quoque Cardinalis absolvit, si quam anathematis poenam inter sua quisque ministeria forte contraxissent. Peracta deinde caeremonia, cum attonitus spectaculi magnitudine populus staret, orditur Cardinalis concionem de Ecclesiae poenarum gravitate, cum arcetur aliquis communione sacrorum, projiciturque extra salutis limina. Quantum periculi adierint viri nobiles, & quantum doloris patriae toti futurus fuerit, si repentinus aliquis casus & subita fortasse mors eorum aliquem inter dira illa vincula deprehendisset facunde miseratur paterno vere ac pastorali sensu, qui illi pro eloquentia fuit. Neque aberat etiam ars, qua expenderet verba permovendisque animis apte admoveret.

Et quamquam erant illa, sicuti dicebantur, pondus tamen auctoritatemque majorem inveniebant ex eo, quod nonnulli culpae eidem affines, necdum absoluti, gravissima divinae justitiae exempla casibus suis per eos dies populo Mediolanensi ediderant. Praefectus rerum capitalium inter eos fuit. Is comprehendendi torquendique circitoris auctor idem Senatui & minister, damnatus ob eam rem anathemate cum caeteris, aliquamdiu domi attinebatur, Apostolicaque interdicta reveritus publico abstinebat. Creatur interea forte Senator, & simul gratulatione novi honoris, simul occasione nuptiarum queis nobilis virgo consanguinea sua deducebatur, Alexandriam invitatus ire concupivit. Petita a Cardinale nec impetrata facultate, cum paterne admoneretur, exspectandam esse absolutionem, pergit ire tamen, ac sese itineri mandat, inquinans colloquiis & congressu suo quamplurimos, ipseque tanto magis inquinatus. Celebravit comiter atque hilare nuptiale epulum, & nocte insecuta oppressus repentino morbo paulo post exstinguitur. Ejus Regii hominis casum pie interpretantes, Mediolanenses ad divinae Justitiae vim trahebant: tantoque commotiore animo dicta illa Cardinalis accipiebantur.

Tristius etiam alterius exemplum fuerat, qui ob illud violatae Ecclesiae crimen excitus a Pontifice Romam in itinere repente ipso magna correptus interturbatione animi, quae lymphati & a Daemone obsessi corporis speciem praeberet, cum multa Exorcistarum adjuratione fatigaretur, exspirarat. Ac mirabile dictu, animadversum postea notatumque est: omnes alios, quicumque temere aliquid adversus Cardinalem in eo rerum motu impieque egissent, ita vitam clausisse, ut, quod in aliis mortalitas & humanae vitae exitus dicitur, in his supplicium & ira Dei appellaretur. Ad posteros quoque talium hominum, ea manasse visa est, qui, vel rem domesticam male gessere, vel non miti finiere obitu, vel etiam ipsae domus ab stirpe deletae sunt. Huic tam memorabili exemplo continuatur spectaculum aliud haud minus terribile populo Mediolanensi, simulque non minus gratum, ob tam manifestam poenitentiam omnium, qui impie aliquid adversus Ecclesiae auctoritatem, irreverenter adversus Cardinalem fecissent. De Scalensi casu contentioneque Canonicorum ad detrectandam Archiepiscopi potestatem antea memoravi.

Ejus nunc Ecclesiae Praepositus, sicuti dissenserat a suis eo die quo tumultuatum est: ita primus erat ad veniam flagitii quamvis alieni exposcendam, petebatque a Cardinale supplex, ut sibi demerentur vincula si qua forte suorum temeritate contraxisset. Ad D. Fidelis valvas non modico populi concursu is quoque est absolutus: adspiciebaturque non tamquam reus, quia ultro piacula poposcisset. Juravit conceptis verbis: in obsequio & auctoritate se postea semper fore Mediolanensis Archiepiscopi, daturumque operam, ut homines & Canonici sui in potestate eadem manerent. Erant in Canonicorum numero nonnulli, qui Oeconomum secuti ducem, atque ab initio violentia corrupti illius, retinebant animos eosdem: neque Cardinalis nomen, neque anathematis poenam magnopere reverebantur. Hi, cum eodem tempore, & templi sui Antistitem ad pedes Archiepiscopi prostratum vidissent, & Calabrum illum ac-

cepissent, exitu ignominioso esse absumtum, erexere simul submisereque animos, ut divina judicia considerantes, contumaciam suam infringerent peterentque salutem ab eodem illo, cui paullo antea vim prope intulissent. Tenebantur in primis Pontificia lege, quae de Cardinalibus violatis est, atque incedebat fama, Pontificem Pium velle prorsus, ut Scalenses ea lege plecterentur. Quod si fieret, & suis Sacerdotiis, & omni reliqua vita manere notatos oportebat. Ita enim jubet lex a Bonifacio VIII. in eos lata quicumque violenter aliquid, sive injuriose admisere in Cardinalium vitam. Hujus igitur metu legis exterriti, simulque exemplis eis inducti quae memorata sunt, antevenire divinas pariter humanasque iras properabant. Et Cardinalis, cum se nec vitae nec fortunis eorum infensum esse profiteretur, velle tantum jura Pontificatus & Ecclesiae dignitatem tueri, haud minus sollicitus de salute poenitentiaque eorumdem agebat. Ideo, & audivit benigne supplices, & ne quid a Pontifice Maximo tristius duriusve pro culpae magnitudine consuleretur, petiit ab eo obtinuitque, ut totius causae negotiique judicium sibi permitteretur. Quo impetrato, nihil sane cunctatus, adesse omnes die quodam festo ad templi maximi valvas jubet. Ibi absoluti vinculis aeternis, & in Ecclesiae gremium recepti eminente inter ejus rei caeremonias misericordia simul gaudioque Cardinalis, qui, & ausos talia Sacerdotes hominesque suos moerebat, & eosdem agnovisse culpam atque invenisse salutem laetabatur. Inducuntur postea templo, & ibi ante aram maximam juravere in Archiepiscopi verba, & petiere, ut qua clementia & benignitate ipsi absoluti fuissent, eadem benignitas & clementia Scalensi aedi tribueretur, atque tolleretur decretum, quo velut exaugurata & profanata ea aedes maneret. Id quoque concessum, & habita ad populum oratione de periculo & gravitate poenarum, quae continentur Apostolicis interdictis, ita ut erat trabeatus & mitratus ad Scalense templum una cum ipso Canonicorum agmine descendit, sequente & affluente ad spectaculum turba, quae spectatrix antea fuerat flagitii quod tunc expiabatur. Expiatur primo lustralibus aquis, solennique precatione consecratur locus ipse vestibuli, unde turpi convitio manibusque temeratis Cardinalem arcuerant: deinde Cardinalis illato in templum pede possessionem adit, laeto in primis Canonicorum ordine, qui caeremoniam eam veluti pignus impetratae veniae concelebrabat. Piacula dicta Canonicis alia quoque, vel nequaquam nota omnibus, vel ad praesens tantummodo exemplum: illud in decimum usque annum tenuere, ut natali Sanctissimae Virginis die inter solenne sacrificium accederent ad Archiepiscopi pedes, veniamque peterent, ac potestati imperioque ejus subjectos se esse profiterentur. Hunc exitum habuit Scalensis ille casus, cujus atrocitate contremuerant Mediolanenses tunc, cum tanti nominis atque tam spectatae sanctimoniae Cardinalem ab nobilissimo Ordine prohiberi perfunctione sui muneris, manibusque etiam violari sacris viderent.

Nunc mutata omnia, eosdemque illos exempla modestiae & obsequii esse factos videbant, poenamque culpae tamen intra obsequia stetisse ista laetabantur. Caeterum attinebantur adhuc carcere nonnulli ex eodem ordine, qui scilicet conciverant armatos, & ex vicinitate illa perditissimum quemque Cardinali advenienti opposuerant. In eam manum liberam sibi potestatem animadvertendi arbitratu suo reservarat Pontifex, cum caetera Cardinalis arbitrio voluntatique permitteret. Poena in eos parabatur, ut exsuti Sacerdotio quisque suo, propter eam ignominiam monstrati omnibus & notati luerent admissum scelus, ut ipsi vocabant insaniam atque temeritatem. Cardinalis, impetrato in hos etiam arbitrio, liberaque facultate statuendi prout vellet, absolvit anxios metu, multamque levem dixit, qua fastigium Ambrosianae aedis tunc forte inchoatum ad summa perduceretur. Ac ne res ulla deesset ad nobilitandam clementiam hanc Cardinalis in violatores ac percussores prope suos, accidit, ut Barbesta etiam ille totius ferme auctor sceleris, per eos forte dies Pontificis Maximi jussu comprehensus duceretur in vincula, suppliciumque meritum exspectaret. Aversabantur enim omnes ceu sacrum & infame caput, vulgata per urbem fama, quod instigator iste violentiae in Cardinalem fuisset: ac ne rabularum quidem, vulgariumque patronorum quisquam unus agere, vel ullo modo contrectare causam ejus audebat. Patronus huic ipse Carolus fuit. Nam cognita hominis captivitate solitudineque & squalore, primo quidem publice professus est, licere unicuique defensionem suscipere illius, idque scriptum edidit: deinde vero, cum in pristina religione perstarent omnes, & tamquam a portento aliquo, sic ab ejus contagione causae refugerent, per Ormanetum suum a Pontifice petiit, ut homini illi erroris veniam daret. Id aegre tamen impetratum, missusque tantummodo in exsilium Barbesta, quae summa clementia in eum fuit. Non eadem facilitate Pontifex accipiebat alias eodem tempore preces, quibus petebat obsecrabatque Cardinalis Carolus, ut quaestio etiam inquisitioque opprimeretur omnis in eos, qui conspiravisse dicerentur in caput suum, percussoremque submisissent. Eam conspirationem idque flagitium uti pervestigarent, mandaverat Pontifex hominibus idoneis, intentaque in omnes partes diligentia erat, si quod odorari vestigium possent, quod ad cubilia tanti facinoris duceret. Mandaverat vero etiam Cardinali Pontifex, & Apostolica sua auctoritate edixerat, uti aperiret indicaretque ipse si quem fortasse suspectum haberet, ad quem id pertinere scelus arbitraretur. Ad id ita ille responderat, ut diceret, posse multorum animos a se esse offensos, dum emendare mores, & Ecclesiam suam in aliquem tolerabilem adducere statum conatur. Caeterum inquietari multos etiam quaestione ea, quos ipse culpae nullius esse affines pro certo haberet: petereque proinde uti finis fieret, ac rem eam, quam divina providentia irritam esse voluisset, vellet etiam Christi Vicarius oblitterare clementia sua & benignitate, sensuque in hominum errores misericordi.

Jam venerat Mediolanum Antonius Scarampa, Episcopus Laudensis, opportunis a Pontifice mandatis Apostolicaque auctoritate instructus ad rem per vestigia omnia exquirendam: isque promulgaverat edictum, continens diri carminis anathemata in eos, qui conscii aliquo modo sceleris essent, idque reticerent. Finiebaturque certa dies, intra quam diem deberet indicium detulisse quisquis de ea re comperti aliquid haberet. Non crediderim, eos homines, qui de interficiendo Cardinale consilia inire potuissent, potuisse rursus religione ulla comminationeve Apostolica permoveri, ut judicium id periculumque ultro lacesserent, ac edicto litterisve obedientes ullis se se in discrimen darent. Sive religio ipsorum fuit, sive amens scelere animus praecipitavit temere illuc, quo rapiebant ultrices Furiae, accessere Praepositi duo ad Scarampam, & perplexa quaedam, obscura, contraria exposuere, qualem necesse est sermonem semper esse hominum, quos conscientia culpae atrocis, timorque supplicii conturbet. Fuerat eorum alter particeps & collega conjurationis initae adversus Cardinalem, stimulaveratque Farinam & armarat: alterius una erat culpa, quod rem agitari illam sensisset. Scarampa, postquam utrumque suis implicari dictis, nec satis expedire sui sermonis exitum vidit, gnarus homo forensis negotii, multoque reorum & causarum usu contritus, detineri in vinculis quam lenissime utrumque jubet. Repetiti deinde & interrogati iterum, haud aliis tormentis, quam Scarampae ejusdem arte, suaque ipsi conscientia, rem a primordiis suis, ad finem usque aperuere universam, ut cogitata, ut suscepta, ut infeliciter peracta demum fuisset. Affluere postea certatim omnes ad profitendum indicium, ut quisque aliqua negotii ejus notitia [illegible] levissime inquinatus, aut judiciorum, aut divinae irae terrore conturbaretur. Nec minus facile suas in ea re culpas edidere alii, quos Scarampa duorum Praepositorum indicio retibus suis illigarat.

Et Farina ille omnium votis & exsecratione petitus ad supplicium, cum aliquamdiu feliciter latitasset, illigatis

tis indagine deprehensisque sociis, haud quaquam latere diutius potuit. Inter praesidium agitantes gregarios tegebatur apud Sabaudiae Ducem, nomine habituque militis, & stipendia illi sicuti caeteris procedebant. Prodidere hominem Praepositi ipsi, & indicavere ubinam esset, statimque postulatus, deditur. Sumtum inde supplicium est de omnibus: sed de Farina conspectius, eo quod & concionatus etiam de furca ultro est, amentiamque suam ipse detestatus, & vere signa pleraque alia bene morientis dedit. Praepositi damnati fuerant, ut injecto faucibus fune item penderent: sed generi ac nobilitati mors tamen data honestior est: Vercellensisque & Caravagiensis obtinuere, ut divisum a corpore caput poena tanti flagitii esset, haud sine publica indignatione, si capita sacrilega & indigna tam honeste finirent. Alter etiam eorum non dubitavit in ipso pegmate cum obtruncaretur, obsecrare & alloqui Cardinalem absentem, commendavitque benignitati ac clementiae ejus adolescentulam unam consanguineam suam, quae egens & destituta relinquebatur. Neque irritae eae preces fuere: datusque maritus virgini, & cura ejus suscepta Cardinalis jussu paternum in morem. Ac neminem quidem eorum potuerat supplicio eripere Carolus, cum apud Pontificem Max. summa ope tetendisset: quartum vero quemdam ejus societate negotii leviter imbutum eripuit triremibus, cum ei poenae jam addictus esset. Inhorruerat, ut dixi, Civitas, non quidem horum hominum suppliciis, sed sceleris atrocitate, quo supplicia graviora meriti erant.

Tunc Carolus anxius misericordia, & veluti cruentam sanguine sacro urbem verecunde moesteque aversatus tamquam ipse causa necis hominibus eis fuisset, simul intermissa repetens officia curasque in Helvetiorum Valles, eo se contulit. Consilium ei erat, per occasionem speciemque salutandae sororis, quae Hortensia nomine, Annibali Altempsio nupta erat, penetrare ulterius in Helvetiorum pagos, atque cum gentis ejus Principibus consilia nonnulla communicare de religione illic Ecclesiaque constituenda, quod absque consensu auctoritateque eorum fieri satis commode non posset. Itaque, & omnes Vallium earum anfractus summa cura magnoque labore lustravit, & montes, ad ea, quae dixi, colloquia transgressus, haud prius ex ea peregrinatione Mediolanum rediit, quam cavos illos incultosque recessus, & ad eam diem inhumana prope pectora, ad urbanae ferme disciplinae formam expolivisset. Pagis quin etiam urbibusque ipsis Helvetiorum, adspectu suo exemplique magnitudine lucem attulisse quamdam est visus, ac plerique ibi se se collegere. Praecipua loca, quae in Helvetiis adiit, haec fuerunt: Uria, & Ondervaldum, & Luceria, Altempsiumque ipsum, ubi soror in matrimonio Altempsii pie honesteque agebat. Ondervaldi inspexit veneratusque est Beati Nicolai reliquias, quae ob inclytam viri ejus apud Helvetios famam admodum religiose illic coluntur: accessitque honos, postea quam ad pietatis suae sensum congruere prudentiam quoque Cardinalis viderunt. Visit etiam adiitque Deiparae Virginis Guadense templum, in quo veterem imaginem Divae multas olim ab oculis fudisse lacrymas constans fama est. Honores apud Helvetios habitos esse Borromaeo, memorant singulares quosdam atque inusitatos, quales scilicet in aliena terra Romanisque & Catholicis institutis aliena haberi potuisse vix fides fuerit, nisi qui ad nostram aetatem ex eo comitatu duravere testarentur ea quibus interfuere ipsi. Sed inania pleraque praetermittenda esse censeo: illud certe & cuncta honorifica superavit, & Cardinalem praecipue ipsum laetitia affecit, quod praesentia ejus & adspectu, dum adesset ille, ritus plerique usurpavere Catholicos, & Calvinica interim Lutherananaque instituta, sive monstra potius, apud infectos ea tabe populos passim quievere. Namque interesse sacris & illius audire conciones, & pleraque alia facere Catholico more concupivere. Jam damnatos Ecclesiae ritu cibos iisdem abdicare diebus, abstinere patria temulentia potuque immoderato, quaeve alia placere posse Cardinali censebant, interea dum praesentem eum habuere, tenuerunt religiose omnia, mirificoque consensu custodiverunt.

Dum autem in Helvetiis ille peregrinaretur, agitatum Romae erat, de universo Humiliatorum Ordine tollendo atque abolendo, scilicet, quo gravius majusque exemplum sceleris vindicandi statueretur. Atque mentem eam consiliumque Pontificis, in suo ad urbem reditu cum accepisset Cardinalis, exquirebat moliebaturque omnia, ne paucorum error plecteretur totius etiam Ordinis excidio, in quo scilicet Ordine pii tamen innocentesque multi essent. Satis jam poenarum, satis exempli datum, punitis adeo severe omnibus, quotquot notitia aliqua facinoris ejus attigisset. Haec cogitans ipse secum affirmansque etiam apud alios, auctor fuit Ordinis ejus hominibus, ut missis ad Pontificem precibus, obsequium in posterum, & modestiora cuncta pollicerentur. Posse Pontificis indignationem offensumque animum ita placari, ac se quoque in tanto eorum periculo deprecatorem fore. Mittitur Romam cum hujusmodi precibus ac promissis Antistes ipse Ordinis universi: Praepositum Generalem ipsi appellabant eum, cui cunctae Ordinis illius familiae negotiaque cuncta obedirent. Huic legationi Decuriones Urbis litteras addidere publice scriptas, quibus id ipsum petebant, ne scilicet antiquissimae nobilitatis Ordinem, Christi Vicarius ob culpam erroremque paucorum delere universum exscindereque funditus vellet. Clausa, inexorabiliaque cuncta invenere, Praepositi preces, scilicet, & litterae Decurionum: atque perseverante Pontifice sicuti statutum jam animo deliberatumque habebat, Ordo ille Humiliatorum deletur. Quod cum fieret, in recognoscendis familiis adeundaque possessione, pleraque quidem etiam alia reperta & detecta sunt, ob quae serum id fuisse consilium appareret: caeterum, maxime insigne vestigium licentiae hominum eorum hoc fuit.

Ordo censebatur universus familiis, sive domiciliis nonaginta quatuor, quarum familiarum sive domiciliorum unumquodque centenis hominibus alimenta, non necessaria modo, sed etiam lauta suppeditare posset. At numerus ille fratrum in toto Ordine est inventus, ut ne bini quidem in singula Monasteria descripti ad Monasteriorum numerum convenirent. Quippe Praepositi inutiles iidemque sumtuosi, voragine, & hiatu, libidinibusque suis cuncta hauriebant. Gregales caeteri, sicut antea narratum esse arbitror, cum tam pauci in tanta opulentia fuissent, ut etiam nimium multi viderentur, faciebat ipsa Praepositorum aviditas: sordideque & serviliter alebantur. In delendo Ordine, quicumque reperti sunt, decretum a Pontifice est, ut annua ex iisdem fructibus pensione sustentarentur: & abiere laeti, credo, ex domiciliis eis: & dies ille qui apud homines alios funestissimus fuisset, veluti natalis dies visus hominibus, qui tetra & avara, simulque dissoluta Praepositorum dominatione liberati sunt.

Cardinalis, ubi sublato & exstincto per Pontificem omni Humiliatorum nomine, tanta Ecclesiastica vectigalia, tantaque spatia praediorum vacua esse cognovit, misso Romam Caesare Speciano, familiari suo, petiit a Pontifice, ut praediorum fructuumque eorum partem ad varias Ecclesiae Mediolanensis necessitates opportune sublevandas assignare vellet: quod promte concessum. Neque praedia tantum & vectigalia, sed aedes quoque & hortos, & adnexa caetera domiciliis Humiliatorum dividere arbitratu suo, & ad varios Ecclesiae usus convertere Carolus ea liberalitate Pontificis jubetur. Itaque Braidense Sacerdotium, hortosque & adjuncta tecta, Societati Jesu destinavit, ut ea in sede Patres ad excolendam liberalibus disciplinis juventutem primo quoque tempore collocarentur. Seminaria Collegiaque alia Clericis instituendis ex eadem Humiliatorum opulentia fundata sunt, qua nunc amplitudine & honestate noscuntur, ne ego singula hoc loco enumerare necesse habeam.

Fames hoc tempore Mediolani tanta fuit, quanta fuisse numquam antea diceretur, sive negaverat vere solitas fruges annus, sive commune usitatumque hoc, ut prae-

praesentia semper mala comparatione praeteritorum augeantur. Neque erant afflictae famelicaeque plebi aera parandis alimentis, neque, quibus pecunia suppetebat, dabatur tamen evincere illud naturae malum, cum raris in urbe locis venale quidquam prostaret. Peregre petendum parandumque erat id, quod anni sterilitas Patriae toti tunc negarat. Itaque vix opulentissimus quisque propulsabant famem. Cardinalis in ea publica necessitate, totam urbem quasi domum unam paterna cura amplexus, nulli defuit officio, quod vel a Pastore, vel a Principe exspectare populus posset: interimque Pontificalibus aliis negotiis intentus cuncta exsequebatur. Inter causas & consilia Helveticae peregrinationis, de qua memoratum est, id praecipue egerat spectaveratque, ut ludimagistros, qui in Cisalpinis Helvetiorum pagis, specie docendarum litterarum, inficiebant prava Calvini disciplina juventutem, tolleret inde atque amoliretur. Ac de ea re cum apud Principes Gentis egisset, responsum anno superiore tulerat hoc: *Si pagi illi, in quibus Magistri morarentur, alicui Helvetiorum parti subjecti essent, posse partis ejus Principes inde dimittere eos, atque prohibere, ne id docendi munus ultra exercerent: Nunc quia nomini Helvetico commune imperium in ea loca esset, rem etiam in communi Gentis concilio agi tractarique oportere.*

Commune Helvetiorum concilium propediem futurum Luceriae erat. Quod ubi Cardinali nuntiatum est, mittit in Helvetios ortum indidem hominem e familiaribus suis, Ambrosium nomine, patrii moris notitia, & linguae commercio perferendis postulatis idoneum. Postulabat autem Cardinalis, praeter id, quod de Magistris antea dictum est, ne gentis ejus adolescentes educationis causa in loca Haeretica mitterentur. Et postulatum erat tertium, ut quoties Haereticus Praefectus in loca cis Alpes imperio Helvetico subjecta mitteretur, nullum jus esset ei in ea negotia, quae statum causamve Religionis attingerent. Cum eis mandatis missus in Helvetios Ambrosius habebat simul hoc a Cardinale mandatum, ut muneribus & comitate epularum deliniret eos, quorum prima in concilio auctoritas gratiave inter populares praecipua esset. In id, & praesenti pecunia, & syngraphis opportunis amplissime instructus ierat. Itaque praeparatis Principum animis, petitoque Senatu, concilium ipse ingressus, mandata cum exposuisset, murmur quidem & fremitus, recusatioque nonnulla fuit ob Haereticos, qui in concilio erant: caeterum, ad extremum praepotuere, Cardinalis nomen, & aequitas rerum: & cuncta quae petebantur, impetrata. Gravissimum decretum ante omnia fecere de Magistris, ut si ultra praestitutum tempus (dies autem brevissima definiebatur) in Catholicis Helvetiorum pagis reperti essent, capite plecterentur: & cum ejus decreti litteris Ambrosius ipse profectus ad Magistros, eduxit inde eos secum, atque trans montes, Cardinalis ipsius sumtu deportavit. Vetiti parentes ex pagis iisdem mittere in Calviniana loca filios, quod linguae litterarumve addiscendarum causa in tenerioris aetatis perniciem antea fiebat. Quod vero ad prohibendos omni in res Ecclesiasticas licentia praefectos attineret, negotium dedere Magistratui Locarnensi, ut in eam curam attente excubaret, ne Catholica res culpa praefectorum detrimenti aliquid pateretur, neve illi negotiis umquam Ecclesiasticis sese immiscerent.

Dum in Helvetiis haec agerentur, lustranti Dioecesim Cardinali morbus accidit longinquus magis quam periculosus, qui lenta debilitate alienaret ei stomachum, viresque labefactaret, ob labores jam antea attenuatas. Et ingravescebat tabes, quia corpore affecto, nihil ille, vel de labore corporis, vel de contentione animi remittebat. Atque cum nuntium interea accepisset de Alburquercii morbo, quem, esse mortiferum, Medici pronuntiaverant, non potuit inhiberi, quin cursu Mediolanum iret, ut persolveret officia extrema morienti, exanimemque invenit. Mox etiam de Pontificis Maximi obitu nuntius affertur, & reclamantibus Medicis, attonita familia Romam itur comitiorum causa, quae ob recentem adhuc avunculi Pontificatum, & nondum exoletam plane gratiam, magna ex parte nitebantur auctoritate Borromaei. Ea comitia Gregorium XIII. dedere, qui Hugo Boncompagnus patria Bononiensis, & in Purpura acceptissimus Carolo fuerat. Per aliquot inde menses detinetur ab novo Pontifice Carolus, & excusata interim Pastoralibus ad Clerum Mediolanensem litteris absentia sua, Dioecesanam Synodum per Vicarium Castellum habuit. Eaque secunda Dioecesana Synodus sub Archiepiscopo hoc Mediolani celebrata est. Rediit ipse postea Mediolanum, praeter multa Apostolica dona, quae ad populi salutem Ecclesiaeque cultum impetrarat, etiam firmata valetudine, quae miraculi loco publice accepta est, cum maciem debilitatemque abeuntis vidissent. Sed nondum alter ab reditu mensis exierat, cum ordinandis Ecclesiae rebus novo animi ardore intentum pristina cum Regiis dissidia magnique inde tumultus occupavere. Et initia quidem ejusmodi malorum satis feliciter compressa fuerant, agnoscentibus errorem culpamque suam iisdem qui delinquere voluerant in Ecclesiae majestatem: postea sine remedio vinculove ullo eruperunt.

Mortuo, sicuti dictum est, Alburquercio, cum provinciam interea regeret arcis Praefectus, voluerat is ludicram venationem exhibere Saturnalibus, eique ludicro destinaverat aream, quae templo maximo praejacet, praemonitusque denuntiatione Cardinalis, quam ea res indecora esset, mutaverat spectaculo sedem, qua subjectam planitiem arx Jovis ab oriente despectat. Offensus tamen, quod non in priore area ludicrum edere licitum fuisset, alieniore deinceps in Cardinalem animo erat, & ab alienis quotidie aliis accendebatur: inutile regimen Ecclesiae rebus ancepsque interregnum, nisi mors hominem sustulisset adeo opportuna, ut divinitus immissam pie interpretantes aliqui crediderint. In Senatu etiam plerique Patrum alte tumebant animis ob suas de Cardinalis & Ecclesiae potestate suspiciones, eosque continebat Praesidis Raynoldi pietas, qui vir, cum semper alias, tum illo praesertim interregni tempore, de Ecclesia Mediolanensi optime meritus fuit. Haec initia simul & omina malorum habita sunt, postquam mala ipsa adfuere.

Gubernator, cui post Alburquercii mortem provinciam destinaverat Rex, fuerat Romae legatus, cum in avunculi Pontificatu cuncta Borromaeo obedirent, atque cognito ibi Cardinale, praeclare de eo sentiens, & imbutus etiam quadam ipsius admiratione veniebat. Celeriter tamen eum alienavere homines, qui nimias esse opes Ecclesiae, nimiumque imperium censebant. Obstitit primo, ne litterae Apostolicae, quarum auctoritate quaedam inter litigatores controversia decidebatur, ad ejus causae judicium valerent: atque rerum capitalium Praefecto, de ea re impedienda cum negotium mandasset, ipse simul & Praefectus ob id flagitium illigati anathemate erant. Agnoscentes postea culpam veniamque petentes absolvi Pontifex Maximus jussit, & absoluti sunt, Gubernator quidem a Paulo Ecclesia, Cardinale Mediolanensi, Praefectus vero per Carolum ipsum ad domestici sacelli valvas. Hoc infausto praeludio potestas Ecclesiastica per Gubernatorem coepta violari: neque deinde Ecclesiastica ulla potestas & actio satis ei probabatur. Binas multo antea litteras ex Hispania miserat Rex, scriptum ita habentes: *Quarum rerum, litium, causarum, controversiae cum Archiepiscopo Mediolanensi essent, in iis rebus, litibus, causis, obstarent attentique essent, ne qua per Ecclesiasticos jura usurparentur, & ea ipsa, quae essent usurpata, Gubernator Senatusque tollerent.* Eas litteras gravissima ratione suppresserat Senatus, quia commovendarum rerum inesse tela apparebat, certaminumque cum Ecclesia inde exoriri seriem videbant. Nunc depromtae sunt testatoque exhibitae, captato etiam ad id tempore, dum, lustrante Dioecesim Cardinale, minus auctoritatis & constantiae ad inhibendum in Vicario esset. Harum auctoritate litterarum praefiniebatur satellitum etiam numerus, quo ne plures in Archiepiscopi ministerio haberentur: arma quoque comprehensa edicto, & praescripti fines, & poenae inclusae, queis plecti eos oporteret, si, vel cum veti-

vetito telo reperti essent, vel terminos in exsequendo egrederentur.

At Carolus imminutam eo edicto majestatem Ecclesiae ire ultum volens, tentato prius Gubernatoris animo per Cardinalem Ecclesiam, qui per eos forte dies Mediolani morabatur, si ad rescindenda acta rationibus adduci posset, posteaquam nullis flecti consiliis hominem videt, statuit anathemate vindicare quidquid illud injuriae damnique illatum Ecclesiae esset. Percurrit ejus consilii fama strenue totam urbem, & consanguinei primo, deinde his adnexa nobilitas, postremo, Magistratus urbis ad Cardinalem adiere, precantes, ne irritato sic & alienato Hispano, seque & Rempublicam in discrimen daret. Ille tamen consulto prius Pontifice confirmatus, atque in dies Ecclesiae deformitate commotior, simul Pastorali ad corrigendos hominum errores cura stimulante animum, perstitit in eo quod statuerat, damnatosque anathemate pronuntiavit, Gubernatorem simul, & Magnum Cancellarium, & ex minoribus ministris nominatim paucos, qui Principum exsequendo mandata piaculum meruerant. Ejus anathematis tabellae cum locis omnibus propositae fuissent, accensus indignatione Gubernator, tabellas vicissim proponi suas jubet, queis, alte repetito offensionum earum initio, inclusaque Regiarum litterarum summa, Cardinalem deinde criminabatur, tamquam carpentem infido animo Regis jura, partique dominationis ambitiose insidiantem. Neque verborum tantum ea fuit criminatio: sed re, quam verbis atrocior Hispanus, Aronae arcem primo occupat immisso milite, dictitans, claustra illa esse Mediolanensis imperii, atque permagni referre, quo praesidio teneantur.

Cuncta dein ad crimen suspicionemque eamdem trahendo, dicere coepit, piorum hominum sodalitia, qui capitibus obvolutis ad sacra congregantur, larvas esse rebellantium, cogendosque homines eos nuda & aperta in posterum ora ferre, sicut caeteri mortalium incedunt. Regium quoque custodem oportere apponi conventibus coetibusque eorum, ne quid adversus Imperii Majestatem specie pietatis homines isti moliri possint. Denique eo ventum ab Gubernatore est, ut Pontifici tamquam obsidendo, circumstarent Palatium armatae cohortes: dictumque forte erat, haud aliter umquam apud Insubres tutum imperii statum habiturum esse Regem, quam ducto demum in arcem Cardinale, consanguineisque ejus, & constricta vinclis universa Borromaeorum Domo. Id fieri posse, boni malique trepida sollicitudine, vel fremitu infesto passim ferebant. Et monuerant aliqui Cardinalem, ne Palatio egrederetur: quod ille consilium adspernatus, tanto magis in publicum quotidie prodibat, Ambrosianam quotidie aedem, veluti solatium curis petens, neque recto usquam itinere declinans, quo minus propter ipsius Regiae limen transiret. Feruntque, modestiam hanc fuisse militibus, qui circumfusi Palatio stationes ibi agebant, ut egrediente Cardinale submitterent genua, & salutare signum ab ipsius dextera exposcerent. Gubernatorem interim, quamquam composito, nunc inter suos, nunc publice vultu, animi securitatem ostentaret, angebant interioris conscientiae stimuli, quod Ecclesiae notatus interdictis esset, seque ut profanum adspici rebatur.

Ea ipsa res augebat in Cardinalem iras, quae sunt etiam auctae & irritatae, posteaquam ab uno clanculum Sacerdote absolutus, & egressus die quodam cum magno nobilium comitatu, ut rei divinae interesset, nullum usquam invenire Clericum potuit, qui praesente ipso sacrificare vellet. Diffugiebant latitabantve Sacerdotes: ipseque nequidquam templa omnia pervagatus, confuso ac moesto animo rediit in aulam, atque reputans irritam sibi absolutionem, extabescebat, donec Regis mandato provincia relicta, in Germaniam Inferiorem ad res ibi gerendas infauste proficisceretur.

Haud sane ego umquam in tradenda rerum memoria miracula conquirere solitus fui, miraculisve aequare quidquid natura vel sorte evenit. Caeterum, & Gubernatoris, & Magni Cancellarii secutam postea mortem scriptores alii, ostentum haud dubie irae Numinis appellavere, propterea quod ille rebus in Germania Inferiore parum prospere gestis invocans crebro Cardinalem, sanctumque appellans, hic moerore confectus decesserit. Atque implendo terriculamentis volumina, portentum etiam addidere aliud: quod scilicet missus Romam a Gubernatore Senator, & in itinere, calce equi ictus fuerit, & postquam in conspectum Pontificis venerit, subito horrore perfusus, orationem, quam purgandi caussa meditatam attulerat, explicare nequiverit, ac paulo postea sit mortuus. Tanta in humanos errores supplicia, tamque implacabiles & praesentes iras coelestibus esse, non crediderim.

Caeterum, discessu Gubernatoris, morte Cancellarii, fine Senatoris etiam, qui Romam ad tuenda Regiorum edicta, criminandumque Cardinalem ierat, exterritis omnibus, repetito rerum cursu, nemine obstante, ille pergebat consulere saluti disciplinaeque Urbis, ne pars ulla esset, quin ipsius exculta institutis diceretur. Ac ratus, ad optimam formam pertinere Civitatis, si nobilitas in primis ipsa quam optima & quam modestissima foret, collegium educandis pie ac liberaliter nobilium filiis fundavit. In cujus institutione collegii, cum studium omne consumsisset, mandavit Sylvio Antoniano, familiari suo, qui postea Cardinalis fuit, ut de educanda nobili juventute dignum aliquid ingenii sui elegantia conscriberet, exstatque Commentariolus politam ejus viri litteraturam atque pietatem referens. Id collegium Mediolani fundabatur hoc anno salutis MDLXXIII. magno illustrium familiarum emolumento, queis litterati piique heredes exculti Cardinalis disciplina hinc parantur.

## *LIBER XIII.*

HOC anno magna species fuit congredientis Cardinalis cum Galliae Rege Henrico, nominis ejus III. qui, mortuo fratre, ad capessendum patrium Regnum ex Polonia proficiscens, Modoetiam ex itinere diverterat. Imbuti erant invicem uterque quadam admiratione alterius, & sicuti cupiebat Cardinalis videre atque alloqui Regem, ob indolem ejus valde celebratam, & ob Religionis negotia, quae Galliam hoc tempore varie exercebant: ita cupiditas eadem erat Regi ob inclytam de Cardinale famam, quem virum, aequiparari Coelestibus audiebat. Erat Cardinalis forte apud Varisium municipium, cum de Regis adventu nuntium accepit. Inde Modoetiam usque progressus, misso ad Regem in hospitium Francisco Porro, viro nobili & familiari suo, dici jubet, se ad salutandam alloquendamque Majestatem in id oppidum venisse, & quacumque hora placitum Majestati eidem fuerit, accessurum. Interrogavit Rex: quidnam eo ipso tempore Cardinalis acturus esset: cumque responderetur, stare intentum ad nutus & mandata Majestatis, ac si nihil aliud imperasset, rem divinam ea hora quotidiano suo more facturum: admiratus Rex, velle se interesse, dixit, idque Cardinali renuntiatum. Qui nihil deinde cunctatus, apparari sacrificium jubet: atque ad Regem illico accedens, multa comitate excipitur: & post varios utrimque sermones, cum sacrificii jam instaret hora, ad templum ejus oppidi maximum, pari vadentes gradu familiarissimeque colloquentes processere. Aderant enim qui singula haec adnotarent, nosque rem ita narramus, prout ab illis ordine relata est.

Ad templi valvas, cum in duas partes longo ordine diducti starent plerique nobiles Ecclesiastici, capita fere Cleri Mediolanensis, sciscitabatur Rex ab Cardinale nomina, & genus, dignitatesque singulorum, & vicissim ei sui comitatus primores ultro monstrarat. Nullam denique praetermissam ab Rege esse ferunt, aut honoris, aut benevolentiae significationem, cum interea Cardinalis ordinis & personae suae decorum exquisitissime conservaret, praelata ei semper cruce, atque inter ipsum Regalis pompae ordinem eminente sic Pontificatu. Nam fuit hic semper Carolo mos, ut, cum se ipsum & humani fulgoris insignia unice contemneret,

unice tamen etiam Ecclesiastici regni fastigium apicemque tueretur. Qua sua cura & consuetudine, ad primos de Regis per provinciam transitu rumores scripserat Romam, exquirens ibi momenta omnia Regis excipiendi, ne quid praeter dignitatem inter hospitalia obsequia admitteret.

Cumque Regis adventus Romana responsa praevertisset, accurate de ea re consultavit inter suos, atque inter caetera decrevere, ut primo congressu non cunctaretur operire caput, si Regius de ea re nutus fortasse lentior foret. Sed inania quidem haec cito transierunt, abeunteque Gallo liberatus ea molestia Cardinalis, negotia graviora laboresque pristinos, & gratiores sibi curas repetiit, simul ad animum suum perfectiore disciplina excolendum, simul ad Ecclesiam cultu ampliore condecorandam. Quarta Dioecesana Synodus eo anno habita est, quae veluti cumulus eadem atque experimentum Conciliorum aliorum fuit. Nam, & partium singularum recognita forma est, an ad promulgata jam decreta congrueret, & novis decretis summa rerum omnium firmata atque constituta. Ut sua festis diebus religio conservaretur, utque sancte & pure colerentur templa, in primis edicta promulgavit, viginti duobus capitibus amplexus quotidianas hominum culpas, queis aedium sacrarum majestas & religio violaretur: eorumque capitum praecipua duo haec fuere: Comptas ambitiose feminas muliebris mundi lasciviam inferre templis, eoque adspectu profanari sacra. Laicos intra Chori interioris septa promiscue & indecore versari: ideoque, nec illas, nisi honeste velatas admitti, & hos excludi oportere. Quae duo posui, ut reliqua hinc diligentia conjiceretur. Eodem tempore, Canonicos Monatenses, a Branchino Besutio olim in eo pago institutos, quia loco ignobili & obscuro divinos cultus haud perinde frequentabant, transtulit in urbem, atque id collegium in D. Thomae aede collocavit, additis aliis a Brebbia & Abbiateguazono Canonicis, quae item obscura collegia in obscuris sedibus, oneri potius, quam adjumento paganis erant. Nunc unum nobile collegium ex triplici deserto & infrequenti Canonicorum coetu conficiebatur, quod ad caetera urbis decora additum Ecclesiasticae majestati salutique civium inserviret. Ex reditibus, qui superfuere, Canonicorum aliud collegium Besutii fundavit, qui locus municipii instar, & publicorum operum magnificentia ac religione, & privata illustrium familiarum opulentia poscere videbatur id sibi decus ex vicinorum, quos nominavi, pagorum ruinis. Opulentum in eodem municipio Sacerdotium Seminario Mediolanensi assignavit, gratissimo erga Clerum universum munere, ob pecunias, quae viritim antea conferebantur, & assignatione ea Sacerdotii, tributo finis fiebat.

His editis operibus, subeunte jam anno saeculari, Cardinalis Romam proficiscitur coelestium munerum causa, quae in genus humanum, anni ejus felicitate, & Romani Pontificis indulgentia large dispensantur. Itineris ejus ordinem & casus, tamquam Apostolicae peregrinationis exemplar, scriptores rerum pariter & testes prodidere fere in hunc modum. Ineunte Decembri cum se itineri commisisset, statuerat inter proficiscendum loca omnia adire, quae ob inclytam religionem, & nota illic vestigia Sanctorum, visuntur: eratque jam perfrigida tempestas turbato insuper coelo imbribus ac ventis. Ferunt, qui participes consiliorum ejus in studio perfectionis fuere, ipsum quaesivisse ultro atque exspectasse peregrinationi suae incommodam eam tempestatem, quo plus laboris molestiaeque adiret. Quia turbidum id violentumque videretur, credere malim aliis, qui exacto disponendis Ecclesiae rebus autumno in tempus incidisse illud tradidere, dum ad solennia anni ineuntis occurrere maturat, ut aperiendae portae caeremoniam una cum Pontifice Maximo caeterisque Patribus obire posset. Ita, & incommoda tempestate, & temporis angustiis, & difficultate viarum in ea suscepta peregrinatione deprehensus, quacumque incessit, admiratione tantae patientiae commovebat omnes, & multorum excussisse torporem delitiasque fertur, quos luxus sui pudor intrabat, cum adeo nobile peregrinantis Cardinalis exemplum viderent. Antelucanis horis rem divinam quotidie faciebat, impetrata in id facultate a Pontifice Max. ut tota dierum spatia daret itineri, quod divertendo subinde ad pia loca, extendebat. Adiit namque Camaldulensem Eremum, atque solitudinis ejus dulcedine recreatus, recreavit invicem coelestibus alloquiis Patres, queis ingens totius vitae pretium fuit apud sua tuguria Cardinalem adspexisse. Vallis Umbrosae & Montis Oliveti Secretum invisit, & calcavit Alverniae vestigia saepe nocturnus & vagus inter tenebras errore viarum, & per lubrica vel confragosa praeceps haud sine periculo.

Tanta aviditas erat vorandi sacrum iter, seque & tempus anteire ipsum adeo conabatur. Atque per Apennini vertices aliquando cum noctu iter faceret, accidit, ut recto tramite aberrans ipse comitesque ejus, montis anfractu vagarentur diu, ac profundam denique vallem inirent, donec modico lumine conspecto ad informe tectum devenere lapsu equorum afflicti, & quietis cibique indigentes, cum jejunum eum forte diem egissent. Neque ego tam minuta haec proderem, nisi quotidie narrarentur ab eis, qui noctis & itineris ejus labore conflictati nostram ad aetatem duravere. Memorantque iidem, legumina, & poma, & herbas interim alimenta fuisse Pontifici. At Romae demum in itineris ipsius termino plura etiam & majora documenta edidit animi spernentis cuncta, quae sensum oblectare possent, & rursus unicum inter coelestia solatium quaerentis. Namque urbem ingressus, statim ab Summi Pontificis colloquio domicilium sibi intra Chartusiana claustra elegit, delectatus solitudine Patrum, & velut eamdem silentii legem atque disciplinam adversus officiorum inania salutationesque professus. Excoluit ibi primo per aliquot dies piis exercitationibus animum, quo majore fructu Jubilaeum acciperet. Prodibat inde quotidie ad templa nudis ferme pedibus perpetuoque inter pia meditamenta silentio, vel rursus soluta in preces voce, quas recitabat alternatim una cum suis. Namque hi sequebantur: & illa nihil admirans civitas fruebatur spectaculo tamen, quale numquam antea Populo Romano oblatum fuisse dicerent, quale etiam olim futuris hominibus posse miraculo esse, praedicabant. Ferunt Cardinalem inter quotidianos illos ad templa egressus, si quem forte Principum obvium in itinere haberet, dissimulato ferme adspectu, capite tantum aperto transmittere solitum fuisse, quasi ignotos: adnotatumque est, cum in Annam sororem, maritumque ejus Fabricium Columnam incidisset, pari dissimulatione & severitate usum, transisse nullo sermone consociato. Quae, quam levia, retuli tamen, ut altitudo animi ejus, & alienatio in res humanas intelligeretur.

Peractis ita omnibus, quae ad Jubilaeum pertinebant, & impetratis a Pontifice, quae ad reliqua Mediolanensis Ecclesiae negotia componenda destinabat, Mediolanum revertitur. Ac Bononiae cum nuntium accepisset de Caesaris Gonzagae desperata salute, Guastallam propere contendit, ut morienti Principi adesset, sororemque Camillam, quae cum eo nupta erat, salutaribus consiliis praevisa viduitate confirmaret. Jam alienata mente Princeps agebat animam, occupaveratque prudentiae morbus eum antequam rite confiteri peccata potuisset. Id Cardinali acerbissimum fuit, ac Deum pro ipsius salute institit vehementissime precari. Narrant qui adfuere una, Principisque deliria simul & Cardinalis in ea domestica calamitate sollicitudinem spectavere, ita repente mentem esse restitutam, ut nemo tranquille magis ac sancte decedere potuerit, remque haud dubie tantam miraculis adnumeravere. Aggreditur postea Cardinalis longe maximum pulcherrimumque opus, ut Provinciam universam Episcoposque subjectos adiret visendi & cognoscendi causa, an ad provincialium Conciliorum decreta res ibi Ecclesiastica administraretur, vitaque ipsorum & disciplina conveniret ad eam formam. Egerat enim de actione curaque ista suscipienda cum Pon-

Pontifice Maximo, & ab eo petierat, ut Ecclesiae vicissim Mediolanensi inspiciendae ac recognoscendae proprius Apostolica auctoritate Visitator daretur. Is jam a Pontifice nominatus electusque erat Episcopus Salaminae, quem vulgo Famagustam nuncupabant, exspectabaturque Mediolani, crebris epistolis efflagitante Cardinale, ut adesse maturaret.

Ineunte Majo venit Mediolanum Apostolicus is Visitator, acceptusque tam ample & honorifice est, quanta Cardinalis ipsius erga Romanum Pontificem reverentia erat. Cum eo diligentissime collocutus de statu Urbis & Ecclesiae, communicatisque consiliis, habita etiam supplicatione cum eis precibus, ut bene feliciterque eveniret id quod Divini cultus & Christianae religionis causa inchoaretur, exiit ipse quidem in Provinciae urbes, Famagustam vero in urbe cum universa Metropolitana potestate reliquit. Initium a Cremona urbe factum, cujus urbis Episcopus tunc forte aberat, eoque opportunior Archiepiscopi adventus fuit: & Ecclesia illa, trium mensium spatio in tantam disciplinam ordinemque adducta est, ut Metropolitanae gravitati simillima conspiceretur. Nulla decreta, nullas novae disciplinae leges Clerus Populusve ille detrectavit, cum ingenia alioqui jam inde antiquitus nequaquam obnoxia, minimeque ad caeteram Provinciae lenitatem mansueta alere vetus ea colonia Romanorum credatur. Quo promtius acciperent injungique sibi paterentur cuncta, faciebat insidens antea animis, & aucta nuper admiratio viri exercentis id Pontificale munus arcto comitatu, & multa in pios usus erogatione pecuniarum, nullis mensae delitiis, caeteraque severitate & rigore quotidiano. Processerat namque in eam urbem cum sex tantummodo caeremoniarum & officii ministris, qui, cum Cleri Cremonensis sumtibus alendi essent, herili sobrietate & modestia utentes praebuerant insuper exempla disciplinae, quam serere ibi ac firmare Cardinalis volebat. Et quo plus auctoritatis adesset, nova res etiam miraculi instar, magnos in ea urbe motus animorum fecit, ad omnia, quae decernerentur, accipienda tamquam e coelo. Namque Barptolemaeus Sclavus ex Cremonensi nobilitate notus etiam antea, sed notior post acceptam a Cardinale vitam, cum pestiferae febris aestu conflictaretur, ut ille adstitit lectulo, tabidumque caput praesentia sua afflavit, incolumis repente atque integer, civitatem universam admiratione tantae rei erexit.

Composita & ordinata Mediolanensi Ecclesia, Bergomensem inde adire parat, cujus Urbis Episcopus Federicus Cornarus hoc tempore erat inclytus vir, imitatione Cardinalis ipsius, quem, & privatae vitae studiis atque institutis, & publica Cleri sui disciplina effingere conabatur. Eo facilior etiam ibi perfunctio Apostolici muneris fuit, accedente insuper nativa quadam & propria Populi illius pietate, tum erga res omnes divinas, tum erga Cardinalis nomen, quod semper Bergomates unice coluere. Sed, cum corpora Sanctorum Martyrum Firmi & Rustici e suburbano templo, ubi parum decore habebantur, transferre in Urbem, honestiusque collocare statuisset Cardinalis, pietas ea Bergomensium in vecordiam prolapsa est, tumultumque concivere sacrilegum, nisi simplicitate excusarentur. Namque speculati diem, quo die movendae inde atque solenni pompa transferendae in urbem Reliquiae erant, armati insedere templum, vim caedemque minitantes, si qui sacra pignora movere ab sede sua tentarent. Quod ubi Cardinali nuntiatum est, hominibus dici illis jubet, nec recte eos, nec ordine fecisse, quod arma tumultumque templo intulerint adversus Apostolici Visitatoris auctoritatem. Ac se quidem paratum esse veniam dare errori improvido, hominemque esse unum, qui, & violari, & ignoscere possit. Majestati tamen Apostolicae, quae simul violata fuerit, aliqua noxiorum poena satisfieri oportere. Simul pronuntiat, notatos jam esse Ecclesiae interdictis, quae admissam culpam illico sequantur. Illi enim vero, ut simplicitate impetuque lapsos esse appareret, ad ea Cardinalis dicta, paventes, & trepidi cessere templo, veniaque suppliciter petita ad ejusdem sacrae aedis valvas, absoluti sunt, & cum in sedem destinatam Reliquiae deportarentur, ad celebrandam eam pompam una cum reliquo civium agmine adfuere.

Caeterum, Cardinali, dum Provinciales Ecclesias hoc ordine adit inspicitque, minime decesserat cura, quae assidue illi in pectore vivebat, ut omnia quae ad Mediolanensis Populi salutem pertinerent, quam diligentissime per se administrarentur. Atque ob id reputans, circumacto Romani Jubilaei tempore, adesse annum, in quem id Populo suo coeleste munus a Pontifice impetrarat, dilata urbium & Ecclesiarum inspectione, quae adeundae supererant, huc in praesentia mentem animumque convertit, ut tot hominum millia, tantaeque urbis Populum quasi familiam unam ad id salutare munus recte praepararet. Ea sollicitudine, simulque quarti Provincialis concilii, quod parabat, disponendo ordine decretisque scribendis, in tantas angustias adductus est, ut binas nocturnas horas necessariae quieti in tota viginti quatuor horarum conversione, quae diem noctemque includit, daret: reliquum omne spatium & consultando & scribendo consumeretur. Quartum id Provinciale Concilium magno totius Provinciae fructu habitum est: vereque dici potest, omnem Ecclesiasticam disciplinam prioribus Conciliis inchoatam, hoc denique absolutam atque consummatam fuisse. Et Visitator Apostolicus Famagusta aderat simul, Pontificiamque rebus auctoritatem inserebat. Fuit eo tempore Mediolani Joannes Angelus Cerrus, medendi arte nactus opes famamque, sed clarior ob pietatem, & ea commendatione Cardinali ipsi carus atque familiaris inter paucos. Is cernens Cardinalis assiduos immodicosque labores, vigilias, inediam, quaeve alia medicus haud ignobilis humani corporis notitia statueret esse dissolvendae quam primum vitae, non dubitavit adire congregatos Concilii causa Patres, scriptumque hujusmodi obtulit: Adhibitum se frequenter ad curandas Cardinalis Archiepiscopique valetudines, & occasione artis, & familiari citra artem consuetudine cognovisse, statuisse, ac decrevisse, non mansuram illi diu vitam, spiritumve duraturum, si quo instituisset rigore perseveraret. Cubare namque nuda in tabula: tempora somni brevius sibi definire quam ut naturali desiderio satisfacere modica illa quies possit. Nec cibi sumere satis, & id ipsum quod sumat, aridum atque insalubre, & inutilis fere succi, lupinos, herbas, aliaque noxia alimenta Pontifici esse. Nihil interea remittere ipsum, de assidua contentione animi, qua corpus attenuatum urgeatur. Ea se reticere non debuisse: de caetero Patribus esse videndum, an debeant ipsi Cardinalem admonere, ne plus oneris sumendo quam ferre possit, nimiumque afflictando corporis vires, Reipublicae noceat.

Valde res ea Patres commoverat: & praeterquam quod sciebant animadverterantque ipsi Cardinalem durius tolerare vitam, quam tutum valetudini esset, accedente etiam auctoritate medici, consensu hortari coepere eum, ne nimia in corpus suum asperitate subtrahere Ecclesiae toti vellet praesidium & decus quod divino munere nacta esset. Cardinalis, nihil detrimenti fore dictitans quandocumque ipse decessisset, exposita quotidiani sui victus ratione, paucis demonstravit, nihil inesse asperi ac violenti: caeterum tamen ipsorum auctoritati daturum, ut mollius cubaret, atque ad caetera etiam in potestate medici futurum. Addidit deinde pulvini & culcitrae instar refertos stramento saccos: neque Patres ultra tetendere. Qui, Concilio habito, cum abirent domos, etiam Famagusta Visitator omni lustrata Dioecesi abiturus, ad Populum Mediolanensem ita concionatus est, ut diceret, abire se commotum ultro atque emendatum optimis exemplis Cleri, quem inspicere jussus fuisset. Nihil se in tota Mediolanensi Ecclesia invenisse quod posset constitui melius aut sanctius, quodve Censore indiguisset, semperque tum ad regendos populos, tum ad suam ipsius vitam recte instituendam hinc exempla petiturum. Aderat Cardinalis ipse cum a Visitatore talia dicerentur, ferturque multa cum modestia pronuntiavisse Apostolicum illud: TOTA NO-

 CTE

CTE LABORAVIMUS ET NIHIL CEPIMUS. Hoc tempore Patres Olivetani D. Victoris aedem, quae Basilica Portiana antiquitus dicta fuit, in eam amplitudinem extulerant, qua stat hodie visiturque id templum. Cumque jam absoluto opere, transferri Sanctorum reliquias ex vetere aedicula in eam Basilicam oporteret, voluit Cardinalis id quam apparatissime fieri, pompamque duxit ea religione & cura, qua coelestia semper haec pignora prosequi solitus fuit. Ejus pompae celebrandae causa, cum locum, in quo sita erant ossa, inspiceret, reperit etiam D. Satyri corpus summa jucunditate animi ob inclytam Sancti Pontificis Ambrosii memoriam, cujus ille frater magna semper apud populum Mediolanensem memoria celebratus fuerat, tantoque effusius stato die adfuere omnes, ipseque Carolus nocte, quae diem eum sequebatur, ad sacra ossa excubias egit.

Intervenit deinde his Caroli studiis atque operibus aliquanto etiam antea suspectum, nunc erumpens aperte malum, pestilentia, quae, cum Martio ineunte circa Verbani lacus pagos detecta esset, nunc exeunte Quinctili saevire in urbe coepit, & aliquamdiu tamen ad consuetos alios naturae morbos crebra funera referebantur. Mox apparuit, publicam esse tabem, infectumque aera, & exitium adesse Urbi: qui terrores, ut primo invaserint civium animos, deinde ut res ipsa consecuta sit, memorabo. Intenta forte nobilitas erat apparandis spectaculis atque certaminibus, queis viri Principis adventu, qui propediem exspectabatur, & ipsi, & magno comitatui ejus ostentare volebant delitias Urbis & opes, & armorum equorumque studium, militaresque decursus, & alia, quae belli tempore laudata & praeclara, longum jam sub Rege Philippo otium & firmata pax Insubriae terris in luxum atque in vana oblectamenta vertebat. Is ludorum equestrium apparatus res erat molesta & odiosa Cardinali, tantoque magis offendebatur, talia hoc tempore studia suorum videns, quia exactis Jubilaei mensibus, cito nimium ad inania rediisse civitatem videbat, atque statim exolescere coelestis doni fructum pastorali animo angebatur, jamque Princeps ille aderat. Ecce autem tibi, cum stadium equestre maxime ferveret, profanoque per nobilium tecta saltatu, epulisque, peregrini cum nostris homines oblectantur, tristis repente rumor totam urbem & compita omnia strenue pervadit: pestilentiam Mediolani esse, nominabanturque funestae domus, unde mali ejus initium prodiisset. Ad D. Mariae Scalensis, & Cumana regione, in vico, qui Olitorum dicitur, vescentes hilare quidam, operive diurno intenti conciderant exanimes, & rursus alii qui hos attigerant, concidisse narrabantur. Omittuntur ludi illico solvunturque convivia, & peregrinus una cum Hispano Gubernatore, Princeps exitii praesentis horrore perfusus, Genuam propero cursu contendit, procul hinc tamquam ab dira & infesta urbe fugiens, cujus antea delitias, & multiplicem luxuriae superbiaeque apparatum admiratus esse ferebatur.

Cardinalis, per eos forte dies ad Laudem usque Pompejam subito excurrerat, ob Antonii Scarampae urbis illius Episcopi morbum, ex quo non convaluit. Atque accepto in itinere nuntio de ejus morte, cum perrexisset ire tamen, ac mutata de more veste funus ei duxisset, rediens inde obvium habuit hominem, quem Decuriones urbis citato cursu jusserant ire, ut calamitas publica Pontifici Pastorique suo statim nota esset. Decesserant namque animis certamina jurisdictionis atque potestatis, & spem unicam omnes in divino homine habebant. Attonitam novo malo urbem ingrediens, fertur illacrymasse, cum plenum iter vidisset carpentis & equis, & agmine fugientium in vicina vel longinqua rura priusquam edicto retinerentur. A porta urbis, recta ad templum maximum pervehitur, atque adorato breviter Numine, conscensa rursus mula, ita ut erat viatorio habitu pergit ad aedes, unde prima prodiisse mali initia dicebantur. Nobilis feminae tectum erat ex Rabbiarum gente, quam Mediolani etiam antea notam, memoria casus ejus illustravit. Illato illuc pede Carolus reperit, elata domina filiisque & servis, superstites adhuc affectos tabe nonnullos, qui quoniam humana omni ope destituti jacuerant, venerant eo piae virgines ex D. Ursulae instituto, aegrisque ministrabant. Hae, ne contagionem ad gregales alias in claustra perferrent, collocatae Cardinalis jussu separatim, ipsaeque diremtae invicem. Palatium deinde suum intrat exquirens anxie inter fidissimos familiares caeterosque ministros, quaenam Pastoralia subsidia in tali tempore posset afferre populo, si malum serperet latius, atque per totam urbem suo more diffunderetur, qualia exempla Mediolanensium annales, & hominum memoria nondum exoleta custodiret. Statim enim ad primos ejus rei terrores, vetera simul & recentia pestilentiae exempla crebris hominum sermonibus memorabantur. Consultantem atque exquirentem ista Cardinalem adiere Principes urbis Regiique Ministri, & obsecravere, ut tanto ingruente malo, Patriae tutelam apud Deum susciperet: simul, ut perculsos se atque attonitos consilio aliquo juvaret, petebant. Hos quidem benigne allocutus atque consolatus jussit haud aliam exposcere quam opem divinam, & non diu in colloquio retentos dimisit. Ipse vero rursus ad consultandum trepide pro salute populi aversus, statuit, ut per triduum continuum totius populi Clerique supplicationes haberentur, eaeque statim indictae sunt. Convenere Magistratus Principesque urbis cum promiscua plebe, pari moestitia confusoque vultu omnes, quotquot primi terroris amentia in urbe reliquos fecerat. Nam pars magna, ut memoravi, dissipato statim rumore aufugerant: tamquam in avia rura secessusque amoenos pervadere tela irae coelestis non possent.

Ad moestam eam attonitamque praesenti malo & reliquorum fuga multitudinem, primo supplicationum die concionatus est Cardinalis, id ipsum ad increpandas vanas mortalium mentes arripiens, quod vindex Numen instantesque poenas mutatione locorum declinari posse arbitrarentur. Flexit inde ad luxum delitiasque urbis, spectaculorum inania, quaeve alia nuper finito Jubilaeo in vecordiam turpeque otium resoluti pro virtutibus ostentare voluissent. Simul increpita Regiorum hominum adversus Ecclesiae jura & ritus licentia, hoc illud esse dixit, quod Sacerdotes munerum suorum perfunctione alicubi prohiberentur, quodque piorum hominum sodalitia pene sublata atque deleta essent. Namque cum absque periculo congregari sodales ad consueta pietatis officia non possent, intermissas esse preces & placamenta alia quotidiana irae coelestis, ac demum vibrasse tela Numen, & imminere excidium urbi, nisi vetere Ninivitarum exemplo poenitentiam atque tot culparum piacula instaurantes, misericordiam divinam exposcerent. Per haec & alia, commotis omnium animis, habitae supplicationes, quae irritae fuerunt, alta Numinis destinatione purgandi Urbem, ut exhausta funeribus multitudine, perculsis qui superstites manebant, proles innocentior succederet. An vero, neque scelera civium, neque tantae irae coelestes fuere, sed fors naturae aliqua, casusve tabem eam invexit, non prohibente Deo rerum cursum, sive quia ita expediebat, sive quia nulla publica merita erant?

Certe, malum quotidie manare latius coepit, & veluti trajicientes per continua tecta flammae, proxima quaeque, deinde etiam ultima amplectuntur, totamque vicinitatem incendio involvunt: sic, a levibus initiis orta pestilentia pervasit urbem, nobilium pauperumque tecta minime discernens: atque ad Gregoriana septa brevi tempore itum. Quadratum id esse aedificium, in superioribus libris demonstravi, quod Franciscus Sfortia posuit cum in ejus Principatu similis clades urbem popularetur. Quaterni cubilium ordines diebus totius anni par numerus prata ampla includunt. Perennis aquae rivus ab exteriore parte fossae circuitum implet. Media campi regione, stat aedicula aperta sacris faciendis, patente ex singulis cubilibus prospectu. Id pestilentiae domicilium sub ipsa Urbis moenia, vulgo Lazaretum dicunt. Deduci ac deportari in ea cubilia Cardinalis jubebat, ut quemque peste contactum, aut proximorum mortes,

aut

aut exortus in ipsius corpore tumor ostendisset: aptaque & parata ibi quotidianae vitae ministeria fuere tanta Cardinalis cura, ut sui quisque tecti in ea publica domo pene oblivisceretur.

Verum, quae loci ejus disciplina, quive apparatus fuerint, postea demonstrabimus, tanta obvia salutarium institutorum descriptione, tantaque casuum etiam illic varietate, quantam, vel in bene morato populo, vel in magna urbe contemplari aliquis possit. Nunc, ut se, & animum suum, resque suas in tanto publico periculo praeparaverit, memorare haud alienum puto.

Decretum in primis ei fixumque erat, immiscere se pastorali cura, quacumque pestis grassaretur, absque ulla sollicitudine, quae deterrere a vitae periculis humanum animum posset. Id quamvis alte sedisset animo, destinatumque esset, adhibitis tamen gravissimis totius Cleri viris, consultavit rursus inter eos, atque exquisivit, an pestilentiae tempore deberet Episcopus, dum pastorali suo munere defungatur, adire vitae discrimen. Varie in concilio de ea re disputatum, demumque omnes in hanc sententiam ibant: Minime licitum esse Episcopo, ubi certum ac praesens vitae periculum ostendatur, eo se committere, tamquam labores & pericula omnia defugere volentem uno ictu, atque discedentem ultro e vitae statione antequam evocetur. Cum ea sententia dicta esset, rursus ajebat Cardinalis: quin potius, inspiciendo veterum Pontificum acta sese, considerandoque res gestas eorum, & mortes, plena omnia videre virtutis constantiaeque hujus, qua divini homines, contemta mortalitate, discrimen adierint, quoties saluti populorum inserviendum fuerit. Tunc graves homines dicere coeperunt, exstare quidem vetera exempla tam severae virtutis: sed abiisse tempora illa, neque nisi de Sanctis talia memorari. Et Cardinalis rursus: atqui decet, inquit, Episcopum hominem talium exemplorum imitatio, parque fuerit experiri, num itineribus ire iisdem possimus, quae calcantes itinera veteres illi Coelum tenuere. Haec ubi dixisset, dimisso Concilio, tabulas testamenti obsignat, pecuniasque distribuit in suos, tamquam moriturus, ac pretio diuturnae servitutis fidissimis quibusque persoluto, Xenodochio Majori legat, quidquid in mortis tempora de patrimonio reque sua familiari superesset. Liber inde atque expeditus ab omni mortali cura coepit intrepide adire Lazaretum, quae veluti funerum domus habebatur, & nomen ipsum horrori erat ob exoneratam illuc quotidie pestem & stratum cadaveribus undique campum, egestatemque & sordes infelicium, pestilentia ipsa pene foediores. Namque primis diebus, cum nondum ea cura suscepta Cardinali esset, nulla inter subitos tumultus alia ferme cura Magistratibus fuerat, quam ut tabida illuc corpora deportarentur. Ibi deinde egentissimus quisque, si vis morbi lentius in eum fortasse ageret, fame, illuvie, desperatione absumebatur. Et vespillones teterrimum genus adhuc spirantia cadavera trahebant, peccabantque etiam in vivos, contemtu vitae securi inter attonitam sexus utriusque multitudinem, & stolida felicitate vitantes exitium hoc ipso, quod de morte non cogitabant. Et flagitiorum promta materies, quia obversante perpetua mortis imagine, ad id tantummodo quod aderat praesensque erat, feminarum imbecilles animi movebantur.

Carolus, postquam res animumque suum ita, quemadmodum demonstravi, praeparaverat, ad ea pestilentiae receptacula invisenda progressus, confuso animo rediit domum, atque quid deinde egerit, referam eorum verbis, qui, & comitati Cardinalem in ea inspectione erant, & seriem rei totam, prout adnotaverant ipsi, nobis exposuere. Narrant, cum statim ubi inspecta hac Lazareti sede, domum redierit, omne fere domesticum instrumentum, stragulamque vestem jussisse venumdari, ut pecunia inde conficeretur ad sublevandas tantas pauperum necessitates, quantae in eo infelicium domicilio oculis obversatae erant. Omnes culcitras, lectulos, lodicesque omnes, & lintea cuncta illuc misit, vix ut ad necessarium cubile familiaribus ista deinde suppeterent. Argenti si quid in vasis erat, cudendum signandumque tradidit: & quia, quantum pestilentia cresceret, publica tantum crescente egestate, nihil hisce rebus effectum esse videbatur, corrogare undique coepit reliqua sustentandae multitudini, ac missis per urbem agrosque suo nomine conquisitoribus, cuncta large supportabantur, queis vita alitur. Incesserat namque verecundia animos, detrectandi exemplum illustre, quod ab eodem efflagitatore Pontifice datum fuisset. Provisis utcumque corporum ac vitae alimentis, sollicitudo erat haud minor ob quotidiana ministeria, defugientibus ab tam manifesto exitio cunctis, quia contactu halituque vulgari tabem crebri casus indicabant. Ideo Parochi etiam, & e Sacris Ordinibus devota Christo capita, cunctanter primo adibant, deinde recusare ac tergiversari aperte coeperunt, sive ad confessiones morientium excipiendas, sive salutarium aliorum Ecclesiae mysteriorum causa excirentur. Ipsum profecto Cardinalem, quia promiscue sese pesti immisceret, atque lacessere ultro videretur mortem, deserere familiares, & proximi quique conjurarant. In qua ille, tum publica, tum privata solitudine deprehensus, consilium id cepit, ut ex Helvetiorum pagis, praesenti mercede, atque in posterum promissis idoneos ministros adversus destitutionem utramque exciret. Acceperat namque & sciebat, homines esse illos natura sua ingeniove coeli duratos adversus pestilentiae metum, remque nostris tantopere abominatam, haud secus illic, quam scabiem febrimve haberi.

Ita publico incommodo obviam itum, ne, vel ad corpora curanda, vel ad animos rite expiandos deesset idonea Sacerdotum & servorum manus. Simul domestica conjuratio dissipata est, divino nutu, constantia Cardinalis, & subita voluntatum inclinatione, qua professi sunt, quocumque ille iret, esse secuturos, nec facturos ante finem obsequii fidelis, quam spiritus ipsos & vita destituisset. Etiam e claustris homines, cum antea, vel instituti sui disciplinam, vel impedimenta alia excusando, ministerium omne subterfugissent, appellati rursus, munera ultro deposcebant quae obeuntes una cum Pontifice, si res ita ferret, exstinguerentur. Cum servorum atque ministrorum jam affatim esset, ex omni numero novem elegit, qui sibi perpetuo adessent promti & expediti ad subita quamvis & in tali tempore formidolosa. Et hos, & se ipsum voluit pestilentiae nomine suspectos esse vitarique ab integris, praeferrique sibi virgam, quae cunctis indicio ac documento esset, ut si peste carerent, procul refugerent a contagione, quam ipse circumferret. Ac pestilentem & infectum sese tabe locis temporibusque omnibus profitendo, aulam, in qua alloquiis publice vacare solitus esset, septo dividendam curavit, citra quod stantes qui ipsum alloqui vellent, alta voce effarentur. Sed tantum abfuit, ut congressu halituque Cardinalis pestilentia vulgaretur in alienos, ut potius adnotatum fuerit, neque ipsi, neque intimorum ministrorum alicui, toto illo pestis tempore condoluisse umquam caput.

Haec ille quidem providebat: pestis vero quotidie magis in civium corpora grassabatur nihil inhibita tot remediis pastoralique Cardinalis in publicum provisu. Evehebantur imposita carris cadavera singulis noctibus in destinatum sepulturae campum, & spirantes adhuc misceri trahique nonnullos, tristissimo unius casu indicatum est: qui transeunte forte juxta mortuorum cumulos Sacerdote, pyxidemque sacram ob altaris mysteria circumferente, assurgens repente ex acervis sibi quoque Sacramentum poposcit, & accepit nihil ultra effatus. Hoc tempore Parochi urbis, cum strenue aliquamdiu antea in curanda animorum salute versati essent, deterriti rursus quotidiana morientium strage, multisque inter ipsorum manus repente exanimatis, velut fulmine afflati funestum detrectare munus coeperunt. Latitavere nonnulli: quidam etiam abiere clam ex urbe: & erant qui tam manifesto exitio cogi se posse palam negarent. Id Cardinali molestissimum erat, coeperatque etiam ipse ambigere, an cogendi jus haberet. Adeo constabat, inevitabile esse malum eis, qui vitiata corpora contrectarent:

ctarent: neque ad manifestam mortem compelli posse videbantur. In ea dubitatione statuit Cardinalis consulere Pontificem Maximum: Carniliamque ex Romana aula probatum sibi hominem, de statu rerum, & de recusatione Parochorum animique sui sollicitudine per litteras edoctum, jussit exponere cuncta ea Pontifici, ut responsa ejus in hoc negotio vice legis observaret. Eidem praeterea Carniliae mandabat, ut suo nomine a Pontifice exposceret salutaris Indulgentiae munera veniamque culparum eis, quibus inter pia pro aliorum salute ministeria diem obire contigisset. Itemque alia multa petere jussus, quae in tali tempore Apostolicae dispensationis forent: tum ut legatas in alios usus pecunias, pauperibus in ea calamitate sustentandis insumere licitum esset, tum ut culparum & casuum absolutio, quae Pontifici Max. reservata esset, tantisper dum Mediolani saeviret pestilentia, remitteretur. Caetera quidem large concessa Cardinali, quae petierat: de Parochorum vero recusatione, quia deliberandi spatium sumserat sibi Pontifex, dum consulitur inter peritos, senex jam confectusque laboribus Carnilia moritur.

Ferunt, Pontificis ejus animum valde esse commotum, atque etiam illacrymasse, non solum tantae Mediolanensium cladi, sed publico praesertim periculo, si unicum ea tempestate Catholicae Ecclesiae decus pestilentia absumsisset, quam ei sollicitudinem fecerant audita exempla quotidianae vitae Cardinalis: ut pericula ultro adiret, utque sese morientibus immiscendo lacesseret pestem. Ea commotus sollicitudine Pontifex, ad Cardinalem scripsit litteras, queis cum Apostolica sua & suprema auctoritate hortabatur ac monebat, ut consideraret, in ipsius niti ac stare capite universi Populi Mediolanensis salutem: si ultro discrimen ille adiisset, simul subjectos ultro esse deserturum. Non tamen de sua pristina consuetudine, & instituto quidquam mutavit. Et quo magis crescebat diffundebaturque malum, eo majore suae vitae contemtu, morientibus aderat, & quantum corpore fieri poterat uno, obibat munera, a quibus Parochi refugiebant. Id Parochis quoque incitamentum fuit, ad pericula expetenda, quae antea vitarant, atque promtam rursus in cuncta operam obtulere.

Sed malum eodem tempore aliud, calamitasque Populi alia pestilentiam aggravabat, quod nempe nobiles, ac ditiores pauci, qui adhuc in urbe erant, abibant universi, plebemque foeda involutam egestate deserebant. Hos retinere conatus Carolus, aliis quidem persuasit, ut manerent, apud alios vero suasor inanis fuit. Eis, qui remanserant, in singulas urbis regiones, qua cuique commodum erat, ordine descriptis, negotium dedit, ut regionis unusquisque suae pauperes domos inviseret, cognitisque necessitatibus in commune consultarent, ac remedia communi item ope pararentur. Coepere nobiles viri circumire domos, itemque inspecta quotidie singulorum miseria consultabant, & res hactenus tranquille commodeque procedebat, quamdiu nihil aliud quam visendi deliberandique cura vexabat animos. Ubi pecuniae insuper conferendae erant: excusare quisque suas privatim angustias, & discordia inter ipsos orta, ad Regios Magistratus itum est, ut per eos plebi consuleretur. Regii, potius ad Decuriones urbis curam pertinere hanc censebant, & a Decurionibus in illos onus omne rejiciebatur.

Haec sane molesta Cardinali erant: sed longe molestius illud, quod, neque ex Ecclesiae reditibus, neque ex re paterna & avita, neque ex domestico instrumento, adversus haec incommoda quidquam jam ultra suppetebat, exhausto vel divendito, vel oppignerato quidquid aliquo modo distrahi, sive alienari posset. Itaque revolutus ad inopiae dispensationem, cum attente cuncta animo oculisque collustraret, quae pauperibus usui esse possent, forte commeminit, priore venditione reservata fuisse syrmata quaedam, & aulaea, peristromataque & tapetes, & varii coloris amictus ad Pontificales caeremonias, hospitiive honestatem. Inde reputans posse confici vestimenta pauperibus, qui per domos, aut per Gregoriana tuguria, subeunte hieme passim rigebant, nihil sane cunctatus, proferri cuncta ea jubet: sutoribusque accitis, concisa raptim & tegendis corporibus aptata dividuntur. Atque tantus ille panni numerus fuit, ut panno insuper addito, quod fide interposita Cardinalis nomine emtum fuerat, aliquot millia tunicarum efficerentur, quae suis ipse manibus egentissimo cuique dividebat. Jucundum hinc in tanta publica moestitia fuisse spectaculum narrant temporis ejus homines, cum scilicet, in purpureo velamine pauperes apparerent, centonibusve amicti circumferrent universum Palatii ornatum, qua in veste sese conspicientes illi erubescebant.

Mediolani Gubernator, vitandae pestis hoc tempore Viglevani morabatur, nihil hoc esse putans, quod Populum ipse deseruisset. Cumque rerum aliarum causa venisset forte in urbem, atque de rebus eis die quodam in Senatu ageret, missus illuc a Cardinale Antonius Seneca, unus e novem illis ad periculosa ministeria electis, reddidit ei litteras, scriptum ita habentes: *Quod pestilentia depopulante urbem Mediolanum, in tanta publica calamitate ipse procul abesse a periculis, & creditam suae fidei multitudinem deserere velit, neque recte id, neque ordine fieri, ac videndum esse, ne parum tuto etiam fiat. Divinam namque manum perventuram esse, quocumque fugere ipse possit, & muneris ac populi sui desertorem magno aliquo exemplo castigaturum Deum, qui minimos illos sibi ipsi olim in Euangelio aequipararit.* Has Gubernatori litteras in Senatu reddidit Seneca, quibus ille acceptis, non Regio, vel externo more concitatus, sed inhorruisse fertur, pavore objecto, & veluti Numinis praesentis eas minas accepisse. Et huic terrori consentanea mutatio animi consiliique ejus secuta est. Namque & eo die, & per dies deinde aliquot in Senatu egit de publicis calamitatibus Regio sumtu sublevandis: ortaque illa inter Magistratus controversia, recipiente onus Gubernatore, sedata est.

Excepit deinde Cardinalem alia cura, ob servas, & servos, qui ex omnibus domibus ob penuriam dimissi, absque lare jam & receptaculo ullo per urbem vagabantur, miseranda utique turba, non solum ob egestatem & famem, sed etiam ob servilem nequitiam atque otium, cui assueverant, pasti divitum mensis, ad laborem segnes, in flagitia promti. Hi omnes uno grege Cardinalem adiere viri feminaeque, & aliquod vitae subsidium flebili voce miserabilique ejulatu implorare coeperunt. Ea nova sollicitudo pastoralem viri animum angebat: inspectoque & collustrato oculis infelicium agmine, quos validiores esse censuerat, Magistratibus commendavit, ut militum loco agendis ad suspecta loca stationibus vigiliisque adhiberentur. Alios in alia ministeria descripsit: turbam reliquam inutilem, ubinam collocare posset, aliquamdiu exquirendo, postquam nihil idonei loci inveniebat, demum in D. Stephani porticibus consistere jussit, donec aptior aliqua sedes, eorum hospitio pararetur ubi sustentari possent. Fuere isti ferme ad quadringentos, quam desidem inertemque multitudinem in aperto illo domicilio Cardinalis utcumque sustentabat. Recordatus deinde, via Romana ad quartum ab urbe lapidem, amplum esse aedificium, quod Galliae Rex Franciscus, fusis Helvetiis in loco victoriae posuisset, aptam hanc esse sedem turbae illi existimavit. Illuc igitur missa omnis, & datis idoneis hominibus, qui regerent, alimenta quotidie submittebat. Disciplinam quin etiam & pia instituta coetui huic pene ad Monasterii formam dedit, ac saepe ipse gregem invisendo, effecit brevi, ut nihil servile in illis ingeniis remaneret. Per agros & vicina rura composito agmine ibant, haud absurdo cantu, sicut erant edocti, Sanctorum nomina invocantes. Inde comitas & beneficentia agricolarum tamquam in pios, ac brevi coetus ille se ipsum alebat absque ullo Cardinalis jam sumtu, cujus animum addita illa ad pestilentiae malum infelix turba magnopere sollicitarat.

Adversus pestilentiam remedia nequidquam omnia expertus, cum saeva contagio & pene jam inveterata funerum multitudine tabes augeretur, memor Romani exempli, quo Pontifex Gregorius olim coelestis irae gla-

gladium condiderat, exemplum id secutus, supplicationes populo Mediolanensi per triduum indixit, ipseque una ivit supplicatum. Primo die, qui dies fuit VII. Idus Octobris, cum adessent in templo maximo quotquot adhuc pestilentia pavorve suus in urbe reliquos fecerat, consperſit cinere singulorum capita: dein cum caetero agmine processit, excelsam pendente Salvatore crucem ferens, adspectuque sic incedentis Archiepiscopi lacrymae omnibus manabant. Et alti multorum ejulatus contineri non potuere. Nam obvoluto capite, tectusque cucullo frontem & oculos, longissimum Pontificalis pepli syrma trahebat, & valido funi collum inseruerat, tamquam scelerum omnium reus, quae publica illa clade punirentur. A templo urbis maximo ad D. Ambrosii Basilicam pompa tetendit, quo toto itineris spatio Pontifex, & degravante crucis pondere, & oculis animoque fixus in pendentem e cruce Christum, nudo, sicuti ibat, pede, pollicem dexterum ad acutum forte silicem ita offensavit, ut ungue diffracto large manaret cruor, cujus vestigia, supersunt, qui se vidisse dicant. Sic primus ille supplicationum dies transiit. Altero die supplicatum est ad D. Laurentii. Tertius dies longe celeberrimus fuit, quia prolatus est Clavus unus ex iis, qui confixere Salvatorem, de quo Clavo pignoreque sanctissimo in superioribus libris satis collocutum esse me, arbitror: neque nunc repeti pauca alienum fuerit. Helena, Imperatoris Constantini mater, conflatum eum ac diductum in freni formam, qua hodie conspicitur, filio dederat, veluti coeleste praesidium adversus pericula quoties bella adiret. Frenum postea ipsum mutatione temporum, quae cuncta invertit, inter fabri cujusdam aerarii ferramenta delatum, sanctus Pater Ambrosius, splendoris argumento deprehensa sanctitate sustulit, ostenditque famae, & inter Ecclesiae hujus alia pignora collocavit. Hunc Clavum crystallino ferculo inclusum ab summa testudine templi deductum praegrandi lignea cruce sublimem circumtulit eo die Cardinalis, quasi Redemtionis humanae mysteria precibus allegaret ad placandas iras, quas hominum culpae meruissent.

Supplicationibus in hunc modum habitis, interposito bidui spatio, Cardinalis ad placandum Numen illud insuper excogitavit, ut supplicationem aliam institueret, qua totus ambitus urbis eodem sacri Clavi gestamine expiaretur. Eo quoque die a matutino tempore fere ad noctem, nudis ut antea pedibus, & recenti adhuc pollicis vulnere, incessit, grave semper attollens utraque manu pondus. Graves homines, qui meminerant veterem Romanum casum, atque absumtos in ipso Gregoriano agmine octoginta supplicantum, haud dubie hoc retulere ad miracula, quod in tanto populi Mediolanensis concursu, dum vocibus & halitu, & corporum vicinitate miscentur integri contaminatis, nemo unus cecidisset. Id quidem eo die datum divinitus, vel Clavo sanctissimo, qui circumferebatur, vel Cardinali, qui circumferebat, vel effuso in lacrymas populo, qui aderat universus, exposcebatque pacem.

Caeterum, supplicatione absoluta, veluti coelestes induciae exissent, strages, & acervi morientium, & ubique funera, faciesque urbis invisae Deo: & piacula omnia avertendae pesti sollicite adhuc undique Carolus conquirebat. Tunc subiit ejus animum recordatio Martyris Sebastiani, cujus apud Deum gratia & commendatione liberatas olim simili clade urbes memoria exstat. Hunc ab materna origine reputans esse urbis hujus civem, sperabat in tanto publico malo velut alteri Patriae non defuturum, si pure pieque invocaretur. Itaque & supplicationibus jam ad praecipua templa habitis, & procurato mysteriis populo, concionatus ad multitudinem attonitam de invocanda Martyris ope, hortari institit, ut votum ei publice nuncuparent. Affirmabat ante Cal. Januarias depulsam fore pestilentiam: crederent tantummodo abstinerentque a peccatis, & innoxie agerent, caetera Numini Tutelarique suo permittentes. Vaticinium hoc fuisse divinitus praesagientis animi, post eventum credidit civitas: ac rite nuncupatis votis, etsi nequaquam salubria statim corpora esse coeperunt, strages tamen & acervi mortuorum aliquanto quotidie minores fiebant. Ad eam diem, quae finem allatura malo praedicta fuerat, abiit pestilentia ex urbe, Martyrique liberatori templum posuere cives in iisdem vestigiis, ubi posita vetus aedicula Martyris ejusdem fuit, donaque illuc portavere, & festus D. Sebastiano dies quotannis inde urbi agitur.

Sed ad Pastoralia exempla pertinet memorari adhuc, vel breviter certe includi, quae ab nuncupatis ut dixi votis, ad usque pestilentiae finem, in populi sui curatione gesta per Carolum, infelix ea Mediolanensium aetas loquitur adhuc, venientique deinceps aevo praedicanda transmittit. Cum praeter Gregoriana septa, dimensis aliis extra urbem spatiis promiscua multitudo attineretur, neque diurnae horae sufficerent omnibus invisendis, nocturnus ibat, nunc ad spatia illa camporum, quae fossis, & aggeribus, & excubiis ad prohibenda effugia muniebantur, nunc ad Gregoriana tuguria, nunc per urbem ad tecta pauperum, prout quaeque adeuntem forte destituerat dies. Praecipua cura Pontifici interim erat, ut infantes, quibus emortua matrum ubera frustra exsugebantur (& creberrima ea calamitas fuit) attolleret, traderetque nutricibus, quas in id praeparatas in separato domicilio opipare alebat. Affirmavere jurati testes, conspectum aliquando sibi fuisse Pontificem, cum egrederetur alicunde tenens ulnis infantem, quem ab mortuae matris pectore semimortuum abstulisset. Erga innoxiam eam aetatem sollicitudine & cura vincebat ipsa matrum pectora, quae proprii periculi metus adversus communem naturae sensum efferarat. Ejusque portenti crudele exemplum inter caetera illud memorant, cum in ipsius aulae conspectu, mater una, dum sibi parcit, saeviret in partus suos. Mercatoris domus fuit, in quam ex Palatii fenestris positam e regione prospectus patebat. Mortuus ibi pater cum tabernae famulis, superstitem uxorem treisque parvulos filios reliquerat, atque cernebantur in eodem lectulo, duobus exstinctis, tertia, quod facile ex propinquo notari potuit, duodecim fere annorum puella agens animam, & exitii sui metu, contactum fugitans mater. Haec velut oblita mortuorum filiorum, oblita morientis, procul ab ea minuta, & majore jam ex parte exanimi sobole sese proripiebat. Ad id satis triste spectaculum etiam apud tristiora quotidie alia spectantes, orto a paucis initio, accurrunt aulici fere omnes, remque minime fruendam oculis, e fenestra, moesti simul & infensi contemplantur. Narrat deinde aliquis Cardinali saevitiam hanc matris, & conspectam in vicina domo calamitatem. Atque is propere cum ad fenestram accessisset, paterno suo & pastorali animo miseratus funestam eam in pestilenti lectulo scenam, tradita oblivioni jura naturae, mixtos mortuis vivos, & erga exspirantem prope filiam immane parentis pectus, dici jubet uni virginum, quae ex D. Ursulae instituto ad ejusmodi munera se obtulerant, eat, maternoque in puellam officio fungatur. Quod illa dum strenue peragit, submisit insuper alimenta desperatae matri Pontifex, atque e fenestra eadem, signo crucis insecutus moribundam inter manus infantem, tota inspectante aula revocavit. Vixit enim & adolevit puella, quae deinceps, veluti miraculum, pestilentiae simul, & hominis divini monstrabatur.

Alium, praeterea, ferunt infantem, ab ipso, dum obiret mapalia, nudum ex humo nuda sublatum, qui, quoniam atro colore pestilentem uterum, unde prodierat, praeferret, uberaque praebere ei mercenariae nutrices abnuerent, delegatus, caprarum mammis, vivit pariter, & novi postea miraculi, sicut in tempore demonstrabitur, Altori suo materies fuit. Sed ubi consuluerat his aliisque modis infantum vitae ne perirent, ministeria in alios erant majora, ut, cum ex hac vita exturbarentur vi morbi, in sempiternam alteram rite expiati transirent, aderatque ipse & expiabat. Unde mota cura Principibus urbis, ne interim ipse amitteretur, facto agmine accesserunt, ut exitium desperationemque rerum omnium demonstrarent, si id forte accidisset. Ea nobilium manus in D. Raphaelis aede Pon-

Pontificem invenit, viciniae ejus Parocho, quem pestilentia auferebat, divina mysteria impertientem. Jam ab ara pyxidem tenens ille prodibat, morientis Parochi cubile aditurus, cum moesta & irrita legatio ingressa templum, fatigare precibus, etiam manu retinere institerunt, ne discrimen vitae adiret, in cujus vita posita esset omnium salus. Quos cum benigno brevi alloquio, & vultus ministeriique majestate dimovisset, ire perrexit, Sacerdosque paulo postea is moritur.

Vix abierat inde Carolus, ad officia deinceps caetera proficiscens, & in itinere audit, Parochum Sancti Petri Caminatellae (id templo cognomen) pari tabe contactum in magno discrimine vitae esse, atque exigua in spe trahere animam. Huic adesse etiam volens, converso in eam urbis partem gradu celerrime ibat, fatigatis qui antecedebant, quive sequebantur. Sacerdotem reperit, cognito ipsius adventu, verecundia tantae majestatis lectulo egressum atque in templo exspectantem: jussumque in cubile referri, & coelesti pane manu sua refecit, & sacro ad supremam luctam oleo inunxit, adseditque, donec exspiraret. Parochi praeterea complures in supremis suis rebus eamdem opem sensere. Neque tamen, nisi, aut optime de salute publica meritos, aut a caeteris destitutos adibat. In reliquam vero multitudinem, praeter effusas pestilentiae initio largitiones, tanta per hoc omne tempus liberalitate egit, ut fere ad egestatem ipse prolaberetur, ac sustentandae familiae pecuniam a propinquis corrogare necesse haberet, mutuamve sumendo, tantum contraheret aeris alieni, quantum postea dissolvere difficile ei per aliquot annos fuit. Non enim urbanae multitudini solum alimenta suppeditabat, sed per Dioecesim quoque late curam eamdem extenderat, cum centum amplius loca numerarentur, ad quae pervenerat tabes. Circum ea loca dimissis idoneis hominibus ad inspiciendas agrestium sublevandasque necessitates, mox ipse subsecutus, corporum juxta & animarum saluti remedia circumferebat: & quacumque transisset, gemitus, clamores, ob miserias, ob repentina gaudia, & velut oblatam ex insperato lucem, aethera feriebant. Nusquam eo peregrinationis tempore dormiendi causa spoliasse corpus, nusquam in lectulo aliquo decubuisse fertur. In sella ferme aliqua fulciens manu caput, sive, cum mollissime cubare vellet, abjecto super tabulas corpore capiebat quietis partem: ac statim orta luce mandabat se itineri, quod a matutino tempore ad noctem usque continuabat, cum in tam vasta Dioecesi multum distantia rura, vallesque & montes eodem saepe die adire vellet. Prandebat equo insidens, in via, vel in foro, & viri nobiles, qui ex urbe profugi pagos hoc tempore incolebant, aderant sedulo, ut ei ministrarent. Ad Gallaratum tamen (emporium est in Mediolanensi agro nobile, & frequens) hoc ei accidit, ut, cum ad ejus loci Praepositum divertisset, municipii, Praetor armato milite statim cingeret domum, ne scilicet ad contactum peste Cardinalem comitatumque ejus ingrederetur quispiam, neve inde exiret. Ea intempestiva diligentia peregrini fortasse satellitis fuit, quem scilicet postero die Carolus, & illigatum Ecclesiae poenis declaravit, & vetuit interesse rei divinae quae per ipsum fiebat. Tanti porro labores, ac pericula tanta tota Dioecesi peregrinantis, & cuncta in hunc modum absque discrimine ullo adeuntis fuere, ut, cum aliquamdiu nihil de eo in urbe audiretur, mortuum esse incesserit rumor, & apud vicinas quoque urbes pro mortuo habitus sit, Episcopique Provinciales Metropolitano suo justa persolverint.

Post aliquot inde dies, cum revenisset in urbem, accipitur tanta omnium gratulatione, tantoque ingemiscentis populi plausu, ut non ex peregrinatione suburbana revertisse, sed ab tumulo prodiisse redivivus videretur. Opportune ad augendam miraculi speciem congruerat, ut fracta jam, sicuti dictum est, pestilentia, in ipsius reditu pene omnis concideret: ac tempore fere eodem liberata magna jam ex parte civitas, & spe salutis recreabatur, & Pontificis adspectu, cui salutem debebat. Ipse cuncta ad Deum referens, hortabatur, peterent emendatione vitae finem malorum ex Numinis clementia, cujus iram per flagitia lacessissent. Atque urbem, quam exhaustam funeribus soboles jam alia renovabat, renovare moribus, ac de integro condere institutis volens, statuit, templa omnia, tectaque urbis adire, illa quidem, ut sacrorum ritus tanta publica clade pene intermissos restitueret, haec vero, ut precibus, & aquae lustralis adspergine expiaret. Orsus a templo maximo Canonicorumque aedibus, & Palatio suo, cum ad caetera deinceps ordine progrederetur, instaurabat cura & caeremoniis adspectuque pastorali civitatem universam squalentem adhuc & vix capientem tantae rei laetitiam, ac fidem, quod pestilentiae finis adesset. Voluptati simul & miraculo erat Pontifex, splendens dignitatis suae insignibus ornatuque augustissimo, quem antea pulvere sudoreque perfusum, mapalibus oberrantem, anxium ac pene destitutum saepe miserati erant. Nunc ille sereno ore, frequenti pompa vehebatur inter fausta omina, laetasque acclamationes, neque uti Pontifex tantum, sed uti liberator urbis. Quis crederet, in tot malorum exitu, inter initia ipsa novae vitae, cum attolleret velut ab tumulo caput funesta civitas, cum odore cadaverum adhuc infectas auras sentire & haurire superstites possent, exoriri potuisse certamina ambitionis & superbiae, quae pulcherrimum pastorale opus impedirent? Coepere enim nonnulli, levi primum murmure, dein apertiore fremitu, demum infesta apud Gubernatorem querimonia expostulare, quod Cardinalis, profana sic & sacra cuncta adeundo, nihil prorsus Ecclesiastica sua potestate relinquere intactum vellet, &, quae creberrima civilibus ingeniis materies suspicionum, ampliorem Regis imperio paulatim efficere Pontificatum conaretur. Id quia credulis nimium auribus ad Gubernatoris penetrasse animum senserat Cardinalis, omisso eo ancipitis interpretationis negotio, ad alia sese avertit, quae nullis hominum calumniis obnoxia, propitiando Numini assidue excogitabat, supplicationes nempe, & Cleri sui disciplinam, ut sanctior in dies ea severiorque esset.

Cumque hoc tempore animadvertisset plerosque Sacerdotum, sive luxu absurdo gloriaque inani, sive, quod equidem magis crediderim, incuria, & incultu, promissas in pectora circumferre barbas, indecoram hanc inter sacra speciem ratus, instituit, ut rasa deinceps ora Sacerdotum essent. Quem morem ille, praeterquam quod ex vetere Ecclesiae consuetudine repetebatur, etiam proprium olim fuisse Mediolanensis Cleri demonstrabat: barbasque posuere. In reliquo item cultu disciplinaque Clericorum, cum pristina instituta, & modestiam, illo pestilentiae tempore confusio rerum omnium pene sustulisset, cuncta renovabat ad eam formam, quae Pontificatus initio, conciliis, & decretis per ipsum inducta fuerat. Supplicationes ad templa quotidie habebantur ob tantae cladis finem: ac Martyri in primis Sebastiano ut vota cum fide persolverentur, sollicitus Cardinalis intentusque erat. Sed cum ea maxime fierent, atque universus cum suo Pontifice populus & Clerus, ad gratias Deo agendas adorandumque Numen, & mores optime conformandos aversi essent, accidit pudendum ac triste dictu, ut scilicet repressa jam pestilentia serperet rursus, & tamquam reliquiae incendii exstincti insurgerent corriperentque vicina, dein continua, ob rapaces egestate manus operarum, quae ad abluendam vestium omnisque domestici instrumenti tabem conductae, inquinata contactu cadaverum & illota pleraque occultavere furtis, unde nova passim & occulta initia malo. Detecta deinde origine causaque ejus, remedia parum valebant, promta ubique ad furandum materie, & stimulante inopia. Furabantur itaque & peribant, ac poena flagitii transibat ad eos etiam quibus res ablatae erant, invadente passim peste domum eam, in qua servus aut serva, vel ex herili supellectile, vel aliunde raptum aliquid abdidisset. Adversus quae flagitia turpius priore exitium allatura urbi, & Magistratuum edictis ac poenis, & gravissima ad populum cohortatione Caroli opus fuit. Capitalem hanc esse culpam, quod vilissima scruta publicae saluti

saluti anteponerent, ostendendo, simulque promulgando in eos anathemata & diras, qui rapuissent occultassentve ejusmodi aliquid, inhibuit furta & pestem ferme renascentem, ex quo oppressa erat. Et quoniam, Regiorum edicto rursus clausae domus, & vetiti in publicum egressus, pristinae solitudinis faciem pene fecerant: a Gubernatore impetravit, ut liberaret ejusmodi edicto urbem, affirmans id quod antea saepe vaticinatus fuerat: placato satis Numine nihil ultra esse periculi, idque adeo constanter & litteris & concionibus e superiore loco habitis dicere perseveravit, ut magis ei praedictioni, quam conspectis recenti terrore funeribus crederetur.

Dies aderat coelesti ad Deiparam Virginem nuntio sacer, quo die plenissimae Indulgentiae dona, populo Mediolanensi, ex Apostolico diplomate usurpantur, ejusque anniversarii fructus causa confluunt in urbem, non vicina modo & longinqua rura, sed urbium quoque aliarum cives: nec exsulibus venisse ipsis capitale erit, & obaerati tunc impune vagantur. Eo die cum adhuc clausae Gubernatoris edicto suspectae aedes, nondum exacto quadraginta dierum experimento, & nondum evulgata quam Cardinalis impetraverat, exeundi facultate, tenerentur, sua unicuique pietas, & vaticinia ipsa Cardinalis, edicti instar fuere. Exiere namque omnes: & quidquid civium in urbe erat, Indulgentiae causa in publicum ultro effundebatur: & communem eum instinctum ea, quae sunt insecuta, comprobavere. Nam neque pestis reliquias ultra sensit urbs, neque Gubernator violationis edicti causa in quemquam animadvertere est ausus, ne divinum favorem improbare videretur. Commercia quoque cum exteris restituta statim, & sua celebritas rediit urbi, quam deducta olim in mapalia & agrestes casas multitudo, ceu vastae solitudinis campum reliquerat. Mortuorum numerus relatus est ad triginta millia, quem item numerum ad Pontificis merita ceu miraculum retulere, qui meminerant ipsi, quive a majoribus acceperant annum illum alterum pestilentiae populi Mediolanensis, cum, Sfortiae domo rerum potiente, quatuor intra menses quinquaginta millia capitum absumta numerabantur. Nunc, & spatia morbo tanto majora, & minorem utique stragem intuentes, velut inhibita esse tela Caroli precibus, ajebant.

Postquam pestilentia depulsa erat, rediere pravae hominum artes & certamina, queis Ecclesiastica tranquillitas jam inde antiquitus ab altero dominatu inquietatur, dum, aut homines Regii diminuta sua jura conqueruntur, aut etiam nostri tuendo vel augendo sua modum excedunt. Commendatori Majori, cum ille, exercitis, necdum compositis, Mediolani jurgiis, ad Flandriae bella proficisceretur, successerat in administratione provinciae, ex Hispaniae proceribus alius, nihilo segnior ad omnia, per quae Magni Ministri nomen apud Regem assequi se posse, confideret, etiam commotior ingenio, & in aliena quoque consilia saepe praeceps, facilisque auferri. Hic, statim ubi cum imperio venerat in provinciam, cognitis controversiis, quae Decessori suo cum Cardinale fuerant, atque offensus praecipue, quod devotionibus & diris gesta res esset, ceu communem Gubernatorum omnium injuriam alte premebat animo, si promta semper in eos anathemata essent, & ubi jure ageretur, coelestia haec fulmina deciderent lites. Ob id exulcerato animo etiam indigne ferens, quod pestilentiae tempore increpitum a Cardinale gravissime se ipsum reputabat ideo, quia vitandi periculi sui causa, relicta urbe otiosus in tanto publico discrimine apud Viglevanum sederet, multorum insuper sermonibus irritabatur, quibus voluptati sive lucro haec erant. Neque ex aula tantum Magistratibusve instigatores fuere isti, sed, quod ob pudorem pene reticueram, Sacerdos inventus unus est ex Cardinalis ipsius familia, qui maximis ab ipso beneficiis ornatus, & praecipua inter Ecclesiasticos homines auctoritate praeditus, eoque splendore notus etiam Gubernatori, haec simul omnia converteret ad conflandam Hero Pontificique suo invidiam: nec ullius magis calumniae ad onerandas Hispanorum aures eo tempore valuerunt. Non vulgata & inania illa de violentia Cardinalis, de populi in eum propensione periculosa & infida Regiis opibus, sed alia conficta velut ex intimis arcanis insusurrando iste, animum Gubernatoris, satis jam sua sponte alienatum, adeo commoverat, ut statueret querimonias Regis nomine mittere Romam, tamquam in turbantem cuncta Archiepiscopum, electo in id nobili Legulejo, qui sua sponte male affectus erga Ecclesiam pariter Cardinalemque gratificandi Regiis, & crescendi insuper occasione accendebatur. Instructus opportunis a Gubernatore mandatis hic, litterisque commendatitiis etiam, quo facilior ad cuncta exponenda aditus ei daretur, querimonias & capita accusationis hujusmodi detulit: Cardinalem Archiepiscopumque Borromaeum minime contentum ea jurisdictione, quam ipse, quamve caeteri ante eum Archiepiscopi in Regia urbe Mediolano per speciem curae pastoralis usurpaverint: proferre in dies imperium, & populum jam fere omnem inter quotidianas imagines emendandi vel constituendi aliquid subjectum habere suae potestati. Proximis pestilentiae mensibus miscuisse ac confudisse omnia, tamquam capto ad insidiandum tempore, cum aegra, & funeribus suis attonita civitas, Gubernator ipse metu mortis absens, & turbidis consiliis apta rerum facies occasionem diu exspectatam attulisset. Primum omnium tetendisse obstinate ac pervicisse, ut, quas leges, quaeve edicta Gubernator ad statum urbis in tali calamitate regendum tulisset, eis legibus atque edictis homines Ecclesiastici non tenerentur. Dimittendo per totam Dioecesim absque solito Magistratus chirographo vicarios curatoresque nonnullos, solvisse legem a caeteris omnibus sancte custoditam, ne tabe infecti temere vagarentur, circumferrentque malum, atque ita causam fuisse ipsum diutius alendae pestis. Haec ferme Gubernator per eum, quem dixi, legatum, suo, & Regis nomine criminabatur.

Criminatio autem erat alia per Decuriones Urbis eidem mandata legato, non quidem ipsorum voluntate, sed instinctu Gubernatoris, qui levia nimium per se ratus capita illa accusationis, graviora scilicet alia ex populi querimoniis quaesivit: & promta semper ad dominantium nutus civitas talia conqueri suo nomine legatum jussit: Publicos ludos oblectamenta populi severitate sua sustulisse Cardinalem: sustulisse choreas & tripudia festis diebus: & velle civitatem totam inter sacra tantummodo occupari. Praeterea reservasse sibi facultatem absolvendi confitentes in quotidianis humanae vitae culpis, ex quo fiat, ut confitendi verecundia, sive difficultate, plerique contaminati decedant. Solennium Jejuniorum onus aggravasse includendo primum Quadragesimae festum diem, quo die carnibus vesci semper antea licitum fuisset. Templa omnia per totam longitudinem intersepsisse tabulatis, ut commercium etiam oculorum inter sexum utrumque tollat, & naturae jura evertat importunitate novarum legum. Adjecisse festis diebus, quorum plenos antiquitus fastos habeant, Gervasii & Protasii Martyrum diem, eumque nulli operi publice privatimve faciundo insignem fecisse. D. Caroli sanctitatis vitaeque innocentissimae magnum hoc inter caetera argumentum esse potuit, quod alieno in ipsum animo homines, dum ex ejus institutis cuncta ad crimen invidiamque conquirunt, pro criminibus objecerint ea, quibus merito gloriari ille posset.

Sane Pontificem Maximum, ferunt, audita legatione, cognitisque Mediolanensium querelis, valde esse admiratum, quod gravissima cum suo Gubernatore Civitas, ad tantam iram delapsa fuisset, ut cuperet accusare Pontificem, cujus tanta & tam recentia merita erant, atque libidine accusandi criminarentur ipsas virtutes. Capita deinde illa accusationis descripta ordine & obsignata misit Pontifex ad Cardinalem, atque legatum ipsum cum hujusmodi responso dimisit: Modestiam aequitatemque Cardinalis & fidem ejus erga Regem Catholicum adeo notam esse omnibus, ipsique inprimis Regi adeo probatam, ut nulla perduellionis crimina cadere in eum possint: caetera vero quae sint objecta, ma-

gnas esse viri ejus laudes atque ad disciplinam & salutem urbis haud dubie pertinere. Melius omnino facturos, & Gubernatorem, & Mediolanenses, si praeclara instituta Pastoris sui, optimumque animum reverenter & grate agnoscerent, & cuncta, quae mandasset ille, exsequerentur. Ita irrita, nec sine confusione ac pudore dimissa legatio est.

Accepi autem ego ex iis qui tunc ista audiebant, & ad nostram aetatem duravere: Cardinalem, cognitis quae objiciebantur, cum Primoribus urbis esse collocutum: eos negasse publici consilii querimonias, & mandata ulla fuisse ejusmodi, sed nimium irato Gubernatori prave adulantes paucos commodasse ei nomen civitatis ad Cardinalem ita criminandum: rem deinde magno silentio esse compressam, ne ira & concitatione populi tumultus aliquis oriretur.

Caeterum, ea criminatione neque offensus Cardinalis, neque deterritus pergebat alia insuper decernere consentanea & simillima istis, quae nuper vitio sibi data essent. Vetuit Stationum solennium causa promiscuos ad templa ire virorum feminarumque coetus, scilicet, ne licentia noctis, in cujus saepe horas agmina continuarentur, pudori obesset: ejusque rei causa promulgato edicto, sua viris, sua feminis templa separatim assignavit, in quibus ea sexus uterque stationum munera obirent. Augendo Protomartyris cultui, templum ejus quod in urbe est, majore Canonicorum numero ornavit, translato illuc ab extremis Provinciae finibus Pontirolensi collegio, propterea quod Canonici illic ignobiles in pago obscuro, qua flumen Abdua inter Mediolanensem Bergomatemque agrum decurrens utrique imperio finem statuit, nihil ferme aliud quam receptacula exsulum haberentur. Cruces tota urbe ad capita viarum statuit impositas columnis, ut victricia mortis & Satanae signa civibus passim in conspectu essent, continerentque a peccando magnitudine & horrore mysterii pravas hominum mentes. Vagos per urbis compita pauperes compulit in unam domum, quae mendicantium dicta est: ac ne deessent ibi eis alimenta, providit, collocatis separatim ad D. Calimeri virginibus puellis, quarum pudicitia ob egestatem in ancipiti esset. Longe vero maximum pulcherrimumque opus quod diu animo agitaverat, ut promtos ad ministeria cuncta Sacerdotes, & litteris, & probitate primos haberet, hoc etiam tempore aggressus, fundavit collegium Oblatorum, quod hodie Seminarium est disciplinae litteraturaeque omnis ad regendum ingens hoc Ecclesiae corpus. Parata ea semper Archiepiscopo Clericorum manus ad proxima pariter & longinqua: Oblatique ex eo dicti, quia se ultro ad Apostolica munera obtulerunt. Pauci primo, deinde plures, postremo optimus & litteratissimus quisque sese addixere: & collegio ipse honesta alimenta assignavit. Quinta Dioecesana Synodus hoc tempore in id praesertim habita est, ut congregatis ex tota Dioecesi Sacerdotibus, Cleroque universo, prima instituti ejus fundamenta jaceret ad eam formam, quam exaedificatam animo descriptamque habebat.

Incessit deinde animo pia cupiditas visendae sacrae Syndonis, quae apud Sabaudiae Duces jam inde ab anno salutis M CCCC LVII. summa religione adservatur. Linteum id fuit, quo Christi Salvatoris corpus involverunt cum tumulo mandaretur: pervenitque ad ipsos Sabaudiae Duces divino haud dubie nutu in hunc modum. Margarita, Hectoris Lusignani uxor, ex Hierosolymitanorum stirpe Regum, cum vim saevitiamque Turcarum fugeret, pretiosissima quaeque secum adsportans, Civaronem in Allobroges venit, divertitque ibi ad Ducem Sabaudiae Ludovicum, cum quo nupta erat Anna Lusignana, soror Joannis, qui Cypri Regum ultimus fuit. Ad Galliae Regem inde mulier proficiscebatur. Cumque exire ex ea urbe vellet, numquam id jumentum, cui sacra Syndon imposita erat, hortamentis verberibusve ullis perpelli potuit, ut extra portam ungulas moveret. Id divinae voluntatis indicium interpretata Matrona, deposuit Linteum, hospitique & affini Sabaudo custodiendum reliquit, adservaturque ex eo tempore diligenter ibi, velut securitatis & Imperii pignus. Hujus religionis causa peregrinari Civaronem usque statuerat Carolus, & ipso pestilentiae tempore votum tacite hoc nuncupasse ferebatur, ut cum primum tempestas ea transisset, rediissetque salus Urbi, pedibus iret. Emmanueli Philiberto, qui tunc regnabat, nota res fuit, quem, & Sabaudiae Ducum fuisse religiosissimum ferunt, & D. Caroli valde studiosum ob rerum ipsius magnitudinem & famam. Is, cognita Cardinalis peregrinatione quae parabatur, transferri sacram Syndonem Taurinum jubet, ne tantum itineris pedibus adiret Pontifex: causaeque per eosdem dies etiam nonnullae fecerant, ne trans Alpes satis fida custodia tam pretiosae rei crederetur. Delata ad urbem Taurinum Syndone, atque ibi in Laurentiano templo collocata, Sabaudus de ea re legatum ad Cardinalem misit Franciscum Linum, intimum Scribam, ut & Taurini jam esse Syndonem ei annuntiaret, & peteret, ut quandocumque visendae ejus peregrinari placitum fuisset, vellet hospes esse Domus, quae unice appeteret id decus, & jam nunc exspectatione gestiret. Annuit Cardinalis, peregrinationisque tempus, petente legato dilatum in eam diem, cum Helvetii, qui ad ineundum cum Duce foedus venerant, ex urbe discessissent. Postquam abiere domum Helvetii, Linus rediit idem cum eo sui Principis mandato, ut Cardinalem deduceret, atque per totum iter, ipsius nomine prosequeretur.

Grata legentibus, opinor, futura est pompa Archiepiscopi peregrinantis, & fortasse Principum etiam aliquis olim pompam imitari talem volet. Pridie ejus diei, in quem constituta profectio erat, familiares duodecim, quos legerat itineris ejus comites, in domestico sacello congregatos allocutus est de sacrae Syndonis religione ac sanctitate Lintei quod lacera & cruenta Salvatoris membra texisset, cum depositum e cruce corpus tumulo inferretur. Tanti mysterii reliquias pignusque sanctissimum ipsos una secum esse invisuros. Proinde, irent erectis animis magnitudine rei: detestarentur anteactae vitae culpas, & divinam suppliciter opem implorarent, ut ea peregrinatio salutaris ipsis sibique esset. Haec ita concionatus edidit scripta ordine singulis capita quaedam quotidianae disciplinae per totum iter, ut sciret unusquisque quid pene in singula peregrinationis momenta fieri oporteret. Capita autem fuere hujusmodi: Paulo ante lucem esse exsurgendum. Rem divinam quotidie faciendam eis qui Sacerdotes essent. Caeteris altaris mysteria quotidie obeunda, faciente, ac ministrante ipso. Quotidiani Officii preces unicuique recitandas antequam aggrederentur iter. Iter deinde ingressi binas horas meditando consumerent. Percurrerent postea Rosarium, & in uniuscujusque mysterii contemplatione per intervalla defigerent animos. His omnibus rite peractis, si spatii aliquid forte superesset, id piis in singula capita collocutionibus ab universo coetu consumeretur. Ad loca aliqua statim ubi pervenissent, adirent ejus loci templum, Numineque adorato, & recitatis illic horariis precibus, quae superessent, in hospitium ingressi sumerent cibum una omnes: cibis haud aliis vescerentur, quam qui solenni quadraginta dierum jejunio convenirent. Super mensa pium librum legeret semper aliquis: id legendi munus per singulos in orbem iret. Matutina tempora descripta in hunc modum fuere. A prandio, repetita sacra aede, venerari Numen, capessere inde iter, atque inter eundum continuare Psalmodiam & alternare choros ita, ut nullum absque prece gradum explicarent. Vesperi, salutato rursus ad templum Numine, modico cibo refectos, & de meditationis unusquisque suae fructu collocutos adspergebat lustrali Cardinalis aqua, cubitumque dimittebat.

Capita, sive puncta meditationum, trina in singulos dies hoc ordine proponebantur. Unum erat caput de peregrinantis olim Christi laboribus & aerumnis: aliud de laboribus & peregrinatione Apostolorum: tertium de miseriis & vanitate vitae mortalium deque gaudiis aevi sempiterni. His ita descriptis, & constituta in hunc modum disciplina peregrinationis ejus, ad VIII. Idus Octo-

Octobris, cum perlitasset in domestico Sacello Cardinalis, comites suos refecit coelesti cibo: dein peregrinatorias eorum aploides atque bacillos solenni carmine insecutus Pontificali habitu cum eis ad portam urbis, quae Vercellina dicitur, processit. Ibi deposita Infula caeteroque ornatu induitur etiam ipse viatoria exomide, Canonicosque qui prosecuti erant, familiarissime amplexatus, instituit iter facere disciplina ordineque eo, quem ab ipso descriptum retuli. Ad Sidrianum, qui locus ab urbe quatuordecim millia passuum abest, apud ejus loci Parochum, primo diverterunt: cumque ibi paupere mensa & arido fere pane pranderetur, lectitandi super mensam ex ephemeride munus sumsit sibi Cardinalis, interimque pari frugalitate prandebat. Ejusdem diei appetente vespera pervenere Trecatum, quod instar Municipii est, & ad duo millia passuum obviam effusa multitudo, feminae pariter & viri, & tenerior aetas, quasi coeleste peregrinantium agmen, cum plausu, cum piis gemitibus & animorum confusione prosequebantur. Coenatum dormitumque est apud Minores Franciscanos, legitque etiam in ea coena Cardinalis, & unico pomo contentus fuit. Ita deinde procedebant, ne pluvia quidem tardante iter, quod, & imbrium continua proluvie, & profunda passim uligine difficile lutulentumque erat. In Vercellarum urbe, splendidissima Sabaudiae Ducis legatio Cardinalem adiit, cujus principes Federicus Ferrerius & Antonius Raconisius fuere. His mandatum ab Duce erat, ut nusquam ab Cardinalis latere discederent, eumque reliquo itinere prosequerentur. Pedites una iere isti, & plurima simul ex Vercellarum urbe nobilitas, Episcopusque urbis & Canonici sese in idem associavere agmen, & pars gloriae cunctis erat, peregrinari cum homine sancto.

Ad urbem Taurinum appropinquanti processit obviam Archiepiscopus ejus urbis cum aula fere tota & Praetoriano equitatu: mox etiam Dux ipse cum Juvene filio aderat, qui cingentes latera Cardinalis peregrinantium ipsi quoque speciem praebuere. Ac spectaculum fuisse jucundum simul, & admirabile ferunt, qui superfuere ad nostram aetatem ex eo comitatu, cum scilicet, hinc turmae equitum, hinc, cum Regalis opulentiae pompa Princeps totaque fere Allobrogum & Subalpina nobilitas peregrinos cingeret atque prosequeretur. Ipsi incedebant bini, demissis in terram capitibus, volventes animis mysteria religionemque sacri Lintei quod adibant. In urbis ingressu, excepti sunt festo tormentorum reboatu, sonoreque tubarum, & recta ad templum maximum, inde Palatio inducti, apparata cuncta invenere cum omni honore, qui haberi Regibus etiam posset. Ita Cardinali placitum accipere comiter quae Princeps ille honora & magnifica hospitali caritate exhiberet: addensque Sabaudus honorem & gratulationem hospitio, jussit, insequens triduum festum esse populo Taurinensi, ne qua, dum Cardinalis ibi esset, nisi pietatis opera conspicerentur. Sacra deinde Syndon ex Laurentiana aede in templum maximum ejus urbis jubente Duce transfertur, prolataque & dilatata peregrinis ostentui collocatur, adstante Urbis Archiepiscopo Canonicisque ejus, & collucente facibus templo. Cardinalis illuc cum suo comitatu progressus, multas horas meditando consumsit, & plurima illic aptissimaque materies animo coelesti ad contemplandum. Cernebatur enim in sanctissimo linteo tota Christi corporis effigies, veluti cum subjectis prelo chartis simulacra aliqua imprimuntur. Vibices, & plagae, & pedum manuumque vulnera, facta clavorum ictibus, consputationum etiam in divina facie vestigia conspiciebantur. Manabant lacrymae Cardinali, dum in earum rerum contemplatione fixus haereret: ac toto fere quadraginta horarum spatio (tamdiu enim in aperto Syndon est relicta) flexis ante eam genibus cum nocte diem flagrans intima mysteriorum eorum pietate continuavit. Omnibus demum officiis, tum erga sacram Syndonem, tum erga Ducem accuratissime perfunctus, magna etiam populi Taurinensis parte, quae id petierat, refecta per Eucharistiae Sacramentum coelesti cibo, cum discessum pararet, obtulit ei Dux supplicem filium, petens, ut benedicere Juveni, & salutari eum nota prosequi vellet. Diu ob modestiam cunctatus annuit: constatque, Ducem eum adeo laetum fuisse tali munere, ut in Principum corona qui aderant, profiteretur, habere jam se certissima pignora securitatis, subnixam eo munimento domum posse saeculis durare. Discedentem inde Cardinalem prosecuti Principes, abscedere ab eo, & redire in urbem nolebant, donec, in singulos gradus petente ipso ut redirent, cessere, quia molestam esse deductionem videbant. Namque Cardinalis sacri Lintei adspectu & contemplatione Christi necis adeo commotus animo erat, ut manifesta quaedam alienatio ejus ad supera tantum & coelestia cerneretur. Ac statuerat Verallum Montem ex eo itinere adire, cujus anfractu Montis singulae partes & mysteria salutiferi obitus ad singula sacella statuis expressa spectantur. Ibi satiare lacrymis & amara dulcedine animum contemplando Salvatoris tormenta volebat.

Verallus Mons in extremis pene Vallis Sessiae finibus assurgit, qua Vallem extremi fines Helvetiorum fere attingunt. Hanc aptissimam piae suae descriptioni sedem censuerat ante centesimum annum inclytae religionis vir e Franciscano Ordine, qui, cum Hierosolymam ad nobilitata Christi vestigiis loca peregrinatus fuisset, in reditu concepit animo magnitudinem operis, unde hodie apud exteras quoque gentes fama & celebritas Monti. Voluit enim ponere simulacra rerum omnium, quarum recordatione moveri sibi praecipue animum sensisset, dum ingratam Christi patriam, & vitae necisque ejus monumenta obiret. Adfuitque tam pio operi tanta Principum & populorum liberalitas, ut duo de quadraginta cellis mysteria cuncta praeferentes statuae, sicuti destinaverat ille, includerentur, magna, & quasi spirantia incitamenta adeuntium pietati. Nam cernuntur ordine singula, praesentiaque adsunt, quae, vel audita & narrata frangere contemplatione animos possint, & remota procul ab omni strepitu solitudo Montis, nemorosusque secessus in Eremi faciem ad contemplandum ultro allicit. Eo volens ire Cardinalis, dimisso domum omni fere comitatu retentis secum paucis, atque inter eos Francisco Adorno, Jesuita, quo Magistro disciplinae interioris utebatur, adit Montem. Jejunus forte pervenerat, inclinato jam die, statimque nullo cibo capto invisere cellas & ad singula mysteria progredi contemplando coepit. Pane deinde modico & aquae potu recreatis viribus, totam fere noctem invisendo ordine cellas, & meditando exegit. Exoriente luce, quieti nonnihil datum, & re divina facta, continuatis in meridiem precibus ingressus iter, Mediolanum venit, sanctiorem in posterum vitam meditans, veluti tunc primum studia perfectionis ingrederetur.

Hae fuere autumnales Caroli peregrinationes, quas ego ita narravi sicuti mihi superstes adhuc ex eo comitatu unus singula exponebat. Postridie quam redierat, offertur ei Catholici Regis epistola, quam ille Ferdinando filio orbatus, multisque praeterea intra breve tempus fortunae humanae telis ictus, ad Gubernatorem urbis scripserat, ut supplicationes per totam provinciam habendas curaret placando Numini exorandoque, ut parcere culpis, & incolume conservare Regnum vellet. Hanc epistolam acceperat a Rege Gubernator interea, dum Cardinalis peregrinationis causa abesset, statimque in reditu ei ostendendam curavit, ut cognita Regis mente, piacula irae Numinis rite exsequeretur. Nam praeter Infantis Ferdinandi obitum inter adversa numerabantur Regi, praecipuaque calamitas habebantur, Haeresi ac rebellione turbatus Germaniae Inferioris status, & abjecta imperii reverentia versae illic in bellum Provinciae septemdecim.

Cardinalis, epistola perlecta, Pastorali edicto populum monuit, & quantum Regi suo deberent, & quam opportunum id tempus debita officia persolvendi, si nimirum pietate unusquisque sua propitiare Numen studerent, ut rem Hispanam, Austriacumque nomen clementer & placate respiceret, ac saniora consilia immitteret rebellium animis, quo pacem, & obsequium, &

Catholicam Religionem perferre vellent. Simul, indictae supplicationes, totaque per aliquot dies civitas ad templa effundebatur cum ea precatione, ut Catholico Regi Regnisque ejus tranquilla & prospera cuncta essent. Et quoniam edocti erant, nullis impiorum precibus moveri Numen, irritasque fore supplicationes, si facta irreligiosa sequerentur, modestia etiam populi per eos dies insignis fuit. In Regis moerore trepidisque rebus ceu perduellionis crimen lascivia notabatur. Eo magis offensi sunt cives intemperantia Gubernatoris, qui, nondum exacto moestitiae hujus trimestri, Saturnalia celebrare solito luxu concupivit: urbemque ille funestam adhuc Regii luctus imitamentis vertere totam in larvas chorosque, & equestria certamina parabat. Sane in eis, quas memoravi, litteris perscriptum a Rege erat: placere sibi, ne solita civium oblectamenta ob Infantis Ferdinandi mortem omitterentur: sed depulsa nuper etiam peste redire statim ad ludicra, impium videbatur. Itaque Cardinalis, admonito Gubernatore, quam essent intempestiva quae pararentur, & quantopere populo etiam universo displicerent, postquam is ab suspecta vanitate dimoveri non poterat, propositis in publico litteris, gravissime increpuit atque castigavit ingratos erga coelestia beneficia animos, etiam adversus supplicia contumaces, si in tali tempore Bacchanalium licentia lascivire vellent. Vix ab dira contagione recreatam esse urbem, & Regiarum calamitatum adhuc audiri nuntios, interimque strepere cuncta Saturnalium apparatu, atque in id sedulo esse intentos, ut novas Dei iras, & nova Divinae justitiae exempla privatim singuli, & omnes publice meriti redigantur in calamitates, ex quibus eadem coelesti misericordia nuper erepti fuerint. Earum vero calamitatum ut meminisse possint, memorialem librum a se esse conscriptum, quem propediem visuri essent. Inde intellecturos tripudiorum suorum vecordiam, & quam alienum id debacchandi tempus.

Hae litterae cum ad omnia templa per Parochos & Concionatores e superiore loco recitarentur, populum quidem satis jam per se trepidum recordatione malorum, & ab ejusmodi studiis injecta animis religione abhorrentem magnopere perculerunt: Gubernator vero alienationem populi eam, sibi ignominiosam ratus, tanto majore impetu apparabat ludos, atque primum Quadragesimae diem foedare statuerat omni Bacchanalium licentia, de qua re etiam antea certatum magnopere erat. Id aegerrime ferebat Cardinalis, ob eam quoque causam, quia in proxima quinta Dioecesana Synodo de ejus diei religione decretum fecerat, sanxeratque lethalis culpae poena, ne quis eo die aliter quam Quadragesimae diebus viveret, neve tripudia & caeteros Bacchanalium ludos exerceret. Quam violari & dissolvi legem, tantumque licentiae in eum parari diem videns, edictum proposuit aliud, quo, repetitis Pontificum & veterum Conciliorum legibus de festorum dierum cultu, damnabat anathemate omnes, qui primam Quadragesimae appropinquantis Dominicam diem profano aliquo opere ludisve contaminassent. Tunc enim vero veteres pariter & novae irae Gubernatoris in Cardinalem adeo recruduere, ut conceptam animo offensionem nullo modo concoquere posset, fremeretque & multa meditaretur. Neque deerant etiam e Clero callidi hominis accendendis offensionibus acres, qualia monstra semper adulatio erga dominantes alit. Hi per commenta quaedam, & confictas acute rationes Gubernatori demonstrabant, nequaquam jus esse Archiepiscopo augendi Quadragesimae dies, & onerandi fastos suo arbitratu, irritaque adeo etiam esse anathemata quae statuisset, atque ita Gubernatoris animum sua sponte irritatum, secunda irae verba insusurrantes, ultro accendebant ferme per occultum.

Sed magna eloquentiae fama idemque honestissimi Ordinis Concionator fuit, cui obtigerat, ut Metropolitanae Ecclesiae suggestum proximis Quadragesimae diebus obtineret, & Cardinalis ipse hominem elegerat in id munus. Primae conciones indicavere quos ille animos gereret, & quanto validior in ejus animo esset gratiae A spes apud Gubernatorem, quam, aut fructus animarum, aut Cardinalis ipsius auctoritas & verecundia ulla famae, pudorve offendendi auditores suos. Namque omnium, praeterquam demerendi Gubernatoris oblitus, omnia praeter illius gratiam strenue contemnens, coepit palam insectari nimiam Archiepiscopi severitatem, obterereque decreta ejus, & affingendo finitima virtutibus vitia, salutarem disciplinam immane jugum, Apostolicas leges irritamenta populi appellabat. Atque, ut erat is, & divinarum litterarum usu multaque pertractatione peritus, & profana simul civili litteratura aptus ad confirmanda quae vellet, flectebat cuncta in Auctoris invidiam, Euangelii verba, testimonia Patrum, veteris memoriae casus: B aderatque concionibus ejusmodi Gubernator ipse, & laetabatur. Tanta ea licentia Concionatoris improvidi, postquam dissimulari diutius non poterat, primo quidem Cardinali placuit admonere Societatis Antistites, ex qua ille erat, ut hominem suum quam lenissime coercerent: deinde vero, cum Patrum etiam castigatione Declamator invictus in acuminibus contumaciaque sua perstaret, ad remedia efficaciora descensum est: detractusque ille suggestu, & ad sacra Tribunalia perductus ab Dominicano Inquisitore rite interrogatur. Ibi, quia non satis diluerat purgaveratve crimen, quo Archiepiscopi auctoritatem palam oppugnasse convincebatur, C lata in eum sententia est, ne concionaretur amplius, neve in publicum egrederetur. Haec molestia plenumque taedii negotium Cardinali inciderat.

Mox recreatur tamquam coelesti munere animus ejus, exorto per eosdem dies optimarum virginum coetu, quae Cucullatorum instituta sequi concupiverunt, eamque gravem nostris etiam viribus disciplinam in sexum inducere natura & consuetudine adeo infirmum. Jam aliquot ejus instituti Monasteria per Italiam magna omnium approbatione habebantur, displicebatque Cardinali, quod non Mediolani etiam singulare saltem ejus disciplinae collegium esset, quo feminae pariter ad Franciscana illa decora excitarentur, quae fortior adhuc tantummodo sexus ibi usurparet. D Eo laetius accepit Matronae unius preces, quae, congregatis in suam domum honestis aliquot puellis, cum eas toto quadriennio disciplinae eidem assuefecisset, petebat, ut se pariter & alumnas solennibus votis sub D. Clarae nomine & tutela obligaret. Nomen mulieris Marta Plantanida: genus honestum: res domestica tenuis ei: sed magnae virtutes eminebant. Annuens igitur hujus, caeterarumque votis, aedificato Monasterio, velavit cunctas: & quo magis floreret ea familia instituti sui legibus, accivit ex Hetruria quatuor grandes natu virgines, nominis disciplinaeque ejusdem ad regenda primordia novi Monasterii, cujus tanta statim apud omnes commendatio fuit, ut nobilissimae virginum in id cooptari vellent. E Ad quinquaginta numerabantur, & singulae veluti miracula urbi erant ob immanem transitum ab delitiis otioque muliebri ad jejunia, & vigilias, & asperrimi contextus lacernam. Longe vero maximum, & non sine horrore gratissimum civitati spectaculum fuit Corona nomine, Joannis Baptistae Borromaei filia, consanguinea Cardinalis ipsius, quae jam matura viro, & magnarum opum heres (nullus enim ei frater erat) cum ob eximiam quoque formam certatim a primoribus urbis in matrimonium expeteretur, antetulit id vitae genus, & ad cucullatas transgressa est. Cardinalis, laudato consanguineae virginis consilio, velavit eam, &, novo superindito nomine, Helenam appellavit. F

## LIBER XIV.

INTER haec, quintum Provinciale Concilium indictum erat, cum jam tertius a quarto Provincialium Episcoporum conventu annus effluxisset. Quintum hunc eo maxime consilio Cardinalis indixerat, ut regendarum pestilentiae tempore urbium disciplinam Episcopis praescriberet, si ejusmodi casus incidissent, quales ipse expertus fuisset. Expertus namque multa erat, quae frangere ac debilitare Pastoralem animum pos-



Collegium Helveticum.

Benedet.ⁱ Quarantinus del.

possent in tantis rerum angustiis, cum, & vitasse pericula, flagitium inexpiabile foret, & eadem adeundo, exitium flagitio simile contraheretur. Adversus ancipitem hanc curam & propositum in utraque parte discrimen paraverat descripseratque remedia Cardinalis ex casuum suorum similitudine, prout in illo difficillimo tempore rem Mediolanensem a se administratam fuisse reputabat: editoque concilii illius volumine, altera voluminis ejus parte universam hanc disciplinam est amplexus. Insignis pompa fuit, actioque celeberrima, qua D. Nazarii corpus in nominis ejus Basilica repertum atque effossum una cum reliquiis aliis transtulit, suis, & Episcoporum humeris, ut coelestia pignora publicae pietati ostenderet. Anno superiore, haec aliorumque Sanctorum ossa, Venerii nimirum, Glicerii, Maroli, & Lazari, Uldericique & Matroniani detecta fuerant, cum templum id ex Cardinalis ipsius descriptione instauraretur: increvitque honos, postquam in lucem prolata sunt & splendide collocata. Nam antea, fama tantum obscura quadam, & pertenui auditione noscitabantur, abdita nempe sub terram, & ambiguis etiam hominum sermonibus in dubium vocata, sicuti pleraque veterum habentur. Ac de S. Nazarii corpore inprimis falsa & inveterata opinio erat: nequaquam id in Basilica hac, sicuti crederent plerique, adservari, sed ante nongentesimum fere annum, ab Episcopo Grodegando translatum in Germaniam fuisse. Quem hominum & vulgatae historiae errorem arguere effossa ad septimum cubitum humo repertae reliquiae, quas diligentissimus ejusmodi rerum inspector Carolus, sancti Martyris Nazarii esse mortalitatem, affirmavit. Sed & ipsa temporum supputatio, vanitatem ejus falsae opinionis arguebat, cum, ejectis a Carolo Magno Imperatore Longobardis, tranquilloque nostrae urbis statu, minime verisimile esset, adeo inclytas reliquias ab Germano homine transferri hinc potuisse.

Peracta caeremonia hac, Episcopisque dimissis, Dioecesanam Synodum Clero suo indixit, habuitque anno eodem, ac deinceps ad alia, tum excolendae, tum emendandae urbis opera intentus erat. Recipiendis atque collocandis mulieribus, quae ab impuro quaestu & lupanari transire ad aliqua honesta domicilia cuperent, quoniam apertae jam domus ad Monasteriorum pene formam, haud sufficiebant, tertium quemdam instituit fundavitque locum, in quo recentes ab flagitiorum coeno feminae deponerentur. Id ab re ipsa Depositum appellavit, indicante nomine brevem subitarii domicilii moram, ex quo, sordibus elutis, & exsuto meretricatu, vel darentur nuptum, vel in Monasteria transmitterentur, quae jam duo instituti hujus in urbe erant. Barnabitis quoque Patribus, qui se D. Pauli Clericos nuncupavere, & Barnabitis aliis, qui Monasterium Ambrosianum extra urbem ad Nemus tenent, hoc tempore consuluit: illis quidem, ut Ordinis primordia duraturis aeternum legibus constitueret, his vero, ut prisca instituta renovaret. De Ordinis utriusque origine, quamvis alibi memoraverim, haud tamen alienum arbitror, pauca hoc loco repetivisse.

Priores Barnabitas, & diffusum hodie tam late collegium dedit urbi trium hominum pietas, qui genere illustres, vita moribusque simplicissimi, cum remotam ab humanarum rerum tumultu quietem adamassent, collatis in unum fortunis, quae modicae singulis erant, innoxiam quamdam vitae societatem instituerunt, hoc animo, ut si congregari secum alii quoque vellent pari spiritu & tranquillitate homines, haud aspernarentur. Fuere autem isti: Antonius Maria, Barptolomaeus, & Jacobus Antonius: Mediolanenses duo: prior ab Cremona venerat, ac si familias quoque memorari proborum hominum oporteat, Beccaria, Ferraria, & Morigia, cognominibus fuere. Hi communicatis, ut dixi, vitae subsidiis, cum innocentis & quietae vitae exemplo plerosque alios ad eadem instituta allexissent, jamque in collegii formam, & numero & disciplina perducta domus esset: censuere Patres, ad Ordinem condendum opus esse legibus etiam aliis, praeter quas initio excogitassent sibi ac dixissent. Scribendis itaque legibus, Ordinique constituendo, cum Apostolica diplomata impetrassent, impetravere simul, ut Cardinalis ei actioni interesset, quo providentius sanctiusque cuncta administrarent: adfuitque ille, & leges ferme descripsit eas, quibus Ordo nunc ille inter primos Urbis floret, addito ad primorum Patrum simplicitatem omnis etiam litteraturae cultu. Sunt autem Barnabitae dicti ex eo, quia primum eis ad D. Barnabae aedem in urbe domicilium fuit. At Barnabitis antiquioribus, ex Apostolo Barnaba, ut origo, sic & nomen fuit: utque priores illi, ob sanctimoniam & disciplinam eguere Cardinalis praesentia & auctoritate, sic isti, amissa, quam a primis Patribus acceperant, disciplina, instauratorem antiqui decoris optavere. Auctores Ordinis, Alexander Cribellus, Albertus Besutius, & Antonius Petra Sancta memorantur, qui capti studio pietatis & amore sylvarum secessere in nemora illa circumjecta urbi, positisque ibi tuguriis, instituere solitariam primo vitam, deinde aggregantibus se quotidie aliis, dixere coetui suo leges, & in Monasterii formam ipsi quoque coaluerunt. Per aliquot secula hi Barnabitae appellabantur. Secutis postea temporibus Ambrosiani dicti ex Monasterio & templo, quod sub ejus Divi nomine ibi exstruxerunt: manetque cognomen ob Nemus illud crebro Pontificis secessu domicilioque consecratum. Hos etiam veteri disciplinae Carolus utcumque restituerat, tanto magis ratus eam curam ad se pertinere, quoniam Ordo ille, non Romanis, ut caeteri, sed ritibus nobiscum Ambrosianis ad sacra utitur.

Haec, aliaque ad cultum & disciplinam Urbis, aut emendabat, aut fundabat hoc tempore Cardinalis, haud tamen interim liber cura ob saucium & offensum animum Gubernatoris, qui Saturnalia disturbata, ceu provinciam ademtam moestus infensusque retractabat. Et gnari plerique offensionis ejus, non in urbe modo, sed per municipia & pagos, festis maxime diebus instaurabant choreas tamquam Gubernatori gratificarentur. Id Cardinalis summo suo dolore cognovit, cum nonnulla Dioecesis loca obiret. Tanta enim alicubi fuit insania, ut nobiles homines, qui choros eos instituerant, globo facto ad extrahendas e templo mulieres irruperint: quod flagitium audivit ex proximo Cardinalis, fertur que esse illacrymatus: nec fallebat eum, unde causa initiumque malo, & tanto altius moerebat. Increpuit gravissima concione vecordiam hominum eorum, & quietis causa haud ultra animadvertit. Adire inde Provinciae urbes volebat, quam susceptam antea curam interveniens pestilentia tardaverat, inchoatamque distulerat. Sed timens, ne casus nunc etiam aliquis destinata impediret, provincialium Episcoporum opera, sicut a principio cogitaverat ad id est usus, atque ex Pontificis Maximi auctoritate, alios eorum ad alia loca dimisit. Viglevanensem & Brixiensem sibi Dioeceses tantummodo reservabat. Helvetios vero, Novocomensemque Dioecesim, quamvis extra fines Provinciae essent, ob vicinitatem pari cura amplexus, duo haec a Pontifice impetravit, ut & Visitator atque inspector ei quoque Dioecesi proprius mitteretur, & Nuntius Apostolicus apud Helvetiorum Gentem perpetuo ageret. Ita populos eos in officio contineri posse censebat, ne Catholicam Religionem, partim labentem ibi, partim omnino afflictam abjicerent, sive persequerentur. Atque, ut ministri Sacrorum, & divini verbi Concionatores eis populis, & Rhaetorum Genti suppeterent, rem etiam antea cogitatam, & cum Pontifice Maximo communicatam hoc tempore majore conatu amplexus ad exitum perduxit, fundato collegio in urbe, quod genti utrique Seminarium litteraturae, & disciplinae omnis esset. Id nisi fieret, deplorata populorum salus, & plane desperata habebatur ob capitalia ipsorum edicta, quae Clericos omnes alienigenas arcebant finibus, & gravissime puniebant, si in aliquo sacro munere deprehensi essent. Tanto major cura Cardinali incesserat, ut indigenae saltem idonei ad eadem Apostolica munera obeunda fierent, quoniam aditus exteris negaretur.

Parato itaque Clericis domicilio, atque impetratis in id a Cardinale Alexandrino aedibus, quae S. Spiritus dicuntur, Sacerdotia simul ampla, tum a Pontifice Maximo, tum a Cardinale Altaempsio consobrino suo, impetravit, quae praeberent alimenta collegio: & collegium postea ipsum, amplitudini simul & salubritati consulens, transtulit qua nunc Regum domicilio suffectura moles vaste assurgit. Sacrae virgines, quae ibi prius habitarant, in Monasterium translatae, cui priscum e Circo cognomen ex eo manet, quod Circus ibi olim fuerat. Intentum operibus hisce Cardinalem rursus invasit nonnullorum insectatio, qui veteres offensiones, quamvis desederat impetus, animo revolventes, vias omneis vexandi ejus ulciscendique doloris sui exquirebant. Ita, non Mediolani tantum, sed Romae etiam arte doloque eorum concitabatur invidia tamquam in periculosum ingenium Regi simul & Pontifici, quietique Ecclesiae totius, quam asperitate & ambitione sua perturbaret. Atque, ut contemtus simul tam perniciosi Pontificatus incresceret, manaverat compositus quidam eorumdem arte rumor, tamquam mandata Regis de amovendo, vel etiam in arcem conjiciendo Borromaeo jam allata essent. Credebatur id Mediolani, jactabatur Romae, & quidam Gubernatori nostro gratificantes, tum apud Pontificem Maximum, tum in Cardinalium aliorum colloquiis, nunc perplexe & ambigue, nunc apertius congruentia nonnulla ad eam famam & apte composita jaciebant. Haud dubie alienati multorum animi erant: cumque Concilium Provinciale quartum per eos forte dies editionis causa recognosceretur, infensa Patrum judicia erant, atque frequentes ibant in eam sententiam: supprimi Concilium id, aut emendari oportere, ob capita pleraque dura, & iniqua, & nova.

Caesar Specianus, qui postea Cremonae Episcopus fuit, Cardinalis negotia hoc tempore Romae procurabat. Is, cum exulcerata omnia & clausas pene aures aditusque fere negatos videret, ad Cardinalem scripsit: neque de approbatione Concilii, neque de rebus aliis posse impetrari justa, nisi veniret ipse, coramque adesset ac reconciliaret animos. In hanc sententiam scriptae litterae, cum super alias aliae mitterentur, Cardinalis, re cum suis consultata, Romam proficiscitur: fuitque non tam iter illud, quam pia peregrinatio suscepta exorando Numini, ut saniora consilia hominibus immittere vellet. In Camaldulense primo secretum, qua solitarii homines pertaesi mortalis vitae strepitum ac turbas, divini coetus imitatione nobilitant Apennini rupes, divertit. Ibi, per aliquot dies tuguriolo inclusus, sociusve Eremitarum, & precibus assiduis, & jejuniis, & omni alio rigore vitae obsecrare Deum institit, ut contra fatuas hominum mentes adesse laboranti Ecclesiae vellet. Inde transgressus in Alvernum montem, & pari sensu parique precatione veneratus Seraphici Patris inclyta stygmata coelestesque notas, postquam ibi quoque pietati satisfactum, ad Lauretanam aedem pedibus iter fecit: & quo augustior ejus religio loci, tanto commotiore ipse tenerioreque spiritu obversus in Divam, per primordia illa nostrae salutis, & per incunabula illa Christi, petebat e coelo felicem Ecclesiae suae rebus eventum, sanitatemque animis hominum, qui vexandam sibi hanc sumsissent. Manifesta & subita voluntatum atque animorum inclinatio, tum in Cardinalem ipsum, tum in Mediolanensis Ecclesiae negotia, quae agebantur, monstravit tam religiosi itineris mirifica compendia coelestemque fructum. Nam ex ea invidia, quam nonnullorum arte concitatam fuisse ostendi, tantus repente favor in Cardinalem est Romae exortus, ut cum urbi appropinquaret, ad ipsum excipiendum aula universa effunderetur. Sed, & multitudo caetera pene omnis ad visendum Dei hominem egressa impleverat vias, Sanctoque & Beato sublatis alte vocibus cuncti acclamabant. Inter ejusmodi acclamationes frequentesque occursus, deductus ille in urbem, Vaticano accipitur obvia statim invitatione Pontificis, qui hospitem sibi hunc optarat: ac per octo continuos dies inde una colloquebantur. De concilii difficultate inprimis, controversisque capitibus fuere sermones, & exitus in eo, ut Pontifex, cognita atque ad liquidum explorata sanctitate decretorum, & simul cognito quam essent inania, quae objicerentur, admitti id recipique concilium juberet.

Caeterum, ex eis colloquiis & paucorum dierum consuetudine, admiratio viri ceperat Pontificem Maximum, aulaeque Romanae Proceres: ac nullis deinde calumniis locus erat. Id patuit, ubi nova adversus Cardinalem legatio Romam venit, cui legationi responsum ita a Pontifice est, ut ejus responsi litterae, tunc suppressae pudore legatorum, post vigesimum deinde annum a Mediolanensibus ipsis prolatae fuerint inter testimonia alia, queis coelestes honores & Divi nomen Carolo eidem impetravere. Mansit autem in longum memoria Urbi nobilium exemplorum, quae Cardinalis, dum ibi moraretur, ediderat: ac per aliquot deinde annos, Principes urbis pariter, & ignobile vulgus, nihil tam celebri fama extulere. Nam statim ab necessariis cum Pontifice Maximo colloquiis, petita & aegre impetrata missione ex Vaticano, cum in S. Praxedis aedes se contulisset, per omnes eos Romanae commorationis dies ibi subsistens admirationi omnibus fuit. Sumebat mane cibum in triclinio, Cardinalesque & Principes Urbis subinde invitabat, ut alloquiis opportunis unumquemque ad officium & virtutem, prout erant hominum ingenia, sive negotia aliqua postulabant, hortaretur. Legebatur super mensam apte delectus aliquis ad ea colloquia liber: mensa erat, neque exstructa conquisitissimis epulis, neque per ambitionem parca, & simul ipse de sua nonnihil severitate remittebat, ne ea convivis rubori sive impedimento esset. Multorum ita composuisse animos, atque excussisse delitias fertur, quos inter, Cardinalis Guastavilanus ex Pontificis domo, & ea tempestate Pontificatus arbiter, admiratus quotidianae vitae disciplinam, & Apostolica instituta Borromaei, ad nonnullam ejus imitationem sese collegerat: familiaque ejus, & reliqui Pontificii homines aliquamdiu perinde habebantur. Pontificem quin etiam ipsum, accepimus, & rei divinae saepe interfuisse cum ille faceret, & sacrificales apparatus, queis ipse utebatur, pietatis causa contrectare voluisse. Adeo commoverat animos admiratio rerum ipsius, adeoque fama, tamquam de Sancto & Beato jam homine increbuerat. Natali Salvatoris nocte, pervigil in Vaticano, vel ad Praesepe cum egisset, noctibus deinde aliis, nunc ad Coeli scalam, quae dicitur, nunc in Martyrum cavernis excubias agendo satiari non poterat. Ad quaecumque prodierat loca, pauperum catervae aderant: nec minor eorum frequentia Monasterii fores obsidebat, quoties domi attineretur. In discessu, concessit ei Pontifex Max. nova Sacerdotia constituendis Helvetici collegii alimentis, quae jam abunde suppetebant: sed nationis ejus disciplinam ac salutem majore in dies animo Cardinalis agitans, accessionem collegio hanc optarat. Discessit ex urbe diebus iisdem, cum legati Mediolanenses ad conquerendum de severitate ipsius ingressi, terere limina & multorum fatigare aures coepissent: eaque ipsa res irritarat legatorum animos, quod spreti videbantur. Nam nisi id ita esset, cur tunc discederet cum ipsi venissent? Archiepiscopum profecto alium, qui Patriam, qui cives suos in aliquo numero haberet, ultro venturum fuisse, ut cognosceret populi unius querelas, dilueretque objecta, vel certe excusaret. Hunc, addito ad ingenii asperitatem etiam manifesto Patriae contemtu, cum praesens esset, posletque satisfactione aliqua delinire animos, voluisse sic repente abire.

Transactis cum Pontifice rebus, confectisque negotiis, quarum rerum & negotiorum causa Romam ierat Carolus, egrediens inde, Mediolanum redit haud minus memorabili ob sanctitatem communesque plausus itinere, quam quo profectus antea erat, impertiens, ut retuli, magna populis exempla quacumque incederet. Florentiae, cum ab urbis ejus Duce populoque rogatus, altaris mysteria per aliquot dies sua manu publice ministraret, composuit injecta religione animos: increpitaeque pri-

primores feminae ob luxum, inania ornamenta posuere. Ferrariam inde cum flexisset iter ob nonnulla quae cum Duce Alphonso, salutis ejus, & publicae quietis causa acturus erat, major animorum motus in ea urbe est factus, illustriorque res etiam fuit, quia celebrabant effuse Saturnalia Ferrarienses, atque dierum eorum licentia, & ingenio gentis in omnem lasciviam resoluti debacchabantur, cum finibus propinquare suis Cardinalem acceperunt. Ejus adventu ludicra intermissa, monitique cives edicto, ut Bacchanalium vanitate omni, tantisper dum in urbe moraretur ille, abstinerent, paruere. Plena histrionum & scurrarum aula, luxuque & amatoriis versiculis semper intentus ac diffluens illic feminarum virorumque coetus, per eos dies, pietatis & continentiae exemplum fuit. Non Saturnalium insaniam, sed hebdomadae sanctioris moesta silentia & quietem esse diceret quisquis intueretur Borromaeo intrante mutatum repente habitum civitatis aulaeque totius, atque ad modestiam composita cuncta Ducis aemulatione, quae sumtuum & luxuriae antea certamen hominibus illis injicere solita esset. Qua specie delectatus Hospes annuit, ut in templo maximo urbis concionaretur, vocatoque ad coelestes epulas populo, Sacramentum Eucharistiae publice ipse administraret.

Venetias inde proficiscebatur ob mandata, quae ad Senatum illum Principesque Reipublicae habebat, earumque rerum causa ibi exspectabatur. Civitas nihil praeter libertatem suam admirans, Senatusque & populus, aut arcanis imperii, aut trajectioni mercium unica ferme cura intentus, Cardinalis adspectu avertere a negotiis & politica torvitate animos, & huic uni dediti spectaculo, quamdiu aderat, egere. Ad Nuntium Apostolicum ille diverterat, ut, & rerum agendarum consilia cum eo communicaret, & vitata frequentia populique concursu, hospitio illo modeste uteretur. Statim adfuere cum Duce suo Principeque Reipublicae Senatores Veneti, & lautia Senatus nomine offerentes, ne accipere gravaretur, obsecravere: nec ipse abnuit. Adnotatumque est, cum magna Senatus ejus ambitio semper fuerit in Principum hospitiis, numquam sumtus effusiores in quemquam esse factos: & per novem continuos dies (tamdiu enim moratus ibi est) invitati Primores, alius alio die cum eo publice epulabantur.

Artem hanc fuisse Cardinalis ego comperi, ut obvia sic comitate praepararet animos ad ea quorum causa venerat, quae cum essent ardua cuncta & spissa, facilem interim ipso agente exitum ferme habuere: nec tamen omnia cujusmodi fuerint, ad intimos etiam manavit. Constabat, partem esse negotiorum, de Apostolico Visitatore Venetias mittendo, per quem Ecclesiastica ibi disciplina constitueretur: de adeunda per ipsum & constituenda Brixiensi Dioecesi: de Monachorum ordine uno ab solutis moribus ad pristina instituta revocando, quod & factum illico est adjuvante Cardinalis auctoritatem Senatu: caetera spatio indigebant, & in secreto tractata conjecturas hominum fefellere, historiamque hodie fallunt.

Confectis eis agitatisve rebus, concionatus etiam ad populum Venetum, & Senatus Patriarchaeque rogatu, sacra Communione celebrata, donatus vicissim ipse parte Reliquiarum, quae sanctitatis inclytae in D. Marci aede erant, discessit ex ea urbe Mediolanum versus, certantibus ad eum excipiendum, sive retinendum Imperii Veneti terris, quocumque pervenerat. Atque Veronensium in ea re studium & ardorem, tamquam specimen & exemplum caeterorum quoque pietatis, ponam.

Haec civitas, composito nobilium infimorumque agmine, obviam egressa Cardinali advenienti, cum eum in paratam hospitio sedem pene tota deduxisset, petere per Episcopum Magistratusque suos ac rogare institit, ut postero die manere Veronae vellet, ejusque diei mora populum ipsi unice deditum solatio afficere quod flagrantissime expetivissent. Si annueret maneretque, ajebant, destinatum eum extremae Bacchanalium lasciviae diem, ad pia studia, fructumque animarum, ipsos esse traducturos. Cumque ille, sibi properandum esse, respondisset, ut Quadragesimae ineuntis solennia posset celebrare cum Mediolanensibus suis: rursus, ut Christi corpus saltem ex ipsius manu postridie mane acciperent, petiere. Ea spes facta est, vigilatumque in urbe totam noctem, dum sacris confessionibus praeparantur ad coeleste convivium cives: quibus audiendis haud sufficiente Parochorum numero, subsidium e Monasteriis petitum, & infames alias tenebrae comessationibus lascivoque discursu, illustres fuere certamine trepidantium ad sacra tribunalia virorum feminarumque: ac rudior simul aetas trahebatur. Veteris Coloniae pietas in angustiis deprehensa illis gratissimum hoc Cardinali Archiepiscopoque suo spectaculum praebuit, qui pariter insomnem eam noctem agebat ob matutina opera, quae multa simul eum undique circumstabant. At Brixienses pietate etiam ad vim fere prolapsi fuerant, clauserantque portas urbis, cum transiens illac recta exire voluisset.

Ad eum modum, per ulteriores alias, citerioresque terras certatum est officiis erga Cardinalem, certaminaque illa populus Mediolanensis vicit ad multa millia passuum obviam effusus ubi per Venetorum fines adventare Provinciae eum sensere. Pervenerat enim quaedam tristis fama Mediolanum, haud amplius visuros esse Cardinalem, & invalescente in dies rumore, tamquam desperato ejus reditu moerebant. Eo major fuit laetitia in urbe, postquam vivere, & venire, & jam jamque adesse cognoverunt. Ab Trevilio & Puteolo (agri Mediolanensis haec sunt loca) quod viae intercedit fertque in urbem, totum id impleverant agmina occursantia Pontifici redeunti, eaque species etiam ipsi grata fuit, gratior deinde pompa, cum inter carmina Numen adorantis populi, gratesque agentis in urbem induceretur. Cum ea frequentia pioque concentu, & alto sonore campanarum templum maximum adiit: ac per dies deinde aliquot, Principes Urbis, Senatusque, & Gubernator venerabundi ipsum adibant. Auxerat absentia famam desideriumque Viri, & praesentem jam adesse gestiebant etiam qui abiisse paulo antea laetabantur.

Non diu tranquillitas ea mansit, statimque turbamenta renovantur eadem, ob quae Romana profectio suscepta Cardinali cum restinxisse videretur incendia, tantum sedarat: ut violentia majore mox saeviret illa sopita ad breve tempus flamma, rursusque cuncta permisceret. Nam legati, quos ad Bacchanalia tuenda Romam missos fuisse demonstravimus, posteaquam irritam suam fere legationem, seque a Cardinale Romae esse relictos vident, veriti, ne penitus excidisse de causa viderentur, ad suos scripsere: quoniam res in longum duceretur, nimiumque lente Romae judicia de controversis eis rebus exercerentur, ad spem obtinendae causae valde pertinere, si in Cardinalis ipsius conspectu forent usurpata & instaurata ludicra, quae ille sustulisset. Praejudicium in eo quoddam agi, ac si cessatum foret, posse videri ultro de victoria esse concessum. Cedendo autem & patiendo, nihil effici aliud, quam ut irritatus obsequio & patientia Cardinalis duriora deinceps alia injungere meditaretur. Gubernator, & sua sponte pronus nimium ad ista semper, & stimulis suorum incitatus, parari equestre certamen in primum Quadragesimae diem jubet, campumque ludicro elegerat eum, scilicet, ut ex Regia foroque praejacente, fremitus equorum tubarumque clangor in ipsam templi maximi molem proterve resonaret, apteque ad rem nobilitandam sumserat tempus ludis atque decursibus illud, cum Cardinalis ad recognoscendum ex Romana peregrinatione populum ingressus concionaretur, aliaque solennia obiret. Ac nobilitas quidem tota Mediolanensis ad eos decursus a Gubernatore invitata subterfugit, ne stadio impuro foedaretur, neve foedaret ipsa sacrosancti diei caeremonias: praefectus vero alae equitum unus alienigena est inventus, qui propere excitos ab Ticino turmales suos in Circum induceret, infelicis obsequii turpem gratiam inter alios pie contumaces eo die assecutus. Miseranda colluvies rerum, miraque diversitas, & in eadem parte Urbis conterminisque sedibus dispares

pares ritus, & quasi contrariae religionis facies. Cardinalis in templo circumfusus majore & meliore civium parte munera Pastoralia obibat, cum auctores Bacchanalium, intenti decurrentium equitum ludicro, speciem praebebant tamquam irriderent obsequium populi, qui Saturnalium eum diem eripi sibi passus, voluptatum & hilaritatis horas Quadragesimae silentiis oneribusque adderet, ac moestus interea templo attineretur. Neque tacita ea irrisio, vel occulta fuit: sed emissi in forum equites contra templi valvas stetere, tamquam, non illuderent modo, verum etiam ad deserenda sacra ludosque visendos invitarent. Jam Cardinalis, omni alia perfunctus caeremonia diei ejus, atque administrato altaris Sacramento, & divina refectis dape cunctis, de magnitudine Mysterii concionabatur, impertiebatque populo salutem & benedictionem Apostolicam, allatum Roma munus, cum repente tubarum sonus multiplici alio virorum equorumque strepitu confusus exoritur, neque dubitatum quid rei esset.

Narravere postea, qui tunc Cardinali ministrabant, magnopere dubitasse ipsos, ne, ob negotii atrocitatem, in dicendo perturbaretur, neve etiam illico e suggestu descenderet. Adeo, & strepebant cuncta exsultatione ludorum, & Basilicae gradibus equites ipsi insultabant. Sed Cardinalis, nullo alio perturbationis edito signo, quam ut subsisteret paulisper, attolleretque in coelum oculos, constanter ad finem perducta concione, ita peroravit, ut admiratores facundiae ejus, nusquam alias, aut vi, aut ordine majore ipsum usum fuisse, affirmarent.

Postero die promulgantur anathemata in omnes, qui id equestre certamen adornando, & ineundo celebrandoque, violassent initia Quadragesimae, primique diei religionem, & antiquas recentesque censuras. Promulgato in hunc modum anathemate, Gubernator ipse cum familia sua notatus censebatur, alteque premebat dolorem. Caeteri, quive interfuerant, quive decurrerant, quive opera & ministerio aliquo foedati erant, manifestius trepidavere. Horum varia sors fuit. Pars, a Cardinale absoluti, Gubernatoris ira ob id ipsum in vincla conjiciuntur: pars, horum exemplo deterriti, in vinculis aeternis exitiabilique contumacia perstabant. Quosdam eorum, inter humanarum poenarum & exitii sempiterni horrorem prave cunctantes, vitae finis oppressit: alii superstites mansere, suntque absoluti, postquam, vita functo Gubernatore, nullus erat qui minitaretur. Namque Gubernator, exeunte jam Quadragesima, correptus morbo, cujus causas medici explicare non potuerunt, cum per aliquot dies in nulla spe animam traxisset, exstinguitur: adfuitque Cardinalis in extremo discrimine, & bene moriendi stimulos atque hortamenta addidit, in id ipsum ex Brixiensi Dioecesi quam obire instituerat, accepto nuntio propere Mediolanum regressus.

Is certaminum cum Gubernatore finis, functusque Cardinalis ultimo hoc erga eum officio, &, sexta Synodo habita rediit in Cenomanos lustrandae Dioecesis causa, ex qua revocatus fuerat. Vasta ea Dioecesis, non solum magnitudine, sed etiam difficultate finium, sinuatur in cavas valles, assurgitque in montes asperos, queis congruunt incolarum ingenia, raris humani cultus vestigiis, & una cum hominum moribus, Christiana etiam disciplina passim sylvescente. Sunc aliqui recessus contermini terris Haereticorum, atque nonnihil inde etiam traxere. Clerus in urbe nobilibusque municipiis, qualis vel alibi esse, litteris & modestia quaesitissimus possit: apud montanos pagos & devia rura, squalor & inscitia eadem Clericos popularesque involvebat. Cardinalis, inspecto Brixiae Urbis statu, & scriptis illic opportune legibus, Ecclesiaque ordinata, cum Vallem Camonicam aditurus esset (hoc nomine regio est in Brixiensium finibus finitima Rhaetis) timor & suspicio incessit Venetos, ne gens, suo & accolarum ingenio male quieta turbaretur. Ideo agere cum Cardinale instite-runt, ne iret ipse, potiusque destinaret alium, quem nominaturi ipsi essent, qui familiarior molliorque genti, suspecta illa ingenia apte ad quietem rerum tractaret. Tantum enim esse licentiae hominibus eis, tantumque contagii ex vicinitate Rhaetorum, ut leniri, non secari vitia oporteat, flectique, non frangi. Ea ipsa res, quae pro impedimento afferebatur, incitamentum Cardinali fuit, ut vellet ipse adire loca illa, coramque experiri. Adiit igitur, & praeter opinionem Veneti Senatus, absque contumacia tumultuve ullo, novum censorem, novamque disciplinam accepere agrestes, quibus nulla ruris simplicitas, & omnia civium vitia erant. Ibi Sacerdotes & Parochi tamquam in connubiorum morem implicitis scortis, ultro Cardinalem adiere, sua fatentes dedecora: enixeque obtestantes, ut praeteritorum sibi venia esset, modestiam in posterum Ordini suo convenientem pollicebantur. Quos Cardinalis admiratus, benigneque amplexatus dimittebat, identidem profitendo inter suos, nulla usquam se adisse loca, Ecclesiamve nullam invisisse majore animi sui fructu ac jucunditate ob tam faciles ad meliora animos, adeoque mollia pectora sordibus exuendis, ut habitus etiam inveterati repentino lucis adspectu dissiparentur. Sed populi praecipue unius versa ad pietatis & obsequii laudem contumacia delectaverat eum atque exhilararat: remque & loci nomen tradam.

Planenses fuere incolae haud ignobilis in Valle Camonica pagi, qui recusabant ferre decumas & pacta antiquitus tributa Brixiensi Episcopo, eaque recusatione ad omnem praeterea contumaciam impie prolapsi, carebant communione sacrorum, temeratique & infames manebant. Hi homines, transeunte per pagum eum Borromaeo, obviam circaque effusi, positis humi genibus salutarem ab ipsius manu notam benedictionemque exspectabant. Ipse, comperta secessione gentis, adpressa pectori dextra praetervehebatur tamquam indignos, nullaque pacis Apostolicae nota impertiebat. Quod ubi veluti profanos se atque contaminatos praeteriri viderunt, sublatis alte vocibus, divinam exposcere pacem atque misericordiam coeperunt, & cum eo clamore Cardinalem abeuntem facto agmine insequebantur. Moverant Pastorale pectus hae voces, & misericordia quae petebatur e coelo, mitem Viri animum tetigerat. Pergit ire tamen, quo plus sollicitudinis injiciat, veniaeque sitim negando, addat. Cum sequi & clamare perseverarent, Episcopum e suo comitatu unum subsistere, atque cum eis agere de reconciliatione jubet. Joannes Baptista Centurionus erat e Genuensi nobilitate, Mariani in Corsis Episcopus, qui Cardinalem disciplinae cognoscendae causa sectabatur, magnaeque ejus hominis virtutes, & magnum in re Ecclesiastica studium ea tempestate celebre fuit. Statim eo audito, cognitaque irae Cardinalis causa, satisfecere Brixiensi Episcopo, decumisque persolutis, veniam ab eo impetravere, & Cardinalis, in reditu populum eum publice affatus, atque alia omni Pastorali comitate amplexus est, ita ut in posterum etiam caros haberet ac tutelae suae duceret.

Studium inde, piaque cupido Cardinali erat adeundi Deiparae Virginis aedem, quae ad Tiranum in Vulturena Valle miraculis & concursu piorum inclyta aedes nobilitat eos tractus, atque inter Haereticos ea tempestate accolas arguebat insaniam: nunc deleto Rhaetorum dominatu, solatium & gloria regnantium ibi Catholicorum manet. Junguntur inter se brevi confinio Valles Camonica & Vulturena, motusque ea vicinitate Cardinalis, adit aedem. Consilium erat, infectam Calvinismo gentem, ea occasione per Principum colloquia tentare, num sanari remediis aliquibus posset, ac de ea re cum Pontifice Maximo nuper communicata consilia habebat, Episcopumque Novocomensem, in cujus Dioecesi Vallis est, ut cuncta recte atque ordine fierent, consuluerat. Hac mente consilioque profectus per Aurigae salebras (id Monti nomen) pedibus iter fecit. Peregrini habitu bacillum manu tenens incedebat: Episcopus Centurionus paucique familiares sequebantur, aegre vestigia praeeuntis aequantes. Tantus eum ardor auferebat impetusque ad Deiparae inclyta templa perveniendi. Subsistebat tamen, cursumque inhibebat, quoties, aut agrestes aliquos in itinere obvios habuerat, aut ad pagum subinde aliquem pervenerat. Ibi monere, hortari,

tari, docere, quam exitiabilis & perversa disciplina Calvini: Catholicam fidem se magistro & auctore amplecterentur, neve ultra pergerent iter fallax atque perniciosum. Talia concionabundus ibat, montanique perculsi dictis animos erigebant. Sed moerorem Cardinalis animo intulerat dira species, spectaculumque triste, cum Sanctorum imagines ludibriis contumeliisque affectae, & vulneribus passim truncatae inhonestis, circum montana illa rura occurrerent.

Superato Monte, degressus in Vallem, obvios habuit Primores Vulturenorum, populumque ipsum ex pagis undique confluentem, & ex Rhaetorum gente sedentes ibi Magistratus. Rogabant ultro: ingrederetur, sapientiaque & auctoritate sua prodesset Genti. Praetor quin etiam ipse, petito secreto, affirmavit, pollicitusque est, brevi se Catholicum fore, expositis etiam caussis, ob quas necessario cunctaretur. Ut vero ad Deiparae aedem ventum est, ac postero die, quae Dominica dies erat, inter sacrificii solennia concionantem audivere Cardinalem misti Catholicis Haeretici, assentiebantur sane omnes, serioque de conversione sua cogitabant: sed humanae res, & sua cuique sordida utilitas, emergere cupientibus impedimento erat. Nam, aut Magistratuum, aut fortunarum retinendarum dulcedine tenebantur, neque poterant ista retineri, si a prava illa religione discessum esset. Sprevere tamen vilia damna nonnulli, & salutem aeternam, inanibus momentis antehabuere. Si diutius in ea Valle commorari Cardinalis potuisset, ajunt, creduntque, multo plures a Calvini secta recessuros fuisse: ultroque, ut subsisteret, obsecrabant. Sed volenti reliquam obire Dioecesim, ut, revocantibus Ecclesiae suae negotiis, quamprimum esse ad Urbem posset, longior ibi mora non placebat.

Trompiae Vallis in eadem Dioecesi praecipue stimulabat animum calamitas, ob inquinatos illic Haeretica tabe pagos, quam stolida pectora temere admissam, obstinate fovebant. Gens, asperitate loci cavoque recessu, torva, & inculta, & disciplinae expers effodit cuditque ferrum, malleisque & antris, & fornacibus perpetuo attinentur. Sic instituere avi, perseverant nepotes: ac domus inter ferramenta totae, pari animorum duritia rigent, & contumacia nescia flecti moribus inest. Hos adire homines volebat Cardinalis, muneri Apostolico parum esse satisfactum putans, nisi remedia aliqua serpenti intra Provinciae fines malo admovere maturasset: idque non ad Brixiensem modo Dioecesim, quam invisendam firmandamque susceperat, sed ad Metropolitana etiam jura pertinere arbitrabatur, ne angulus ille relinqueretur Haeresi contaminatus. Itaque tentatis exiguo fructu Vulturenis, mox relicto eo alienatae Provinciae negotio, cum ad Trompios istos, qua dixi, cura, & festinatione descendisset, potuit primo statim ingressu cognoscere quam importuna ingenia & infensa veritati essent, & quam difficile negotium cum ea gente ageretur. Cardinalis adventu, nomineque ipso nihil moti fossores, antris, & officinis caminisque suis haerebant, ut ne capita quidem operibus intenti attollerent. Ut vero ad Gardonum (id Vallis Trompiae caput est) sacratam olim, tunc prope profanam aedem ingressus solenni pompa Cardinalis, & campanae strepitu, & dimissis circum antra nuntiis excibat ad sacra contumaces illos, surdae nihilominus erant aures, & alia potius omnia agebantur. Imbuti pravis opinionibus, & Ecclesiae Catholicae auctoritatem contemnere assueti, neque cujus rei caussa, neque a quo vocarentur, pensi quidquam habebant. Acrioribus remediis opus esse cum appareret, Catholicos ex eodem pago nonnullos, qui pie atque obedienter ad cuncta aderant, alloquitur Cardinalis in eam sententiam ut diceret: *Si Apostolica mansuetudine & auctoritate, qua venisset, nihil efficeretur, usurum ipsum esse Principum auxiliis, quorum intersit, Catholicum in Italia nomen atque conservatum per tot saecula decus, nulla labe inquinari.* Haud dubie vim & arma tamquam in rebelles designari sensere: statimque fama haec ad eos perfertur. Tunc, quos neque majestas Apostolici Visitatoris Archiepiscopique tanti, neque cura ulla religionis moverat, excivit ex latebris timor, verentes, ne aut immisso milite trucidarentur, aut publicatione bonorum, malove alio praesenti contumaciam luerent. Prodeuntes e specubus ad templum undique ibant torridi & intonsi, & efferato ore mortales, queis truculentiam atque deformitatem addebat ea ipsa res, & sedens ira animis, quod prodire coacti erant. Postquam in templo stetere, turpis ac ferruginea turba, concionem orditur Cardinalis, quae voce quidem humana efferebatur: caeterum, & divino spiritu concepta fuisse verba illa, & divinitus admota animis, exitus ipse declaravit. Namque mutatis repente sensibus universi (alios plane diceres) veniam & salutem indiscretis vocibus ac promiscuo clamore poscebant. Tanta ea conversio fuit populi nuper rebellis, ut, abeunte postea Cardinale, collacrymarentur omnes, ac precibus eum retinere conati, postquam nihil proficiebant, piacula omnia vitae superioris, & in posterum subsidia Catholicae fidei, munimentaque salutis efflagitare non desinerent. Satisfactum genti est, relicto ad constituendam ibi disciplinam Episcopo Marianensi, & datis e Societate Jesu Patribus, qui praedicatione divini verbi, omnique alio Pastorali munere populos eos intra paucos dies ita excoluerunt, ut, agrestes antea, & feri, & Haeretice contumaces, cuilibet jam, non Catholicae tantum, sed etiam bene moratae civitati compararentur.

Pergebat inde Cardinalis adire & invisere loca omnia, quacumque Cenomanorum fines, & Dioecesis illa tota pertineret. Adiit Benaci accolas, Vallemque Sabiam, & qua Tridentinis Alpibus extrema & asperrima finium miscentur. Circum ea loca composuit praepotentum virorum inveteratas inimicitias, hominesque sanguinarios, in caedibus, & ex caede viventes, auctoritate sua, atque injecto divini judicii terrore subegit, ut pace in posterum otioque delectarentur. Exsules ferme erant ob facinora pulsi domo, aut sponte profugi: versique deinde in latrocinium, incendiis, & raptu, & in resistentes, ferro saevitiaque omni, Cenomanorum pagos vastabant. Obsidebantur itinera per eos, neque erant in ullam partem liberi commeatus, pervadente in urbes ipsas terrore, & perculsis Magistratibus ob eam Veneti imperii calamitatem, cui lenta, & ad eam diem irrita remedia exquirebantur. Cumque tanta in publicum licentia esset, haud minus inter ipsos per odia mutua saeviebatur: & contrariae acies adsistebant saepe campis, aut struendo invicem insidias duces partium dira arma circumferebant. Quatuor agmina exsulum, totidem duces fuere, per quos infesta itinera vitabantur haud secus quam cubilia ferarum, cum vestigia caedis & latrocinii ubique aliqua exstarent. Cardinalis, hoc etiam malo liberare Dioecesim volens, capita ipsa cohortium sceleratarum in primis tentanda esse duxit, si forte mitigari & salubribus flecti consiliis possent: estque cum Bertazolo, & Sala, & Clerico, & Advocato (nomina ea Principibus latronum atque exsulum) paterne collocutus. Illi permoti gravitate objurgationum, & majestate Viri, vera esse quae dicebantur, ajebant, sed rerum suarum inexplicabiles tricas narrando, spatium petebant, quo interposito, pars positis inimicitiis inter se junxere dextras, latrocinioque relicto, reditum in urbes tentavere: caeteri exsilium & scelera, & implacabiles animos continuavere. Quantopere autem moverentur efferata exsulum pectora Cardinalis auctoritate & adspectu, declaratum est ipsorum trepidatione diffugiisque, & rursus obsequio ac reverentia, cum aliquoties invicem obvia fuissent agmina, hinc atrox & saevum, inde Apostolicum & mite, ducesque tam dispari habitu. Petiere quin etiam aliquando, ut rei divinae, sacrificante ipso, interesse possent, &, aut positis telis intravere inermes, aut ad valvas stetere armati: Comitemque Octavium Advocatum ferunt, cum telum unum ob suspiciones intulisset, haud aliter id quam stratum humi pedibusque subjectum tenuisse. Ea modestia desperatis hominibus erga majestatem praesentiamque Cardinalis incedebat, cujus admirandae rei exemplum aliud insigne memorabo.

Constituta Brixiensi Ecclesia, actisque quae per Dioecesim

cesim agenda erant, cum Mediolanum inde Cardinalis rediret, pervenerat ad nobile forte municipium, quod Martinengum dicitur. Jam multa processerat nox, & clausae municipii portae erant vagantium exsulum terrore, queis munita & immunita cuncta aggredi, vel tentare per tenebras audacia erat: & ei praesertim loco minitabantur atque imminebant. Ita exclusa municipio Pontificia cohors Pontifexque ipse, deviam unam ignobilemque ibi in vicino cauponam adiere, quae ipsa praeventa paulo antea latronum eorum globo claudebatur haud minus, quam portae ipsae municipii, cujus populum globus ille terrebat. Adesse Cardinalem ut sensere exsules, per omnia loci diverticula trepidant exsurguntque: baltheorum & armorum aleaeque obliti, moliuntur propere claustra, Pontificemque cum suo comitatu reverenter intro accepere. Relinquunt cubicula, quae occuparant, immiscentque sese famulis & jumentis, & audent ministrare Cardinali, poscentes ut stare in conspectu & adspicere contra atque alloqui fas esset. Ille multum obsequio delectatus, obsequia tamen potius alia requirebat, saluti exsulum intentus, quos deinde alloquendo & cohortando, totam fere noctem consumsit. Affirmavere singuli eorum, velle ipsos, exsolutis primo quoque tempore vinclis emergere ex tam infelici vita, consulereque saluti & famae: ac sicuti polliciti erant, ita etiam, alii statim, alii spatio interjecto abibant a turpibus signis, & paulatim cohors illa dilapsa latrocinium deseruerat, atque ad bonam frugem, qua quisque via potuit, rediere.

Postridie noctis ejus, quae ad Martinengum salutifera exsulibus fuit, cum Cardinalis summo mane abiret, properans Mediolanum ad Ecclesiae suae negotia, quae Pontificis absentia exasperarat, voluerant facto agmine prosequi ac deducere abeuntem, jamque circumstiterant in equis, & una abibant, nisi ille, remanerent, iterum iterumque jussisset. Rem longe gravissimam agitare coeperat, coquebatque animo, ut, misso in Hispaniam certo homine, de Ecclesiae statu quam verissime edoceret Regem, atque multorum artificia anteveniret, qui Regias aures calumniis & sinistra rerum interpretatione onerabant, ac novo designato Gubernatore, mendacia tanto magis haec timebantur. Ejus negotii, adornandaeque legationis causa festinatio incesserat Cardinali, exsulibusque dimissis, eodem die Mediolanum pervenit. Legatio autem parabatur, non splendida & magnifica in pompam, sed composita ultro ad modestiam, & silentium, & latitandi artes, ut, & infense captantes negotii arcana Regios falleret, & simplicitatem confidentiamque mittentis testaretur. Clericus eligitur unus ex Barnabitarum Ordine, de cujus Ordinis origine, utque Mediolani per Cardinalem ipsum constitutus fuerit, memoravi. Nomen Clerico Carolus Basgaperius (familiae ejus homines, ex Basilica Petri corruptam hanc esse appellationem autumant) studia ei mixta ex forensibus sacrisque litteris: & in Cardinalis ipsius familia fuerat olim, Novariaeque demum Episcopus haec ipsa litteris madavit. In Cardinalis Riarii comitatu, qui diebus forte iisdem Pontificis Maximi legatus ad Regem proficiscebatur, prospere emensus iter, tricesimo postquam dimissus erat die pervenit in Aulam. Ad primum Lusitaniae finem, per eos dies, in urbe, que Paxaugusta dicitur, Aula constiterat, ob bellum, quod ejus Regni causa hoc tempore gerebatur: atque in magno tunc rerum discrimine occupatus Rex haud sane negotiis aliis vacabat. Basgaperius tamen admittitur, cum se Mediolanensem esse Clericum, mandataque, & sacrum ab Archiepiscopo suo donum afferre dixisset. Attulerat conditum in argentea theca corpusculum Infantis, ex eorum numero, quorum promiscua caede furor Herodis, Christi caedem quaesivit. Id coeleste pignus, & reverenter accepit Rex, & cum gratias quoque largitori absenti effuse egisset, libenter auditurum se esse dixit quaecumque ejus nomine exponerentur: sed melius facturum esse Clericum, si perscripta ordine cuncta edidisset. Clericus ajebat, habere se nonnulla, quae coram agi Majestatis interesset: annuitque Rex, & tertio post die, alloquendi potestas facta. Summa haec fuit: *Cardinalem Sanctae Praxedis, statim ubi Mediolanensis Ecclesiae curam acceperit, nihil prius, neque antiquius habuisse, quam ut tolleret vitia, quae in publicos mores calamitate temporum irrepsissent, remediisque ad eam rem usum fuisse primo lenioribus, deinde aliis etiam postquam Pastoralia monita non proficiebant. Ad Apostolicae potestatis tela necessario esse deventum anathemata & censuras, ut coelestium poenarum terrore continerentur, quos verecundia peccandi nulla contineret. Haec remedia potius asperasse animos: motaque nonnullis ira, haud aliter quam si delendae Ecclesiae consilium inissent, omnibus eam injuriis licentiaque vexasse velut immemores Catholicae Majestatis, in cujus imperio haec fierent. Dato deinde nonnullis hostili in publicum exemplo, multitudinem etiam pari protervia esse concitatam, &, manante latius imitatione, Clerum ipsum atrociora coepisse audere. In Scalensis templi vestibulo intentata tela Pontifici, & inventum Sacri Ordinis desertorem, qui, ob patrandam caedem, accepto a conjuratis pretio, pessimi exempli facinus ediderat, nisi praesens Numen, disploso jam sclopo, vim plumbeam inhibuisset. Gravia haec & acerba fuisse Cardinali, sed illud longe acerbissimum, quod iidem, ab quorum alienatione initium talia audendi ortum fuisset, potuissent etiam confingere crimina tamquam in rebellem sui Regis, insidiantem Imperio Majestatique ejus, & Urbem Mediolanum Pastoralis officii simulatione captantem. Tali namque calumnia ipsum esse circumventum, & verberatas etiam hoc crimine Regis aures, Aronensemque arcem, quae vetustissima possessio familiae Borromaeorum fuerit, ob id crimen ademtam Genti, cui nulla per Insubriam gens fide & obsequio erga nomen Austriacum sese anteponere queat. Materiem vero tam infestae accusationi arreptam fuisse ex eo, quod piorum hominum sodalitia, quae divino cultui augendo Cardinalis instituerat, dicerent, parari fidas ei Archiepiscopo manus ad vim suo tempore faciendam quandocumque matura res foret. Eadem calumnia laceratum esse pium aliud opus: dispositas, scilicet, per omnia compita Cruces, quae prohibendis flagitiis & exercendae pietati excitatae, asyla improborum, & occupandae paulatim Urbis esse tentamenta dicerentur. Ad eum modum sinistre cuncta accepta esse, &, cum ex Quadragesimae religione tollere Bacchanalium licentiam, ludosque, & alia profana vellet Cardinalis, exarsisse Gubernatorem, tamquam ob turbatum Reipublicae statum Majestatemque violatam, ac super eo negotio missas Romam esse legationes, praebitaque ibi spectacula parum digna Catholica gravitate. Concionatores quoque corruptos, spe praemiorum & Regiae gratiae blandimentis, ut Cardinalis instituta omnia e superiore loco insectarentur, jacerentque convitia in eum, scilicet, ne quid auctoritatis ei apud populum maneret, atque increscente contemtu ipsius, decreta simul vilia essent, & ad ea obtinenda vile nomen Archiepiscopi.*

Haec & alia, Basgaperius, cum Rege audiente dixisset, orabat ad extremum, ut capita controversa, quae essent (ea perscripta ordine ediderat) non Regiis de more consiliariis, ingeniisque civilibus, sed delectis ab innocentia & religione viris dijudicanda permitterentur. Didacus Chavesius e sanctissimo Dominicano Ordine, quo Rex ipse ad sacras confessiones utebatur, est datus, qui de controversiis eis referret, isque cum Basgaperio postea collocutus, & dierum aliquot consultatione capitibus cum eo collatis, retulit ad Regem: tam justam esse causam & postulata Cardinalis, quam etiam ipse justus & sanctus. Nihil eorum ab Imperii securitate videri alienum: potiusque praesidia parari Provinciae urbique Mediolano, si res ibi Ecclesiastica cum Pontifice suo florentissime tranquillissimeque agat: & annuebat Rex. Sed mora negotiis intervenit ob aegritudinem subitam, quae Regi simul & Reginae acciderat.

Ubi morte hujus, res Catholica defuncta periculo est, confirmatusque Rex ex gravi ac periculoso morbo repetebat Imperii curas, Basgaperius rursus admittitur, & ultimo cum Rege colloquio accipit responsa, quae mitissima domum referret. Inter caetera dictum ei est: novum Gubernatorem, qui Mediolanum primo quoque tempore mittendus esset, consentanea responsis eis mandata habiturum, ut uno animo cum Cardinale Provinciam administret. Datae ad Cardinalem ipsum litterae sententiam hanc habuere: *Supplex Numini pro in-*

*incolumitate Hispaniae Regnorum & salute Regis esse pergeret in posterum, sicuti semper antea sanctimonia precesque ipsius, Imperio, Domuique & nomini huic salutares fuisse crederentur.* Inerat etiam consilium & admonitio Regis: in tantis hominum vitiis, tamque prona ad peccandum mortalitate, considerandum Cardinali esse, num melius expeditiusque foret remitti & condonari pleraque seculo corrupto, quam severe exigere cuncta ad ejus vitae normam, qua sortem & miserias humani animi ipse excedat.

Cum hujusmodi litteris & dictis dimissus ab Rege Basgaperius redibat domum, admodum opportune laeta cuncta Cardinali annunciaturus. Namque, dum proficiscitur in Hispaniam ea legatio, dum aguntur ista apud Regem, dumque responsa haec afferuntur, haud sane tranquilli quidquam Mediolani fuerat, & modica per Sanctii Ghevarrae interregnum spes quietis, quae ob viri ejus religionem affulsisse visa est, sub ipsum Basgaperii profectionis tempus nova hominum importunitate turbata erat. Nosocomium Mediolani est, quod a Francisco Sfortia, nominis familiaeque ejus Principe, haud ita magnis initiis fundatum, civium postea legatis concessionibusque Pontificum adeo crevit, ut Insubrum hodie magnitudinem & opes Urbis, vel unica ea domus testetur. Archiepiscopo Mediolanensi, sicut alibi demonstratum est, jus & administratio Nosocomii ejus jam inde antiquitus manet, delectique ab eo quotannis ex Nobilitate Cleroque homines, queis pietatis & prudentiae par laus, rerum ibi summam, & vectigalia ampla dispensant. Adest ei dispensationi rebusque gerendis velut ad Regia jura conservanda unus, quem & Regium Adsistentem ex eo munere dicunt. Voluerat rerum earum statum & hospitales eas fortunas ac negotia cuncta forte recognoscere Cardinalis, eamque inspectionem mandaverat Joanni Fontanae Vicario suo, qui postea Ferrariae Episcopus fuit. Is Fontana, cum in rem praesentem venisset, atque exsequi aggrederetur, coepit tumultuari Regius Adsistens, librosque rationum abscondit, & Praefectos alios instigabat, ne admitterent exemplum, neve obnoxia esse Archiepiscopo Regia jura paterentur. Ita etiam illi ab Regio Curatore inflati & contumacia impleti detrectavere jurisdictionem Cardinalis Vicariique Fontanae, haud interea reputantes ab quonam in id munus electi adscitique essent. Sed iste quidem, obnuntiante Fontana, dirasque intentante, perculsi statim obsequium sumsere: Custodi Regio, quo minus in sua sententia perstaret, non bene, non maledicta, non hortationes aut minae sanam mentem injicere potuerunt.

Cum is omnem Ecclesiasticam auctoritatem ab rerum earum administratione prohibere, sicut principio instituerat, pergeret, porroque conaretur: ad anathemata itum, quae pariter detrectabat, proferendo quaedam Ordinum militarium privilegia, quorum jure immunis ejusmodi coercitionum esset. Ob id, adversus Cardinalem, per litteras, sive per amicos, Romae simul, & in Hispania tumultuabatur, atque haec haud parva contentio exorta Mediolani erat interea, dum controversiarum aliarum finem benigne acceptus & dimissus ab Rege Basgaperius tentat ac refert. In media litis hujus perturbatione ac dissidio non omiserat Cardinalis susceptam illam aliquanto antea curam, ut Helvetiorum genti consuleret, ac sicuti Cucullatos Franciscanos jam ibi collocarat, ita Jesuitarum quoque collegia fundaret erudiendae juventuti, quod probatum Principibus Gentis, & missos ab ipso Patres laeti accepere. Collegia duo eorum intra paucos dies stetere, nationis haud dubie praesidia & salus, Luceriae unum, Bibulgi alterum, opportuno utrumque loco ad bonarum artium studia impertienda Helvetiis, Catholicamque religionem qua vigeret, alendam, qua foret exsul & profuga, restituendam. Monasteria Capucinis ibidem, principio, unum item & alterum, deinde nonnulla alia, postremo ad tredecim inchoata Auctor ipse operis vidit. Haec in dubiis Ecclesiae rebus, magnaque ob incertum adhuc exitum sollicitudine meditabatur agebatque Cardinalis nullo non tempore, saluti suorum pariter alienorumque intentus.

Basgaperius inde aderat laeta ab Rege cuncta ferens, adventuque ejus, & renuntiata per ipsum legatione valde recreatur animus, quem curae angebant. Constabat exhilaratum ita Cardinalem etiam impertiisse familiaribus suis gaudia, ac dixisse intimorum uni: laetandum esse universis, quod, tranquilla in posterum pace, nullo interpellante tumultu, Deo, & Ecclesiae, & saluti animarum inserviendi facultas magna quaedam orietur. Mandasse novo designato Gubernatori Regem, ut rem Ecclesiasticam tutela favoreque complectatur, & una mente cum Archiepiscopo vivat. Ita, & sibi, & venturis deinde post ipsum aliis expeditiora fore cuncta, ut pergant Apostolicum iter humanis curis & certaminibus vacuum: adfuitque propere cum eis mandatis & apto ad mandata animo novus Gubernator.

## *LIBER XV.*

LIBER jam hinc omni molestia Carolus, arbitratu denique suo hoc tempore occupaverat animum. Octava Dioecesana Synodus indicta erat, non tam ob nova decreta, queis vergens jam ipse ad finem firmare Ecclesiam statuisset, quam ad id, ut exigeret ab universo Clero religionem atque observantiam in eis exsequendis, quae praescripta olim haberent: & negligi quaedam eorum constabat. In ea Synodo conquestus gravissime est, increpuitque Clerum, quod salubriter constituta superioribus Conciliis, per incuriam oblivionemque dissolverentur, & paulatim ad pristina vitia, tum disciplina sacrorum, tum vita hominum rediret. Ei malo, partim severitate objurgationum, & privatis ad Cleri totius capita monitis, partim per alia decreta remedium paravit ne incresceret: eaque summa octavae Synodi Dioecesanae fuit. Sed occasione conventus, & frequentiae Cleri, translatio Reliquiarum, celebrata est, quas in reficiendo D. Vincentii Sacello, moveri loco per eos dies forte contigerat: suntque in Protomartyris aede repositae, commotis omnium animis, haud minus ob coelestia pignora praesentesque Sanctorum exsuvias, quam ob Cardinalis ipsius mentem, quae contemplatione earum immixta coelo cernebatur, & pars maxima pompae haec erat. Transtulit paulo postea Reliquias etiam trium aliorum Martyrum, Basilidis, nimirum, Naboris, & Cirini, quas in D. Celsi aede marmorea arca sub terram abdita occultarat. Ea cum inter fodiendum reperta esset, nuntiassentque Cardinali Patres, accessit ipse cum duobus Episcopis, Novariensi & Vercellensi: dimotoque operimento, laminis inspectis, pie veneratus ossa, instruxit suo more quam magnificentissime agmen, & tantae rei thesaurum populo ostendit, abdiditque rursus honestiore secreto.

Interim nuntiatur, Mariam Austriacam ex Boemia in Hispaniam proficisci, atque iter habere per Provinciae nostrae fines, & jam jamque adesse. Soror haec Catholici Regis erat, filia Caroli Caesaris, Ferdinandi primi nurus, Maximiliani uxor, Rodulphi mater: atque haec decora nominaque Imperatorum, non tantopere decorabant Reginam, quantum ornamenti ipsa patriis, & mariti penatibus attulerat ob eximias animi virtutes, quas aetas illa admirata est. Pacata Lusitania, Rex Philippus magno bello victor, ad Regnum illud administrandum exciverat Sororem, scilicet, quia neptis haec Regis Emmanuelis esset, sperans Genti acceptam posse esse, minusque offendi Lusitanos mutatione rerum, & translati Imperii sorte quae acciderat. De Reginae per Provinciam transitu, ubi Cardinali est nuntiatum, statuerat eam ita excipere, ut grata officii recordatio apud Regalem pium animum mulieris, Ecclesiae rebus prodesset: simul volebat ei exponere nonnulla, quae per ipsam in colloquio Regis adhuc fieri posse commodiora incesserat spes. Namque post Basgaperii legationem, & novi Gubernatoris adventum, exasperati rursus Magistratuum animi erant, & veterum controversiarum finis principium novis erat litibus, dum scilicet pars nostra,

stra, usurpando acquisita jam & concessa jura, aemulatione & dolore turbat Regios, qui, ne succubuisse viderentur, contra assurgebant. Cardinalis igitur, simul humanitate erga Reginam officioque necessario, simul Pastorali stimulante cura, adire & alloqui eam volens, Brixiam usque progreditur, ibi praesto futurus ad primos suae Metropolitanae jurisdictionis fines, qua Regina ingrediebatur. Breve ibi, sed perquam familiare colloquium fuit, accipiente Cardinalem Austriaca tamquam humano fastigio majus aliquid, & pollicente ei omnia, quantum vel per se efficere, vel precibus & auctoritate contendere ab Rege suo, ministrisve ejus posset.

Brixiae cum officii colloquiique ejus causa moraretur Cardinalis, diversatus est apud Hieronymum Luciagum, urbis ejus civem, qui magnus ea tempestate Caroli imitator fuit, & Carolus vicissim, ipsum sibi in studio poenitentiae anteponebat. Haec inter duos Sanctos homines certamina verbaque erant. Et certamen aliud admirationis erga Borromaeum Luciagus edidit, cum ex aedibus suis abiret Hospes. Omnia namque domestica instrumenta, quae Cardinalis, per illud breve hospitii tempus aliquo usu contrectaverat, abdidit sedula religione, ut sacra deinceps essent, neve usibus aliis profanarentur: atque in domo hodie etiam illa Reliquiarum instar pie adservata manent. Regina deinde Laudem Pompejam venit, pergens itinere destinato, praegressusque Cardinalis ad Soncinum obvius fit ei, inter alia honora petens, ut Laudensem Clerum, ipsius deducendae causa, pariter obviam exire volentem fineret munere defungi illo, idque specimen obsequii volens ac lubens admitteret. Abnuit ipsa, speciem indecoram excusando, si Sacri Ordines sequi vel praegredi muliebre carpentum deberent. Ita deductionis id munus Clero Laudensi remiserat: templumque maximum etiam, accito per Cardinalem ab Metropoli apparatu ministerioque omni mirifice exornatum, quo minus adiret, fatigationem ex itinere excusarat. Petere vero a Cardinale instituit, ut rei divinae, privatim faciente ipso, interesse, concionemque ejus audire unam posset. Datum utrumque Reginae, ac ventum postea rursus in colloquium est, quod familiarissime fuisse habitum ferunt: & finis in eo, ut polliceretur affirmaretque Austriaca, spiritum se ante quam Mediolanensis Ecclesiae defensionem esse amissuram. Dedit Cardinalis sacra munera abeunti, ipsi, Maximilianoque filio, qui matrem sequebatur, & comitatui universo rosaria & reliquias Sanctorum, & Agni Coelestis effigies, quae cuncti velut pignora suae securitatis ab divino homine accipiebant: atque adversus pericula, & maris casus armari se ita laetabantur, & erectis in Cardinalem animis abiere.

Per eos dies, cum in Vercellarum Urbe Basilica D. Eusebii ab Episcopo Bonhomio reficeretur, inventum erat ejus Divi corpus, haud minore per omneis Italicas urbes gratulatione, quam si, non proprium illud urbis populique unius decus, sed commune omnium haberetur. Magna quippe memoria nominis ejus fuit ob certamina, quae sustinuerat adversus Arianos, cum potentia, & furore Sectae, Catholica veritas labaret. Eo calamitosissimo tempore Episcopus Eusebius acerrime defendit Athanasium, Dionysiumque Mediolanensem, & constantia defensionis diu ipse fuit exsul. Divini hominis Episcopique Sanctissimi repertas esse reliquias, postquam, & fama accidit, & Episcopi Bonhomii propriae ad Cardinalem litterae nuntiique docuerunt, exarserat statim cupidine adeundi venerandique eas: ac dilata nonnihil profectione, quia transferendis reliquiis pompam adornare Vercellenses dicebantur, ubi ea res tardior fiebat, impatiens morae praevertit lentos eos apparatus, & ivit. Veneratus sancta ossa, Duceque etiam apud Vercellas salutato (Carolus Emmanuel erat, mortuo nuper Emmanuele Philiberto, id Sabaudiae Subalpinorumque Imperium, successionis jure adeptus) vertere retro iter in animo habebat, atque per Verbanum lacum subito trajectu adire suae Dioecesis Valles, quarum incolae inemendati adhuc & disciplinae egentes manebant, extremi finium scilicet, ac perinde sine legibus, & absque ulla salutari forma vitae, truces aut rudes, montibus tantum jumentisve assueti. His primo quoque tempore partem afferre lucis properabat, credo, quia divinatio quaedam & praesagium animo insidens, paucos jam ad Pastoralia exsequenda superesse dies admoneret. Sed studio properationique huic injecerat moram novi Ducis pietas, qui frui colloquio & praesentia ejus volens, ad caeteras detinendi artes & invitamenta adjiciebat visendae ex proximo Syndonis occasionem, facileque persuasit, nihil interea praetermittens, quo Patris olim in Cardinale honorando magnificentiam & splendorem aequare posset.

Biduo post, ab sacrae Syndonis adoratione colloquioque Ducis, repetito quod destinaverat itinere, devehitur lacu Pontifex appulitque Magadinum, qui Verbani finis est: atque inde, Valles quas dixi adibat, antegressa recentis miraculi fama opportune permovendis gentium earum animis, quo facilius admiratione viri ad decreta accipienda consentirent. Res ad Magadinum mirifica in hunc modum fuit, quae gratiam ipsius apud Deum simul, & constantiam animi singularem manifestare gentibus eis posset. Cardinalis, cum lacu deveheretur, praemiserat terrestri itinere Ambrosium Fornerum, e familiaribus suis cum jumentis decem ad reliquae viae usum & itinera facienda per montes, mandaveratque ei, ut relictis ad Magadinum equis Berinsonem ipse transiret, atque ibi opperiretur. Ille enim vero antegressus, collocatis in caupona jumentis, herilia mandata exsequebatur, Cardinalemque exspectabat. Subeunte ad Magadinum navi, cum paganorum undique accursu littora complerentur, & caeterarum rerum immemores oblitique omnium, videndi Pontificis desiderio trepidarent universi atque affluerent, reliquerat ibi stabularius forte puer inter ignis alimenta positum humi lumen, unde fusa flamma, serpendo paulatim cuncta corripuit, & momento temporis, ipsa cum cauponae tectis jumenta conflagrarunt. In vicina quoque trajiciebat absque remedio id incendium, validius statim, quam ut ulla humana ope comprimi posset, cum inter relucentes undique flammas, descensione facta Cardinalis, conjecta in medios ignes Agni coelestis imagine, divinitus inhibuit flammam. Nihil postea turbatus, quod, jumentis amissis, apparatus ille suscepti itineris turbaretur, attributa hospiti pecunia ut incendio absumta exaedificari possent, difficile illud per confragosa iter pedibus facere instituit. Cernebatur animi laetitia ejus, quod Apostolico ritu tunc demum ingredi posset, molestia interpellantium amicorum, ob necessitatem liber. Per arrecta, per declivia, implicatasque flexibus vallium vias bacillo nixus ibat, sequentibus haud aegre ministris cum tale ex proximo exemplum intuerentur. Praepositus Biaschae fuit vir ea tempestate omnis divini juris sciens, Cardinali percarus commendatione disciplinae, comes itineris hujus, & trium Vallium ipse Visitator. Is, cum de peregrinatione ista, caeterisque rebus testimonium diceret, haec ipsa verba est effatus: *Numquam, nisi qui oculis subjecere, credent incommoda, & labores, & afflictamenta Cardinalis, patientiamque sive hilaritatem potius, qua ille inexsuperabiles humano corpori aerumnas perferret. Omneis namque montium nostrorum anfractus, invia perviaque cuncta, sinus atque recessus, cava pariter & suspensa permeavit sine defatigatione ulla, quam cerneremus.* Haec ipsa Praepositus in testimonio dicendo exposuit. Exsequendo deinde caetera, ajebat, die tantum uno conspectum esse pene succumbentem, cum, nulla sumta quiete, nullo cibo firmatis viribus, per saxa, per rupes iret. Atque, praeter Airolum pagum eo languore iter habenti, nullo modo persuaderi potuisse, ut subsisteret paulisper, quietisque necessariae breve tempus, & sumeret sibi, & familiaribus daret. Ad coemeterii parietem acclinato corpore, quorumdam audivisse postulata, & mandata dedisse quaedam ad ejus populi salutem, templique cultum, dein perrexisse ire ad Bidretum pagum.

Confecto eo quatuor adhuc millium itinere, tamquam recentem & integrum, confestim illato in sacram aedem

aedem pede, institisse omnibus illic defungi Pontificalibus officiis, quae solennia & usitata essent, quoties populum aliquem, templumve visitandi causa adiret. His de asperitate & rigore peregrinationis ejus ita expositis, addebat: cum jumentum subinde aliquod a montanis, laboranti inter salebras Cardinali, vulgata incendii fama, sisteretur, id subsidii semper esse repudiatum, propterea, quod neque solus vehi sustineret, neque omnibus, qui sequebantur, vehendis, equorum copia esset. Haec, nescio, severa ne magis, an humanitatis plena exempla, ad pagos omnes, qui adibantur, studia admirationemque animorum commovebant: & ut ad quaeque loca deventum erat, haec celeriter antegressa fama promtos ad salutaria instituta animos dabat. Non reverenter modo accipiebant illud cum fesso Pontifice pedestre agmen, sed certabant alacritate invitandi cum proximis longinqui, atque hos ipsos ulteriores alii anteibant.

Municipium nobile in Rhaetis est, quod patria voce Gentis, Tisitin appellant: templumque municipio nobilius D. Martino sacrum multo illic Catholicorum concursu frequentatur ob Martyrum reliquias, qui, fuso propter Christi fidem sanguine, suae mortalitatis indumenta illa terris reliquere iisdem, unde ipsi in Coelum e carnificum manibus evolavere. Tuentur templum habentque Benedictini Patres, egregia fama ob singulorum innocentiam sanctimoniae totius Ordinis parem, & ob Sacerdotium opulentum, quo non familia modo ipsa templique splendor ample sustentatur, sed accolae etiam veluti fortunae suae subsidiis eis gaudent. Abbatem hoc tempore habebant Christianum Castelbergum nomine, illustri indidem loco ex Rhaetis ortum, antiqui moris hominem, jam antea imbutum admiratione Cardinalis ipsius ob famam, quae terras pervagata omnes, earum quoque Vallium incolas excitabat: ac per Monasterii praesertim illius claustra frequens apud Patres inter incitamenta virtutum habebatur. Abbas igitur Monasterii ejus, erecto ad occasionem animo, quod circum vicina loca Borromaeus iret, misit e Sacerdotibus suis unum, qui, suo & totius Ordinis nomine, Cardinalem obsecraret, ut tecta subire illa, breveque pati itineris diverticulum vellet hominum causa, quibus in ea Valle destitutis, ex ipsius adspectu coeleste solatium flagrantissime exspectaretur. Indicatum Abbati erat, quemadmodum cuperet Cardinalis, ultroque destinaret, ad Tisitin accedere, salutandi causa, & venerandi Sanctorum ossa, Placidi praesertim & Sigisberti, atque ob id, missa, quam diximus, legatione, substiterat ipse domi ad apparanda ea, quae tanto Hospiti convenirent. Cardinalis, benigne accepto auditoque Sacerdote, qui officii ejus causa venerat, dixit, iturum se quidem, ut sanctarum reliquiarum, Monachorumque adspectu, & ipsius religione templi frueretur: caeterum de tempore, quo accessurus esset, nihil certi definivit, ut Abbatis, & Monachorum officia occursumque vitaret. Ita, suspensa re, dimisso legato, lustrata jam tota Leventina Valle, transgreditur in Brenniam Vallem, atque Regionis ejus varia obeundo loca, ad Rollum usque procedit, qui pagus ad S. Mariae radices jacet. Eo nomine Montem appellant, ab cujus vertice descensus est in Tisitis Vallem, quae adibatur.

Id iter aggressus, praemonitisque suis, non viam ipsos inire, sed templum inclytum reliquiis coelestium, & sanctitate sua, psallendo & meditando scandit Montem, cujus fastigium occidente sole, sudore omnes, ac pulvere perfusi tenuerunt. Ibi, apud mapalia pastorum, castaneas cum lacte coenaverunt, & in paleis ac stramento cubavere. Postero die, luce orta, descendebant cum precibus pariter & psalmis adituri inclytam eam aedem. Sed Abbas, & Monachi speculati per idoneos homines, incessus & itinera Cardinalis, postquam, venire eum, & appropinquare senserunt, cum nihil honorificentius ab se fieri posse censerent, composito statim agmine, reliquias obviam extulere ipsas, quarum tactus amore Dei servus iter illud adisset. Argenteis ferculis inclusa ossa Sanctorum praeferebant, mitratus pretiosa infula Abbas, Monachique trabeati: Clerus ejus loci reliquus una cum promiscua multitudine sequebatur: campani aeris sonitu, pioque totius agminis modulamine percussa nemora, collesque circumjecti, quas accipiebant voces multiplicato concentu referebant. Cardinalis, cum inanes primo occursus vitare voluisset, pio hoc delectatus agmine, postquam sacra ossa portantes fuere in conspectu, procubuit in genua confestim, & aliquamdiu veneratus coelestes animas, quarum exsuviae illae cernerentur, immiscuit sese agmini cum suis, perrexitque ire sicuti jejunus erat sole jam inclinato, donec pompa pervenit in templum. Ibi caeremoniae, psalmique Patrum, & Cardinalis ipsius cura collocandis inspiciendisve reliquiis, ad vesperam usque populum tenuere. Postero die Patres, & pagana illa nobilitas, precibus contendere coeperunt, ut, qua benignitate sustinuisset tractus eos adire infelices, nec tanto honore dignos, eadem etiam vellet morari ibi paulisper, & praesentia sua recreare homines, quibus res tanta, neque obtigisset umquam, neque in posterum speraretur. Excusavit negotia, ob quae ad Urbem esse quamprimum deberet: inspectaque loci ejus juventute, treis optimae indolis elegit, quibus in Seminario gratuita alimenta praeberentur veluti munus Genti, pollicitusque, se aliquando rediturum, discessit. Stimulaverat namque reditum ejus in Urbem Deiparae natalis dies propinquus, quem una cum Mediolanensibus suis celebrare diem cupiebat. Simul, mortua per eos dies erat Regina avia regnantis hodie Philippi, cui dare volebat inferias, deditque, & inter exsequiarum solennia ipse laudavit Reginam, extollente sermonibus populo summum illud mortuae decus, quod laudator ei tantus obtigisset.

Mox sanctissimae Virginis effigiem, quae ad Seronum duodecimo ab urbe lapide inclyta miraculis erat, moturus loco, atque supra aram ejus templi maximam in magis conspicua sede collocaturus, invitato ad ejus rei caeremoniam populo, litterisque cum Pastorali adhortatione & Apostolicae Indulgentiae munere quod impetrarat, per omnia templa dimissis, & recitatis, progressus illuc, multa millia mortalium undique concivit: ex qua celebritate imagini crevit honos, & imago vicissim ipsa plus miraculorum postea edidit. Sed multo etiam majore pompa transtulit paulo postea Carolus corpora Sanctorum, quae Mediolani reperta fuerant, dum D. Simpliciani Basilica, quae Basilica Deiparae Virginis antiquitus fuerat, instauraretur. Episcoporum namque humeris eae reliquiae sunt transvectae per Urbem: Episcopi pompam duxere, non unus alterve, sed totidem fere, in quot urbes Provincia nostra patescit. Congregati erant occasione Concilii, quod sextum, idemque ultimum sub hoc Pontifice Provinciale Concilium habebatur: annotatumque est, omnia, quae diceret in eo Concilio Carolus, ageretve, sive constitueret, proxime testamenti formam fuisse. Sane in oratione quam habuit, quasi stans in procinctu, voluntatem suam ultimam in eo Episcoporum conventu abiturus declararet, verba illa ex Euangelio retulit: NON TULERITIS IN VIA NEQUE PERAM, NEQUE VIRGAM, NEQUE PANEM, NEQUE PECUNIAM, NEQUE DUAS TUNICAS HABEATIS. Et rursus, obtestando, ut, quae voluisset, meminissent, quae mandasset, exsequerentur, ex Veteris Testamenti tabulis, ita infit: NON RECEDAT VOLUMEN LEGIS HUJUS AB ORE VESTRO, UT CUSTODIATIS ET FACIATIS OMNIA QUAE SCRIPTA SUNT IN EO. Atque haec, aliaque cum dicerentur, tunc quidem fortasse sopitis audientium animis potuere transmitti, praetervehique surdas eorum aures: ut vero decessit Orator, ad praesagium haud dubie imminentium referebantur. Translatio Sanctorum corporum, ab iis qui rerum istarum diaria conficiebant, ita, quemadmodum narrabo, perscripta est.

Cum veterem aram vellent demoliri Patres, nec absque Cardinalis auctoritate movere ibi quidquam, aut con-

contrectare auderent, ob inclusas arcas, quibus inesse corpora Sanctorum sciebant, veniunt ad eum, expositaque necessitate templi, & consilio de mutanda ara suo, petunt, ut dicat ipse, quid fieri velit de Sanctorum positis ibi reliquiis, quidve mandet. Respondit, iturum se in rem praesentem: ac nulla interposita mora progressus illuc, aperto loculo dimovit claustra, quae propter vetustatem fluxa jam & caduca, primo contactu facile conciderunt: & apparuere laminae praeferentes Coelestium nomina, quorum illa mortalitas relicta terris. Sisinius, & Martirius, & Alexander, & Benignus Archiepiscopus in una separatim arca monstrabantur. Arca alia, Ampelium & Gerontium, Archiepiscopum olim utrumque Urbis, confusis utriusque ossibus habebat. In arca tertia, Archiepiscopi Simpliciani ossa, & post tot saecula, recenti specie caput, summum Caroli gaudium emicuere. Intime laetabatur, inventos esse, treis una in sede Archiepiscopos Urbis, Simplicianumque praesertim, cujus magna memoria semper apud populum Mediolanensem fuisset. Ac tunc quidem, nihil amplius fieri potuit, quam ut honeste alicubi collocarentur, interea dum adornaretur pompa, qua in publicum efferri sua illas exsuvias, coelesteis animae non indignaretur: pompam vero ipsam ita apparabat, ut quasi coelestium etiam ipse unus gratulari & plaudere popularium suorum triumpho videretur. Praeter Provinciales Episcopos, qui aderant, Cardinalem quoque Paleotum, & Episcopum Ticinensem evocavit, ut vellent adesse una quo splendorem agmini adderent, & vicissim ipsi coelestis triumphi majestate ac splendore fruerentur. Cassinensis vero Ordinis Abbates, ut quamplurimi adessent, missis quacumque is Ordo per Insubriam patet, epistolis, demonstrare institit, commune id Ordinis universi, non Mediolanensis Familiae proprium esse decus, quod sancta illa corpora per tantum aevi intra templum illud quievissent, indeque nunc prodirent solatia publicae pietati, praesidia, non urbis unius, sed Ecclesiae universae, generique humano. Proinde venirent, adessentque, ut immistos hominum coetui Superos, & Cassinensis Ordinis veluti Familiares Coelites, tamquam ex longa nocte prodeuntes in lucem, deducerent una secum atque prosequerentur. Ad Clerum item populumque, urbanum pariter & agrestem invitamenta propria perscripsit, ut Episcopos olim illos suos, nunc Tutelares Patronosque Urbis, videndi simul ac demerendi datam occasionem elabi ne finerent. In diem VI. Cal. Junias indicta supplicatio erat cum adhortatione, ut tribus antea diebus publice jejunium esset: ineratque edicto remissio Apostolica culparum humanarum in omnes impetrata, qui supplicationi ei interfuissent. Convenere Abbates Cassinenses sexdecim: Monachi Ordinis ejus ducenti: Clerus populusque noster, praeter urbanam hanc multitudinem, ex pagis municipiisque omnibus, tanta frequentia, & concursu, ut tam in urbe, quam extra urbem, ad decimum usque miliare per omnes vias constipati mortales se invicem propellerent.

Non jam ego pergam ordine exsequi caetera, quae narrationis nostrae culpa minora veris fierent. Tacitus quisque sibi subjiciet, primo Cardinalis ipsius excubias in D. Simpliciani templo, vigilatamque componendis intra fercula reliquiis noctem, cui supplicationis dies illuxit: tot deinde Episcoporum agmen, atque translucentes ex gemmis & auro reliquias: succollantes oneri Cardinales, atque subservientes Episcopos: Gubernatorem vero Hispanum cum Regiis fascibus, & Senatu, Nobilitateque circumfusa, veluti familiam atque comitatum Sanctorum, quibus pompa haec ducebatur. Succumbam ego oneri, si tantarum rerum majestatem aequari posse verbis credam: potiusque alia simplicissima dictu, neque tamen his leviora exsequar memorata Scriptoribus, qui diei ejus magnitudinem spectavere.

Ab D. Simpliciani templo ad templum maximum, capto per urbis vias quatuor fere millium ambitu, per triumphales portas, per odoramenta pretiosa, & expositas civium, ante suum cujusque limen opes, linteo desuper tegmine opacante totum iter, umbram ipsam collustrante luminum copia, picturato tabulis eximiis universo tractu, & peristromate parietibus vestitis, per symphoniam denique, & dispositos ad omnia compita choros, & alia extremae laetitiae ac pietatis argumenta & certamina incessit agmen. Alia alii, tum Episcopi, tum Abbates ministeria obibant, portabantque aliquid, sive portantibus caeteris auxilio erant. Cardinalis noster una cum Cardinale Paleoto D. Simpliciani caput, quod leviter ac verecunde aevi tabes violaverat, humeris tulit, inter cuncta, quae portabantur maxime inclytum, & populi studiis, ac propensione venerabile pondus. Itaque ingruens & aegre submota turba, dum veteris Archiepiscopi spirantem adhuc fere vultum usurpare propius & contrectare oculis cupit, ponderisque simul ipsius, & ferentis pietate flagrat, haud semel pulsus immodice Cardinalis in periculo fuit: cernebaturque procul etiam nutante infula, neque spiculatorum convitia hastaeque minitantes, velut concitati maris aestum, sic irruentis populi impetum coercere poterant. Cum ea defatigatione in templum maximum itur, qui terminus pompae erat, ut mox retro inde ad D. Simpliciani aedem, unde erat profecta, rediret, corporaque Sanctorum in sua illic sede reponerentur. Fatigatio autem, simulque robur Cardinalis eo die quantum fuerit, languore ac debilitate caetororum est declaratum. Namque spatio temporis eo, dum in D. Simpliciani aedem relatae reliquiae componerentur in ara, eaque res, & caeremonia longior esset, cum Abbates interea, & Episcopi sese subducerent, atque ad varia diverticula Monasterii dilaberentur subitarii cibatus & modicae potionis causa, perstitit ipse ac duravit jejunus. Peracta caeremonia, populoque dimisso, cum duodecim ab ultima egestate pauperibus in Monasterio epulum esset, ministravit ipse per totum prandii tempus, mensae eorum adsistens, & salutaria inter cibos hortamenta unicuique addens: ac postea cum caeteris ipse est epulatus. Statim, ubi, soluto convivio, licitum fuit, secessit in templum, & positis ante reliquias genibus, per aliquot horas, velut in colloquio Coelestium erat. Jurati testes affirmavere: quinquaginta amplius horarum spatio, spectatum sibi esse in ea adoratione Cardinalem: atque id ipsum Pius Camutius, Monasterii tunc Aedituus, postea Abbas, pro testimonio dixit.

Celebrata in hunc modum translatione reliquiarum, cum nocturnis vigiliis diurna opera aggravando Cardinalis, quidquid virium inesse tam exercito corpori poterat, fere exhausisset, novum ei laborem afferebat tridui insequentis caeremonia, quam vetustis Ecclesiae Ambrosianae ritibus ita obivit: ut ad alia, quae interim agenda erant, assumeret etiam noctes. Litaniae Majores fuere, quae solennia, satis per se laboriosum Pontifici opus, tum longo per extremas Urbis partes circuitu, tum tempore anni, quo Sol vapore accendere terras incipit, augebat ipse gravitate incessus, asperitateque jejunii, addideratque trium dierum labori huic totidem conciones, quae singulae fatigare quemlibet alium potuissent. Primo supplicationum die rediit fere nocturnus ad D. Simpliciani, visendis illic denuo reliquiis, quae ad explenda desideria populi, quadraginta horarum spatio prostabant in ara. Altero die, quod superfuit temporis, insumsit, componendo corpori D. Joannis Boni, quod in D. Michaelis aede situm deportare inde in templum maximum volebat, cum aedem ipsam vetustate collabentem demoliri, cultumque ejus inferre templo maximo, cui contermina erat, statuisset. Tertius dies habuit vespertini illic Officii Pontificale sacrum, & nox insecuta excubias, quas numquam Carolus omisit, quoties corpora Sanctorum moveret. Postridie demum, ipsum Archiepiscopi Boni corpus transfertur in sedem destinatam. Quae sic retuli, ut, vel hinc intelligeretur quanta Dei servo aviditas & sitis hujusmodi laborum, & quam insatiabiliter ille munera haec adiret, accersens ultro occasiones, ita ut aliud ex alio quotidie sibi negotium crearet. Quippe suberat etiam Dioecesanae Synodi dies, eaque nona Synodus in tempus hoc incidebat, cum ex Provinciali Concilio Patres abirent domos, commotis valde

valde animis admiratione Caroli rerum. Abierant omnes excepto Cardinale Paleoto, quem ea admiratio Mediolani adhuc tenebat. Is, & Dioecesanae Synodo interfuit & concionatus in ea est, & per aliquot dies, omnium Pastoralium munerum Carolo socius atque minister fuit. Ipse discipulum se ejus ferebat. Et modestiae uterque certamen, simul jucundum populo Mediolanensi spectaculum edidere, cum Latina oratione Paleotus in Synodo Borromaeum laudibus extulisset, atque hic vicissim postero die per Dominicum Ferrum, familiarem suum ex eodem suggestu laudes easdem ei refudisset.

Incessit deinde Cardinali pia cupiditas rursus invisendi sacram Syndonem, cujus memoria Lintei, plagarumque impressarum, & Vultus ille Salvatoris, numquam ex Borromaei animo exciderat, ex quo, semel iterumque ad vestigia Divinitatis adoranda peregrinatus, accenso inde animo rediisset: atque inter quotidianos nunc cum Paleoto sermones haec renovata vetus, & cum eo communicata flamma erat. Iere Cardinales duo: quacumque incederent, ob sanctimoniae exempla ostentui populis: sermonibus & comparatione hominum, alter altero major. Sensibus suis invicem se alteri postponentes: re ipsa miraculum uterque aevi illius, & tale par, quale numquam fortasse erit: certe nihil simile conspectum antea erat. Adfuere namque etiam Paleoto magnae virtutes, & in Bononiensi Pontificatu, facta similia eis, quae Borromaeum intulere Coelo, licet fama minor illum alterum secuta sit, nec perinde Scriptores ei augendae adlaborarint. Accepit Regio apparatu quasi finibus suis appropinquantes Reges Sabaudiae Dux, moxque ipse obvius aderat: & certavere obsequiis, hic honores peregrinis exquirendo novos, illi Ducem admonendo, varieque docendo, quam fluxa cuncta mortalium essent. Specimenque ingens Juvenis Princeps dederat, precatus a Borromaeo, ut altaris mysteria sibi impertiret, quod publice factum.

Adorata Syndone, firmato salutaribus alloquiis Duce, Cardinales Pado devecti ad Casalem appulere, quae apposita flumini urbs antiquitus Sedula dicta est. Ibi digressi, Paleotus Bononiam, Borromaeus ad Fraxinetum tetendere. Eo nomine pagus templum Praepositumque templo habet, unde regimen in Parochos & templa nonnulla per eum tractum subjecta Dioecesi Mediolanensi, cum pagi, locaque ipsa in Mantuae Ducum ditione per Magistratum Casalensem regantur. Id adire templum, & plebem ex itinere illam invisere statuerat Cardinalis, adiitque & inspexit. Non recta inde Mediolanum, sed Montes Vallesque suae Dioecesis alias adibat. Porletia & Cavarina, & Capriasca, & Vallis Saxina, sunt nomina montanis profundisve gentibus, quae circa lacum Lugani, Lariumve lacum, Bergomatumve fines, plus adhuc ex locorum asperitate, quam ex Cardinalis disciplinæ retinebant, moverantque curam vergenti jam ad finem Pastori, ne pars ea sui gregis squalens & deserta relinqueretur. Et erant ejusmodi vitia gentibus eis, quae fraudes & superbiam urbanorum, cum sylvestri feritate permixtas exercerent. Atroces inimicitiae nobilium agrestium, facta atrociora inter ipsos, & adeo ad facinora exercitati multi, ut primoribus urbis, ab ea commendatione & arte, ultro expeterentur, operamque venditarent. Sed Cavarniensium praesertim infame genus erat, quos homines, aucto in contemtum vocabulo, Gavargnonos aetas illa nuncupavit, hodieque ignominia nominis durat. Fraus & audacia quaedam hujusmodi eis hominibus erat, longinquas adire gentes, ementitaque legatione, vel munere aliquo Apostolico, tum colloquiis negotiisque Principum immisceri, tum obire Pontificalia, indulgere simul, sancire, vel abnuere cuncta, ob quae Romam itur. Mirumque dictu: agrestes & sylvestres, montanique Gavargnoni, superba & polita judicia civilium ingeniorum eludebant: neque horror huic hominum generi, Principalibus accumbere mensis, vescique una, & conferre sermones aliquos, & quoties certamen urbanitatis incesserat, inclinatione corporis, tergiversationeque opportuna, luctari, & edere simulacra artis, inter eos etiam, quibus ex diuturna consuetudine ars ea in naturam vertit. Princeps legationis officiive fere unus aliquis incedebat, fronte superclilioque & barba, & parata alicunde veste, etiam habitu corporis totius apte compositus ad personae simulationem, quae induenda circumferendaque erat. Huic aderant Gavargnoni alii gregales, ministri rebus, paratique ad nutum, scriba, pincerna, cubiculi praefectus, aliaque ludibria aulae. Sine commeatu, sine pecunia, egentes & nudi, falsus legatus, falsique aulici profecti ab domo, corrogando subinde stipem, latronumque injurias, casusve mentiendo alios, facile comparabant omnia, per quae dignitatem fraudemque tuerentur: & ipsa se mendicitas opipare alebat. Locos communes, & verba nonnulla inter se commentati ad manum habebant: nec extra ea quidquam fere effabantur. Praeveniebant famam, aut relinquebant, brevi mora, & nocturnis plerumque accessibus tuti ac deprehensi tamen interdum, majore eorum, quos eluserant, pudore, quam suo. Nec exemplis & ignominia istorum, alii, quo minus auderent talia inhibiti erant, eademque vagandi licentia, & dulcedo, veluti nativum genti sacrilegium manebat. Haec labes, & ea, quae de nobilium montanorum inimicitiis memoravi, Cardinalem, ne differret remedia admovere, stimulabant. Itaque solita ad spernendos ejusmodi labores alacritate animi, montes vallesque aggressus, clementer in eos, qui odia implacabilia exercebant, severe in errones impostoresque agendo, & composuit reconciliavitque illos, & hisce, ne impune ultra vagari ac ludificari sacra auderent, frena injecit.

His ita gestis ordinatisque rebus, quia tertius jam annus exibat, cum ad Limina Apostolorum de more salutanda ipse non accessisset, religione moris institutique ejus Romam proficiscitur: cujus Romanae profectionis ordinem casusque omnes, quoniam ea ultima fuit, tradidere: quod mihi quoque faciendum reor. Statuerat ineunte Novembri proficisci, atque in eam diem disposuerat consilia, quae ad iter pertinerent. Sed ob subitum Camillae sororis morbum, quae ad Guastallam in matrimonio Principis ejus erat, antecapto tempore, mutatis ad celeritatem jumentis, Septembri exeunte profectus, illam quidem exanimem reperit, ipse vero celebratis exsequiis, post justa in sororem officia, Sabionetae inter severioris disciplinae Franciscanos aliquamdiu subsistebat ob nonnulla, queis praeverterat iter. Et praecipue Episcopum provinciae totius veterrimum, de Romana illa sua profectione admonere voluerat, ut absente Metropolita, sciret ex Concilii Provincialis praescripto, quae sibi vicario munere facienda essent. Ejus negotii, rerumque aliarum causa, dum apud Capucinos moraretur, haud aliter interim quam ex ipsorum formula & instituto, quietem cibumve sumere voluit, ipsique affirmavere Patres, & arctiora tempora somni, & duriorem utique lectulum, & mensam ariodiorem fuisse Cardinali, quam sui Ordinis legibus haec omnia definita & praescripta haberentur. At Pater Lucianus Florentinus, cum Romae in Monasterio S. Praxedis, vitam ejus diligentissime observasset, in testimonio, quod scriptum edidit, ita refert: *Ad* X. *Cal. Octobris Anno sal.* M D LXXXII. *Romam a porta Urbis recta in Monasterii nostri aedes divertit, ibique ad mensem usque Januarium anni insequentis fuit. Per totum id tempus, cum erecto omnes animo, tanti Hospitis vitam, & quotidiana instituta specularemur, vidimus adnotavimusque consuetudinem & formam vitae hanc. Sedecula parva erat in Oratorio collocata, quod sibi ipse pro cubili elegerat. In ea sedecula, duas, aut summum treis horas ubi quievisset, exsurgebat circa decimam fere horam noctis, ingrediebaturque templum & in Sacello Columnae Salvatoris positis humi genibus, aperto capite, matutinas preces, cum uno, vel altero Sacerdote recitabat. Ibi deinde frigidissimo tempore anni, & templi ipsius uligine nihil minuente flammam ardoremque animi ejus, opperiebatur lucem, &, aut cum Sanctorum imaginibus illic colloquia serebat, aut sub aram abditus, reliquias eorum, & posita in sacro specu ossa adorabat. Haec antelucana opera Cardinalis Hospitisque nostri erant. Ubi dilucere*

*re jam coeperat, sacrificio apparando intentus praeparabat confessione animum, deinde rem divinam faciebat: ejusque quotidiani moris gnari Principes Urbis, quibus eximia aliqua pietas, aderant sedulo, & occasione ea fruebantur. Sacrificio peracto vacabat paulisper publice alloquiis, deinde ad Pontificem Maximum, negotiave alia, quae habebat inchoata prodibat. Negotia vero fuere illius, tum, ut urbis aulaeque Romanae mores, qua monitis & exemplis, qua gratia etiam apud Pontificem & auctoritate emendaret, tum ut ad Ecclesiae suae dignitatem impetraret auferretque nonnulla. Pane & aqua toto eo trimestri toleravit vitam, nisi quod natali Salvatoris die per gratulationem epulando inter Monachos aviculam unam sibi apponi passus est, idque obsonium eo die adhibere conspectus, familiam suam nosque exhilararat.* Hactenus Monachus ille spectator insignium exemplorum, sobrietati rigorique Cardinalis testimonium perhibet, ab eo tempore, scilicet, quo in urbem venerat ad usque Epiphaniae solennia, quibus exactis, Mediolanum proficiscens pari severitate in itinere est usus: atque exemplum unum referam, unde caetera conjectari possint.

Cum per Senatum urbem iter haberet, invitatus ab Archiepiscopo ejus urbis, accubuit comiter, & sumsit cibi nonnihil. Mox exstructae Regium in morem dapes, aliique super alios missus longo & perpetuo atriensium ordine illati displicuere. Angebatur, prandio absumi uno, quod in multorum dierum alimenta sufficere pauperibus posset. Ut vero secundae cujusdam mensae delitias immanesque sumtus adspexit, adeo turbatus est, ut neque ex rerum earum dulcedine gustaret quidquam, & manifesta ejus offensio animi conspiceretur. Itaque cupidus abeundi quamprimum ab eis epulis tantoque luxu, foedo imbribus & ventis die, cum novis Archiepiscopi precibus fatigaretur, ut commodius exspectare coelum vellet: *Absit*, inquit, *Domine Archiepiscope, procul a nobis hoc flagitium, ut pauperum subsidia quae esse deberent, intercipiamus voracitate ingluvieque nostra. Nam, si vobiscum etiam coenavero, tantum alterum absumetur, quantum hodie mane absumtum esse piget ac pudet.* Ita monito & confuso Archiepiscopo, propere abibat etiam, ut duorum in itinere Principum dissidia atque ad capitales inimicitias erumpentem affinitatem, mutuisque jam odiis infensos animos componeret, quod negotium a Pontifice Maximo mandatum ei erat.

Inspecta lite, & Principibus inter se reconciliatis, Mediolanum pervenit, excelso coquens animo novum magnumque opus, ut Rhaetorum Helvetiorumque urbes adiret, profligandi Calvinismi, & restituendae Catholicae Religionis causa, de qua re cum Pontifice Maximo egerat: isque tam praeclara & salutari ad eas gentes actione delectatus annuerat lubens, & Visitatorem Apostolicum ipsum cum summo illic imperio, & rerum omnium potestate declararat. Tardavere paulisper expeditionem Borromaei hanc officia necessaria in Reges Principesve amicos, novique casus, qui ab Roma redeuntem, alii statim, alii paulo post excepere. Mortuus Catholici Regis filius, Didacus nomine, qui magna spe Regiarum virtutum adolescebat: erantque Mediolanum allatae litterae Regis ipsius, cum eo mandato, ut omissis luctus dolorisque imitamentis, publicae preces divinae paci exposcendae instaurarentur. Urgebat decima quoque Dioecesana Synodus, quae, sicut Provinciale Concilium anno superiore congregaverat ad ultima colloquia Patres, ita, non futurum amplius una in sede coram Pontifice Clerum, ad accipienda illius praecepta vocabat. Mox novus Provinciae Gubernator aderat, & de Sabaudiae Ducis ancipiti, ac periculoso morbo allatum. Et Poloniae Regis fratris filius, qui postea Cardinalis Battorius fuit, Romam proficiscens, patrui jussu, flexo Mediolanum itinere veniebat, ut Ecclesiasticae disciplinae ingrediens iter, tanti Viri consiliis firmaret animum. Ob Regii Infantis mortem, tridui supplicationes fuere adorando Numini, ut reliqua Regis proles salva esset, Regique ipsi bene in posterum, ac feliciter cuncta evenirent. Rursusque cum Pontifice populus ad templa supplicatum ivit, ut concordiae & paci, quam Rex Catholicus cum Ecclesia Mediolanensi suis esse Praefectis voluisset, & annueret Numen, & studia voluntatesque hominum assentirentur. Quae preces adeo gratae Superis fuere, ut inter duos Carolos (Carolo namque Aragonio, nomen Gubernatori novo fuit) par nominum germanitati fraternitas & conjunctio animorum postea cerneretur.

Synodus habita est, & cum notabili Cardinalis ipsius sermone dimissa, quo deploravit increpuitque segnitiem suam, irritos conatus, & statum, in quo relicturus Ecclesiam hanc ipse esset. Quae cum diceret, retulit veteris Hierosolymitani templi exemplum, cujus fabrica dum instauraretur, juvenes quidem gaudio exsiliebant: sed seniores alii, qui viderant antiquae molis majestatem, illacrymabantur. Ad eum nempe modum, etiam ipsos fortasse laetari nonnulla imagine disciplinae, quae tot laboribus & curis, & parendi invicem studio effecta & constituta videretur: sed si primaevae Ecclesiae sanctimoniam purosque animos, queis aetas illa Numen coluisset, oculis subjecissent, ex comparatione intellecturos, quam adhuc multa deessent sibi, & una cum misero Clero Episcopum infelicem posse commoveri ne temperarent a lacrymis. Interfuit ei Synodo Augustinus Valerius, Veronensis Episcopus, cum in magni muneris loco a Cardinale efflagitasset, ut admitteretur disciplinae partem hinc relaturus domum: retulitque multa, &, commendante studia hominis Carolo, Cardinalis etiam ipse paulo postea est factus.

Celebrata Synodo, Carolus Helveticam Rhaeticamque expeditionem, ut dixi, animo agitans, cum acceptis ex Polonia litteris exspectatione juvenis Regii attineretur, proxima, vel longinqua per Dioecesim loca adibat, ita moderans, ut propinquante advena remeare posset. Imminens ei cura erat de fundando ad Asconam collegio, qui pagus in Verbani lacus ora ad Helvetios pertinet. Ejus indigena loci Barptolemaeus Pappus, cum negotiando Romae rem satis amplam fecisset, triennio ante absque ulla liberûm stirpe decedens, legaverat in hunc usum pecuniae quantum opus esset, exsecutionemque legati Pontifici Maximo commendaverat, supremis ab eo tabulis precatus, ne suscipere gravaretur. Pontifex Cardinali Borromaeo delegaverat eam curam, qua ille accepta, Asconam hoc tempore profectus, inspexit locum areamque elegit, & descripta ad collegii necessitates, totius aedificii forma, jactisque fundamentis, Brissiacum adiit, modice inde distantem pagum. Pestilentia ibi erat similis urbano recenti malo, simillimaque etiam exempla Pontifex edidit, nisi quod populus ille minor. Diviso illic inter pauperes, quidquid pecuniae, vel in familiarium zonis erat, vel ad familiam in eo itinere alendam domestici curatores extulerant, etiam a Coenobitis ex proximo mutuatus est, quo largius subveniret.

Interim, Sabaudiae Ducem in Vercellarum urbe gravi morbo implicitum, dubia in spe trahere animam, venere nuntii, queis ille permotus (etenim Principem eum valde amabat) diem noctemque facto itinere, adit aegrum. Constat, ubi primum appropinquaverit lectulo Carolus, allevasse Ducem oculos, & dixisse laeto ad circumstantes vultu, salvum se esse, resque ipsa secuta est: nec desiit incolumis ex eo tempore Princeps publice profiteri, redditam sibi a Borromaeo vitam, & venerabili illius ore spiritum trahi. Superstes vero suo Liberatori, & longo deinde aevo senex factus, dona ampla ad tumulum misit, quibus id ipsum testaretur: inter quae, lychnuchi multiplices perpetuo illic ardent, obscurante luminis fulgorem metallo.

Dum hujus rei fama recens increbresceret, redditaque Sabaudo per Cardinalem salus, in omnium ore esset, Polonus aderat, cui accipiendo regressus propere in urbem exhibuit hospiti Regios apparatus in Episcopali tecto: quippe gnarus externae consuetudinis & ejusmodi animorum, quibus mos est solida inanibus metiri. Captatum ea specie deceptumque juvenem privatis deinde colloquiis ita percussit, ut magnus etiam ipse postea contemtor inanium fieret. Abiit Romam novus Caroli imitator,

tator, eaque egregia nota ſpectatus Urbi, & Cardinalis factus, in reditu ita ſe rurſus Borromaeo obtulit, ut magiſter diſcipulum admiraretur. Litterae ei ad Poloniae Regem Stephanum datae, cum ſacris muneribus & eburneo ſimulacro Chriſti Salvatoris noſtri, addita cohortatione, ut in eo ſigno ſibi vincendum eſſe Rex meminiſſet. Haec in Principes Regeſque officia, & quae inſuper memoravi, profectionem in Rhaetos Helvetioſque Cardinalis tardavere.

Poſteaquam, & negotiis omnibus, & hoſpitali comitati ſatisfactum erat, dimiſſo Polono Juvene, traditaque Audoeno Ludovico (Vicarius iſte Pontificalis vigiliae erat) rerum cura, egreditur ad opus antea deſtinatum, ut ſalutem & lucem afferret gentibus, quae damnatae montium & vallium aſperitati, ac prope imperviae Soli, vitiis nihilominus & corruptelis adibantur omnibus, quaſcumque luxus & frequentia urbium gignit. Meſolcini, & Poſtclavenſes, & Vultureni, Clavenenſeſque & Jacobini erant, qua deſinentis Italiae terminus partem Germaniae Rhaetiam attingit, ſemi-Germani mortales, vel ſemi-Itali, hoc eſt, utriuſque Provinciae tantummodo receptacula, ſive ejectamenta. Fuerant hae gentes antiquitus ſimplicitate & purae religionis cultu ſimillimae quidem innoxiarum terrarum ingenio, quas procul ab humanae nequitiae domiciliis incolerent: & in Curienſem, aut Novocomenſem contributae Dioeceſim, nihil ab hujus, vel illius Eccleſiae diſciplina & priſca ſanctitate degenerabant pars haud poenitenda populorum, quos Ambroſiana cura amplectitur. Nam Curienſis etiam Eccleſia, intra cujus fines Poſtclavenſes & Meſolcini cenſentur, Provinciae noſtrae adnexa olim fuit, quod Acta Synodi ſub Archiepiſcopo Euſebio habitae declarant, ubi Novocomenſis Epiſcopus Abondius pro Aſimone Curienſi Epiſcopo inter caeteras Patrum auctoritates rite ſubſcripſit, cum forte iſte adeſſe non potuiſſet. Verum, & nativos mores innocentiamque gentium iſtarum, & optima inſtituta compoſitamque Metropolitana auctoritate Religionem corrupit & evertit Haeretica pravitas, Calvini & Zuinglii ſcelere late pervagata Germaniae terras, deinde tranſgreſſa montes, & rudibus animis invecta, tanto faciliore illuc aditu, quia Principum ſuorum exempla nutumque ſequendo vulgus imperitum, diſciplinae Catholicae vincula exſuebat, & peccandi licentiam conceſſo jure adipiſcebatur. Ita, apud pagos nobiles ſimul, & apud diſperſa per tumulos anfractuſque vallium mapalia, homines miſeri, paulatim abdicata in qua nati erant fide, nova dogmata & opiniones inſanas, abſurdaſque leges, veluti magiſtras ſcelerum promtiſſime aſſumebant, & earum dulcedine corrupti patres, ut perinde liberi educarentur agebant intenta cura: id per omnes domos puerile rudimentum, haec paterna ſeveritas erat. Pontificem & Eccleſiam auguſta nomina procacibus illudere dictis docebatur aetas, quae ſub omni Catholico tecto venerari in primis haec diſcit: quodque alias horribile, ſacrilegium, & furoris extremi ſcelus haberetur, id veluti propoſito ad pietatis laudem certamine, tirocinium adoleſcentulis, gloria ſenum erat. Quod ſi una fortaſſe, pluresve domus, populuſve aliquis vitaverat communis inſaniae labem: ſi Sacerdotes, & templa, & priſtinae Religionis reliquiae aliquae manebant: haec adeo contaminata & deformata adſpiciebantur, ut pari jam jam ſorte involvi appareret, ſortemque & caſum fuiſſe, non virtutem atque conſilium, quo ſic pauliſper extra illam patriae peſtem ſtetiſſent. Ad haec ita depravata & labefacta, ad hujuſmodi mores & animos, effuſamque licentiam regionis poſitae in confinio Provinciarum, utrimque confluebant, ut quiſque ob flagitia infamis, & metu judiciorum anxius, intutam domi ſedem haberet indigeretque fuga. Pudenda & funeſta colluvies, cum hinc Germania illuc exoneraret, quos ne luſtra quidem & ſtabula illa Haereſiarcharum ſuſtinere poſſent: hinc e noſtris transfugerent eodem, quicumque pertaeſi pudicitiae clauſtra, vinculave alia Catholicae Religionis, amentia & libidine deſtinaverant ſibi flagitiorum omnium impunitam libertatem. Clerici contumaces, & a Monaſteriis plerique, quibus non Archiepiſcopi tribunal, non ſui Ordinis gravia inſtituta placebant: etiam de populo alii, quibus unica ex deſperatione ſalus, adibant Valles, ſecuri deinde ibi in impio & alieno dominatu adverſus Imperium unde fugiebant. Mox illigati nuptiis infandis, impliciti ſordidis artibus, laniſta, ſive cerdo, elementariuſve Sacerdos, Monachuſve propola cum turpiculo grege liberorum ſuorum tolerabant vitam: iidemque de rebus ignotis, apud pecuarios, pro Calvino & Zuinglio adverſus deſertam ſibi religionem concionari audebant. Nec virorum tantummodo propudium id fuit. Etiam accepi ego, mulieres aliquas ex earum numero, quae ſe perpetuae caſtimoniae votis obligaſſent virgineſque appellarentur, egreſſas monaſterio furtim, comites iviſſe Praedicantium aliquibus, & cum eis eſſe maritatas. Sed praeter haec humanarum libidinum humanaeque levitatis minime quidem etiam ipſa levia mala, longe atrociſſimum aliud & dirum ab inferis & Orco, planeque Furiale malum lacerabat gentem, in quo referendo ſubit mihi horror animum, nedum, ut tunc abſque terrore hominum, ſpectari, vel audiri potuiſſe rem credam. Plenae valles veneficorum & veneficarum erant.

Quod, dum a me dicitur, cogitari oportet, ſubjicique oculis, & in conſpectu legentibus eſſe immixtos hominum generi Daemonas, tranſgreſſos ultro ad infera homines, obverſaque terga ſaluti, & Coelo, & Superis omnibus: horum loco adoratas rebelles Divinitati animas, inita foedera cum aeterno hoſte, horrendos Chimaerarum amplexus, & libidinis cauſa evocatos angues, quos ultrices flammae aſſidue circumſtant, & urunt, neque abſumunt uſquam. Huc progreſſa vecordia agreſtium illorum erat. Ac ne ſentirent ipſi cladem exitiumque ſuum, & tam foedi commercii abominanda vincula, dabat miſeris ſaeva blandimenta Daemon: paſtoſque inanibus epulis, & voluptatum imaginibus eluſos inſtruebat nocendi potentia, per quam, veluti regnum ex occulto exercebant, prout quemque ſimultas, & ira, vel aemulatio aliqua montana ſtimularet. Namque qui ſic aſſumti initiatique erant, poterant lenta tabe perimere teneros inimicorum infantes, infatuare animos, vitiare arva, dare jumenta in praeceps, quae cum paſtoribus ſaepe ſuis urente introrſus rabie, devoluta e rupibus fuere ſpectaculo. Reperiebantur erutae ſepulchris humanorum corporum reliquiae, oblitaque tabe oſſa, & veneficia alia, queis Daemon veluti mortalium manu mortales trahebat. Et ne ſperari peſti tam dirae finis poſſet, tradita per manus flagitia haec ibant, octennemque filiam, ſive neptem, mater anus, filiumve pater ducebat ſecum, imbuebatque tali ſacro. Silentio noctis, & phanatico medicamine rapiebantur ocyſſime per auras in profunda ſylvarum & nemorum. Ibi ſaltationes & chori: ibi officina rerum atrocium calebat. Haec erant acerba patientibus: ſed cum in parte altera plures ſtarent, cumque tota calamitas ab eodem eſſet hoſte, qui ſuſtulerat ex eis terris Catholicam Fidem, nulla conſilii, vel remedii via explicabatur.

Deſcenderunt demum eo, ut Cardinalis ipſius opem implorarent, preceſque Vallium ſuper ea re ferentes legati venere in Urbem, haud ſine publica admiratione, quod pertinaces Haereticorum animos orta indidem alterius mali vis emollire ſic potuiſſet. Franciſcus Borſatus Mantuanus, prudentia legum, & multa cauſarum pertractatione nobilis, diuque exercitatus, abominatus denique jurgia fori ſeculumque fallax, praeoptaverat Eccleſiaſticae vitae ſecuritatem & quietem, eoque voto Mediolanum profectus, & a Cardinale benigne acceptus, illius inſtitutis & diſciplina Ambroſiana erudiebatur, non in quaeſtum & ambitionem, qualia hominum externorum ludibria fovit aliquando aula haec & nutrivit. Sed vir erat ex fraudum humanarum notitia, pioque & ſincero animo recte compoſitus, quae nimium rara mixtura eſt. Praemiſſus hic ad veneficia perveſtiganda, quaeſtionibus habitis, deprehendit illigatos Tartareo ſcelere multos etiam eorum, qui ſcelus illud publice arguebant: quodque nec accepiſſe ego vellem, & referre pudet, invenit Antiſti-

tistitem impuri gregis ipsum Rovereti Praepositum, qui populi sui proditor, suam inprimis dignitatem salutemque prodiderat. Et Borsatus quidem antecursor, quaerendo strenue urgebat Bacchanalia participesque eorum, ut comperta omnia & profligata Cardinali advenienti exhiberet. Paulo post etiam ipse aderat, vim, & auctoritatem, & famam, & animum ferens Daemonibus quoque terribilem. Sequebantur eum Galiardus & Panicarola, aliique, quos litteris & prudentia idoneos ad ministeria rei agendae assumserat secum: longeque efficacius instrumentum sequebatur, magnus pecuniae numerus, & onusti muli argento, scilicet, ut tali illecebra deliniret animos, & avara rei ejus etiam regna Inferorum, effusa in pauperes liberalitate conculcaret. Statuerat ab Rovereto pago ordiri, quod Vallis Mesolcinae fere caput est, ejusque templi Praepositus, infamibus, ut dixi, indiciis tenebatur, dux agminis scelesti, desertor atque proculcator Sacrorum, quae administranda & tuenda susceperat. In id templum magno undique concursu adveniens, ita concionari coepit, ut diceret, missum se esse a Pontifice Maximo ad eos invisendos, quomodo Patriarcham Josephum olim ad fratres suos in Aegyptum a communi parente missum fuisse audivissent. Obire inde & recognoscere deserta illa & squalentia Sacra, Ecclesiamque labentem instituit, quacumque incederet, iteratis quotidie concionibus, explicatione Catechismi, & perfunctione alia munerum, queis alienati jam & corrupti reconciliarentur: pars melior & adhuc integra reciperet vires. In quo multum quidem poterant verba Cardinalis ipsius, illustriumque oratorum, quos secum adduxerat, sed longe plurimum, pecunia, & vitae suae exemplo auctor ipse operis profecit. Illa quidem ad omnia loca large dispensabatur in egenam plebem: ipse vero, lurida veste, pane & aqua, brevi somno, duro cubili, nullo adversus frigora munimento (& jam adulta hiems, regioque fere hiemalis) haec omnia suo more retinens vulnerabat animos. Damnavere prava dogmata & defectionem ab Ecclesia suam plerique, non de plebe tantum promiscuoque populo, sed etiam e primoribus Vallis: ipseque Cancellarius, imperio & auctoritate saevus alias instigator ad rebellandum, nunc praesidium & exemplum utile resipiscentibus erat. Is, cum multa pestifera scripta Praedicantium, infectosque veneno commentariolos apud se haberet, detulit omnes eas litteras ultro ad Cardinalem, & quidquid Catholicae Religioni discors contrariumve esset, publice ejuravit. In unum congesta cumulum ea monumenta cremantur: & recepto in Ecclesiae gremium Magistratu, pars Catholica quotidie validior fiebat. Praedicantes, aut conspecta rerum inclinatione, fugere maturarunt, aut pertinacia, vel haesitatione cunctantes abire jussi, praefinita die, intra quam excessisse finibus deberent. Duo etiam fuere, qui cum uxoribus & prole sua, quaesito simpliciter ad Cardinalem aditu, procumberent ad illius genua supplices, & peterent, ut in pristina claustra Ordinemque restituerentur. Sed petebant uterque simul, ut numeraret quinque sexve liberos, respiceret nubilium filiarum aetatem, & infelices anus, quae partus hosce edidissent, alicubi collocaret. Non defuere, qui puellas puro justoque matrimonio acciperent: mares in collegia Mediolanum missi: assignata mulierculis alimenta: & patres in Monasterium uterque suum rediere conditione optima, siquidem, post domita in hunc modum frena, tantumque intemperantiae, nihil ex praeterito illis intra claustra exprobratum fuit, & pari cum caeteris jure postea vixerunt. Id ut ita esset, petiisse Cardinalis ferebatur: ajuntque modestia etiam ipsos, & pia consternatione, quamdiu deinde vixerint, simillimum illud oblivioni silentium inter gregales alios meruisse. At venefici, & veneficae, possessum jam Daemoni genus & foederis pacto illigatum, cincti undique retibus judiciorum, & indagine Borsati, extrahebantur quidem ex omnibus angulis, & rite interrogatae, fatebantur, quemadmodum Satanae sectam secutae essent, jurassentque in ejus verba: sed aegre annuebant, ut abrumpere se inde, salutemque optare vellent. Centum triginta uno agmine productae sunt, quae post varia hortamenta, Daemonem adspernatae, Christo & Ecclesiae restituuntur. Id ipsum in aliis aliisque factum, prout quaeque dederant manus. Undecim pertinacissimae vetulae duces & capita caeterarum, affirmavere, se potius ultima esse passuras, quam ut datam Daemoni suo fidem fallerent: hasque poena secuta est, ut igni cremarentur. Adjicitur rogo miser Rovereti Praepositus, cum pari contumacia is quoque veniam in praeterita, salutem in posterum oblatam repudiare perseverasset. Hunc exauguravit sua manu Cardinalis, ut Magistratui ad supplicium traderetur: quod cum fieret, mota misericordia animo fertur illacrymasse exitio miseri illius, animique sui super ea re dolorem lamentabili ad populum concione testatus, talia quaedam dixit: *En, fratres, paterna nostra viscera, quanto luctu complere potuerit unius hominis furor! en, a quibus initiis, ad quem exitum humana mens prolabatur!*

Id tam triste judicium, dum in Mesolcinis exercetur, continuaturque judicio poena in pertinaces adspernantesque veniam, voluit Cardinalis avertere parumper ab ea deformitate animum oculosque, & in Calancam vallem, quae parum abest inde, transcendit. Habet editi verticis montem, & antiquitus in eo sitam aedem Virginis Deiparae, quam invisere statuerat, afflicto animo solatium hinc petens. Sed altitudo quatuor fere millium erat, obsitique nive calles, & rupes in adscensu diruptae passim, ob quae, familiares, supersederi posse itinere illo ajebant. Itur tamen: ibique in nivosi montis cacumine, afflantibus undique ventis, in deserto vetusto templo, multa ad Deiparam prece, multa meditatione satiatus cum sua familia Pontifex digreditur, & sparsos circuitu montis, vel infima valle Calanchinos, dierum aliquot officio percurrit tanta ad singulos comitate, ut Rhenani, quae trans montes tota haeretica vallis est, miserint legatos pollicentes obsequium, si illuc quoque iret. Hos benigne allocutus renuntiare suis jussit: iturum, ubi cis Alpes inchoata perfecisset. Interim, cognito, Rhaetorum Principes Curiam Concilii causa convenisse, Bernardinum Moram e familiaribus idoneum ad talia hominem ire, eique occurrere Concilio jubet, multarum rerum causa, quae res Procerum auctoritate indigerent, ad id, ut Catholica per valles Religio firmaretur. Simul ei mandatum, ut Curiensem Episcopum admoneret: desiderari diligentiam ipsius, nolle dicere fidem in pastorali munere obeundo: quandoquidem ipso pene inspectante adeo prolapsa res esset. In Concilio praecipue petiturus erat illud, uti decretum fieret, ne Praedicantes amplius desertoresque Ordinum intra vallium pagos locave ulla admitterentur: honestis vero Sacerdotibus, etiam si alienigenae essent, contra, quam alia Rhaetica lege cautum foret, aditus illuc, & sedes tuta daretur. Cum his mandatis ex Calanchina valle dimissus a Cardinale Bernardinus Mora, cui super ingenii dexteritatem, & dignam Ecclesiastico homine litteraturam, etiam pietas aderat digna Borromaei homine & alumno, proficiscebatur ad Rhaetos, & exposita ibi legatione, permotoque Concilio, paucis post diebus, responsa retulit ea, quae satis placerent. Dixerant, arceri Vallium ingressu Praedicantes transfugasque: Sacerdotibus, nisi qui de sua, vel Helvetiorum gente essent, aditum negabant. Episcopus quoque, excusata praeteriti temporis, vel culpa, vel necessitate, castigationeque accepta, promiserat, appariturum esse, quanti ea apud animum suum fuissent.

Haec in moestis rebus valde laeta Cardinali renuntiabantur. Jam ille confirmatis emendatisve Calanchinis, Belinzonam quoque transgressus, Catholico & nobili, sed pleno corruptelarum pago, qui instar municipii est, salutaria pleraque instituta, & perpetuas educandae juventuti scholas fundabat, cum hujusmodi responsa ferens legatus ad eum revertit. Nisi lugubre Praepositi exemplum, & ille undecim veneficarum rogus angeret velut fumo adhuc, tetroque nidore animum, initia praeclara haec susceptae actionis, voluptati erant, & quia salu-

salutiferi Partus anniversaria dies suberat, ei celebrandae Mediolanum venit. Vix discesserat a Belinzona Cardinalis, cum Praedicantes, abeunte eo, levati metu, sublatisque ad spem animis, ab latebra quisque sua consurrexere, & congregati inter se, qua tutum fuit, ingemiscentes lasciviae cubilibus, quae amiserant, ad ea recipienda, Daemone instigante, conspiraverunt. Erat adhuc ad Curiam urbem Procerum Rhaetiae conventus, ad quos missum fuisse Moram, antea demonstravi, quique postulata Cardinalis, aut prompto cum obsequio admiserant, aut cur admittere non possent, modeste excusarant. Ad id Concilium etiam ipsi veniunt, & per fautores suos introducti exponunt, proterveque miserantur, non tam exsilium suum, injuriamve novae religionis, & humanorum corporum incendia facta quae essent, quam Rhaeticae libertati factas insidias, & sub Catholicae Fidei titulo latentes Hispanorum artes, quas Borromaeus assecla Regis ad subruendum Reipublicae statum attulisset. Hunc esse Borromaeum, Jacobi Medicaei sororis filium, illius, scilicet, qui Clavennam & Morbennium olim intercepisset furto, Vallemque Tellinam aggressus armis in discrimen adduxisset. Avunculi itinera nunc ingredi Cardinalem, ut, quod frustra ille tentasset bello militaribusve dolis, id ipse specie religionis assequeretur: emotoque ultra juga montium omni Rhaetorum nomine, Valles Hispano adjungeret. Quippe etiam Mediolanensi Imperio antiquitus adnexas eas dici Valles, eoque jure vindicari & trahi. Si forte conata ad irritum caderent, manerentque Valles in potestate Rhaetorum, illud certe proximum fore, ut Gallicum foedus, quo stetisset ad eam diem Rhaetica libertas, Hispano paulatim iis terris assuescente, dissolveretur. Summa consiliorum & querelarum erat: Ne Borromaeo hominibusve ejus Valles postea ingredi licitum esset. Tribunal Inquisitionis, quod Borsatus ille fixisset, auctoritate Concilii tolleretur. Vindicarent in capita Mesolcinorum, qui Cardinali immodice adulando, jura libertatis imminuissent.

Erant in Concilio, sicut hostes Catholicae Religionis, & Haeretici multi, ita nonnulli etiam recte sentientes & studiosi Cardinalis ipsius, qui falsa haec omnia & conficta Praedicantium levitate docebant. Sed pars altera, & numero superior erat, & vincebat hoc ipso, quod libertas publica, & foedus antiquum speciosa nomina actioni praetendebantur. In horum sententiam decreto facto, primores Mesolcinorum evocantur ad caussam dicendam, statimque his in vincula conjectis, terror injectus etiam multitudini erat. Haec Mediolanum nuntiata Cardinali. Qui nihil cunctatus, per Helveticorum legatos obtinuit, ut carcere illico eximerentur. Helvetii namque minitati Rhaetis erant: nisi captivi isti quam primum dimissi forent, ipsos foedera omnia esse rupturos, neque subsidia ulla amplius ex foedere laturos Genti. Inde spes major & fiducia Catholicis per omnem Mesolcinam increvit: Principesque Vallium caeterarum, conspecta defensione & favore Cardinalis erga suos, clam petiere, ut sibi quoque subveniretur, quo promtius ad Catholicam Religionem transgredi possent.

Annus hic Cardinali inchoabatur mortalis vitae supremus sempiternae initium, populo Mediolanensi desperatione & luctu pene ultimus, nisi providentia Numinis in occulto teneret, aleretque Juvenem, qui tam pia studia conatusque Patruelis suo tempore pari animo excepturus erat. Hujus anni principio, insignes doctrina & pietate viros, partim ex Ambrosiano suo Clero, partim ex Ordinum aliorum delectu, subsidio Vulturenis misit, ut, quae poposcissent, haberent adjumenta salutis, Catholicaque disciplina erudirentur. Strenui homines, assueti laboribus, apti conciliandis animis, impavidi periculorum, nihil praeter Deum, & Cardinalem, a quo missi erant, respicientes, praeclare suo munere fungebantur, & jam interlucabant eas sylvas, cum a Praedicantibus iisdem, eadem apud Concilium calumnia repente circumventi sunt, & opere dejecti, ac ne vincula quidem effugerunt. Pars comprehensi pro exploratoribus: pars frustrati satellites immissos: non nemo favore Catholicorum admonitus ultro emissusque est. Paulo post purgati ac dimissi etiam qui detinebantur. Et actio quidem adeo praeclara haec exitum hujusmodi habuit gloriosum magis Cardinali, quam laetum: ipse vero deinceps omnia, quae paterfamilias etiam aliquis morte appropinquante ageret sedulo ac provideret, agebat sollicite, & providebat, ut Ecclesiastica sua res, ipso decedente quasi recte constituta domus relinqueretur. Evocavit ex universa Dioeceli Vicarios omneis Praefectosque Regionum, eosque domi acceptos ad sexaginta, & per conclavia divisos, hospites esse suos jussit. Cum eis, nunc universis, simul, nunc singulis separatim, per quindecim dies colloquebatur, exquirendo, & subinde referendo in praeparatum ad id codicem quidquid in Ecclesiastica disciplina, vel aegri adhuc & inemendati, vel turbidi, & impediti haberetur. Ea deinde futura materies undecimae Dioecesanae Synodi erat, quam Synodum ad constituenda purgandaque & explicanda ista, in mensem Majum proxime sequentem indictam habebat. Et, quia erysipelate interim laborabat, ita, ut captus altero crure, neque ingredi, neque subsistere posset, cum agerentur haec, velatus decore insignibus suis in aula decumbebat, circumfusa lectulo Praefectorum corona, qui interrogabantur simul, & mandata accipiebant. Hos postea dimittens, proferri recitarique jussit diploma Apostolicum impetratae ad id facultatis, *ut si quis forte Sacerdos administrando Sacra labem aliquam ejusmodi contraxisset, qua prohiberetur administratione Sacrorum fieretque Irregularis, hic rite confessus, ab quolibet alio Sacerdote absolveretur.* Viderat, consideraveratque Cardinalis, posse multos ejusmodi contraxisse notas, implicitosque teneri talibus vinclis: ideo facultatem impetrare hanc voluerat: & praefecti Regionum cum illo haud parvae rei munere abierunt. Simul, & ipse erysipelate sanato assurgebat opportune ad coercenda Saturnalium ludicra, quorum propinqua exspectatione gliscens lascivia Urbis erumpebat etiam ante tempus. Indixit tota urbe supplicationes: civitatem regionatim universam ad mysteria Altaris ex ipsius sumenda manu invitavit, & pleraque instituit alia, quibus praeventum occupatumque divinitus populum caperet inanium pudor, & sollicitandi ejus verecundia subiret etiam hostem. Ita Bacchanalia innoxie transiere.

Concepit deinde ipse animo magnitudinem Rhaudensis templi, quod unum extra urbem fere dignum majestate Deiparae Virginis visitur hodie & frequentatur. Initia Religionis molisque ejus paucis tradam. Aedicula super id municipium octavo ab urbe lapide fuit, viae imminens: ea parvulam imaginem Divae habebat, inclytam miraculis, quae late vulgata per Insubriae urbes, agmina populorum undique excibant, & collata illuc quotidie stipe, pecuniae acervos pietas publica accumulabat. Jam antea progressus eo Cardinalis, inspecta aedicula, & adorata imagine, recognitisque miraculis, dederat opportuna mandata, ne custodia illustrium donorum, neve memoria negligeretur earum rerum, quae ibi divinitus fiebant. Nunc consulto per litteras Pontifice, responsoque accepto, designavit templo fines & formam in eum modum, quo potuisse absolvi, inter alia miracula Divae relatum merito est. Delineator artifexque operis fuit Pegrinus, cui aetas illa principatum inter architectos dabat. Viri nobiles ex municipio ipso pagisve circumjectis, pecunias & vectigalia templi dispensant: Oblati Sacerdotes juxta aedem exstructo domicilio habitant, & divinos ibi cultus tuentur. Anno hoc M D LXXXIV. Nonis Martii inchoata ea aedes magnis incrementis alte assurgebat, & primum lapidem Cardinalis ipse in fundamenta conjecit.

Aprili exeunte, ad Synodum indictam adfuere omnes, eaque Synodus, cuncta, sicut ex priore Vicariorum Conventu animadversa fuerant, exacta ad eam normam singulorum capitum descriptione formabat. Mox inventae salutiferae Crucis anniversaria dies aderat: cujus diei caeremoniam effuso studio obire solitus fuit, ob summam in circumferendo sacro Clavo junctam cum moesta recordatione jucunditatem, qua velut in Coelum

lum ipse subduceretur. Ad ejus diei celebritatem pro Mysterii magnitudine condecorandam, Cardinalem Valerium, & similitudine studiorum, & vetustate amicitiae sibi conjunctum invitarat, ut vellet adesse una secum ad deducenda per urbem pignora illa humanae salutis, ferrumque illud per nos imbutum vulnere divino. Ac Valerius quidem, commoto ad ista animo pari jucunditate veniebat: sed noster subito nuntio ad Brixiam in Cenomanos evocatur, moriente illic Episcopo Delphino, cui, ut in discrimine ultimo adesset, sexaginta millia passuum nocturno cursu emensus, exanimem eum reperit, & in reditu raptim salutato Valerio (interim namque ille Mediolanum venerat) circumtulit Clavum, & reliqua solennia diei ejus peregit. Per aliquot postea dies, Hospitis colloquiis & consuetudine recreabatur, & eo domum proficiscente, simul ipse ad varia per Dioecesim adhuc inspicienda loca egreditur Urbe, rursusque subinde redibat in Urbem, prout res aliqua officiumve necessarium incidisset. Atque officia & itinera haec ad rusticanum Urbanumve gregem alternando, multis intra paucos dies gestis rebus, constituto ad Legnanum collegio Canonicorum, Parabiaghi, unde collegium id transtulerat, fundata Paroecia cum adjutore suo, duobus Mediolani consecratis Episcopis, Alexandrino & Albensi, inchoato Cucullatarum Virginum Ordine, jactis etiam Xenodochii fundamentis, quod ponere voluerat, ut ad reficiendos eos, qui ex diuturno aliquo morbo convalescerent, domus propria esset: his aliisque ea aestate gestis rebus, egreditur demum, nihil ultra in urbe acturus praeter extremum vitae actum, qui aderat haud sane inopinanti. Egrediendi occasio autem in hunc modum fuit.

Franciscus Bossius erat Episcopus Novariae, fama egregia, & ob multas Pastorales virtutes unice carus Metropolitano. Hunc periculose aegrotare, jamque exigua in spe trahere animam, venere nuntii, quibus auditis, de tertia noctis vigilia, (etenim id forte tempus erat) anxie proficiscens, ad mortuum tamen venit. Duxit ei funus. Deinde Vercellas usque progreditur negotii causa, quod absente urbis ejus Episcopo, Pontifex Gregorius prudentia & lenitate ipsius commode administrari posse speraverat, cum per alios frustra tentata res esset. Ibi capitales inimicitias Procerum urbis diremit, & cuncta, quae erant a Pontifice mandata exsequendo, aliquamdiu illic morabatur. Veniunt deinde in eam urbem Cardinales duo: Ferrerius & Laurus: ille propinquam cum Borromaeo cognationem, & videndi ipsius studium ferens, hic Sabaudiae Ducis preces, ut, quoniam illuc usque processisset, Taurinum etiam brevi diverticulo descendere ne gravaretur: annuitque ipse ob sacram Syndonem, quam invisere ultimum & adorare cupiebat. Ita treis simul Cardinales iere, obversa in Borromaeum unum aula velut ab ignotis capitibus, licet Ferrerius quoque & Laurus ejusdem imitatione Borromaei nobiles ea tempestate essent. Non omiserim ipsius de propero suo fine praesagium, quoniam tanta ea habita res est, ut Sabaudus ipse postea, cum de sanctitate viri testimonium scriberet, id etiam inter argumenta coelestis animi retulerit. Cum enim in digressu Cardinalem enixe obsecraret, ut propinquo nuptiarum tempore, queis Catholici Regis Filia deduceretur, adesse vellet, ad bene precandum eis nuptiis: haud obscure ille intulit: congressum illum inter ipsos esse ultimum, neque amplius fore una, quam deinde vocem statim insecuta res Oraculi vice consecravit. Vetus ei mos fuerat in singulos annos excolendi piis exercitationibus animum, & confitendi quidquid ex toto vitae suae cursu alicujus culpae nomine suspectum haberet. Ejus itaque moris & exercitationis causa Verallum Montem adit, & propinquitate loci, & religione invitatus. Namque Mons, ut antea demonstravi, ille, singula Christi necis mysteria totidem cellis repraesentat: & rerum ac personarum figurae eminent expressae ad vivum: pleraque ibi tristium facies apta contemplantibus. Familiam fere omnem praemiserat domum, & paucis retentis, exciverat ab urbe Jesuitam Adornum, quo homine propter divinam cum eximia pietate litteraturam plurimum utebatur: duxque & magister ad hujusmodi secessus fere iste erat. Vita per aliquot dies in Monte haec fuit: Cellas ordine omnes in orbem quotidie adibat distributis aequaliter per horarum intervalla meditationibus, nisi quod ab Horto & Sepulchro fere nesciebat egredi cum semel eo pedem intulisset. Alimenta corpori illa scilicet ultima ex naturae subsidiis, panis & aqua. Brevissimae quieti durum cubile nuda tabula praebebat. Exsurgebat dein, & modicum laternula lumen tenens ordiebatur iter illud suum, cujus lentitudo & mora jungebat cum nocte diem, & ea ipsa viginti quatuor horarum spatia non sufficiebant. Verberum ad singula mysteria saevitiam, infecta cruore tunica interior, & lacerum vibicibus corpus prodidere postquam exspiravit, cum ejus rei secreto cunctos antea fefellisset.

Inter simul nocturna flagella, vigiliasque, & inediam, simul meditandi contentionem, splendentem eximio fulgore faciem ejus visam sibi esse, Bernardinus Mora, tunc e familiaribus asseclisque unus, Atellanus postea Episcopus cum jurejurando inter testimonia affirmavit. Et qui confitenti subinde praebebat aures Adornus, pari religione testatus est, tantam eum in ordienda illa totius vitae confessione effudisse vim lacrymarum, ut neque precibus, neque sacri Tribunalis auctoritate demum inhiberi posset.

Ad IX. Cal. Novembris ibi in Monte corripitur febri, quam prima & altera accessione dissimulavit. Tertio advenientem fateri coactus cessit Adorno Patri hactenus, ut, & fartum stramento saccum ad quietem, & coctum aqua panem in cibatu admitteret. Etiam de assiduitate meditandi tantum remisit, ut ad singulas cellas interponeret colloquia aliqua cum suis, exquirendo & consultando, quomodo cellae mysteriaque illa quibusdam sui partibus emendari, meliusque & aptius aedificari possent. De quotidiana Officii recitatione consuetudineque sacrificandi nihil remisit. Febris interim (tertiana erat) quo coeperat ordine recurrere, nec mentiri usquam, sed crescere atque exasperari, jam ut ipse inciperet, simul sperare sibi celerem exitum e corporis custodia, simul vereri, ne breve tempus ad quaedam perficienda deesset. Asconense collegium in primis cordi erat, quod imperfectum opus si relinqueretur, multa simul angebant religione animum, tamquam Pontificis mandata voluntatemque mortuorum, & rem Catholicam simul eo destituto opere impie violaturus foret. Id utique collegium propagandae in Helvetios soboli fundare & constituere antequam decederet, volens, abrupit subito moras, & sacro digressus Monte Aronam venit. Hinc tertia noctis hora conscenso navigio Canobium pervehitur. Ab Canobio, post modicam ibi quietem, repetito cursu Asconam appulit, descriptaque raptim institutione collegii, dum tabulae recitarentur, interveniente febri, suorum rogatu Canobium retro, inde Aronam, ab Arona Mediolanum Ticino amni est devectus. Nec interea quidquam, aut de consuetis exercitationibus, aut de pristina asperitate vitae mutaverat, quin retineret cuncta & obiret, concionabundus inter suos, incubans horrido sacco, & diluto leviter pane victitans, & insatiabiliter ad sacra precesque effusus. Quo rigore & contentione, ad Aronam in reditu irritata febris, non jam sicut antea intermittere & recurrere (quae sunt apud medicos optimae spei vocabula,) sed lethaliter continuare aestum coeperat. Fatigatio illa itineris, & nocturnae navigationis labor, turbato insuper lacu praecipue credita sunt nocuisse. Ipse propinquam Sanctorum omnium diem excusabat, quo minus differre vel cunctari posset. Ad ejus diei celebritatem se velle esse Mediolani, & nescire an postea vitae spatium sibi ad illud Asconense negotium daretur. Sed collegium quidem, ut narravi, instituerat: alterius vero sui voti fructum, ut populo Mediolanensi Pastor ad recolendos unius diei caeremonia Sanctorum omnium choros interesset, usurpare non potuit. Aronae diem eum egerat, in templo Societatis Jesu Pontificali munere extremum ibi perfunctus: & quidem adeo attenuato corpore, ut quoties genua inclinarat, non posset assurgere, nisi per ministros allevaretur.

retur. Affectus debilitatusque ita, cum ad urbem venisset hora secunda noctis collocatur in consuetae asperitatis lectulo, quà trophaea Crucis insignia Pontificatus dant cubiculo cognomen, eaque sedes & statio in publicum ipsi fuerat. Ibi subitariam aram contra lectulum poni: & tormenta Salvatoris praeferentes tabulas suspendi undique jussit, ut alia supra caput tabula staret, ad pedes alia, & ab lateribus, hinc dextro, hinc sinistro imagines ejusmodi objicerentur. Volebat enim quocumque se avertisset, invenire oculis & contemplari monumenta illa salutis humanae.

Volenti postero die recitare preces horarias, obstitere medici. Recitavit ad lectuli radices alta voce Hieronymus Castanus, e familiaribus unus, qui prodentibus ista nobis eleganti senecta Canonicus vivebat. Morbus interim in singula momenta degravabat magis: & aegro nulla de se humanitus cura erat, nisi quod ajebat, in potestate medentium se esse. Forte isti, cum febris, quo sueverat horae momento, non accenderetur, sustulerant illico manus, & bona signa praedicabant. Mox, ut violentior solito aderat, iidem, haud sine verecundia artis, labi spiritum pronuntiavere. Pater Adornus id Cardinali denuntiavit, & mysteria ultima festinantur, queis curata Coelestis Anima statim supremo certamine conflictari coepit. Tunc intimi familiarium recordati auditum saepe ex eo, quemadmodum cuperet cinere cilicioque coopertus vetere Sanctorum Episcoporum ritu exstingui, cilicium, quod ipsi fere gestamen fuerat, cinere conspersum moribundo injecerunt. Suspensa in vicino tabula pendebat, in qua perfusus Calicis horrore Salvator, & guttae manantes adspiciebantur. In eam imaginem perpetuo obtutu defixis oculis, exspiravit, sereno & intento ore, quasi colloquia adhuc misceret.

## *LIBER XVI.*

DECESSIT Cardinalis Archiepiscopusque Carolus ad III. Non. Novembris M D LXXXIV. tanto bonorum omnium luctu, ut moerere etiam impios oporteret. Nam, & in magna civitate, magnaque Ecclesia, necesse fuit reperiri homines, quibus velut parta eo die libertas inter prospera numeraretur, & hos ipsos publica desperatio, publicique ejulatus, & communis exempli pudor ac necessitas induebat pari vultu. Qui vere, quive falso lugebant Pontificem, Parentem, Altorem, improbi probique, mixti nobilibus obscuri, pueris senes, omnis ordo sexusque alter, compleverant urbem imagine captivitatis: & simillima facies erat, veluti cum egeritur e tectis praeda, tectave conflagrant, & promiscua spoliata corpora inter manus barbarorum hostium contumeliis sternuntur, vulneribusve cadunt.

Manaverat incerta primo fama, exstinctum esse Cardinalem, isque rumor, tamquam trajiciens per continentia tecta ignis, ab mensa, & lectulo, vel lare quemque suo exciverat. Egrediuntur foribus, eminent fenestris, culmina tectorum adscendunt: rursusque ad ima delapsi erumpunt in viam, ad forum, ad templum, ad Palatium Pontificale properant, pars falsum esse rumorem, vivereque Carolum, pars nimium veram esse famam, seque orbatos Parente, conclamantes. Non interim pallium tunicamve plerique sumserant: intecti pedes & caput, vix ad pudorem velati vagabantur, immemores sui, rerumque omnium ob unam eam rem, quae praecordia tamquam oestro occuparat. Inter haec, templi maximi turris coeperat ejulare funesto reboatu: atque statim inde accepto signo, strepere flebiliter campanae & tintinnabula cuncta Urbis: nec ultra dubitatum. Tunc vero deserti populi quiritantis maxime miseranda species fuit. Namque lugebant mortuum simul, & quasi viveret adhuc, spesque subesset, pro eo instaurabant preces, & voces audiebantur exposcentium, ut sibi Cardinalis redderetur. Pia Sodalitia urbis convenere raptim: & caedentes terga flagellis ad varia templa supplicatum iere, prout quosque propria aliqua religio, & fiducia impetrandae opis, huc illucve ad familiares sibi aras trahebat. Ad eadem nocturna agmina & vexilla congregabantur subinde obvii caeteri per vias: ac desertae pleraeque domus impune diripi potuere, si scelera & fures nox illa habuisset.

Credo, rapaces quoque manus, & promtos ad flagitia animos in illo feralium tenebrarum strepitu obtorpuisse: ipsamque rerum confusionem, quae alias incitamento ad audendum esset, terrori tunc fuisse, ne auderent. Exacta in hunc modum nocte, nihilo laetior dies illuxit, qui modo ploratibus inquietus, modo per silentium vastus, nihil a profundae noctis horrore differebat. Offensare capita cives, plangere pectora palmis, adspicere terram, haerere metu: &, ubi sustulerant oculos, sermonemque consociarant, una vox erat; concidisse urbem: nihil ultra spei reliquum: maturasse Numen auferre innoxium illud caput, ut irae suae tela, in caeteros vibraret. At feminae, quo mollior ad dolorem accipiendum est sexus, magisque prona, vel ad lacrymas, vel ad pietatem natura earum, hoc plura conquerebantur. Homines politici, queis dura, vel torva ingenia, & ex tali Pontificatu residuae offensiones, parsque irarum, aut fractis etiam ipsi animis damnum commune complorabant, aut eluctantibus verbis, & adducto vultu, utcumque fatebantur cladem.

Corpus interea funeris causa praeparabatur: riteque curatum, & in domestico Sacello collocatum, ne cadaveris quidem facie & figura curantibus lavantibusque apparuerat, sed velut umbra quaedam & arida compages confuderat admiratione animos, quomodo durare tamdiu intra illos artus vita potuisset. Adeo nuda carnibus ossa erant, & crebro verberum hiatu dissipata cutis unicum fere tegumentum ea magis denudabat: vestigiumque plumbeae glandis, quam Farina displosisset, circa medium fere tergum in tam lacerata cute dignoscebatur. Haec forma cadaveris fuit, haud sane dissimilis imagini qua pictores mortem ipsam ostendunt arte sua: sed placidum spirantia labra amabiliter renidebant velut gratulatione erga Animam egressam inde in Coelum. Per tridui spatium in Pontificali habitu coloris albi ita stetit ostentui populis, qui ex municipiis etiam pagisque omnibus adfluebant tanta frequentia, ut militari praesidio muniri Palatium necesse fuerit, custodesque apponi, per quos agmina ordine admitterentur. Non tamen vitari pericula & tumultus potuere, brevique constipatos intra Sacellum mortales elidi & praefocari oportebat, nisi subventum foret. Remedio fuit paries ab latere dextro Sacelli perfossus, datusque repente multitudini eo hiatu exitus in porticum propinquam.

Effertur deinde Cardinalis ab universo Clero Canonicorum humeris, ducente funus Gregorio XIII. qui tunc Episcopus Cremonae erat: Gubernator Urbis, & cum Senatu caeteri Magistratus mutata veste omnes adfuere. Testamentum, quod septennio ante fecerat, hoc tempore apertum heredes habuit Christi pauperes, & templi maximi Canonicos, templumque ipsum, prout, illis anni fructus & subsidia aliqua pecuniae, his Bibliotheca multorum voluminum, templo sacrificalis apparatus & argentea vasa conveniebant. Hic fuit exitus Caroli Borromaei, cui primo omnium, & fere uni contigit, ut Coelesteis honores decerni videret eadem aetas, quae ediderat virum alueratque, & vicissim ab eo sanata & enutrita erat. Non, inquam, fortasse alteri tale quiddam evenit, postquam, ob magna merita magnasque virtutes, mortalium, & animae Coelo, & nomina fastis inferuntur. Sed nec talia fortasse alius egit, potuitve agere: cum etiam divinae benignitatis operumque divinorum haud ultimum fuerit, tot in unum hominem contulisse dona, quorum unumquodque ad coelestis gloriae cumulum satis esse potuisset. Jam inde a primo puerili struendorum altarium lusu, per totam aetatem ad extremum usque spiritum, in mortis etiam tempora providerat, ne labaret usquam Catholica fides. Avunculi Pontificatu, Concilium Tridentinum, cujus auctoritate stat hodie publica salus, & quidquid credi pium justumque est, ipse dederat Orbi Christiano. Secutos deinde Pontifices ad Haeretica monstra debellanda incitarat consiliis,

iis, precibus, & exemplo ac nutu suo, qui Romanis hominibus pro lege semper fuit. In Ecclesia Dioecesique & provincia sua, ne quae sederent fibrae malarum opinionum, neve depravata opinionibus etiam eis peregrinitas ibi figeret pedem, haud secus excubarat, quam qui latronum vim, insidiasve furum ab capite fortunisve suis propulsant. Qui mercaturae, quive disciplinarum causa ex alienis terris huc venerant, depulsa quam attulissent peste, sanati ab eo remittebantur domos. Et externi militis turmas ciborum intemperantia profanantes Ecclesiae ritus diesque religiosos, admonito Rege, fraenarat. Ad Brixiam in convivio Germaniae Procerum, qui sponsas Austriacas, Caesaris sorores, deducebant, cum eorum uni verbum impium excidisset, surrexit illico, ad Caesarem Pontificemque scripturus: nec ante mitigatus est, quam Princeps ille jactam suam temere vocem in eadem corona detestaretur.

Jam, praeter ea, quae superioribus libris in tradenda Cardinalis vita, & Pontificatu, demonstrata sunt, pleraque, vel majora eis, vel inde profecta, vel initium causaque iisdem, adeo clara & illustria in publicum fuere, ut cum in Sanctorum numerum est relatus, existimarent, dicerentque homines, sero venisse Pontifici honorem, cujus tam mature dati nullum adhuc exemplum exstabat. Sermo ei de Superis omnibus adeo reverens, ut aperiret caput, flecteretque genua, quoties nomina illa appellaret. Numen vero ipsum, nusquam nisi gloriae ejus causa appellare solitus fuit: & in eos, qui temere appellarent, judicia privatim comparata habebat, instituto piorum hominum coetu, per quos illi castigarentur. Numquam in via Sacerdotem obvium habuit divina mysteria circumferentem, quin averterit ab instituto itinere gradum, additusque pio agmini subierit aegroti tecta simul, & rursus ad templum usque prosecutus consumserit ibi precibus & contemplatione horas. Nullum absque sacrificio & divini Officii recitatione diem elabi sibi passus fuit umquam. Si morbo impediretur, Hostiam quidem quotidie nihilominus sumebat aliena manu: Officium vero recitanti cuipiam aures praebebat, sicut factum esse narravimus, die, qui vitae hujus extremus ei fuit. Id numquam alias usu venisse affirmant, ut descriptas per horarum intervalla preces recitare ipse supersederet, inexorabili etiam adversus incommoda veletudinis religione, quae praecipua medicorum desperatio erat. Sacra Biblia cum legeret, nudo poplite terram premebat. Pietas erga Dei Matrem, tam tenera & effusa, tam vehemens & accensa nullius fortasse animo sedit umquam. Adorandae salutandaeque ejus ubi signum daretur, quocumque loco deprehensus esset, in genua procumbebat: atque conspectus aliquando in medio itinere est ad id signum in sordes & coenum ex equo repente desilire. Preces, & honores, & jejunia Numini, Majestatique ejus, praeter quae communiter habentur, nova etiam instituerat: manentque inter Ecclesiae ritus: inclinatio capitis quoties pronuntiatur Divae nomen: supplicatio in singulos menses cum imagine ejus: praeposita templis omnibus eadem imago, & singulis hebdomadis sexto quoque die symphonia per omnia templa ad Reginam. Instituerat ista Carolus, cohortatusque saepe populum, & missa ad milites etiam cohortatione per omnia praesidia, ut munimento tali insistere vellent, posuerat in templo maximo aram Virgini, & ara ista rogatu efflagitationeque ipsius, cunctis Apostolicae Indulgentiae muneribus ditata est iisdem, queis Romana Minerva sub profano hoc cognomento continet aperitque Coelum. Sanctorum omnium reliquias quanto studio coluerit, exempla declarant. Sed non coluit tantummodo, uti demonstratum est, & ornavit eximie quascumque Mediolani repererat: etiam impensa cura conquisivit peregre, & nobilium Martyrum ossa ab Hernesto Coloniae Archiepiscopo, Gulielmoque Bavariae Duce accepit, quomodo quilibet alius Principibus eis antiquas opes invideret.

Cumque tanta flagraret religione erga deteriora ista Coelestium, Coelestes ipsos nominaque eorum altiore pietate venerabatur: & qui aliquo modo proprii ac nativi Urbis essent, hos praesertim honoribus novis producere in publicum, ostendereque pietati & famae gestiebat. Ita Gervasium & Protasium, cives popularesque nostros honoravit anniversario die, diemque eum nulli operi faciundo religiosum fecit. Ita Ambrosium, ita Barnabam fundatorem & Patronum utrumque Pontificatus, atque Metropolitas Insubrum, simulque Sebastianum pestilentiae propulsatorem, & ex parte dimidia indigenam, Metropolitano suo jure inseruit fastis, & illos quidem Provinciae toti: hunc Urbi feriis & operum cessatione, colendos mandavit. Item singulae Paroeciae Tutelaribus suis, quibus dicata templa haberent, feriari jussae paruerunt. Ritus & caeremoniae, & externa cuncta, queis Numen Superique coluntur, ut congruentia Majestati tantae essent, omnia quomodo fieri deberent, praescripsit, & ritualibus libris cuncta amplexus, Praesides insuper Magistrosque caeremoniarum, & disciplinae ejus custodes dedit.

Cumque pars ea divini cultus, brevi tempore ad perfectum adducta esset, ferunt, mulierem unam assuetudine & contemplatione rerum istarum, conspecto forte Episcopo, qui Gubernatore Urbis intrante templum, admota ad infulam manu, caput aperire voluisset, admiratam atque offensam ob indecorum eum motum, dixisse: non sane id fieri ex disciplina ritibusque Cardinalis. Adeo sentiebant mulierculae etiam, quanta apud eum cura caeremoniarum & decori esset.

Res divina ante ipsum, confuse, perturbate, raptim fiebat, ab imperitis, ab alienigenis, cum sordido instrumento, sordidiore famulatu, extra templa quoque, & intra privatas etiam domos. Adhibita diligentia flagitio est, ne divinas iras dum placant Sacra irritarent. Sublatae arae, quae non suo loco stabant: constituta supellex, & pretio, & nitore, & modestia conveniens aris: assignati ministri: datae sacrificandi leges: Sacerdotesque peregrini, ne quam labem inferrent, advigilatum. Sedes & receptacula Christi Corporis, quae viles antea fenestellae angulive obscuri fuerant, providit, ut quantum humani ornatus assequi tantae rei majestatem possent, pro cujusque templi opibus & captu expolirentur. Et in unoquoque templo pios sodales ad custodiam curamque Sacramenti descripsit, datis legibus & donis, ne segniter aut perperam ea Sodalitia munus obirent. Adventus, & Quadragesimae hebdomadas, & Quadraginta horarum solennia, diesque religiosos alios, quorum mysteria & sanctitatem, aut non sentiebant cives, aut ad lasciviam luxumque vertebant, implevit, horroris sacri: satellites custodesque templis apposuit, ne per frequentiam concursumque populi, profanae rei quidquam ibi admitteretur. Mulieres, nisi velato capite, honesteque amictas, vetuit illuc inferre gradum. Vetuit intra Sacrata adyta Odaei interioris laicum morari quemquam: idque tanta perseverantia & rigore, ut, cum Regis Philippi adventus per eos dies Mediolani exspectaretur, quaesitumque forte esset, ecquid Majestatem saltem eam admitti oporteret, responderit nihil aliud, quam securum se esse de pietate Regis. Purgavit alio quoque profano dedecore templa, dirutis Procerum sepulcris, quae, non sicuti nunc, effossa & cavata humo, tabem & ossa absumtae mortalitatis occultabant, sed in spectaculorum & triumphi pompam, alte suspensa, tum sacris ipsis, tum capitibus frequentantium sacra imminebant. Cenotaphia haec, tumulosve pensiles, & militaria signa, machaeras, & arma insignia, quae simul attollebantur, sustulit omnia ac removit, ut sacrae aedes essent totae divinarum rerum, puraeque conservarentur.

Sed, & formam Ecclesiasticae fabricae descriptionemque universam parvo amplexus volumine edidit, ne incommode, neve irreligiose pars ulla strueretur, aliena rebus, quae tractantur ibi & fiunt. Deinde, postquam, & honestati fabricae, & disciplinae ritibusque sacrorum consuluerat, vel potius, interea dum constituendo agendoque ista consuleret, simul dedit ad singula fere templa Christianae Fidei scholas, quae veluti spiritus & vita sobolesque etiam in perpetuum essent, ne lapi-

lapidum congerie tantum, multique ritibus coleretur Numen. Hae scholae per Urbem Dioecesimque fundatae, suas leges, & censores, & Principes quasi Senatum ad bene compositae Reipublicae formam habuere: dimisitque legatos in omnes partes earum instituendarum causa: vel ipse aspera quamvis & longinqua circumivit, manibus genuque suspensus & reptans ubi ad invia corpori humano perventum erat. Tantus ei amor in Ecclesiam populumque suum, & tanta cura in teneram praesertim aetatem, ut pie pudiceque educaretur; atque in primordio aetatis acciperent salutaria haec rudimenta, unde per caeteros deinde gradus ad frugem maturae virtutis pervenirent: & quales fuissent pueri, durarent juvenes, grandaevi spectarentur, eademque traderent elementa filio pater, avus nepoti. Amavit Carolus paterno plane sensu, vel potius desiderio teneritudineque matris populum Ecclesiamque hanc, impatiens morae quoties abesse cogeretur, avidus rapaxque otii, quod saluti ejus impenderet, prodigus & elato animo contemtor omnium rerum, quae inde avocarent: paternae stirpis etiam, & imperitantis avunculi contemtor, tunc cum exstincto Federico fratre, subsidium unicum, & spes reliqua Domus ipse propagandae soboli destinaretur. Occulte namque initiatus fefellit auctorem ejus consilii Pontificem, & vincula sibi injecit adversus blandimenta seculi, ut liber ac solutus huc veniret. Neque communiter universos tantum, sed singulos privatim amavit fovitque, nunc invisendo aegros, & praebendo subsidia vitae, nunc ipse subsidium adversus pericula & res afflictas: alios consilio vel praesenti ope, alios favore & gratia, ut cuique fortuna casusve aliquis, promte sustentabat. In commune omnes, ubi adversi quidpiam inciderat, petebant tamquam ab Numine opem: aderatque ille, cum benignitate animi promtus cunctis, tum pecuniarum largitor haud minor. Centum uno die nubiles puellas produxit binas longo agmine, omnesque maritavit. Et praeter id quod divendita Pontificalis opulentiae supellectili, triremibus, Principatuque alienatis, redactum effusumque erat, nihil umquam in domo negatum pauperibus clausumve fuit.

Erant, qui quotidianam stipem in aperto dividerent: erant, qui ex occulto rimarentur pudendas necessitates, & clandestina misericordia subvenirent. Thomam quoque Ligurem impudentis prodigentiae monstrum celebre Urbi ob elatam supra fastigium civile molem, quae stat hodie, & cuncta tecta urbis infra se despectans cum misericordia adspicitur: hunc hominem insigni mortalitatis exemplo, post absumtas immani fabrica luxuque immaniore tantas opes, rodentem fortunae suae ludibria, cibique indigum, miti etiam erga vecordes animo sustentavit Carolus aluitque. Ipse vicissim sumtus hujusmodi suos multorum liberalitate sustentari haud sane indecorum rebatur. Pestilentiae tempore praesertim, cum septuaginta millia pauperum aleret, exhausto omni domestico penore, corrogari suo nomine alimenta haec circa ostia ditiorum jussit. Temporeque eo Antonium Senecam intimum e familiaribus, libertate, quae hominis ejus fuit, ausum exprobrare, venisse tandem tempus, quo retenta esse, nec alienata vectigalia praestaret, compressit hoc responso: dispensationem omnis Ecclesiasticae pecuniae negotium esse adeo anceps atque periculosum, ut eo se onere levatum magnopere laetaretur etiam in malis.

Tam vilia & projecta semper in ejus animo haec fuerunt, quae inter mortales prima habentur, ut pecuniam ne adspexisse quidem umquam vellet, ac vendito Principatu, cum pretium ejus rei quadraginta millia nummûm aureorum veluti recognoscenda sisterentur, dixerit ministris, tollerent protinus dividerentque in pauperes. Aronae arcem, cum inter jurgia & contentiones occupassent Regii, possetque uno fortasse apud Regem verbo recuperare, tanti non duxit. Propinquos & affines comiter & benigne verbis officiisque communibus, caeterum, ut aliena capita tractabat, alienationemque eam publice professus, & Familiae nomen, & gentile sigillum mutavit: illud quidem sacro cognomento ordinis titulique sui, hoc vero Pontificis Ambrosii effigie, quam Martyres, Gervasius & Protasius, ad latera positi interlocarent.

Ajebat, quoties paterna, vel affinium aliquorum tecta subiret, sentire se velut frigida superfusa restingui, si quid flammae melioris antea conceptum animo habuisset. Ea fuit causa, cur nollet, Sacerdotes suos profano lare misceri, sanxeritque edictis & poenis, ut seorsim a consanguineis laicisque habitarent. Familiam ipse centum fere capitum, etiam post abdicatas, quas dixi, opes, attenuatamque fortunam, ob decorum & ministeria Pontificatus alere solitus fuit. Hi ab eruditione omnes modestiave & pudicitia eligebantur. Paterna in singulos cura erat, non ad caetera modo, sed ad animi praecipue cultum, ut virtutes, quas in aulam intulerant, herili disciplina & imitatione augerent. Vicissim ipsi assueti erant nihil servile cogitare: & praemia, nisi magnis experimentis probata pietate, nulla sperabantur. Capaces hujus spei quicumque erant, non quidem aulico more, spem inter & metum, & certamina tabescendum eis erat: sed quietos & simplices, & nullius rei anxios providentia Heri & res ipsa attollebat. Ex famulatu autem ministerioque deteriore, si quem morbus inhabilisve senecta oppresserat, hunc eadem nohilominus alimenta detinebant, post Cardinalis quoque obitum prorogata nonnullis eorum, & firmata, donec etiam ipsi finirent. In paternas opes onera & legata haec incubuere. Ex Ecclesiae patrimonio subsidia parare cuiquam, & privatim de se benemeritis ex publico largiri, Sacerdotiaque ob id onerare pensionibus, tam injustum censebat, quam rapere & possidere aliena.

Par religio fuit dividendis atque collocandis Ecclesiae beneficiis, quae gratuitos nulla impensa opera fructus ferunt. Nolebat multiplicatos ejusmodi titulos in uno capite retineri, cogebatque deponere & exsuere si quis plura obtineret. Id, cum suo ipsius exemplo, tum gravibus ad unumquemque monitis & injecta communiter verecundia Clero, est assecutus. Emolumentis deinde beneficiisque illis ad varias Ecclesiae necessitates utebatur, ut, vel collegia aliqua Canonicorum ob inopiam fere dilabentia sustentaret, vel in publicum duraturo alio usu occuparet, vel etiam singulares Clericos admoveret sacris, hique initiati, rursus ea subsidia relinquerent conferenda in alios, statim ubi ipsi ad justa Sacerdotia fecerant gradum. Tota vero ea res, atque dispensatio Sacerdotiorum, veluti divinum, & humanis flagitiis inviolabile quiddam, adeo semper extra gratiae corruptelas apud eum fuit, ut ne Principes quidem ulli commendare ei quemquam hoc nomine auderent. Vita quemque sua primo commendabat, & tam noti mores nominaque singulorum ex universo Clero, quam paterfamilias unus etiam quilibet potest omnes novisse quos domi alit. Deinde proposito omnis Sacrae litteraturae certamine, qui palmam ibi obtinuerant, eorum ratio unice habebatur. Et, non transcendendo media Clerici, summa imis continuabant, sed dato in parvis Sacerdotiis experimento, ad majora assumebantur. Clerum ita effecerat, neque uspiam alibi, quam litteris & innocentiae confidentem, & innoxium sane atque litteratum. At prius, foedo ambitu sacra contaminabantur: & ampla munera Ecclesiae, fructusque, & honores occupabat quisquis ambierat prior, & quisquis cursu ac favore antevenisset. Latinus hic sermo tamquam Indica lingua pulsabat novo sonitu Praepositorum aures, & adjice nunc, in caeteris Ecclesiasticis disciplinis, quam misere peregrinari debuerit ordo noster, antequam in hunc modum a Cardinale expoliremur. Litteratura ei quaedam eximia & interior fuit, quam coeleste donum immissumque gratis existimavere qui nescierunt, praeter exacta juveni curricula scientiarum, tenuisse postea semper eum, ut quaternas quotidianas horas, commentando, vel scribendo, legendoque consumeret, in tantis aliarum rerum occupationibus, adjuvante nocte brevique somno.

Monumentum ingenii ejus exstant volumina Concionum, quae, veluti fons omnis sacrae Pastoralis eloquen-

quentiae, ipsius scripta manu in Bibliotheca Ambrosiana adservantur. Folia sunt amplioris formae, paginaeque praegrandes, in quibus, prout concionandi argumentum, prout solennia inciderant, cernitur caput & rei summa praebitura concioni materiam: idque caput eminet primo in frontem atque assurgit. Ab capite dein & fonte isto, sursum, deorsum, in latera, multiplicesque giros, circumductae lineae, tamquam rivuli, & rami, crebras arculas aperiunt continentes ordine locos omnes, qui in dicendi arte traduntur ad rem aliquam, tum simpliciter & dilucide explicandam, tum augendam graviter & elate cum permotione animorum. Hae sinuoso discursu lineae pererrantes leviterque attingentes receptacula illa artis, simul altiorum disciplinarum cubilia intravere: voculaque subinde una, vel nota aliqua & asterisco designant sententias & testimonia Patrum, rerum causas, arcana Divinitatis, oracula Prophetarum, casus & exempla omnis aevi. Quae cuncta divinus concionator secum ipse commentatus remoto deinde Rhetorum fastu, perpurgataque vanitate ad populum miscebat, rigidus modo & severus ob culpas hominum, saepe in miserabiles querimonias molli ad populum suum obtestatione resolutus. Hic fuerat Carolo concionalis apparatus, haec rerum locorumve sylva: talesque orationes in Conciliorum libris exstant, vel si quas ab illius ore raptim excepere homines pie ac litterate attenti, quibus ea cura voluptasque erat, arripere & custodire quidquid ipse effaretur. Vaticanae noctes, & illo Romanae dominationis tempore, plena litteratorum aula, flosque virorum in colloquiis & congressu semper, haud minus, quam legendi scribendique perseverantia, & liberalibus studiis collectae artes, ita expolivisse Sanctum credebantur: expolitioque illa, maciem inter & horrorem tam severae vitae duraeque virtutis, veluti Sol densa aliqua nebula caligineve pressus, obscure translucebat. Incessus & vestigia tantummodo eloquentiae cernebantur, potentisque Suadae medulla percipiebatur animis: fastus artis & pompa fugiebat oculos.

Ad hujus litteraturae dignitatem congruere visa est etiam magnificentia in publicis operibus, templorumque donis germana pene bonarum artium, & magnis Principum ingeniis fere individua comes: sed ipsa pariter adspersa & temperata suo rigore, ne ad inania excederet quidquid illud ab generositate animi proficiscebatur. Romae aedem S. Mariae Angelorum & Chartusiense Monasterium, qua stat opus utrumque amplitudine & mole, munificentia hac auxit, quaesito obtentu, tamquam Pontificiae illae impensae, totaque descriptio operis a Pontifice esset. Ei templo templisque praeterea aliis, quamvis in Romana opulentia indigentibus ornamentorum, attribuit ejusmodi ornatus, quorum pretio & valore possent instaurari vel si collaberentur. Bononiensi Gymnasio ampla conclavia aedificare aggressus, dedit exemplum, quod secuti Primores urbis contulere pecunias, ut domicilia Sapientiae sedesque profitentium, & caperent rei magnitudinem & honestarent, assurgerentque in id magnitudine etiam sua & honestate. Visitur in eadem urbe illustre ejus opus, quo pulcherrimum atque amoenissimum inter Naturae munera, aquam, socia marmoris amoenitate commendavit, & larga in publicum eluvie obtulit ad communes usus, tamquam invitaret haurire ita & bibere innoxium purum liquorem, fastidito altero importuno & turbulento potu. Ea namque comis interpretatio hominum secuta est, cum salientibus lymphis molem attolli hanc, & multiplici nitido cratere, velut propinari populo latices viderent. Id legationis imperiique sui monumentum posuerat Carolus, cum urbem provinciamque eam aliquamdiu obtinuisset. Sed ne vanesceret ad talia animus, Romanos suos hortos, villamque haud dubie consumentem quidquid artis & ingenii, quidquid sumtuum & delitiarum, amplexa Pontificium aliquem nepotem fortuna repraesentare potuisset, nactus forte & adspernatus, Marco Antonio Columnae donum dedit. Non posse, arbitror, numerum iniri aedificiorum atque operum, quae Mediolani, sumtibus ac magnificentia ejus, inchoata a fundamentis, & perducta ad culmen, non Ecclesiasticis modo usibus cum dignitate hodie inserviunt, sed sunt etiam urbi, provinciaeque ornamento. Templi maximi Canonicis domicilia exstruxit, quae conserta duplici ordine, infra supraque, excurrente in quadrum arcuata excelsa porticu, latum impluvium includunt alteque despectant: statio plane digna Cardinalium nomine, quo Ordinem eum antiquitus esse appellatum constat. Juxta Palatium insulamque hanc, aliud pari magnitudine ac laxitate domicilium paravit aperuitque minori Clero, ut Metropolitanae aedis omne ministerium, Archiepiscopus, & Canonici, Aedituique, & Lectores, quaeve alia sunt ibi nomina curatoribus sacrorum, uno pene lare jungerentur. Fornicata item via, quae accipiens superne lumen, subterraneo flexu ducit in templum, ipsius est opus: donumque ejusdem Babylonica peristromata, quae contexta plurimo auro, & gravia ob id pondus, pluris tamen, ob artificii magnitudinem, & spirantes quasi figuras aestimantur, depromta semper & suspensa velut in pompam, quoties, insignium mysteriorum praecipua gratulatione & celebritate commota Ecclesia est: diesque eos eruditis ad contemplanda ista oculis homines cupide exspectant. Nulla per urbem, sive per Dioecesim, Provinciamve sacra aedes, pagusve nullus, conciliumve nullum fuit, cui non miserit large subsidia, statim ubi laborare divinos cultus deserive ob inopiam accepisset. Amplificavit Sacerdotia reditibus suis: Seminaria gregesque juvenum, alimentis, libris, veste, sumtu alio instruxit, & erga primordia Ordinum, quos in urbem induxerat, pari liberalitate est usus. In Helvetios, in Rhaetos crebrae largitiones erant, sumtusque ad fovendam excitandamve Religionem, tum perpetui, & occulti, tum alii palam & publice, ut occasiones t mporaque aliqua incidissent. Ad Tribunal quoque sanctae Inquisitionis pro muneris ejus dignitate sustentandum annuae pecuniae summam attribuit, quae penditur hodie & manet. Ajebat, hominis Episcopi decorum esse hoc, ut aere semper alieno laboraret, Archiepiscopo autem Mediolanensi turpe & avarum, nisi reditus suos ad usque tria millia quotannis anteisset erogatione pecuniarum. Praefectos rei familiaris gravissime increpuit, dimovitque etiam, quoties nimia sedulitate displicuissent. Volebat enim rem eam laxe & incuriose administrari, cumque Cardinalium forte uni litem intendissent, cujus exitu litis, duodecim millia nummûm aureorum ad reditus annuos accedebant, remitterent, jussit, atque abstinerent, professus, id fore ignominiosum, si spoliasse Collegam ipse diceretur.

Cardinales Episcoposque, & principes viros, vel si qui praeterea nominibus dignitatibusque interjecti istis, Abbates, legati, ministrive Principum, aut cognoscendae disciplinae causa Mediolanum venerant, aut per fines nostros forte habebant iter, excipere volebat hospitio omnes: ac ne quis eorum sibi de manibus elaberetur, sollicitus intentusque erat eadem sedulitate, qua molestiae & hospitia saepe haec aliis vitantur. Praefectus erat huic vigiliae munerique hospitum accipiendorum semper aliquis modeste comptus, nec illitteratus, & elegantis urbanique ingenii homo, qui Principum consuetudinis, & vitae communis gnarus illicere ac detinere delicata etiam ingenia posset. Certos iste ad cauponas urbis & publica diversoria homines habebat, per quos illico certior fieret, ut ejusmodi advena aderat. Ibat deinde statim, & invitato comiter hospite, jumenta hominesque curatoribus aliis, Principem Hero sistebat, nusquam postea abscedens ab obsequiis & nutu donec manerent. Et mansere totos aliqui menses, dum Cardinalis, ex eorum unoquoque, vel bona aliqua in publicum, vel salutares ipsis fructus privatim quaerit. Nam si Domini terrarum Principesve profani erant, tractabantur cum eis apta Christianae dominationi, populorum emendatio, consilia pacis, incrementa divini cultus, & quidquid ejusmodi praeterea, status & conditio, vitia sive virtutes hospitis admonebant. Si venerant Episcopi, Pastoresque populorum, & Purpuratus forte aliquis, hos perfunctione Pontificii muneris, tamquam decessisset ipse

ipse interim administratione rerum, occupabat, exercebatque munere concionandi, & ad collegia subinde circumducebat, ut viserent ibi sobolem Ecclesiasticam, certaminibusque litterariis oblectarentur. Haec hospitalia munera erant: & Domus alioqui tantae alumna severitatis, eademque tantum temperantiae alens, confusos tempestivo splendore advenas dimittebat. Cardinalis quin etiam ipse paulisper interim soluta lege sui rigoris, accumbebat una tamquam inter convivas eos vesceretur: & quidem largiore imitamento, si Rhaetus Helvetiusve conviva adesset. Erat autem alia longe diversa hospitum manus egens & mendica famelicaque & seminuda: transmarini fere homines & transalpini Clerici, qui se Scholasticos appellabant.

Hos peregrinandi dulcedine vagos, celebrata per gentes hospitalitas, ex longinquis itineribus inserebat in hanc domum, exibantque saturi, & calceati, & viatico instructi: pars decumbebant & curabantur, si morbum languoremve excusarant, quo minus iter facere possent. Retenti etiam aliqui in disciplinam, & producti deinde ad honores, si probi & honesti apparuerant: & rursus deprehensae fraudes impostorum & erronum haud tamen ideo praecavendi exemplum dedere. Pari facilitate admittebantur omnes, dictitante Cardinale ac profitente inter suos, egregie compensata fore damna, & sumtus optime collocatos, si unus quilibet eorum, aliquid utilis exempli hinc in patriam suam referret. Tantumque annonae hospitalitas illa absumebat, ut Magistratus & Publicani, suspicati fraudem in iis, quae Cardinalis nomine portabantur in urbem, adierint aliquando ipsum, & suspicionem ob portoria suam, scripturaeque detrimentum exposuerint, modeste conquerentes. Verum, inspecta multitudine peregrinorum, cum forte mixta nobilium pauperumque turba adesset, quievere. Splendori sumtibusque istis, pene contraria asperitas vitae Caroli, quae per totum volumen subinde narrata est, haudquaquam universa statim ad extremum venerat, sed leniter ab initio ducta per gradus, perque virium & patientiae experimenta sensim eo processit, ubi renovaret vetera hominum exempla, quibus una ea virtus fuit. Coeperat primo levia certamina tentare adversus delicias, in quibus natus erat, aliis subinde aliisque rebus fraudando sensum, & nova quotidie onera injungendo mortalitati suae: dein, ubi primis eis conatibus ex animi sententia rem gesserat, plura & majora, audere ex eventu: postremo, velut ad universae rei dimicationem accinctus abdicavit mensas, instituitque victitare pane & aqua, retinens haec sola alimenta sibi, quae vix umquam nisi destinata morte repudiantur. Festis Ecclesiae diebus, ob gratulationem de severitate illa nonnihil remittebat: sed poma fortasse aliqua sumebantur, vinum, & carnes, piscesque & ova aberant. Postea, pane etiam relicto, ad caricas lupinosque redactus, cum metum de se praebuisset, ne tam infesto vitae genere perimeretur, commotus ejus rei sollicitudine Pontifex Gregorius XIII. Apostolica monuit auctoritate eum, ne vim afferre vitae suae sic pergeret, praeciseque vetuit cibis vesci illis importunis atque insalubribus, queis violentia non minor inesset, quam si perimeretur ferro.

Hae Pontificiae litterae allatae Mediolanum, redditaeque ei sunt anno qui ipsum abstulit, cum exacta per ejusmodi asperitatem Quadragesima, Sanctioris hebdomadae jejunium asperius porro duriusque instauraret. Sed litteris acceptis, velut Numine coercente, inhibuit se, ut teneret ex inedia modum, abstinuitque lupinis. Non perinde motus erat aliis in eamdem sententiam Archiepiscopi Valentini, & Aloysii Granatae epistolis, quarum ego exempla vidi. Monuerant, obsecrarant, ne exturbare se de vita praecipitem vellet, attulerantque rationes & illustrium Pontificum testimonia, ut docerent, posse Episcopum, inter modestam sobrietatem & extremam inediam pergere iter periculo vacuum, utile populis, gratum Numini, commendatione quoque ad posteros clarum. Et Carolus ad ea (vidimus enim ipsius quoque responsum) petens, ut sinerent se ire coeptis poenitentiae itineribus, opponebat ex adverso Spiridiones, Chrysostomos, Basilios, aliosve, qui tamquam nomina perfectae virtutis celebrantur.

Tempora quietis & somni, quam arcte definita semper habuerit, arbitror, ex iis intelligi posse, quae dicta sunt: illud vero non puto esse dictum, quod naturae suae conditione ac temperamento, pronus in soporem egensque rei ejus fuerit, sive humiditate insita, sive quam aliam ob causam, quae medicis & philosophantibus fortasse istis in promtu erit. Tormentum hoc esse suum, ipse quoque fatebatur: cerneresque etiam inter publica munera cadentibus oculis, & capite nutantem: sed sopor corporis ille: partes animi excitatae omneis aderant ad ea quae agerentur. Sane, Romae concionante Toleto, cum inter Cardinales alios auditor ipse adesset, totaque illa oratione dormitasse videretur, cavillans Patrum aliquis, forte alteri in aurem ita dixerat: Si regeret ipse Borromaei animum, confitentemque audiret, in piaculi loco dicturum se hanc ei legem: nocturna quiete frueretur, ne dormiendum postea in concione esset. Id quidem ille dixerat: sed mox, dimissa concione, cum inter Patres sermo de ea esset ortus, aliique alia recenserent, Borromaeus, repetito argumenti totius ordine, locisque examinatis, ostendit, neminem Collegarum magis advigilasse.

Caeterum, ut excuteret emendaretve somniculosum illud, instituerat, nulla culcitra stramentove subjecto cum ipsis cubare vestimentis, quacumque fors tulisset: ac sella fere aliqua reclinatus, quiescebat paulisper, deinde expergiscebatur, haud sine horrore, velut ob amissi temporis culpam. Cumque intimorum aliquis, ad confirmandum ejus animum, quo plus quietis haurire vellet, ex Anachoreticae disciplinae libris, locum forte unum protulisset, quo loco, necessariae quietis intervalla definiuntur, citra quae non possit diu ali hic quo vivimus vigemusque divisus in venas sanguis: responderat, non esse tam longa spatia somni praescripta Episcoporum vitae, quam labor & vigiliae potius meliusque alant. Haec ei lucta cum somno, & velut inimicitiae fuerunt: victus postea, sicuti dictum est, Provincialium suorum precibus & auctoritate, flexit paulisper, ut, & quietis breve tempus, & subdita corpori stramenta aliqua pateretur. Vere enim stramenta palearum fuere, non pluma, sive lana, aliudve molle stratum. Dictum ejus ferebant: Turpe esse, si homines militares, & Imperatores exercituum, non die ac nocte discriminata vigiliarum somnique tempora haberent, sed id quod gerendis rebus superesset, quieti darent, opertique sagulo jacerent humi: & non idem facere posset Episcopus, cui pars Ecclesiae Catholicae, & cura religionis, & animarum salus concredita esset. Itaque patientia etiam plane militari, frigora & calores, & aliquando urentem introrsus eodem tempore febrim contemnebat, dum obiret suum Pastorale munus. Annotatumque est, cum Vallis Travaliae populos inviseret, tertiana affectus, dissimulasse constanter id malum, nec nisi septima decima accessione paroxismoque prodidisse. Res erat plena admirationis & horroris, flagrantissimo tempore anni febrientem adspicere Cardinalem montes inter & valles, pulvere, sudore, imbri perfusum, interimque fomenta & remedia adspernantem, queis corpora etiam agrestium curantur. Quintili enim & Sextili fere mense adibat montes, & ad Canobium in Verbani lacus ora accidit hoc, ut in consecranda solennibus caeremoniis aede sepulchretoque circumjecto occupatum, corriperet tertiana suo recursu, sive forte mentita statae horae momentum antevenerat, sive nihili fecerat ipse, quod interventura esset. Tunc, & perseveravit ad extremum usque peragere solennia Sacri illius, & peracta consecratione temploque inaugurato, cum ad populum prolixe concionaretur, patientiae exempla edidit, quae non tam superarent humani corporis vires, quam convenirent sanctitati animoque ipsius jam haud dubie subducto extra mortalium miserias & sensus. Nam, cum in coemeterio poni suggestum jussisset, ut multitudo universa, quae ex montibus totoque tractu affluxerat, exclusa templi illius an-

angustiis libero & patenti campo admitteretur, simul torrebat eum Sol, & gravatum infula caput perpetuo verbere vexabat, simul aestu intus febrili ipse conflictabatur.

Saepe etiam alias montana illa coemeteria consecrando per aestatem, nudo inter caeremonias capite contraxerat torridum semiustulatumque illud, quod circum tempora & genas, ne pictores quidem arte sua dissimulavere: & pars majestatis hodie imaginibus haec manet. Adversus frigora contrarium huic incommodo tormentum cladamque mortalibus saepe membris, par Carolo robur & firmitas animi cuncta pro Christo libentissime tolerantis fuit. Dum rigerent omnia gelu, dum glomerata per terras alta nix jaceret, exibat quocumque res tulisset: nulla manibus tegumenta: non pellibus subsuta vestis erat, & infames perpetuae hiemis imagine Alpes, cum hiems ubique summa esset, aliquando ita adiit. Atque, ut exquisitissime algeret, ne foculus quidem per totos hibernos menses intra cubiculum ullo igne calebat: turgebantque manus, atque disrumpebantur, & cruore interdum etiam stillabant. In Seminario Canonicae, quà parva cubicula piis exercitationibus ipse Clero aedificarat, cum se in cellam abdidisset, tegularum vitio hiatibusque perpluentem, perseveravit ibi dies noctesque exigere, nec umquam inde se commovit, pavimento pene demerso, donec meditationum suarum cursum octidui spatio absolvisset. Huic meditandi studio magnopere deditus fuit, & contraxerat diuturna assuetudine quemdam ejus rei habitum, ut, sive in colloquiis, sive solus alicubi esset, sive iter faceret, sive in templo maximo divina officia frequentaret, ad contemplationem repente alienaretur.

Videre familiares, haud semel ex jumento, quo vehebatur, periculose delabentem, & servavere subito accursu: retulitque Caesar Specianus, Episcopus postea Cremonae, cum ab Novocomo, pridie Sanctorum omnium, propero agmine, celebritatis ejus causa redirent, interveniente nocte, lapsa in fossam & superincumbente mula, effusum aliquamdiu ipsum, omni per tenebras forte praetervecto comitatu jacuisse: cumque, non comparente Hero reversi allevarent manibus, hanc ipsius vocem auditam esse tamquam e somno excitaretur: Quid sibi molesti essent, neque sinerent contemplatione jucundissimarum rerum frui? Materies autem praecipua & creberrima meditationum ejus, quaenam esset, potuit quidem etiam ex consuetudine ejus intelligi, sermonibusque quotidianis: sed postquam decesserat, apertius monstravere inter arcana scrinia imagines, & litterae, libellique reperti. Namque monumenta haec fuere omnia, quae memoriae causa sibi compararat, ut haberet in promtu, quid quoque die, quave hora contemplaretur. Ad sanctam Christi passionem cuncta pertinebant, appositis ad rerum capita simulacris, quae laceratum inter carnificum manus humanae salutis causa Dei Filium exhiberent.

Summum humani corporis decus, flosque virtutum & regina, Virginitas, quae adeo rara laus est, ut de nullo mortalium facile credatur, nullusve eam, vel sibi, vel alteri, sine verecundia umquam affirmavit: haec tam praeclara res, quae praedicatione obscuratur, & sub tutela silentii illustrior latet, aut adfuit huic Borromaeo secuta comes in Coelum, aut verecundius etiam praedicabitur postea inter hominum aliorum laudes, tacendaque perpetuo erit huic arti, quae virtutes & vitia mortalium odoratur, ut prodat. Nam, ita de eo prodidere homines, tum simplices & ingenui, tum callidi & astuti, tum mixti ex utroque genere, quales aula facit alitve, graves, fastidiosi, severi, magistri puero, & per omnes deinde gradus aetatis custodes, asseclae, ministri, ac ne tunc quidem abscedentes a latere, cum jam ille humano fastigio major beatam aeternitatem intra mortale corpus inchoasse crederetur. Atque, ut hujus rei fides, propter magnitudinem simul, & fallacias suas, & ipsorum inter se hominum super ea re calumnias atque suspiciones, nullis umquam satis firmata probationibus, Cardinali Sancto quam certissima adstrueretur, factum est fere divinitus, ut, cum egresso jam eo extra communis invidiae sortem, argumenta conquirerentur, superstites essent iidem illi, quos, homines Daemonesque, & conjurata Orco malitia Mundi nequidquam olim ad expugnandum hoc eripiendumque decus adhibuisset. Hi homines, mutatis postea moribus, verso ad confessionis gloriam veteris flagitii dedecore, dixere, Medicaei Pontificatu gratiosos se in ea aula & florentes, excidisse loco, dimissos, ejectos, indignatione Cardinalis, propterea, quod severum nimis in juventa animum illius per muliebres aliquas blanditias ad molliora vertere tentavissent. Auditusque est, nescio, quis etiam ille deplorator infelicis obsequii sui, quo fortunam ipse suam evertisset, dum herili pudicitiae per vecordiam insidiaretur, inducta in cubiculum femina, quam alii frustra expetivissent. Cardinalem, eo adspectu, non secus atque spectro horribili Daemonisve praesentia turbatum, extra cubiculi fines illico se proripuisse: numquam postea pedem referre voluisse illuc: non minus horroris apud impudicam: & se deinde esse ablegatum. Hi casus, & testimonia Aulicorum haec fuere. Testimoniis vero aliis, compertum ita habemus: neque remotis arbitris cum femina ulla esse collocutum: & pudore fuisse tanto, ut non brachio, non crure umquam, non parte alia corporis nuda conspici vellet, ejusque verecundiae causa, medicos etiam, & suorum intima ministeria frustraretur.

Virtus autem animi submisse & abjecte aestimantis se, resque suas, adeo ignota antiquitati, ut nomen ejus profani veteres in vitio ac reprehensione collocarent, adeoque eadem necessaria Christianis moribus, ut, si absit haec, caetera quamvis illustria & praeclara sordescant, tam propria & nativa Cardinali fuit, ut virtutes alias, humano etiam studio, vel peperisse, vel excoluisse sibi, hanc haud aliter quam divino munere nactus esse videretur. Absque eo si esset, numquam in tanta superbia humani animi, quem ratio, quem spiritus inflat, id habitare humilitatis potuisset. Ipsum inprimis tam eximiae virtutis nomen, quod stemma Gentis antiquitus est: Theutonicaeque litterae nominis ejus, & forma grandiore eminentes, & diademate coronatae, priscas origines asseverant, una cum reliquo stemmate, nomineque gentilitio, abdicarat, ut dixi, majore solertia vitabundus invitamenta superbiae, quam alii quaerunt ista, conservantque & augent. Diceres, vereri eum, ne sub larva illa effigieque magnae avitae virtutis, sator & instigator contrarii vitii Daemon lateret. Creditus est agitasse de Purpura exsuenda, Pontificatuque deponendo: & exsuisset humilitate stimulante, nisi demonstrando publicam offensionem, & Ecclesiae damna attinuissent animum ejus, homines, quibus regendi sui quasdam habenas ipse permittebat. Et erat tanta ad alienos nutus auctoritatemque sequendam submissione animi, ut duos monitores e familiaribus perpetuo sibi institueret, ex quibus quotidie vesperi cognoscere & audire volebat, quid inter ejus diei acta vel dicta reprehendendum atque emendandum ipse admisisset. Ac veritus postea, ne servilibus impediti vinculis fortasse isti minus libere ac solute adversus Herum munere eo defungerentur, Cardinalem Segam, Placentiae Episcopum, Legatum Apostolicae Sedis, magnae auctoritatis magnique consilii hominem, sermonis etiam libertate notum, & quoties expedierat, nemini parcentem, obsecravit, ut inspecta vita Pontificatuque suo, quidquid inesse reprehensionis ac vitii animadvertisset, pandere & indicare, salutis ipsius causa ne gravaretur.

Concionatoris ejus intemperantia, quem temeritas furorque suus eo perduxerat, ut inter dicendum maligne ipsi & proterve obtrectaret, adeo non esse commotum ferunt, ut, si offensio publica abesset, etiam intime laetaretur. Laetatus item est, aliquid naturalis deformitatis & vitii esse sibi exprobratum ab homine uno, qui, cum Hispana legatio ipsi decreta pene esset, dixerat: ob tarditatem, impedimentumque linguae Cardinalis, fore id indecorum Apostolicae Sedi, rebus agendis inutile atque alienum. Ejus liberae exprobrationis causa hominem cum amplexatus benignissime est, ca-

carumque & jucundum postea habuit. Fatebatur porro ipse, & ajebat: ob vitium & incommodum linguae illud mereri se, ut cum ignominia & dedecore aliquando in suggestu destitueretur. Velle enim concionari cum ad eam rem minime a Deo & natura factus esset, & in manifesta hominum reprehensione retinere tamen silentii impatientiam, & tumultuari potius haesitatione sua, quam loqui. Hasque & alias ejusmodi voces, non arte ulla, sed ex animi sensu depromebat, sui contemtor, & assidua Christi recordatione contemtum apud alios quaerens.

Ejusdem virtutis humilitatisque fuit, nuda semper absque ornamentis domus, quoties externorum hospitia cessarent: positum inter tectum & laquearia cubile: vestes & tegumenta corporis obsoleta adeo & interpolata, ut cum eorum aliquid mendico forte homini datum esset a Praefecto domus, adiret ille Cardinalem, ultroque expostularet, quod petenti sibi ex ipsius domo, Christi nomine subsidii nonnihil, insultatum ita esset. Simul scruta ea vilissima ostendebat, quibus agnitis, subrisisse Cardinalem, ego accepi. Quot modis superbia exercetur, & quam varia sunt ingenia artesque vitii, quo nihil esse subtilius, magistri disciplinae hujus tradunt: tam ingeniosa Caroli humilitas erat, tum, ne quid traheret ex tam mimica, eademque affini labe, tum vero, ut simul attingeret ipsa profundum sui, atque ad ima demergeretur. Extra portam quae Tonsa dicitur, cum in bivio quodam excitandae accolarum pietati superpositam ingenti pilae Crucem solenni precatione consecraret, interimque, obsessae a Spiritibus impuris mulierculae horribili fremitu complerent omnia, caeremoniamque turbarent, conversa in eam partem manu insecutus est lymphata corpora, & statim quievere. Id illi quidem in praesentia laetum fuit: submissos esse Cruci Tartareos fasces: & in magna hominum frequentia, confessionem a Daemone factam, quantum adversus divina trepidaret. Caeterum, reputans postea, quod, vel existimatio de se fortasse commoveri aliqua ob eam rem, vel insolescere sibi animus posset, adeo memoriam diei factique ejus exhorruit, ut numquam deinde voluerit adire tale discrimen, quo potentiae fama adversus phanaticos nomini suo quaereretur.

In Valle Saxina, cum agrestes illi perciti pietatis violentia voluissent Rosariis & osculis contingere infulam & stolam, & alia ipsius, quae ministrorum forte manibus tenebantur, impetumque eum prohibere, Clerici fortasse non curassent, certe non potuissent, id ille conspicatus aegerrime tulit, increpitosque familiares admonuit, ne tale quidquam postea paterentur. Ad Cremenum deinde, non longe ab Cohorte Nova, ubi id acciderat, cum universa pagi ejus multitudo obviam egressa, vocibus inconditis nomina Sanctorum canerent, immiscuit se agmini, & sublata cum eis pariter voce inibat modos. Aliquanto postea, per salebras montium eorum, quà Bergomatum finibus junguntur, descendenti, seminudus quidam, imminutae mentis obliquo tramite adveniens, porrecta manu cachinnoque absurdo, significat venire se in amplexum ejus, & colloqui velle. Hunc mansuete exspectavit, audivitque, & familiarissime miscuere dextras. Volebat per haec omnia ostendere, unum se esse de multis, & opinionem apud agrestes elevare, si quam animis de se conceptam forte haberent. In Urbe pedibus incedebat, quamvis lutulenta via, ventos inter & imbres: atque res ista, studiumque voluntariae sanctae abjectionis, eo demum processit, ut homines inepte anxii, vel maligne religiosi, quorum animis, veluti peregrina & aliena haec via virtutis, auresque surdae, & hebes animus ad Euangelii arcana, criminarentur eum, tamquam Pontificatus & Purpurae honores ita dedecorantem. Et sunt generis hujus querimoniae delatae Romam, quas Pontifex Pius eodem perfectionis itinere tendens, quasi praeconia Borromaei laudum accepit. Nec homines tantum fremebant invidia & odio virtutis, quae adeo contraria & aliena vanitati mortalium est, sed Daemones ipsi etiam invidiam & odium ejus rei suum testati sunt, cum ex corporibus obsessis, furioso clamore saepe ita vociferarentur: non flammas & ignes, sed tormentum esse sibi, quod Humilitatis eam arcem nullis umquam machinis subruere potuissent. Sed nullae etiam humanorum casuum acerbitates, nulla hominum convicia, injuriaeque & fallaciae, & quidquid temeritas insolentiave mortalium audet, concutere dolore, ira, metu, animum eum potuerunt aliter, quam quomodo, vel civitas aliqua communiter, vel Ecclesia tota, pietasque & religio ipsa commoveretur. Ac nisi quaterent publica damna animum, pene caruisse motibus perturbationibusque istis, &, nullam privatim iracundiam habuisse, creditus est. Summum turbati argumentum notavere familiares, ut contactis digito naribus, premeret leviter scaberetque. Caetera, unde affectiones humanae conjiciuntur, affectionesque pene ipsae aberant: & exempla, praeter totius vitae constantiam nonnulla praecipue divulgata sunt.

In adeundo sacrarum Virginum coetu Monasterioque uno, cui novum regimen dabat, tumultuantes pristini regiminis desiderio mulierculas, atque adeo convitiis & clamore, & vi manifesta corporumque objectu negantes aditum, benigne allocutus, ne verbo quidem asperiore castigatas reliquit, donec ultro obsequium sumsere. Propositas in publico tabellas haud sine manifesta & contumeliosa insectatione ipsius, cum unus forte familiarium parieti detractas tulisset domum, eique obtulisset, adspicere noluit, jussitque comburi. Noluit fasciculum solvere, quem a Caesare Ferrerio, Episcopo Savonae missum is qui attulerat, ajebat, de re magna esse, pertinente ad Cardinalis vitam. Vere autem insidiae fuerunt compositae in ipsius caput, quarum indicia per Longum quemdam delata ad se Episcopus ille scribebat: sed legere abnuit, fasciculumque ita ut vinctus obsignatusque erat, cremavit.

In Camara Valle conspectus est casum horribilem vultu tranquillo excipiens emendansque, cum forte quadam temere pro vino oleum sacrificanti datum esset, ac diu agrestes etiam illi, tamquam inter mansuetudinis & constantiae miracula, rem eam sermonibus celebravere. Namque ad casum adeo deformem, nihil aliud, a majestate & quiete Sacrificii aversus, quam ut placide admoneret ministrum, legitimumque liquorem posceret, peregit denuo verba, & perlitavit.

Familiarem porro unum, refractarium atque contumacem, moribus importunum, asperum ingenio, & ob minima quaeque excandescentem, atque adversarium ipsi ferme Hero, magna caeterorum admiratione sustinuit, ut materiem domi haberet exercendae virtutis, simul condonans tot vitia alicui bono quod iste fortasse habebat. Sacerdotes suos, malebat consiliis & remediis coercere ne peccarent, quam punire cum peccassent. Ac si cujus forte lapsa intemperantia esset, verbera linguae, explebant poenarum vicem: carcer & dehonestamenta alia, ceu clades Ecclesiasticae rei magnopere vitabantur. Fuere quos in Palatium accitos abderet intra aedium penetralia: ibique coactos agnoscere ac detestari quidquid illud culpae esset, detinebat in jejuniis, precibusque, & voluntaria flagellatione, donec poenitentiae fructu satis placerent. Tunc ex Archiepiscopi domo sanati & emendati, exempla continentiae in publicum prodibant: non autem irritati vinclis, & squalore latumiarum, plus licentiae, foediorem libidinem ad populares perferebant. Memorare ego possem, quos ille homines unico verbo mollique castigatione percussos compulerit in viam: quos a ganea, & alea, & luxu, caeterisque humanae lasciviae nequitiis verterit ad bonam frugem: quos etiam ab opinionum insania contemtuque divinarum rerum, ad rectum de religione sensum, optimamque mentem traduxerit ac revocarit.

Genus autem objurgationum ejus fere hujusmodi erat: *Vae tibi, fili carissime: recta ad exitium tendis: actum de salute vestra est: credite mihi: date vos sanandos nobis: respiciet fortasse nostras lacrymas poenitentiamque Deus: ego deprecator ero: en ego capite hoc excipiam quidquid irarum vestro capiti imminet: utinam ego quoque deprecatorem sic invenire aliquem possim!* Neque cum Clericis hominibusve

suis tantummodo haec, sed ad Principes quoque viros extenderat curam, ut cujusque animo aptum esset, hortamenta & preces, remediaque admovendo. Nobilem Haereticum, qui, addita ad religionis labem, abdominis etiam & gulae culpa, cum in periculoso morbo testamentum faceret, dixerat hanc heredi suo conditionem, ut sibi exspiranti maximam vini copiam infunderet, quae superflueret ac redundaret ab omni parte, demergeretque morientem: si negligenter id exsequeretur, at ille exheres esset: hominem igitur hunc tempestivis monitis aggressus, compulit ad saniora consilia, simul, ut, excussa vinolentia, testamentoque mutato, intelligeret, quam stulte in tremendo illo rerum transitu, discrimineque ultimo, peterentur ab ebrietate subsidia: simul ut subsidium unicum Christi fidem, damnata secta, amplecteretur. Atque is, non vi alia, quam verborum pondere excitatus ita repente & mutatus, commoverat sane omnes, qui temulentiam antea hominis, & in falsae Religionis causa consimiles ebriorum furori spiritus novissent: accideratque id apud Valles confusione Rhaetorum mixtas ex veteris fidei reliquiis, & recenti insania Calvinistarum, cum ea loca Carolus suo more peragraret.

Sed Vallium earumdem Catholici magis etiam sensere pondus, & auctoritatem, verbis quae inesset, cum Sacerdotem suum extremae nequitiae hominem debacchantem impune illic, & vicinarum fere maritum accusassent, precati ut Satyrum coerceret vinculis, aut procul inde amoliretur. Iste nihil aliud quam increpitus a Cardinale est: & offensis haud parum accusatoribus, qui satellitum manus, vinculaque in Sacerdotem, exsiliumve exspectarant, redditus muneri castimoniam repente induit, castigator ultro, & censor, & honestioris vitae magister, quà vestigia libidinum intemperantiaeque ejus impressa & adhuc recentia erant. Sic, nimirum, adfuere Cardinali verba, queis verteret animos hominum, flecteretque & mederetur morbis. Sed & moerens gemensque tradidit carceri alium, qui Sacrorum taedio profugus ad Haereticos, arma bonarum artium queis ab Ecclesia Catholica instructus fuisset, verterat in Christi fidem, & ea oppugnanda satiatus venerat denique in potestatem. Huic ipsi voluerat Carolus intra verba stare remedium & poenam: statueratque & coeperat ita sanare hominem, cum super eo diversa mandata Pontificis Maximi accepit, quibus reverentia majore, quam alacritate obeditum. Sedem namque Apostolicam, & Pontificis nomen atque majestatem tanti fecit semper, ut numquam nisi capite aperto ea nomina pronuntiaret: nudabatque pari veneratione caput, quoties etiam alii ipso audiente pronuntiarant.

Noluit culcitram contingere poplite, quam genibus ille attigisset: atque ad D. Praxedis, Pontificales eos pulvinos, cum sibi substernerentur, removeri jussit. Noluit pollubro guttoque aurato aquam ad sacra manibus sibi dare ministros, dum in conspectu Pontificis daretur, & eo superveniente dum sacrificaret, familiaribus, qui super ara ministrabant, innuit, ut abscederent, & quasi de plebe Sacerdos ipse sibi cum unico Clerico ad caetera fuit minister. Diplomata omnia litterasque Pontificias accipiens osculabatur, capite genuque profunde submissis tamquam a Numine essent. Cardinales vero Collegas, ut proximos fastigio huic, ita colebat honore etiam proximo, & dignitatis venerandae hujus statuere volebat exempla quaecumque posset. Ipse, quoniam ab magno externo Principe, qui Mediolani per aliquot dies forte commorabatur, viderat omissa esse quaedam honoris argumenta, quae sacrae Purpurae deberentur, barbare stolidum eum, & ignorantem sive contemnentem officii momenta castigavit, nusquam postea adeundo cum iterum ille venisset. Ferrariae, in convivio Ducis ejus Principumque aliorum, cum daretur aqua manibus, adstantem exporrecto linteolo Episcopum lavare jussit & accumbere una, ne obsequio deformi dignitas ea foedaretur. Et apud Sabaudiae Ducem in colloquio ipsius, magnaque Procerum corona conspicatus Taurinensem Archiepiscopum, qui per conclavia illa inglorius inhonoratusque veniebat, relicto Duce totoque consessu, processit obviam, & quia simul viderat, adulatione erga Ducem, non praeferri crucem huic, admonuit dignitatis, hortatusque est, ne in eam ita peccaret. Rursus ad Viglevanum, inductus ab Episcopo ejus urbis in hortos, quos ille, areolis, spatioque & arborum opacitate peramoenos habebat, cum insuper adjiceret Episcopus, ipsi quoque paranda esse talia oblectamenta curarum, increpuit gravissime hominem, dein placide monuit, ut Sacra Biblia pro hortis haberet: ea enim Episcopis propria & honesta viridaria esse.

Pari hortatione Cardinalem Gambaram insecutus, cum ille Vetulonenses suos hortos hospiti forte Borromaeo monstraret: Quanto satius fuerat, inquit, istud pecuniarum in pios aliquos usus insumsisse. Provincialium Episcoporum unus, misso cursim tabellario, enixe ab eo petierat, ut Sacerdotium amplum, quod in sua Dioecesi vacuum alicujus forte morte relictum fuisset, impetraret a Pontifice Maximo Ecclesiae illi contribuendum, quoniam pauperrima cunctarum esset, ipseque pauperrimus dignitatem aegre tueretur. Huic ita rescripsit: Multos Episcopos jam inde antiquitus obtinuisse Ecclesiam Pontificatumque illum, nec majora subsidia habuisse. Sacerdotium id apparere consiliis aliis esse fundatum, quam ut Episcopo attribueretur. Meminisset, haberetque ante oculos D. Augustini exemplum, qui precari a Deo solitus fuerit, ut divitiarum omne desiderium ex animo suo tolleret: has enim esse venena salutis: sexaginta nummos aureos, pretium itineris quod cursori dedisset, melius potuisse collocari, si pauperibus dati essent. Atque hunc quidem per litteras ita monuerat. Alium vero, qui familiariter ad ipsum de rebus suis forte perscribens, posuerat hoc temere verbum: Non esse sibi negotii quidquam, ubi tereret tempus, falleretque horas; misso per longum iter Antonio Seneca, percussit hisce verbis: Ubi curae Pastorales, ubi animus Pastore dignus, ubi terror ab Numine, ubi verecundia aliqua hominum esset? Deesse negotia Episcopo: quaeri oblectamenta otii huic: non habere quid agat? Numquam tale quiddam esse auditum. Caveret porro ipse, ne in posterum tali verbo uteretur, sed multo magis etiam, ne animum haberet, unde tanta deformitas verbi hujus.

Ad Lusitaniae Regem Henricum, inter familiarium epistolarum autographa exempla caput unum reperi, quod inseram specimen atque documentum libertatis, qua erga Reges etiam uti consuevit, miro temperamento, salva interim reverentia, quae Majestati eorum deberetur. Cardinalis Presbyterque iste, & grandi jam natu cum esset, intercisa per juvenis Sebastiani Africanum casum successione Regiae stirpis, voluerat exsuere Purpuram, abdicare sacra, & superducta uxore tentare spem aliquam continuandae Domus. De ea re scripserat ad Borromaeum, exquirens sententiam ejus propior tamen indicanti quid acturus esset, quam deliberanti jam aut consulenti. Summaque verborum & finis in eo, ut, *quoniam Borromaeus gratia & auctoritate longe primus apud Pontificem Gregorium esset, praeberet se deprecatorem, atque ab eo impetraret, ut rite exauguratus, ad facultatem ineundi matrimonii liberaretur.* Ad ea Carolus: *Rem uxoriam, credere se, inutilem & seram Cardinali Presbyteroque Regi esse, praeterquam quod etiam tentaretur malo exemplo, atque ad eam diem fortasse novo. Mysteria, quibus initiata Majestas esset, anteponenda regnis omnibus: patrium illud avitumque Imperium permitteret Numini: ipsum pro sua infinita bonitate visurum esse, ne quid detrimenti res Lusitana pateretur.* Talia scripserat Regi, nec Pontifici Gregorio eumdem animi sui sensum aperire supersedit, exaugurationi matrimonioque ei manifeste adversatus. Atque inter crebras super eo negotio consultationes, retulit magnorum exempla Regum, qui liberi & soluti reliquissent ultro imperia & paternas opes, ut religionis & castimoniae votis obligarentur: hunc, ne stirpis & Regni causa profanaret imbutum mysteriis praeditumque Sacerdotium caput, debere contineri.

Referam adhuc ejusmodi sententiarum dictorumque partem, non quia acumine ullo umquam ipse delectatus fuerit,

fuerit, simplex verbis, ut demonstravi, & simplicitate ipsa efficax, sed quia melius hae saepe voces, & brevia responsa, mores alicujus animumque monstravere, quam facta ingentia, & longus annorum tenor. Ajebat, stabiliendae Ecclesiae atque emendandi generis humani remedium & firmamentum esse unicum, si loca & beneficia Ecclesiastica recte collocarentur, absque perturbatione ulla quae flectere a vero animum posset. Non enim beneficia hominibus sed homines beneficiis debere assignari. Ipse, quoties beneficium aut praefecturam alicui mandabat, cum, sive Clericum, sive Sacerdotem, quocumque erat nomine, compellatum, alloquebatur hisce verbis: *Fili, non tibi Sacerdotium istud, sed te Sacerdotio & Ecclesiae dedimus. Vide, ne fefelleris judicium & exspectationem de te nostram. In adeunda & recognoscenda Ecclesia populoque tuo, curae erit, ut de moribus tuis & tota vitae ratione cognoscamus: atque ad Vicarium interea Praepositumve litterae dabuntur, ut te cordi esse nobis sciat. Ito, fili, cum bona pace: divinus te favor ac superne imminens tutela comitetur.* Locum in Ecclesia Mediolanensi facile principem, re diu considerata, mandaturus uni, de cujus virtute non ambigebat, sed suspectabatur hominis peregrinitas, ne, externo more, pensione corrasa aliqua Sacerdotioque expilato, postea abiret domum, *vide*, inquit, *fili, ne, si quaestum ex judicio de te nostro facere voles, ego ultimo seculorum die, culpae tuae reus fiam.*

Mulier addicta Daemoni, cum familiaritate & consuetudine ejus ita foedaretur, quomodo peccant inter se feminae virique, mentiendo sanctimoniam interim & colloquia cum Superis, fefellerat ea simulatione fatuos juxta & prudentes, & maximo quotidie concursu frequentabatur. Ea cum secretum a Cardinale ipso peteret, quasi collocutura de Coelestium rerum arcanis, suspectans ille fraudem, abnuere perseveravit, responso hoc fere usus: *Si tanta coelestia munera resque tam arcanae essent, oportere celari, nec se dignum esse, cui talia aperirentur.* Id ipsum consilii dederat Patri Adorno, ne cum ea colloqueretur, vetueratque ultra audiri hanc speciem confitentis: depromeret palam, si quid dicere vellet. Exitus postea nudavit monstrum, & erubuere qui crediderant. Varisii Praetorem, ob vim Sacerdoti uni illatam, juraque Ecclesiae violata, diu anathemate illigatum absolvere tandem, & magno Cancellario gratificari id volens, accersito ad se loci ejus Praeposito: *Nolueram*, inquit, *absolvere hunc, sed quia petit vehementer a me magnus Cancellarius, cui ipsi, post injuncta anathematis demptaque vincula, nullum benevolentiae signum dedimus, placet fieri istud nunc amabiliter in eum*, atque haec ipsa verba locutus, absolvendi hominis Praeposito facultatem dedit.

Parochorum urbanorum impudentissimus esse debuit, qui anniversario sui Tutelaris die prohibitus dare natalitia, quae extremo luxu adornarat, transtulit apparatum omnem in suburbanos hortos, atque invitatis illuc sui similibus, per convitia & cavillos inter pocula effudit iram. Dein, ubi incaluerant mero omnes, nec verecundia modo, sed ratio pene ipsa decesserat animis, personati pro se quisque & larvati certamen edidere irrisionis in Cardinalem, auctore & magistro ludi totius eodem illo, qui pater convivii erat. Hunc postero die, re divulgata, vocatum ad se Carolus excepit dimisitque cum hoc verbo: *Non oportebat, frater, nostras inter nos offensiones & iras, si quae essent, perferri ad laicos: nam ubi id fiat, nostra simul & vestra auctoritas apud eos exolescet: nec perinde alind saluti eorumdem obstabit.* Pari clementia, dissimili voce, insectatorem alium suum accepit, qui se e Principibus nobilitatis ferebat. Forte hic, ut sunt humana, ex alto loco ad ima detractus, cum ad causam quoque dicendam in Hispaniam evocaretur, in ultimo discrimine rerum suarum, ausus adire Cardinalem, misericordiam auxiliumque ejus implorabat: & nominatim commendatitiae litterae ad Regem petebantur. Cuncta fuere in promtu, cumque litterae darentur, haec dicta sunt: *Displicuerat nobis vestra olim in Ecclesiam alienatio, nunc laudamus, quod sperastis inde subsidia & petiistis. Ite propitio Numine: memores vestri inter sacra erimus.*

Haec fere indoles sermonis adversus culpas hominum fuit: in caeteris rebus, parem animi lenitatem & spiritum quotidiana dicta praeferebant. Ajebat, *largius munificentiusque fieri, si ipsa cum pomis arbor, quam si poma tantum darentur. Ad leniendum hiemalis lectuli rigorem, esse promtum unicuique thermoclinium, si frigidior ipso lectulo cubitum iret. Qui per intemperantiam hodie pomeridianis horis biberet, cras etiam desiderio subeunte potaturum, & paulatim fore mancipium intemperantiae ejus. In spiritus & perfectionis disciplina perinde unicuique enitendum semper ac si tunc primum itinera illa ingrederetur. Debere Episcopum praegustare suis hominibus amarissima quaeque, ut ipsius exemplo & imitatione dulcescant atque temperentur. Cum vetaret mitigari igne & coqui sibi crudiorem aquam ad quotidianos potus*, dixerat, *istud esse virtutis, inimicitias gerere cum sensibus, persequi ultro & lacessere eos.* Cum in funere Novariensis Episcopi ei diceretur, absumtum illum esse laboribus nimiis, respondit, *ita etiam quemlibet alium Episcopum debere mori.*

## *LIBER XVII.*

QUAE hactenus exposui VI. Libris initia primum & origines Divi CAROLI, deinde facta & virtutes ejus, casusque magnos, omnia quidem fere supergressa captum & sortem fortunae animique humani, & nihil eorum absonum fidei sanctitatis, post morbum creditae, videri posse, arbitror. Ac vere aestimantibus, ab exordio aetatis, per vitam deinde Pontificatumque omnem, atque etiam ante exortum, ab ultima origine avorum, per avos ordine ipsos, totamque familiae successionem, conflata quaedam ex aeternae providentiae consiliis, rebusque hominum miracula haec fuere. Nunc, seclusa mortalitate omni, divina tantum miracula peragam, nisi tamen, & mortalitas, pars maxima rerum erit hoc ipso, quod morti hominum per Carolum imperitatur, instauraturque vita, & renovatis inenarrabiliter corporibus, animi simul medicina majore sanantur e Coelo.

Miraculum namque maximum omnium exhibebitur istud, quod post obitum etiam pergit illinc divino nutu mens beata Caroli sanare mentes, haud minus evidenti ope, quam cum laboribus in id & vigiliis, sollicitudineque irrequieta adniteretur. Sed corporibus vitaeque mortalium oblata miracula, dum a me dicuntur, nomenque usurpatur hoc, & narratio talium rerum paratur atque adest: subjicere sibi legentes velim & jam nunc proponere animo imagines omnium malorum, & omnem pene carnificinam, cui nascitur, & in qua, moriturum hoc denique animal quaerit vitam ut saepe moriatur. Nam, quot genera faciesve morborum sunt, quotve ingenia naturae torquendis hominibus, tot etiam salutaria beneficia Divi Caroli in aegros fuere, tamquam ad hoc incidissent, ut ipsius ope liberarentur. Item adversus pericula, queis obsidetur vita & infestatur, vel ipsorum inter se hominum violentia & malignitate, vel ubi haec desit, insidiante casu semper aliquo, & promtis ad nocendum etiam elementis, liberator vindexque ille adfuit, postquam eo pervenerat, ubi in haec dominaretur, vel certe proximus acceptissimusque dominanti esset. Nec minor Daemonum strages & fuga facta per eum ex corporibus humanis, corporaque ipsa ex tetra obsidione vindicata in libertatem: & spirituum impurorum cohortes dejectae ad subterranea horrida loca cubilia flammarum, profundaeque desperationis. Quos admirandos eventus, & beneficia Dei potentiora vel injuriis naturae, vel legibus, inhibita casuum humanorum tela, depulsas praecordiis mortes, redonatumque spiritum, & quibus morte tristior erat aliqua corporis calamitas, his emendata divinitus ac restituta membra, triumphatos denique inferos, contraria magnitudini rerum fides sequetur. Non enim, quomodo ex Africa, vel India, novae res, partusque monstrifici, & inusitatae animalium figurae, litteris & fama huc perferuntur, vel quomodo somnia & deliramenta antiquitatis audimus, sic ista ex longinquo & incerto ad nos pervenere. Non ille excremento oris illuminatus a Vespasiano caecus, vel in-

injecto pede sanatus ab eodem Imperatore alter, vel plurium dierum itinere absens, & conspectus ei repente Basilides, aliave ludibria veterum credenda obtruduntur. Sed vivunt hodie & manent, vel certe monstrati & cogniti pueris adolescentibusque nobis, interea dum juvenes ad senectutem, atque ad hos prope jam exactae aetatis terminos properamus, decessere homines, quibus destinatione haud dubie suprema contigerat, ut ad miracula D. Caroli exhibenda generi humano materies fierent, palamque adhiberentur. Ac rapiente ita cunctos aevo, scenamque capitum humanorum assidue permutante, nondum tamen decessere, qui facta in se miracula praedicantes illos audivere: & plena urbs, plenae provinciae juvenum senumque sunt, quorum oculis illa corpora illique homines diu admirationi fuere, haud minus, quam cum ab mortis limine, medioque exitio revocati & extracti in lucem & vitam repente comparuissent.

Atque testimonia tamen ista, si forte parum firma visa erunt ad tantae rei fidem, ut arbitria vitae mortalium, naturae ordinem, fortunae lubricum, casusque temerarios, & Daemonum furores, cuncta haec ad coelestes Divi Caroli nutus fuisse conversa credere velint homines, qui adeo simplicem esse sibi animum negabunt: at certe credent ea, quae nostra aetas vidit semper, & quotidie videt, quaeve sensu percepta oculorum, rebellantes animos etiam & credendi taedia vincunt. Nam omnibus horis par potentia Divi ejus sentitur, & miracula patrantur simillima prioribus illis, quae jam pene exolevere, ingrata profecto erga Coelestium benignitatem vita hominum, ingratisque animis, quandoquidem etiam ista oblivioni dantur. Me, utique non pigebit, vel incondita & rudi voce, tot beneficiorum memoriam in hac operis parte composuisse, beneficiumque interim aliud in publicum haud minus salutare praestiterimus, collatis in haec monumenta pignoribus nostrae securitatis, si quidem hinc etiam intelligere poterunt homines, beatas animas nihilominus interesse nobis, postquam excessere in Coelum. Monumenta namque alia tutelae ac praesentiae hujus auro vel argento posita, quae circa tumulum pendent: quaeve vix tota templi moles capit, gemmas, annulos, vasa, & expressa pretiose simulacra periculorum aegritudinumve humanarum, & sacratas alias Divo mercedes acceptae salutis, etiam si consumens & rodens omnia vetustas reverita erit, poterunt objicere casibus ac varietati temporum pretia valorque suus. Nostrae litterae quanto viliores, tanto tutius extra injuriam saltem hujusmodi perennabunt.

Statim, ubi egressa in Coelum anima Pontificis, ab grege populoque suo avolaverat, novum Pastorale munus, & nova opera amoris exorsa est, per quae absens adesset: ac primis illis horis, primisque diebus excessus sui, revolabat idemtidem, per varias species ac visa nocturna sese offerens quasi fidem obstringeret in ea, quae divinitus deinde evenerunt. Jesuita Adornus, primus omnium fuit, cui se ostenderet. Sic ille meruerat pietate eximia, & moestissima consternatione animi ob Cardinalem ereptum, cui, adscitus in Patris & Magistri nomen, debebat ipse quidquid in perfectionis vitae disciplina profecisset. Cum exspirasset tertia fere noctis hora Cardinalis, adfuerat sedulo iste, vitamque deficientem, precibus & omni alio officio rite prosecutus, egregiam ei fidem ad ultimum usque praestiterat. Egreditur deinde Pater ex confusa illa domo nocturnus ac nocti similis ipse ob dolorem, & cumulato lacrymis corde vadit ad D. Fidelis, quà Societatis aedes templumque adjunctum, digna res utraque Martyris & Ordinis fama, inchoabantur. Ibi, cum se in lectulum abjecisset, valde indigens quietis ob vigilatas jam aliquot noctes, quiescere non poterat, sed incumbens in dexterum modo latus, modo in sinistrum, nunc supinus aut pronus, nunc sedens aut exsurgens, rursusque decumbens, extraxerat noctem insomnem haud minus, quam dum Hero morienti adsideret. Aurora demum propinquante, tunc, scilicet, cum etiam affecta morbis corpora soporantur, partem quietis invexerat Patri ea ipsa corporis animique ob sollicitudinem ac desiderium inquietudo, & clausis leniter oculis, Adornus, carpebat somnum, parsque tamen adhuc vigiliae erat. In eo confinio & fluctuatione naturae dormitantis, dum confunduntur spiritus, & alienantur, & merguntur, adstitit veneranda figura, cujus visu turbatur ille & recreatur simul, atque interpellantur initia illa somni. Cardinalis erat CAROLUS cum insula insignibusque suis beatissimo lumine fulgens, & eminente inter divinos splendores vultu, qualis inter mortales ei fuisset, noscitabatur homini amico, statimque sermonem inter se consociavere. Dixit Adornus: *quae mihi ista species objicitur, Domine, quidve factum est? Aegrotasse te nuper, atque etiam a nobis abiisse credideram.* Respondit ei Carolus hisce verbis: DOMINUS MORTIFICAT ET VIVIFICAT. *Ego me bene habeo: pulchreque est mihi: tu quoque mox eris mecum.*

Pauci deinde dies intercessere, & profectus Genuam Adornus, exstinguitur, sequente eum fama inter suos ibi populares, tamquam etiam ipse Sanctis haud dubie aggregaretur. Petro Glussiano etiam Scriptori rerum istarum, probo & honesto, gravique inprimis, nocte eadem obversatus est CAROLUS, & familiariter cum eo locutus aperuit Gregorii XIII. propinquantem obitum, & imminentes quasdam Ecclesiae Mediolanensi turbas, & alia nonnulla, quae maluit reticere Glussianus, sed in historia affirmat, evenisse haud aliter, quam sicuti ab illo praedicta erant. Nec defuere praeterea alii pari gravitate homines, severi, modesti, qui testarentur, se noctibus etiam insecutis aditos fuisse ab eo per quietem, excitatos, admonitos de variis rebus, ut quaeque negotia inchoata haberent: atque his ob vitae dignitatem facile creditum fuit: sed magis movebant ea quae fiebant palam, & manifeste spectabantur. Constantia Rabbia fuit de plebe mulier, inter Catechismi operarios magistra sui sexus, ejusque muneris commendatione ac sedulitate cumprimis accepta Cardinali, & saepe laudata, dum ille scholas adiret, singulosque & singulas ex cujusque merito, praemiis & hortamentis, sive reprehensione aliqua incitaret, quo majore fructu scholae exercerentur. Brachium ei dextrum intestina & inveterata tabe corruptum, grave inutile pondus, suspensum assidue collo gestabatur: cladem que ita affecti membri hanc, donec superfuit vixitque Cardinalis, vel exemplo tam multa patientis Archiepiscopi, vel praesidio ejus innixa pia mulier supra sexum fortis toleraverat. Postquam exspirasse ipsum, inter clamores strepitumque funestae noctis audivit, & luce orta flentes cuncti Palatio circumfundebantur, ipsa simul ibat, mortuum Cardinalem pariter, & se vivam eadem quiritatione complorans, quod orba Parente illo, quod pauper, & senex, & defecta naturae quoque instrumentis relicta esset. Ajebat interim etiam velle ingredi, & contingere sacrum corpus, & exposcere ab defuncto opem. Atque suis animata vocibus, & pari intra animum spe, facto sibi per turbas itinere, cum intulisset gradum, quà compositum jam feretro cadaver jacebat, admovissetque emortuum pene brachium, inspectante multitudine quae aderat, id mirifice ad usum subito rediit, & ceu miraculum aliquod ipsa mulier, inter admirantes & gratulantes domum reversa, omnibus deinde fungebatur officiis, quae vel fortibus lacertis alius quilibet obire posset. Excitaverat ea res, & adeo manifeste sanata mulier clamores in sacello primum & Palatio, deinde per vias, & urbe tota passim ob admirationem & laetitiam, haud minores, quam qui desperatione & luctu attollebantur.

Secuta inde alia sunt quae nihilo obscurius declararent adhuc insepulti corporis merita, & egressae illinc animae divinitatem, & curam ejus erga relictos cives: credo equidem consolante ita populum CAROLO, quia se esse relictos indesinenter lugebant. Die funeris, Octavianus Varisius, cum longa & continua, nec tamen lenta febri detineretur, moerens atque indignans hoc ipso, quod una cum caeteris prodire non posset, voluit tamen stimulante pietate prodire, ut interesset exsequiis, prodiitque spreta vi morbi, contumax animo, corpore vacillans. Is fero-

080 ferociter obluctando debilitati suae, acquisitis inter eundum viribus, celebrato funere rediit domum, ita ut aegrotasse antea ipsum, si caeteri non meminissent, ipse oblivisceretur: nec umquam postea aegrotavit. Simul iste circumfusus admirantium turba, & plena gratulationum domo fatigabatur: simul in diversa parte Urbis, virgo nomine Ursula, novo casu adverterat populum. Non fuerat haec, qualia nonnumquam deprehensa sunt ingenia muliercularum, queis ludus & insania fuit, accisis crinibus, & velato ore fallere suos pariter & alienos larva illa honestatis, velut intra domesticos parietes quoddam Coeleste virginale aevum agerent: & aliquando istae pudori suis juxta & alienis fuere. Sed Ursula haec medullitus & solide pia, serioque semper admirata, atque etiam quoad assequi femina tantum virum posset, imitata Cardinalem, flexis assidue genibus precando, contraxerat eos tumores, phymataque & callos, ut flectere ultra poplitem nequiret. Per totos igitur dies, quamdiu corpus in sacello stetit, stans ibi ipsa in angulo, funebria carmina tacite recitabat, non quidem indigere subsidio ullo Carolum, autumans, sed mora & adspectu statione que & modulamine illo leniens desiderii sui moerorem. Dum staret ita & precaretur, sensit, restituta sibi genua, desedisse tumores, & diuturni laboris eas reliquias momento uno esse depulsas: famaque etiam haec inter mulieres vulgata, statim penetraverat ad viros, & totam urbem, fauste in malis accepta pervadebat. Inter mixta haec ululatibus prospera omina, confusasque dolore acclamationes, elato cadavere, admirabilibus inceptis pares deinde eventus secuti sunt, apud Mediolanenses quidem praesertim, tamquam solatia populo orbato, sed & alibi praemia pietatis ac fiduciae, prout, vel invocaverant exteri Divum, vel taciti meruerant opem. Feminae inprimis sensere motum id sua causa Numen: quem sexum, ut in malo atrocem, ita, ubi commode inclinavit, penitus ad coelestia enitentem pene antepofuerat ipse nostro languori, cum sepulchrali suo lapide preces ejus pii sexus apud Deum exposceret, eamque inscriptionem addi sibi humato jussit.

Sanctae Barbarae Capucinas, inchoatum a Cardinale, neque constitutum, & fluctuantem inter varia consilia Ordinem, vexabat Vistarina quaedam, clara divitiis & genere mulier, matronali pietate ferox in puellas, quas & tuebatur ipsa, & fere sustentabat. Vexandi initium & causa ex eo, quod a Franciscana severiore formula placita & electa virginibus, abstrahere ipsas, & quibusdam aliis ex animi sui sententia legibus obligare statuisset. Virgines, quantum adversus Patronae violentiam tendere possent, in pristino consilio perstabant, parum fere motae, tum caetera asperitate illius, tum asperitatum omnium ultima, quod subtractis vitae subsidiis, fame quoque tentarentur. Sed Vistarina, praeter ingenium ad destinata obtinenda atrox, etiam irritata constanti perseverantia puellarum, die quodam ingressa virginale domicilium, stetit in medio forte conclavi, quà telae, vel lanae operibusve aliis muliebriter intentae illae tyrannidem suae Conservatricis, & divini auxilii fiduciam adversus eos mores, nec defuturum afflicto denique coetui Carolum simplicibus inter se colloquiis ferebant. Eo cum intrasset Matrona, composito ad verborum saevitiam vultu, sonoque vocis, diserte dixit, aut obediendum esse, aut migrandum inde omnibus: & minas adjecisse alias ferebatur. Suspensa ibi e muro pendebat Caroli effigies, in trepidis rebus, ancipitique statu solatium puellis, eamque tabulam per septa domicilii, habita ter supplicatione circumferentes, petierant haud sine lacrymis multoque gemitu, ut sibi praesidio esset. Ubi verbum atrox detonuerat Matrona, ejectionemque sine ambagibus minitata erat, obversae illuc omnes in genua procubuere, petentes opem: & forte id tempus erat, ut signum Angelicae Salutationis daretur. Momento illo, & Vistarina ad januam evocatur, pulsatis repente foribus ab uno, qui opus esse sibi conventa Matrona ajebat, & Vicarius Fontana (jam enim Archiepiscopus Vicecomes erat) trepidus prosperusque supervenit, rogitans quid novi intra claustra illa accidisset. Se domi in cubiculo suo inambulantem, repetita ter haud dubie coelesti voce venire jussum & Virginibus subsidio esse. Adhuc Vicario loquente cum Francisca Landriana Praeside collegii & audiente facta quae essent, Poenitentiarius Major Aluysius Boccalodius nomine adest, aitque, cum ab D. Marci aede rediret domum, mulam, qua veheretur, neque habenis neque vi ulla potuisse averti & retineri, quo minus itinere eo tenderet. Intellecta sunt tot argumenta divinae voluntatis, & nihil jam tumultuante Vistarina, laetae Virgines in Seraphici Patris instituta nomenque concessere.

In earum Virginum coetu fuit Euphrosina, praemium illud adepta magnae pietatis, ut ne satisfacere quidem pietati posset, & unico vitae fructu privaretur. Namque ea premendo semper inter preces nudo poplite terram, labefecerat nimium sibi genua & ulcerarat: standumque inter sacra erat ei dum gregales aliae maxime procumberent, & dum mysteria celebrarentur semper adorata flexo genu etiam eis, qui flectere, vix umquam sciunt. Pudor simul & dolor ob id angebat muliebrem animum, simulque timebat, ne suae invisae preces ita repudiatae essent, & suis ipsa culpis irascebatur, velut id supplicii merito haberet. Tot uno tempore turbata motibus animi precabatur a Carolo, ne se veluti profanam, publicae religionis & communium sacrorum exsortem esse vellet. Sensit interiore tactu sibi dici: *Experiretur & flecteret genua quandocumque vellet:* flexitque & absterfum repente erat, quidquid illud mali flexilem eam partem corporis munere prohibebat, in quod data homini videtur.

Subnectitur huic Archangela collegii ejusdem, posterior tempore, sed magnitudine beneficii prior, quo gravius malum, & foeditas accedebat, nobis etiam in memorando molesta ob verecundiam, nisi quod nullius rei decet pudere hominem, quae miseriam humani corporis repraesentet. Hujus Virginis naturalia, fracto ramo venae unius, quae porta dicitur, sanguinem assidue profundebant: & habebat virgo poenam, quae impudicarum alicui deberetur, vel potius, quae ad impudicas etiam ciere misericordiam aliquorum posset. Inspectis atque tentatis arte sua locis medicamentarii negaverant, exspectari posse aliud, quam ut mortua repente concideret, &, credo ego, ipsam quoque maluisse mori, ne ferramentis istorum aut manibus ultra contrectaretur. Nam quatuordecim ipsos annos, obedientiae legibus pertulerat id jugum. Divi Caroli nomen, & quotidie increscens fama rerum ejus, ut ipsa quoque spem & vota animumque illuc verteret, admonuere. Ab eo petiit, ut sibi vitae exitus, vel mali finis daretur, prout, hoc, sive illud, Numini magis placeret: placuitque & concessa vita est, temperato statim corpore, coercitisque venis, & siccato quidquid fluebat.

Atque ad capita virginalia quotidie illustrius descendente favore ac numine Caroli, Braidensi via paulo post in Monasterio Sanctae Catharinae sanatur Agnes, cui ab latere sinistro convulsa sedibus intestina, prolabendo & fluendo, nihil quod elegans dictu sit, ne cogitatu quidem amoenum exhibebant. Huic Agneti, cum Monasterio acciperetur, contulerat Carolus partem dotis, ejusque veteris beneficii Virgo memor in calamitate sua, novum ab ipso subsidium exspectare audebat. Ac nocte quadam, tumultuante ob id vitium utero, turbatisque intus vitae secretis, cum acerrimi doloris morsu laceraretur, inter crebras ad Carolum voces, exorientis aurorae beneficio sopita paulisper vidit velut inclusum Sole Cardinalem, qui latus id morbosum contingere digito haud dedignatus, clara voce dixit, *ipsam esse sanatam.* Exclamat prae gaudio & exsurgit: simul excitatae sorores aliae accurrunt: adit ipsa alias adhuc obscuro lucis: & procedente die jam illustri secuta ea res redditaque virgini salus, in famam sermonesque hominum ibat: deinde in publica etiam monumenta pervenit.

Inter S. Praxedis Cucullatas, res accidit, quae obscuras esse Coelestium vias, & semper ignota consilia mani-

manifeste declararet, etiam si id antea nesciretur. Nomen Virgini Angelica Landriana, quae, cum ad impetrandam ex multiplici peste sanitatem, nihil juris haberet, praeter multiplicem eam corporis animique pestem, & nomen tantummodo Religionis atque Cuculli, tempore uno, corpus animumque recepit, cum parte non minus ista quam illa laboraret. Calamitates & vitia corporis huic, fusa subter cutem aqua, pectoris angustiae respirandique difficultas, tormina & febris, & ad tympani fere modum inflata pariter & obdurata alvus, & ulcera intestinorum, & immobilis fere lingua: atque ex his omnibus deformitas oris efficiebatur odiosa intuenti, vel si caudex pondusque illud inutile, non satis per se grave sororibus Monasterioque toti esset. Ad haec incommoda corporis, addiderat ipsa contumaciam & iracundiam importunosque mores: sive erat id ingenium forte mulieris, sive dolores assidui, & tot externa mala intimas quoque animi partes desperatione & rabie asperarant. Ne in Superos quidem mansuete & placate agebat: atque cum a D. Carolo precata aliquamdiu esset, ut respicere se miseram vellet ille, cujus tot quotidiana miracula jactarentur, postquam auxilium differebatur, imaginem aversata, quam precibus hisce fatigarat, veluti sereret inter sorores jurgia suo more & cavillos, dicere imagini ipsi coepit: *ituram se ad potiores alios Sanctos*, nominatimque *Raimondum & Hiacintum* praeferebat. In hos versa, dum supplicat proterve, instauratque preces contumaces, sensit quamdam intimam hujusmodi vocem: *male factum ipsi, quod a Carolo descivisset: ad eum itaque reverteretur.* Quo cum rediisset, ac valere jussas imagines adoraret rursus, & spes illic auxilii novas tentaret, ipsoque praesertim nascentis Deiparae pervigilio funderet preces, admonita intime est, *ne cunctaretur, communes inire mensas, ac reddere se triclinio & Choro.* Id Virgini primo ludibrium videri, seque deceptam sua ipsius imaginatione censere: dein, ubi iterum ac tertio, vox eadem inter preces, animi sensu percipiebatur, exposito sororibus aliis quid sibi evenisset, firmata cohortationibus earum, & jussa bono animo esse, descendit. Intulerat coenaculo pedem, cum languor aquosus & cohors universa morborum, repente dilapsa est, valensque postea, & modesta fuit, ore etiam & vultu, qui sacram virginem deceret. Id acciderat anno sexto decimo ab excessu D. Caroli, cum per aliquot jam annos vix ullus absque miraculo dies exiret: atque intra id spatium memorantur erepti casibus, liberati periculis, donati vita, pueri, adolescentes, viri, feminaeque, quos ego divinos casus, temporibus, locis, personisque distinctos ac notatos exsequi pergam.

Neque grave erit, inseruisse monumentis vilia interdum etiam nomina, quae ne Coelum quidem muneribus suis discrevit. Nam inter illustrium capitum ita conservatam admirabiliter vitam, & divinitus ab eis propulsata mala, non contemsit Carolus Dominici Provasi pulverem & sordes. Pintiani in agro Mediolanensi habitabat obsitus illuvie & paupertate agricola, quem occuparat dirus hydrops, cruraque & ventrem ejus monstruose inflarat. Cum tollerent agricolae alii cadaverosum id corpus, atque in urbem ad nosocomia deportare vellent, admonuere forte hominem, ut commendaret se D. Carolo, qui multorum quotidie misereretur. Ad ea monita minime stolidus agricolae animus fuit: addiditque votum, quod simpliciter in haec verba nuncupavit: *Si mihi, Sancte Carole, salutem dederis: at ego bis quotidie* PATER NOSTER, *& bis* AVE MARIA *recitabo.* Placuere agrestia promissa: & confestim ille prosiliens e manibus tollentium, exclamat, *validiorem se esse quam ipsos.* Causa namque morbi divino nutu fugerat venis, & protinus ad ferramenta fossor ibat.

Honestus homo, & rei suae bene gerens, Franciscus Brasca, cum filios octo suscepisset, caeteris intra pubertatem amissis, reliquum ex tam numerosa prole unum habebat. Is quoque duodecim annos haud multum egressus, eodem genere morbi exstinguebatur, quo caeteri absumti erant: & fraternam aliquam esse tabem inter eos ab conceptu materno, patriove satu relatam medici suo more vaticinantes autumabant. Febris erat cum inflatione & tumore: stridebatque dentibus adolescens, neque videbat jam, neque audiebat. Ac ne signa omnia vicinae mortis enumerentur, jam lavando corpori calidam, funebriaque caetera familiares expediebant. In eo luctu & apparatu, is, qui morienti pater erat, petere a D. Carolo institit, ne se, qui cum egregia modo stirpe conspectus fuisset, orbum fieri liberis pateretur. Testabatur inter haec, suam erga nomen ipsius pietatem, & vota faciebat. Revixit adolescens: ac, ne res interpretatione ulla eximi miraculo umquam posset, preces patris, & tota filii salus unum fuere.

Julii Bonacinae filia octennis erat, Barbara nomine, cui pituitae cursus acerrimus primo oculorum orbes ita exederat, ut aciem quoque corrumperet, deinde inflammatione vehementi propelleret etiam, intusque & foris rumperet. Cum sine remedio esset utique dexter, omnibus frustra tentatis collyriis & medicamentis, puellae mater, quasdam Divo Carolo preces adhibet, ac puellam ipsam ad sacra eductam, easdem iterare preces docet. Dum per aliquot dies, sua piacula maxime instaurarent, anxia mater & puella simplex, sopita per noctem haec repente sanatur: ac surrexit mane, restitutis in suam sedem oculis ambobus, sed eo, qui ruptus processerat, ita renovato, ut puellae pater, cum super ea re, publica auctoritate interrogaretur, dixerit juratus, talem eum oculum sibi visum esse, qualem in capite humano, numquam antea vidisset, hilarem nempe & nitidum ac serenum, & plane ea specie, ut e Coelo delapsus in puellae frontem videretur.

Angelam Antoniam, septuagenariam ferme Virginem in Monasterio S. Agnetis fluens ac means per omnia membra pituitae tabes illigarat, ut ne moveri quidem posset, non subsistere pedibus, non cibum ad os admovere, non alio defungi munere vitali aut quotidiano, sed alienis omnia manibus obtinenda ei peragendaque essent. Ea cum D. Carolo votum hujusmodi nuncupasset: *per quinque continuos dies, bina Rosaria se vesperi & mane recitaturam:* ultima recitatione, dum ad extremum precatorium globulum, percurrendo quemadmodum poterat ordine cunctos pervenisset, levatam se illico, & solutam expeditamque sensit. Et mox, pari cum sororibus agilitate ingressa templum, altiore inter eas cantu Deum laudabat, cum ejus rei solennes modos, & usitatum Ecclesiae carmen, ob id miraculum exsultantes simul & attonitae modularentur.

Vagus quidam ex nobilitate aulaque Ferrariensi, pererrans juvenili studio Italicas urbes, devenerat forte Mediolanum, & Francisci Monghini (id Clerico nomen) hospitio utebatur. Ibi peregrinator conspecta D. Caroli effigie, & imaginem cavillari ipsam, & Presbyterum irridere, qui sic eam haberet domi coleretque tamquam non sanctiores ullas aut illustriores, vel pietatis, vel ornamenti causa suspendisse tabulas posset. Hunc ita cavillantem repentina febris invasit, subito horrore membrorum, qua quotidie magis invalescente, ac remittente nusquam, caeteris quoque signis observatis, pronuntiavere medici, acutum morbum, & subesse mortem: vereque jam in propinquo erat. Hospes enim vero Monghinus, ubi ad ultima jam prope esse deventum videt, haud dubie conjectans, hanc illum spretae imaginis habere mercedem, hortari coepit, ut Caroli nomen atque memoriam, quae consensu omnium sancta esset, proterva sua verba detestatus intime veneraretur. Decesserat petulantia animo, paruitque aeger, & secuta illico sanitas affirmavit originem morbi, nec facile postea huic alius studio erga Carolum, & pietate anteponeretur.

Molena pagus est agri Mediolanensis ea regione, quae Forum Licinii dicitur. Sed regio quidem ipsa, & Romanis initiis, & fama gestarum ibi rerum antiquitus claret: vestigiaque etiam urbium manent. Nomen ob-

obſcurum & ignobile pagi illuſtravit memoria caſus, quem memorabo. Nubilem & honeſto loco natam ejus loci puellam, quae Iſabella Porra dicta eſt, male habebat quaedam ejuſmodi tabes, ut naturaliter ſemper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum ſubeuntibus, ad maciem extremam ipſa quotidie adduceretur. Sed cum neque aleretur corpus, habituque malo omnia alimenta corrumperentur, neque ſtillante in pulmonem phtiſia exulceratio & febricula abeſſet, has tamen animadverſiones & commenta medicorum turbabat atque confundebat manifeſtis etiam indiciis orta ſuſpicio, tamquam veneficia ſubeſſent, & humanis remediis illud inſanabile malum fruſtra curaretur. Atque, dum ambigunt & diſſerunt, conſultantque iſti, venerat adoleſcentula ad extremum, agebatque animam. Habebat ea fratrem, cui forte non ita cordi fuerat, exſtingui ſic auferrique ſororem. Vidimus eum nos, novimuſque hominem grandi aetate, Presbyterumque honeſtum, & Peregrino erat nomen. Is Divo Carolo pro moribunda ſorore votum hoc vovit: *Si viveret iſta pauliſperque reficeretur, iturum ſe ad Urbem, ſorore comite, tumuloque ipſius, cereum pondo librarum ſex pie oblaturos, qui monumento eſſet, divina ope, auxilioque ejus puellam eſſe ſervatam.* In eadem verba concipere ipſa votum jubetur, quod fecit eluctante voce: & triduo poſt, venere uterque in urbem, facemque votivam tumulo accenderunt.

Plebejus puer in urbe, dum dimiſſa per cylindrum ſitula petit ex domeſtico puteo aquam, ipſe praeceps in caput illuc ad ima devolutus, invocato, ſicut aſſueverat, inter cadendum D. Caroli nomine, emerſit alte ab aqua, cubitum fere unum, & ex eminenti lapide ſuſpenſus manu, inclamabat ſuis, ut inde extraheretur, incolumemque eduxere. Joannes Baptiſta fuit ei puero nomen: Podia gens: rei geſtae annus alter ſupra M D C. dies ad pridie Nonas Decembris.

Sed & duos e Societate Jeſu Patres, eodem anno, cum Euangelii cauſa mare trajicerent, pene naufragos ex atroci tempeſtate ſervavit Carolus, duoque iſti, turbam, quae vehebatur eadem navi univerſam, auxilio ſecum eodem ſervavere. Rem, nominaque tradam, auctoribus etiam eis, qui Societatis monumenta compoſuerunt. Alphonſus Vagonus, & Joannes Baptiſta Porrus, ille Subalpinus, hic e noſtris, ad Genuam conſcenſa navi tendebant, Ulyſiponem animo ſpectantes, ut ex eo deinde portu vela in novum orbem facerent, educatores & magiſtri Gentibus, quas terra India ex longa ſeculorum & exitii nocte, recenti partu edidit in lucem & ſalutem, patefactis portis, quas inacceſſas incognitaſque antiquitati, noſtri primum homines intravere: & inſtituto Societatis lectiſſima capita ſemper illuc mittuntur. Nobilitas ambobus iſtis erat, & bona facta avorum: addiderantque ipſi propria bona, facile Principes ſui Ordinis contemtu mortalium rerum, aſſectatione Coeli, ſapientiae ſtudiis, quaeve inſuper alia niſi naſcendi ſorte contingant, neque aſſumere ſibi ulla virtute homines, neque acquirere diſciplinis poſſunt. Nam dignitas oris, & elegantia ingenii, majeſtaſque morum aderat, & rurſus commoditas & manſuetudo apta flectere ac tractare, ſi quid duri & inhumani Gentium earum rudis adhuc & velut inchoata natura obtuliſſet. Ab hiſce, tum virtutibus animi, tum naturae muneribus, tum gerendae rei caeteris adjumentis electi & adſciti homines, quorum etiam aetas, media erat inter florem annorum & robur, petita diu provincia, tentatique & accenſi repulſis, ibant, velut Societatis univerſae animos gerentes. Ducentos fere alios portabat ea navis, & in medio Liguſtico ſinu erant, cum exaſperato repente ventis mari, & ciente ab imo fluctus ſuos, omni nequidquam ad vitandum exitium depromta nautica arte, demergitur lignum, & cum vectoribus ſuis pene hauritur. Jam enim tantum aquae acceptum erat, ut ad genua pertingeret, atque uno, vel altero impulſu fore ſe evolutos putabant. Simul recitabant multa pia carmina pſalmoſque Patres, ſimul exitium ſubibat. Interim recordati, fila eſſe ſibi quaedam ex D. Caroli veſte, partem dedere undis, quae, placamine accepto illo, quieverunt, & cadentibus illico ventis cuncta fuere in tuto & tranquillo: coelumque etiam ex tam turbido & triſti vultu ſubita orta ſerenitate renidebat. Patres poſtea felici curſu pervenere ad Indos, & mirifice ibi rem geſſerunt.

Ejuſdem exitu anni, Emmanuel Philibertus Rotarus e Sabaudiae Proceribus, in mortifera aegritudine, morteque pene ipſa, implorato Caroli auxilio, pollicitus, ſi ſuperſtes fieret, *daturum ſe dona tumulo, iturumque illuc*, evaſit, & damnatus voti Mediolanum venit. Febris fuerat cum multiplici in eumdem diem acceſſione, dolores uteri, ſymptomataque graviſſima, & praefandi humoris difficultas, atque ita affectum corpus inclinata inſuper aetate gravabatur. Medici aulae provinciaeque ejus, affirmare non erubuerunt, omnes conjecturalis ſuae artis notas cenſeri debere fallaces, quoniam in eo corpore decepti eſſent. Ipſe tumulo obtulit tabellam cum aureo corde, & S. Mauritii crucem auream, inſignia Ordinis, unde erat: remque totam, ſicuti evenerat, teſtato deſcriptam ei tabellae adjecit. In Sabaudiae Ducis aula evenerat hoc, ubi, cum flagrantiſſima in Caroli nomen ſtudia ſemper fuiſſent, pietas inde & admiratio nomini ejus increvit. At Mediolani interim aulica ea & externa fama aliquamdiu pervagata urbem, facile conticuerat ob unius fabri caementarii caſum pene nobiliorem.

Dominicus Bruſator, (haec enim nomina dicenda ſunt) in quotidiano ſuae artis pulvere ac labore, nuſquam Divi Caroli oblitus, ſicuti vivum eximie coluerat, ita, ab exceſſu, aucta etiam pietate, venerabatur: & aſſueverat quotidie perſolvere ei quaſdam ſuas preces, cum hac fere clauſula, ut pauperi ſibi, adverſus pericula praeſidio ille eſſet. Forte hic Quintili menſe extra portam Vercellinam intentus aedificio, quod ei Thomas Tonſus inſtaurandum abſolvendumve locaverat, meridiandi cauſa ob calores nimios abdebat ſe quotidie in templum D. Jacobi, quod illic in vicino erat. Ibi die quodam fatigatus opere ſuo ſimul, & ardore ſolis, ſtata hora ſomni, reclinato ad gradus altaris capite dum quieſceret, vidit ipſum in Pontificali veſte CAROLUM advenientem e Coelo, & mox inſtantem ſibi, jubentemque exire, propterea quod jam jam aedes illa collaberetur. Exterritus hoc viſo, cum inſuper urgentes & propellentes quaſdam manus ſentiret, confuſo vultu ſeſe inde magna trepidatione ejiciebat. Qui turbatum ita fugientemque videbant, interrogant, ſatin' ſalvae res eſſent? quidve novi incidiſſet? Ille, ruere templum, labique omnia, cum diceret, irridebatur. Non enim ulla labes vitiumve ullum erat ei templo, ut periculi quidquam a ruina timeri poſſet. Mox, ſpectantibus qui haec ipſa cum vani pavoris irriſione diſſerebant, ſecuta res eſt, & tecta ſimul parieteſque templi procubuere in ruinas.

Apud urbem Ticinum, quinque annorum puer forte delapſus in amnem, unde nomen urbi, memor in cadendo, pietatis, quam dare infanti parentes conabantur, D. Carolum, tradito ab eis more, appellarat. Videre multi cadentem, quive in ponte, quive in ripa fluminis, quive locis fuere aliis, unde proſpectus in eas undas torrenti ſimiliores, quam placido amni. Puer, ab ea undarum parte, quae cadentem acceperat, per ſpatii tantum, quantum centum fere cubitorum fuerit placida illuvie ferebatur, donec navicularius indigena, Bernardinus nomine, fretus arte natandi, amnem ingreſſus, ſuſtulit, detulitque in ſiccum, favore multorum addito animo, qui moti miſericordia aetatis, clamores gemituſque attollebant. Cernebatur ille, madidum, incolumemque & ſecurum infantem, nunc capite ſuſtentans, qua rectus alveo fluminis inceſſerat, parte tantum ea corporis eminente ex aqua, nunc brachio altero attollens, qua bra-

brachiorum pedumque pulsu natator unicus eluctabatur undas. Caeterum, non mergi absorberique infantem, tunc cum aetatula illa inter aquas destituta fluitaret, eo mirabilius fuit, quia crebris gurgitibus undae resorbentur, queis, vel natantium valida corpora intorta & hausta potuere auferri. Servatus autem ita infans, domumque relatus, ajebat matri, constanterque postea dicere perseveravit, se statim, ubi excidisset in flumen, ulnis unius pulcherrimi hominis fuisse receptum: & intento digito ad D. Caroli effigiem, hunc fuisse hominem, ajebat, qui se sustulisset: ab eo deinde traditum in alterius hominis ulnas, cum eo pervenisse ad ripam: priorem illum statim abiisse sublimem. Hanc ad Ticinum gestae rei seriem interrogati parentes exposuere, dum in cum admirabilem filii sui casum quaestio postea haberetur: exstantque inter monumenta, Bernardus & Lucretia, pater & mater pueri ejus, & Joannes Baptista ipse dignata tanto munere proles.

Ticini in D. Theodori Paroecia cognomento Titiones fuere. Nunc, ut aetas civitasque nostra per eosdem dies in Paroecia D. Joannis ad Concam viderit D. Caroli manu, non redditam, sed datam caeco lucem, qui ex matris utero in perpetuam alteram noctem prodierat, memorabo: rem adeo raram etiam inter miracula, ut Salvatori ipsi apud Populares olim suos una omnium invidiae maxime esset. Sed hujus rei paulo altius repetenda notitia est, jam inde, scilicet, ab avia & matre hujus nati caeci, quae ipsae mulieres, pestilentiae tempore miraculum aliud Pastoralis officii fuerunt: ac de eo casu, dictum jam aliquid esse, arbitror. Namque, cum eo tempore Carolus extra portam Romanam, mapalia suo more adiret, quoddam hujusmodi spectaculum, pestilentia ipsa, ad unum forte tuguriolum, circumeunti Pontifici exhibuerat. Jacebat humi destituta sine alimentis inter vicini partus dolores mulier: puer ei moribundus ad mammas: & mox agente ipsa animam, prodierat, cernebaturque humi deforme sane dictu: sed redemta Christi sanguine anima erat. Sublatum itaque illud Carolus vicinae scaturiginis aqua baptizat, & renatum ita corpus ad stabula caprarum, quae partubus ejusmodi nutrices alebantur, lactandum tradit. Adolescit postea haec (etenim femina erat,) & Philippo Navae suo tempore nuptum datur. In eo matrimonio partus enixa aliquot, tertio, an quarto loco caecum hunc edidit: ac de ea caecitate testes ita perhibuere: Nati infantis cum palpebrae clausae reglutinarentur, nulla intus vestigia apparuisse oculorum, & quae sedes in corpore humano lucis sint, ea conspecta esse, nihil aliud quam foramina plena sanie, quae abstersa manaret rursus cum odore etiam tetro. In hunc modum orbes fuisse affectos. Super palpebram deinde utramque ortum esse tumorem, magnitudine pene ovi, ut ad cassum lumine caput deformitas etiam haec adjiceretur. Quae tam parvuli capitis tot calamitates & vitia, ad caput & alvum haud dubie maternam potuere referri, cum ipsa quoque ex pestilenti utero egressa esset. Huic infanti, qui matris aviaeque tabem caecitate sua regeneraverat, ipsum Caroli nomen indiderant parentes, haud dubie pia memoria, gratoque animo mulieris erga vetus in se beneficium: cujus ipsa quidem meminisse non poterat, sed ab iis, qui meminerant quotidie & praedicabant, rem quomodo gesta fuisset, audiebat. Ad IV. Idus Novembris, qui vicesimus erat ab natali die infantis, forte inter curandum, molliore, quam alias, animo, conspicata partum hunc suum, effusaque in lacrymas, *Dive Carole*, inquit, *ego servata tuis manibus sum, tuoque nutu viva & nupta hunc peperi: qui vel in hoc limine vitae morietur, vel sine oculis & sine luce monstrum informe erit. Absolve beneficium tuum: &, qui dedisti matri vitam, domumque fundasti hanc, respice alumnae tuae infelicem prolem. Et nos accepimus a te beneficia, quae sentire nondum poteramus: ne vilior apud te fuerit filius matre, & vili femina vester hic sexus.* Talia quaedam precabatur mulier, stans forte ante foculum, qui curando infanti accensus erat. Aderant simul Isabella & Clara, illa quindecim annorum adolescens, haec puella quinquennis. Cunabulaque & pulvini, & fasciae inter eas parabantur: cum, ecce, subito procumbit puella, exclamatque: *O mater, mater! video D. CAROLUM puerulo nostro benedicentem: en, aperit jam iste oculos.* Praesens erat res: adspiciuntque & vident infantem claris, nitidis, hilareque scintillantibus ocellis: &, omni caetera deformitate protinus emendata, ex turpiculo atque odioso, elegans jam & amabile caput erat.

Jacobus Lomatius, ob imminuta Bacchanalia, & sublatos quosdam ex primo Quadragesimae die Saturnales ludos, infensus Cardinali fuerat, solitusque ferocibus verbis insectari vivum, ne defuncto quidem parcebat, dictitans, falli & errare homines simplices, quibus pro Beato & Sancto ille esset. Haec in circulis conviviisque exulcerato ob vecordiam suam animo cum jactaret, haud sane secundis auribus audiebatur: sed impune homini erat, quia nondum decreto Coelo, studiis adhuc privatis vel communi fama Divus, non publica religione, colebatur. Increpabant tamen vulgo intemperantiam ac temeritatem linguae istius: & modesti homines libenter inde refugiebant, quocumque ipse pervenisset. Mox increpuere mala hominem, & procul ab omni coetu removerunt. Nam febri, formicatione, ulceribusque repente correptus per quinque annos ita torquebatur, ut ferrum in remedia posceret, licenter acta aetate senex desperatus. Ipso D. Teclae pervigilio, asperatis vehementius forte plagis, cum ejulatu pene muliebri vagituque puerili, noctem inter tormenta egisset, postero die mane desperatione in spem actus, arripit grallas, seu fulcra quaedam subaxillaria corpori fulciendo, & reptando paulatim, in templum maximum (etenim haud longe inde habitabat) pervenit. Ibi ad D. Caroli tumulum effuse humi prostratus, stimulante dolore, absque verecundia ulla circumstantium, voce alta exclamare & precari ita est ausus: *Sanctissime, & Beatissime Carole, si tu is es, quem ego esse credo, piique omnes credunt: si aevo sempiterno frueris, tuaque apud Deum maxima gratia est: effice, ne laniatu dolorum ita absumar: fer mihi opem: eripe tot malis: eripe morti.* Haec ita precatus, lenito paulisper cruciatu, rei divinae interfuit, qua perfecta, surrexit sine dolore, sine ulcere, fulcimentisque abjectis laetum nuntium ad suos portabat. Audiebatur in templo, deinde in via, mox domi, per totum eum diem extollens D. Caroli magnitudinem & laudes, accurrentibus iisdem, qui obtrectatorem laudum earum hunc saepe increparant. Quamdiu postea vixit, pari admiratione & audiebantur verba ejus, & ipse adspiciebatur.

Ad Turrim Veterem, qui locus ab urbe quatuordecim millia passuum abest, Antoniam Geronam delegerant sibi Daemones, insederantque, ut in illud muliebre corpus odia exercerent, queis ab rabie & invidia concitantur in mortalium omne genus. Permissis desuper in colla habenis, nacti ibi potestatem, eluxarant mulierem, elumbarant, captamque membris omnibus detinebant, alienato etiam stomacho, ut vitam pariter, & alimenta vitae adspernaretur. Erat in manu patrui cujusdam sui, qui, adjecto ad D. Caroli miracula animo, sistere tumulo hanc saepe conatus, numquam id phanaticum caput movere ad urbem potuerat, reluctante occulta intestina Daemonum vi, qui retrahebant feminam atque inhibebant. Impositam denique carro, injecta in fauces stola pertraxit illuc, unde tamquam ab cladis & ignominiae suae loco refugiebat hostis. Postquam eo pervenere, concidit exanimis femina, & spatio duarum

rum fere horarum pro mortua habebatur. Deinde, velut e somno emersit corporis animique compos, mansueta, pia, nihil jam cum Daemone agens, qui procul inde ablegatus, vestigia cuncta tyrannidis suae simul abstulerat secum, & alligata illa membra liberarat. Atrociore injuria Daemon alius adolescentulam unam illudebat, quae sub D. Ursulae nomine professa virginitatem, & votivo coetus illius velamine obligata, re etiam ipsa tuebatur id muliebre decus. Plus constantiae & pudoris in virgine erat, quam ferre impura regna Inferorum possent. Itaque, sive immissus a Principe tenebrarum, sive impetu suopte percitus in hanc Daemon, cui provincia libidinum atque turpitudinis, quatiendo animo, expugnandoque decori, cuncta experiebatur, ac mille ad id figuras, & mille vultus induebat. Nunc ille lascivum Clericum, Fratremve protervum ore habituque ementitus sollicitare adolescentulam: nunc crista gladioque militariter ornatus adesse: corniculis etiam interdum, caudaque & rostro, & deformitate alia fateri, quis, & unde, esset, velleque misceri. Modo flagitiosas blanditias & peccare docentia verba admovere: modo minaciter atrox verbera & ictus: & fuit aliquando, cum violenter provolutam tentaret. Sed capitalissima res erat omnium, ludusque crudelis, quod liber idem ab omni concretione mortali, praecordia, & lumbos, & partes intimas foeda titillatione permovebat Daemon, facili per cuncta meatu, clausum & impenetrabile nihil pulsans. Forte dixerat huic virgini probus aliquis Sacerdos: non posse aliter ipsam hac molestia liberari, quam invocato D. Caroli auxilio: tumulum ejus adiret. Id secuta consilium, dum adversus impura ea tentamenta supplex exposcit opem, sensit accidere sibi divinas ad animum voces, quae dicerent, *Victum ac profligatum esse Tentatorem: & ejus victoriae certa rediret domum.* Ab hisce dictis, neque spectrum deinde ullum vidit, neque tentata est: ajebatque postea virgo inter aequales, vereri ipsam, ne parum meriti in conservanda virginitate haberet.

Marta, Antonii Vici filia novem annorum, cum ei a papulis, noto puerili morbo; stillans per sex deinde annos residuus e capite humor, exesa luminis vi caecitatem attulisset, vidit in quiete D. Carolum ornatu & figura, qua per singulas jam fere domos adoraretur. Is talia dicere visus: *Adesset postero die ad tumulum: inde cum magnae rei munere esse abituram.* Narrat deinde Flaminiae matri visa pariter & audita: haec socrum suam, nomine Camillam, rogat, ut eo ducere caecam velit. Iere neptis & avia cum optima spe, non magis ob nocturnam speciem puellae ipsi oblatam, quam quia nullus illic sine miraculo dies exibat. Nec relictam domi matrem spes de filia minor tenet. Ea mulieres non fefellit. Nam, cum aliquamdiu precarentur, & inter precandum, osculata lapidem puella caput attolleret, reluxit ei repente dies: nec vestigia ulla mansere prioris mali.

Angelo Montio, qui juxta templum maximum eo tempore habitabat, filia fuit pedibus foedissime retortis, ita, ut plantae in partem interiorem conversae, altera in alteram spectarent, pars superior expleret soleae vicem, & convoluta potius in malleolos caro, quam figura ulla humani pedis videretur. Hujus mater, sicuti sunt animi mulierum, deformitate filiae magis anxia, quam si, vel statim mortua foret, vel nata nusquam, pro ea votum vovit haud sane amplum pro magnitudine rei, quam expetebat. Quippe lumen unum tumulo se Divi Caroli accensuram. Accenderat id utique cum precibus lumen: atque ei statim voto persoluta merces, arcte tamen & restricte tamquam voventis angustiae castigarentur. Pes tantummodo dexter rite solideque compactus stetit. Addidit deinde voto munificentiam mater, & multiplicatis filia luminibus ad tumulum mittitur. Tunc paria Carolus egit restituto statim altero etiam pede, & confusis repentino decoro puellae incessu cunctis, qui ipsi viderant, quive audierant ab aliis, quemadmodum ea prius contractas deturpatasque plantas habuisset.

Francisca Crispa, in Vigentino suburbano pago extra portam, quae nomen inde habet, fuit, sumto D. Ursulae habitu virginem se ferens, & Cardinali ipsi olim nota, quia una fere Ursulinarum omnium erat haec, de qua minime dubitaretur. Laborabat sacro morbo, qui, quoniam ad pia ipsius studia, & exercitationes valde impedimento erat, precari a D. Carolo institit, ut depelleret eam pestem ab se, & daret deinde quidquid aliud ad animae fructum salutare esse posset. Inter hujusmodi preces concidit, viditque D. Carolum, & vocem ejus hanc audivit: Liberari quidem ipsam sontico morbo: caeterum, non defutura per omne deinde vitae tempus alia quae patientiam exercerent. Plane factum ita est, & excussa in perpetuum ea comitiali tabe, morbi alii successerunt.

Stupor apopleticus ita defixerat Antonium Bajum agricolam, ut quomodo corpora exanima tolluntur atque transferuntur manibus alienis, sic tolli transferrique hunc oporteret, quoties ob aliquem vitae usum moveri debuerat: alendique ejus causa, cibus in os tamquam fasciis involuto infanti inserebatur, quia torpebant immobilia cuncta praeter linguam. Hunc fabricata ad id capsa deportatum in urbem, tumuloque admotum, dum inter suorum vota, concipit etiam ipse preces quasdam, vigoris primo aliquid subito intravit, coepitque erecta paulisper manu aperire caput: deinde paulo plus virium in singula momenta subire ei, sensimque moveri totum corpus, donec ad extremum feretro exsiliret, quod postea ipse sublatum in humeros extulit e templo, pene ridentibus, qui introferri eum viderant, nisi quod novitas & magnitudo rei cunctis incluserat vocem. Fuerat autem iste quatuor annorum paraliticus, quod, qui sciebant, tanto magis admirati sunt. Non feretro ullo, vel capsa delatus in urbem est, sed pene furens frementque ob vim atrocissimi doloris, raptus impetu suopte venit unus, quo viso inhorruere homines, & qui venientem viderant, & qui spectavere abeuntem.

Frater Sebastianus erat, a Placentia Franciscanus, cum ejusmodi malis & agitatione corporis universi, partiumque singularum, ut tunc primum inter hominum morbos ea nata calamitas videretur. Adeo, neque talia exempla obversata mortalibus erant, &, sicuti nova omnia solent, is morbus in eo homine, recentem suam, & nullis antea experimentis delibatam vim ostentabat. Brachia, & pedes caputque ei tremulo horrore quatiebantur: simul vibrari intestina: palpitare cor: spumae oris, stridorque dentium adspici, & audiri: atque inter haec, allidere ille caput ad parietem, vel ad obvia quaeque veluti levamen dolori. Quater, quinquiesve singulis diebus tam infesta conflictatione corripiebatur: & binis ea ternisve horis durabat. Ac si tradenda res est vocibus iisdem, quae ex humani corporis miseriis ac sordibus, unde & nos orimur, fluxere: ajunt, eam fuisse symptomatum horum conditionem, ut non ante remitterent, quam profusio quaedam illa secuta esset. Patiens ista Pater, voluerat aliquoties quidem facere vota aliqua D. Carolo, idque tentarat: sed cognoverat senseratque experiendo, simul atque cogitationem ejus rei ingrederetur, asperari morbum, & fieri atrociorem. Ob id, omissa petendi auxilii destinatione, statuerat petere nihil aliud, quam vim roburque perferendo dolori. Id ipsum itaque cogitans, & mox, dolore superveniente, ab omni etiam cogitatione alienatus, rapitur, ut dixi, doloris ipsius violentia in urbem. Supplexque ad tumulum, ibi pa-

pariter aliquamdiu tortus & foede agitatus, tanto repente gaudio cumulatur, ut exclamaret ultro, se esse salvum. Liberque vere postea semper & immunis ejus mali fuit, sive, naturae vitia concitaverant tantos intra praecordia tumultus, sive, Daemonum artes & veneficia hominem eum illigassent. Vix enim credere est, ipsam per se naturam, quae alioqui adeo benigna homini fuisset, gignere voluisse mala, tamquam rabie & furore ad lacerandum hoc animal. Nisi si rectius interpretemur, rectorem, & hominis, & naturae, Deum, haec parare tormenta corpori, per quae melior conditio animorum fiat.

Sic & Beatrici Crispae, intra aetatem, quae ne cogitare quidem aliquid nisi innoxie ac simpliciter potest, acciderant cruciatus etiam in scelera truces. Filia urbani negotiatoris haec, orto sub dexteram mammam atque penetrante hinc ad praecordia ulcere, nec respirare sine summo dolore poterat, & evolvebatur ejus ulceris hiatu multa cum sanie ventus, qui facem objectam exstinguere posset. Cumque per aliquot menses assidue cresceret id malum, convulsa & mota suis sedibus ossa, contractique nervi corpus ita curvarant, ut caput ad genua pene demitteretur. Tum vero manante ab intestinis praecordiisque omnibus perenni humoris lue, non poterat indita per plagae os argentea fistula exhaurire sentinam, redundabatque in fauces, & egerenda inde erat. Sic affecta deportatur ad D. Caroli tumulum, & die eodem gratulabunda inter aequales puella conspiciebatur.

Nec innocentia aetatis, nec magnitudine mali dispar huic, puella fuit, quam ex Cavarniae montibus pater corbe aselloque devectam in urbem, tumuloque applicatam pari etiam miraculo reduxit ad montes, unde venerant stolidi ex vix fidentes Divo. Venere enim, non tam sua sponte fiduciaque permoti ulla, quam hortante Porletiae Praeposito, qui magna pietate vir Ecclesiam illam ab ipso Cardinale demandatam obtinebat, & ab agresti eo vix eblandiri potuerat, ut aliquid sperare vellet. Sed fuit Caroli clementiae hoc, etiam subvenire desperatis: ac rediit cum incolumi filia pater exsultans, ac celebratus postea hoc ipso, quod auxilium coeleste desperando impetrasset. Petrus, cognomento Nabon, is fuit: puellae nomen Dominica: aetas huic annorum duodecim: morbus ex quo convaluit, praeter totius corporis stratam humi debilitatem caecitas etiam oculorum. At non desperatio stoliditasve, sed in civili domo, etiam haud inurbana pietas, & accuratae preces, facilesque animi ad speranda ea, quorum exspectationem animus humanus haud caperet, deploratum unum aliud innoxiumque corpus commendavere D. Carolo, miraculisque ejus, & rem inde novam auditu impetravere.

Paroecia D. Michaelis nota Mediolani est, quae ad Clusiam dicitur. Fuere inter eos tribules, Joannes Baptista Moronus, & Veronica, par honestum, & in matrimonii vinculis, etiam pietate ac religione concordes. In multa, & alioqui non poenitenda prole suscepere filiam, quae natali nomine Joanna appellata, cum primum ab incunabulis explicaretur, tentatura pede humum, reperta est absque ulla compage, qua genua cruribus pedibusve crura in corpore humano committuntur. Cuticulae tantummodo nexu vertebrae cohaerebant, sustinendo corpori inhabiles, & procedente paulisper aetate, cum subsistere non posset, parte corporis ea, qua sedemus, incedebat, trahensque humi corpus evolvebatur. Parentes, adhibitis medicis, ubi remedia adversus nativum malum irrita esse acceperunt, inter se collocuti, statuerunt e Coelo petendam esse opem, ipsamque puellam, ad tumulum uti deportarent, consciscere. Quod cum audiret ipsa, gestiebat gaudio, ac pedibus illuc ituram se, ajebat. Statuto die tradita ancillae uni defertur ad templum. Sequitur hera cum parvulis aliis filiis, majusculis, minusculisve: simul eunt famuli, portantes dona Divo, in quibus vestem unam suam nuptialem offerre statuerat. Postquam intravere omnes, & procubuere, praeibat mater filiis caeteris verba, quae recitare deberent: & precationem quotidianam cum Angelica salutatione recitavere, vocibus elatis ut audirentur. Interim exceperat se puella in pedes, & cursitando circa tumuli cancellos vocabat hilare matrem, ut stantem se pedibus & vadentem intueretur. In hunc modum sanata adolevit, & suo tempore nupsit, monstrata diu, donec ipsa pariter, & sermones, admiratioque hominum consenuere.

Haec & alia similia, vel etiam majora istis ad tumulum quotidie fiebant, sanandis mortalium morbis averruncandisque calamitatibus, annuente scilicet Deo, ut sequerentur honores tanti Reliquias & ossa hominis, qui divinae gloriae causa vicissim tam multa ultro pertulisset. Sed singula, quemadmodum initio destinaveram referre, supersedeo, quia subit animum vereri, ne obvia casuum similitudine, ac facietate, in miraculis etiam animi legentium fatiscant. Nec minora interim evenere commendatione ac favore imaginis Divi ipsius, quacumque ea pie adoraretur, lineamentaque illa, & sacri vultus, alibi scatebant miraculis, alibi miraculum ipsa imago erat, per signa evidentissima praesentesque commutationes admonendo praeterita & futura, tamquam voce concionaretur. Monasterium S. Agnetis, virginesque eas, salutis ipsarum, & disciplinae causa, cum ab regimine altero transtulisset in numerum formulamque Monasteriorum aliorum, quae Archiepiscopo gubernantur, nonnullae Matrum earum, partim ignarae, quae sibi hinc bona pararentur, partim novae consuetudinis impatientes, valde tumultuatae erant: nec dum apud universas exoleverant prioris vitae desideria, subdebatque aliquando faces Daemon, etiam adversus Censoris ipsius memoriam & nomen. In eo Monasterio tale quiddam evenit.

Radegunda Poliasca, laudatissimis inter eas Virgines moribus, habebat parvam icunculam, praeferentem Caroli os & vultum, quam poterat proxima similitudine: nam germanam veramque similitudinem oris ejus nulli umquam artifices expressere, quia ipse pingi se noluit: & plastarum errores in mortui faciem peccavere gypso. Icuncula tamen haec quam proxime accedebat. Eam virgo crystallo includendam forte alicui dederat: cumque, absoluto opere, per artificem ad Monasterium relata, gregatim, ut fit, sororibus adspiceretur, tenebricosa nubecula in earum conspectu, offudit sese crystallino nitori, & totam Caroli faciem abstulit intuentium oculis. Eae quidem linteolis & sudariis abstergere conabantur obscuram eam caliginem: sed tanto denisor sedebat. Cum attonitae starent, subito resiliit ab ea sede nubes, & glomerata paulisper in altum descendit rursus, & figuram speculo impressit humani cordis, quae aliquamdiu spectata, desiit apparere, & evanuit in auras. Secuta interpretatio est: offusas caligine fuisse Virginum mentes, tunc, cum ad salutaria Parentis & Archiepiscopi sui monita caecutirent, & sibi tamen ipsas adhuc esse cordi: huc spectasse cor illud, huc spectasse nubem. Septimo post die, quam ea res acciderat, sanatur hujus imaginis virtute candida Francisca Fortia, una Virginum earum, quam velut coelestium irarum exemplum sibi propositam esse sorores autumabant, ob veteris contumaciae culpam, qua Cardinalis olim auctoritatem repudiare tentavisset, cum nova instituta Monasterio, novosque Rectores daret. Et quoniam ipsa quoque suspicabatur, intercepto, per corporis infandas labes, omni caetero vitae fructu, ad nihil aliud sibi relictam esse particulam spiritus aerumnosi quem traheret, quam ut ludibrio caeteris exemploque esset, sic exhalare modicum illud cupiebat, quomodo quilibet nostrum id pro-

producere semper cupit. Trunca & manca & immobili stupore affixa lectulo, cum D. Caroli imaginem ab sororibus sibi admotam, quo uno poterat animi motu & sensu, appellaret, permeante illico venas artusque omnes leni aura, vitale quiddam recepit, quo recreata, vitam jam quoque ipsam optare incipiebat. Jam allevaverat oculos: jam tantum spiritus viriumque erat, ut, & intueri icunculam, & vota precesque concipere posset. Paribus momentis, & votorum calor augebatur, & corpus intrabant vires, & contracta, sive mutilata, atque exesa membra pristino decore componebantur: finisque in eo fuit, ut eadem nocte exsurgeret ad Monasterii munera virgo, cui funus in posterum diem parabatur.

Nondum alter ab hoc miraculo dies exierat, cum in vicino S. Mauritii Parthenone, quod Monasterium Majus dicitur, picta pariter effigies Divi ejusdem, casu pene majore nobilitatur simul, & virginum earum nomen tanti divini muneris fama nobilitavit. Paula Justina Casata, per octo annorum paralysin dissoluta, & pene emortua erat, non si ferro, non si igni tentaretur, argumenta ulla vitae respondebant: odor etiam manabat qualem corpora humana mittunt, ubi pars melior inde excessit, ejusque discessu putruere. Et exanime sic fere caput quatiebatur utique vi tanta, ut duae sorores id amplexae manibus aegre continerent. Medicorum, qui super ea re interrogati sunt, in quaestionum tabulis verba exstant: si Regina fuisset haec, non potuisse remedia plura efficaciora conquiri, semperque medendo, rem factam esse deteriorem. Applicata huic effigie Cardinalis, & capiti genisque subjecta, revixit illud exsangue corpus, & impletis etiam postea sanguine venis, rediit robur quantum virgini satis esset. Nomina rerum, & quotidianae precationis verba lente perdiscenda ei de integro fuerunt, tamquam parvulae infanti.

Aurelia fuit Antonii Cabiati uxor, in Paroecia Sanctae Mariae, cui cognomen, a Bello tractum, manet ex eo, quia Catholici Mediolanenses olim ibi adversus Arianos commode rem gessere. Natum ei mulieri erat in sinistro crure ulcus, quod celeriter serpendo penetrandoque usque ad ossa, & haec, & carnem vorabat, intendebanturque vicina, & intumescebant obmutescente muliere & deficiente anima ejus. Id quidem carcinoma esse, medici affirmabant: sed & theriomatis faciem praeferebat. Adusserant ferro, scalpelloque exsciderant, ita quidem, ut & adusta protinus concitarentur atque increscerent, & excisa post inductam cicatricem tamen reverterentur. Odor interea saevus adeo intolerabilisque erat, ut affirmaverint Chirurgi, dum a viva corruptam aliquam partem resolverent, carnemque vitiosam secarent, se pene odoris ejus tristitia esse exanimatos. Adspexerat forte Divi Caroli effigiem, seque complorans ei supplicarat: & postero die incolumis fuit absque plagarum sinu, absque vestigio & cicatrice ulla, crure etiam ad justam longitudinem exporrecto & demisso, quod nervorum contractione inaequaliter pendebat.

Conjungam uno capite, trium feminarum memorandos admirabilesque casus, quas feminas urbs etiam & Imago una, & unius hominis manus, vitae beneficio conjunxit. Clara Boccola, Catharina Bigona, & Elisabeta Burga, Cremonenses fuere, prior ob veneficia tabescens; altera fracto lethaliter capite: tertia vitio locorum immoriens capitis doloribus, cum tam diversae partes, nobilior haec, & male nominata illa, nota inter mulierculas contagione communicarent malum. Exsolvit sanavitque singulas D. Caroli numisma, quod Barnabita Gabutius in ea urbe Rector Ordinis sui apud se habebat: vulgoque petendae salutis causa eum adibant.

Bononiae vero etiam sacra una Domus unumque Virginale collegium vidit revocata repente ad bonae valetudinis fructum, vitaeque hilaritatem quatuor Monacharum corpora, quas perpetua capitis inquietatio & dolor, quas ulcera intestinorum, fracturaeque stomachi, & hiatus, & fastidium alimentorum, & argumenta alia vicinae mortis ab natura prope & vita abdicarant. Nomina his: Augustina, Ludovica, Jacoba, & Seraphina, quae totidem gentes unde erant, Bonfiliam, Gozadinam, Boccadeliam, & Mingantam, una cum ipso Monasterio prius calamitate funestas, postea muneribus acceptae per D. Carolum salutis, insignes fecere. Monasterium D. Mariae Angelorum fuit: & effigies ipsa Divi monstratur ibi adhuc, cujus praesentia & favore memorant istas exemptas fuisse morti. Ticini Angela Botigella magnis articulorum doloribus, & in eodem agro Melchior Bariola quinquennis puer intestino prolabente, & Bergomi ramicosus insuper atque herniosus alius Januario Foresto patre puer, qui, sicuti affirmant, jam spiritum exhalarat, & Mediolani Anastasia Magia, quam Daemones arreptam, triginta septem annorum obsidione vexarant: hi omnes, adorata imagine, Sanctoque invocato, depulere, quas dixi, miserias: vitam & libertatem inde acceperunt.

In Polonia quoque proventus miraculorum ab eadem effigie nihilo minor fuit, initio orto ab Anna Miscovusquia, e Primoribus Regni. Nupta haec Comiti Joanni Branixio, Praefecto arcis Biecensis, sive corporis habitu, sive per veneficia contraxerat morbum velut arte adhibita temperatum ex omnibus fere malis, quae per aliquot jam tristes pagellas, & funesta capita peragimus. Et fuere insuper ei propria mala ipsius, quae necdum morbosi nostrates Divo Carolo sananda obtulerant, & gloriae ejus adhuc talia subtrahebantur. Servum habebat Italum forte hominem, civitate Bononiensem, cui Rinaldo nomen fuit. Is Bononiam ob negotia profectus, cum rediret inde ad heram, tulit ei D. Caroli imaginem, Felicis Riariae munus, accepitque Polona in suo luctu haud paulo laetior animi, quam si quodlibet aliud ex divite artium Italia pretiosum opus ille attulisset. Suspensam juxta cubile effigiem hanc inter gemitus & tormenta adorabat omnibus horis, non quidem remedium adversus insanabilia mala, sed animi robur, ut ferendo esset, petens. Vehementius id forte die quodam poposcerat, addideratque preces: ne se ad culpam aliquam desperationis prolabi pateretur, ob quam, in alterius vitae poenas etiam, hinc praecipitanda esset. Atque id quidem, quod cum aliqua fiducia precabatur, jam inane erat: quod vero non cogitabat, obtinuerat, ut & omni repente dolore careret, & in posterum corpore ad omnia renovato uteretur. Pervasit deinde ab muliere hac fama, simul & virtus Imaginis late per id Regnum Aulamque totam, pervagando capita & domos, ut cuique mala aliqua essent inexsuperabilia remediis humanis, & asperata dum sanantur. His elephantiasim, & phagedenas ignesque sacros abstersit: illis naturae injuria deformatas sive vitiatas aliquas partes emendavit. Restituit aliis oculos, & ulceribus absumta membra, corpusve totum: aliis refudit pene vitam quam exhauserant febres, morbive caeteri magna ex parte exturbarant. Ad Regem quoque ipsum pervenit vis mirifica imaginis, cum dolores dentium insania & rabie Majestatem agitarent. Quae omnia, testato descripta Polonus Romam misit, cum Regum Gentiumque consensu peterentur Carolo templa & arae, summusque honos, & Divi nomen. Petiere quatuor Reges, Reginae totidem, & Reguli Provinciaeque omnes & Liberi Populi, quacumque juncta Catholicae Religioni etiam urbanitas in Superos, & Romani commercii pars, augendique Coeli gloria quaedam & voluptas animis sederet. Sed praecipua & flagrantissima effla-

efflagitatione petiere Populus Clerusque Mediolanensis, & Episcopi Provinciales, & Cardinales ipsi, publice scriptis epistolis, missis semel iterumque legationibus, & dictis in Senatu sententiis ad spem obtinendae consecrationis haud sine certamine prosecuti Parentem, Archiepiscopum, Collegam. Sub Clemente VIII. primum studia haec hominum mota sunt, isque rem promte inchoarat. Morte deinde hujus, & postea Leonis XI. ad Paulum V. pervenit initium rei juxta & finis; de quo Pontifice merito dubitatum est, plusne splendoris ac dignitatis actioni ipse adjecerit, an propter splendorem amplitudinemque Pontificatus actio etiam ipsa magis ei conveniret.

# JOSEPHI RIPAMONTII

*CANONICI SCALENSIS*

ET

*CHRONISTAE URBIS MEDIOLANI*

# HISTORIAE PATRIAE

## PARS TERTIA,

*Continens*

LIBROS, a XVIII. usque ad XXIII.

*IN LAUDEM*

# FEDERICI BORROMAEI,

*ET*

# JOSEPHI RIPAMONTII

## EJUS HISTORICI;

*Jacobus Valerius, Canonicus S. M. Scalensis.*

HIstoriam, Federice, tuam Ripamontius edit,
Cujus in ore lepos, culta nitetque charis.
Laus tua digna fuit tanto praecone: nec ille
Grandius invenit quod celebraret opus.
Ille decus patriae: hanc sanctis tu moribus ornas,
Et meritis imples factus in Orbe jubar.
Amborum nomen fama super aethera notum
Celsa coronatis gloria portat equis.

*In bene expressam Imaginem*

# JOSEPHI RIPAMONTII

## MEDIOLANENSIS HISTORICI.

*IDEM.*

CLarus hic est Scriptor, clarus quoque Pictor in arte,
Et patriae fulgens hic decus, ille jubar.
Ille patrum bene panxit Opus, bene pinxit & iste
Historici nobis ora verenda senis.
Pictor in hac facie Coo par fulget Apelli,
Par micat ut magno Scriptor in Orbe Tito.

*In Mortem*

# JOSEPHI RIPAMONTII

*Jo. Baptista Rusca, Collegii Ambrosiani Doctor.*

TAntum, Parca, nefas! quo tot post funera vivunt,
Ausa es tu tantum perdere, Parca, virum?
Flete, ô magnanimi Heroes: Ripamontius ille,
Quo aeternum stabit gloria vestra, jacet.
Tu tanto heu quondam felix Insubria Cive
Omnium in unius funere fata geme.
Quot tibi Mors rapuit, tot reddidit ille superstes:
Nunc qui restituat te tibi, nullus erit.

*In Calamum Auctoris.*

*IDEM.*

VItae Altrix, Mortis Vindex, magnique Josephi
Fida Comes, quo te nomine, Penna, vocem?
Tu ne alis Famae divulsa es Penna sonoris?
Fallor; es Angelici coelica Penna chori.
Ensis es: ast una reddis, quibus eripis, annos:
Fulmen es: at tonitru deficiente micas.
Clava es, dum tumidam Livoris conficis hydram:
Hasta es, Palladia sed jaculata manu.
Si facis exstinctam Heroum revirescere famam,
Alipedis Virga es prodigiosa Dei.
Quidquid id est, hoc Orbis habet: tu major es Orbe,
Quo te igitur digno nomine, Penna, vocem?

Pag. 927.


humylitas
humylitas
FEDERICVS BORROMÆVS
Card. Archiepiscopus Mediol.
Incisas quas ære notas, quos patria vultus
Spectas, ſunt civis nomen, et ora tui.
Grandia facta legens posthac mirabere pingi
Humano melius non potuisse virum?
Sic tamen ars, dices, volvit pinxisse fedricum
Ne divina legens crederet esse deum.
Stephanus Sclatter


IOSEPHVS RIPAMONTIVS
Can. Scal. Chroniſta Vrbis Mediolan.
His vivit ſpiratque umbris cvi posse negarunt
Scripta mori, huic vita est funus et umbra dies
Ars tamen elinguem finxit vocemque dedisset;
Auctoris nimium ni loqueretur opus.
Stephanus Sclatter

*In elegantiſſimas Hiſtorias*

# JOSEPHI RIPAMONTII.

*IDEM.*

VOs Sacri Proceres, vos Martia pectora teſtor,
Queis Mediolani publica facta ſalus:
Multa licet veſtri Patriae peperere labores,
Attamen ingenti nocte ſepulta jacent.
Sed tenebris lucem calamo Ripamontius afflat,
Diſtinctiſque aperit ſacra, profana locis.
Si bello, & pietate places, Inſubria; utrique,
Joſephi e calamo pompa, decuſque venit.

*In idem argumentum.*

*IDEM.*

MAgnum opus aggreſſus magno Ripamontius auſu
E Patria geminam depulit Urbe luem.
Barbaries, Aetaſque ſimul corruperat Urbem,
Haec tenebris ſqualens, foedior illa ſono.
Macte tua virtute Joſeph: lucem accipit Aevum,
Romano per te diſcimus ore loqui.
O quantum fecere mali tot ſaecula nobis:
Sed tua plus nobis profuit una manus.

*Ad vitam, & actiones*

# FEDERICI BORROMAEI

ab Auctore deſcriptas;

*Auguſtini Terzagi Oblati, & Praepoſiti Nerviani.*

SAecula Neſtoreae dignus vixiſſe ſenectae,
Ductare aeternos & Federice dies.
Expertum luget ſeptenis Patria luſtris,
Purpurea octonis Romula terra toga.
Ambroſia jam cui currebant flumina lingua,
Factaque coelitibus concelebrata choris.
Te tua Metropolis, te Clerus, mixtus & ordo
Suſpirat, tumulo vota, preceſque facit.
Cenſores Urbis ſtatuas, Pariоſque coloſſos
Struxiſſent, ſtaret queis tua fama diu.
Ripamontaeis ſatius miracla loquelis,
Exſtabunt, illo vindice Caſtor eris.

# JOSEPHO RIPAMONTIO

*VITAM*

# FEDERICI BORROMAEI

HISTORICO SERMONE EXARANTI.

*EJUSDEM.*

INdigetes chartis promptus mandare diſertis,
Defunctos tumulis & revocare patres.
Hiſtoriae artifices deterrens voce futuros
Devia pervadis clauſtra voluminibus.
Nunc juga Muſarum, nunc altum Helicona recurris,
Dum Borromaei Praeſulis acta canis.
His fugies ſcriptis ingratae flumina Lethes,
Inque viri tanti laude ſuperſtes eris.
Ambroſii, & Caroli renovas compendia terris,
Doctaque non poterunt haec monumenta mori.
Stabitis aeternum, Federicus, laudis & Auctor,
Tu, quia grande tonas, tu, quia grande facis.

# J O C U S
## IN IMAGINEM AUCTORIS;

*Stephani Sclatteris.*

Historicum pinxit veritus ne pingere Pictor
  Historiam posset, pinxit utrumque tamen.
Fallitur ingenio, quod, cum pinxisse putaret
  Ora RIPAMONTI, pinxerit Historiam.
Artificem praevertit opus: sit sic ut utrumque
  Pingere cum nollet, pinxerit arte duos.
Historicum voluit sic cum pinxisse JOSEPHUM,
  Historiam pinxit, pinxit & Historicum.

# A N T I T H E S I S
## IN AUCTORIS ET PICTORIS OPUS.

*E J U S D E M.*

Lusit ut arte sua Scriptor, sic ludere Pictor
  Arte sua didicit: Ars tamen Arte cadit.
Vertit in Historiam Pictor, sic Scriptor in Artem,
  Historiam vertit, vertit Uterque suam.
Ars cadit Arte pari. Dispar sic Auctor uterque
  Tam bene finxit Opus, quam bene pinxit Opus.

---

## ILLUSTRISSIMIS VIRIS,
# PETRO GEORGIO BURRO,
## URBIS PRAEFECTO;
## ET LX. GENERALIS CONSILII
# DECURIONIBUS;

Stephanus Sclatter, felicitatem.

*Cum publica auctoritate vestra mandaretur mihi, Illustrissimi Viri, nutuque etiam privato Hieronymi Legnani, Gravissimi Decurionis optimaeque eruditionis Viri, (cui supra politicarum & civilium litterarum notitiam, & animum semper commentandi studio erectum, pensumque majus aliud conficiendi scribendique novi quotidie aliquid, quo vel labores animi perficiat, vel finitos jam & perfectos novo opere excipiat, addita quoque privatis hisce negotiis rerum publicarum cura solertiaque, nunc antevertendi consilio, nunc voce sua avertendi obvias Patriae calamitates, quae studia scriptaque plane prototypa visa peritioribus, uti miris semper artibus tecta & clausa domi continuit pudore suo & contemptu laudis, ita postremo posita verecundia & rubore victo, blandiente naturae dulcedine illa, qua publicis bonis ipsas quoque litteras accommodaret, inter seria miscere voluit, & veluti ludicra Musarum lugentium oculis aperire alteram, vos, virtute cognita, & externam hanc curam adjecistis, recognoscendae, scilicet, historiae, instruendaeque, aut decernendae editionis eorum, quae communi luce digna censuisset;) mandaretur, inquam, mihi, ut statim post Ripamontii fatum, servato ac repetito ordine narrationis, quam instituisset Auctor, alteram demum novamque editionem adornarem, operique successivo praeessem, in quo BORROMAEI prioris Originem & Pontificatum tradidisset, strenue in eam partem incubui, ut destinatione vestra nihilo segnior daretur eventus. Atque ita res evenit, ut, me quoque laboris participe, & haud remissiore artificum opera confici absolvique potuerit, prodieritque pene sub anni finem, tunc, scilicet, cum lectissimi & praeclarissimi viri Marchionis GALLARATI Praefectura desineret, (cujus nomini dignitatique opus alterum ab Auctore inscribitur, uberiore stylo, sed tracta tamen in compendium laude Majorum, qui belli pacisque artibus claruerunt, quae laus, si minus ambitione Scriptoris anticipata, at saltem hac destinatione maturior meis vere gaudiis intercessit, & tempestivam hanc mihi gloriam praeripuit recentia & vetera domus ornamenta persequendi, sera tamen & opportuna narratio uberiorem fortasse commendationem dabit,) cui id ita placuerat, ut vergente jam anno, annuaque Vicarii dignitate, saltem id opus expleretur. Statimque divinatione intellecta, & congruente in id temporis apta studiis aetate, laborique ferendo, atque omni alia usui opportuna cura annue-*

*annuerant sapientissimi Decuriones, jusserantque, ut, quanta possem diligentia, & celeritate majore, quam ferat opera cudentium, & istis semper amica & nativa socordia, urgerem opus & ad exitum perducerem. Et sane existimarim ego capita haec Decurionum & magnas urbis Animas voluisse hanc Scriptori suo gratiam reponere, ut de ratione formaque edendae Historiae Patriae, exituque, consilia inirent simul, simulque agitarentur, aut fortasse gloriae dulcedinem hanc fructumque praesensisse, ne magnis Vicarii laboribus, immo ne tanti Scriptoris laboribus justum morarentur eventum. Interim, dum Historica pars haec excuditur, dum prodit, dum civium manibus teritur, simulque legentium famem acuit, ego, recentiora subinde moliendo, per quae magis Historica mens recreetur, magisque civilia explèantur ingenia, statim ad ea colligenda componendaque redeo, quae mixta inter se, &, veluti confusa, manebant. Seu enim monumenta haec turbarit confuderitque custodientium incuriosa diligentia, sive superstitum etiam, quos dolor confuderat nulla prope rerum istarum cura, aut certe nulla, seu orbitatis atque silentii pudor confundi ista turbarique permiserit, seu, quod verius existimo, intercepta etiam Scriptori divinatione rei, quam parabat, nobis illa Auctor confusa reliquerit; utcumque res fuit, certe in nostras patriaeque manus confusa venerant, interrupta saepe narratione, aut subductis etiam iis, quibus Historiae quasi filum necteretur, planeque obluctandum mihi fuit, tum componendis continuandisque paginis cum ordine earum inveniendo. Et facile studium hoc & laborem abruperat desperatio, nisi alio & quasi novo studio animum adjecissem interpretandis & inveniendis scriptis aliis aptioribus, iisque comparandis, quibus melius Historiae corpus coalesceret. Sed dum sterilis hic, & quasi jejunus labor impenditur evolvendis aliorum pensis, arteque etiam tentantur bibliothecae & scrinia eorum, ad quos vel similitudine virtutis, vel communione studiorum, aut caetera omni alia familiaritate, viceque praesertim illa, qua prudentiores sua quaeque prudentioribus conferunt, haec Historica cura pervenire potuisset veluti sponte sua (quod saepe fit) dum nihil tale in mentem venit, & remotiora saepe fingimus domestica negligendo. Ex inclyta Vicecomitum domo prodiit opus integrum, ordineque & syngrapha meliore, consentiente etiam operi pudore illo, & verecundia silentii, quod FEDERICI BORROMAEI vitam, gestaque pressisset adhuc. Neque aliunde prodire potuit, aut debuit, quam unde prodierat prior Heros ab materna hac quasi domo, virtutem indolemque trahens, & alter hic proximus priori, tum comparatione sui, cum alterius imitatione daturi semper tantam scribendi materiem, quantam exsequi Scriptores haud possint, manente illa semper Borromaeorum & Vicecomitum cum animi conjunctione, tum disciplina virtutis, quae familiam utramque misceat, & veluti duarum gentium absimilem patriam, regnum idem, efficiat similitudine atque imitatione illa, qua domus unius virtutes alterius loco accipiantur. Unde & Vicecomites isti, qui BORROMAEO utrique superfuerunt, praecipueque Marchio VERCELLINUS MARIA, non tam superstes gloriae, quam litterarum animique haeres modo dignus habitus, qui alios haeredes sui relinquat alio imitatione traducta, &, ab archetypo in exemplar desinente, forma (quamquam Viri hujus Equestris seu politica virtus non ea sit, quae transmitti tradique aliis possit desperata successione, speque imitationis amissa) arripere exempla potuerunt, condereque animo, & seponere rapta semina virtutum, gestaque, & istorum memoriam semper aliquam custodire. Quorum exemplo, uti majori Reipublicae parvae quandoque dominationes exemplo esse possunt patria haec, aemulatione pari profecit, sumptuque publico suorum civium monumenta servari jussit. Igitur, hoc ab Vicecomite opere impetrato aut exhibito, redeunte in animum alacritate priori, non minorem impetum attuli prelo huic, quam qui a me superiori allatus est, eoque animo accessi, ut maturato exitu anteverterem exspectationem vestram, votoque publico praecurrerem. Sed, uti fit, fefellere diligentiam aliorum studia curaeque, praesertim eorum, quorum arbitrio hujus operis Editio pendet, licuitque cussoribus ipsis & interpolare laborem suum, mihique, suscepto negotio, supersedere. Re tamen antecapta, eventuque praeparato, aptisque & dispositis ad celeritatem rebus omnibus, factum est, ut avaritia temporis, &, foenore adaucto, tarditatem hanc, moramque redemerim, justoque ac destinato exitu rem persolverim. Neque tempestivius opportuniusque absolvi potuit, quam eo, videlicet, tempore, quo tanti Vicarii titulus emineret operi, fronteque sua liber magnum & capax PETRI GEORGII nomen praeferret, (cujus ego factaque nobilissimae Gentis in parte hac libenter ponerem, nisi & satis jam per se nota conatum omnem dicendi vincerent vires, supergrediente semper stylo majore fama, & tam ingentia viderentur mihi, quae mole sua opus integrum Historiae dare possent) Ordinique gravissimo exhiberetur. Quo nomine, tituloque semper hae litterae gloriabuntur, aeternumque decus manebit, quicumque in tam grata Patria tantorum civium nominibus labores suos inscribent. Caeterum, cum dulcedine praesenti caetera avidius sitimus, tum vinculo nexuque illo, quo isthaec nectuntur, aliis successione sua, tum illa semper animi curiosa contentione, qua recentiora vehementius insequimur, vetustiora praetervecti, super illud etiam, quod priorem hac alteram, & parem huic fortasse narrationem attuli, tum delectabili varietate casuum ab octavo decimo ad trigesimum octavum annum perductam, quamquam, intersistente quandoque serie rerum interruptam cum illa semper politica tractandi Principumve causas historica facilitate, quae, vel continuata, vel interjecta folia, veluti in fascem a me conjecta qualecumque opus, dignum tamen magnitudine vestra, obtuli vobis, remotiora fortasse quaedam etiam eruentur, manibusque legentium subducta cum raritate ac nobilitate sua, tum custodientium avaritia, quae parta dein eventu sane felici in publicum educentur a nobis liberalitate eadem, qua tanti operis aestimatores Patriae tradidere, nosque munus accepimus dignum sua, dignum largitoris munificentia, cui merito civitas acceptum referat. Quae, si minus inter Scriptoris adversaria confusa deprehendimus, at certe extra lucem posita jacuerunt attentius haec, propiusve intuentium dolore, quorum nos, si licuerit, vel squalore deterso, vel etiam oblivione excussa, famam, usumque revocabimus, porrectis, ubi opus fuerit, insuper obelis, & excurrentibus toto margine notis, atque indice adjecto, quo res auctior labore, cultuque novo, & compendii brevitate facilior delicatis ac peritis oculis occurrat.*

# AUCTORIS ARGUMENTUM IN OPUS, QUOD DE FEDERICI BORROMAEI *CARDINALIS VITA INSCRIBITUR.*

IN principio operis, quod memoriae, atque honori FEDERICI BORROMAEI Cardinalis, & Archiepiscopi, destinatur, licet mihi praefari, quomodo nullus ante me Scriptor in suo opere praefatus est, & quomodo nullus fortasse etiam in posterum profiteri de se poterit, aut volet. Veneram adolescens in notitiam, disciplinamque Cardinalis hujus: in familia illa, servientiumque grege consenui. Servitudo ad ultimum usque intima, & sorte mea quadam nutu divino plena laboris, atque sollicitudinum fuit, quantascumque, scilicet, haec otiosa, iners, immo & obscurior vita capit. Atque haec pignora fidei legentes haud sane parva habebunt, ubi magnae virtutes, & magna hujus Viri facta memorabuntur. Caeterum, neque in partem alteram flecti mihi a vero perturbatione ulla animum potuisse, tenor, exitusque, & constantia narrationis indicabit. Consilium autem, & causa scribendi de Cardinale hoc, & Archiepiscopo, cuncta fusius non una mihi, neque simplex fuit. Nam Pontificis utique vitam narrari tradique venturis hominibus, pars utilitatum publicarum, pars etiam gloriae humani generis, atque aetatis, & Urbis praecipue nostrae erat. Nec muneri aptior me uno quisquam: immo, profecto, nec perinde aptus, ob rude, simplexve illud, quo res ista proprie indiget, noscenda tantummodo, scilicet, atque exponenda. Eorum, qui pariter una mecum assuevere Cardinali, quive consilia ejus, & arcana, animique habitum, & formam universi Pontificatus, majore etiam solertia, jure familiaritatis eodem notare potuerunt, altiora quaedam studia fuere, atque alios alio, sive natura ipsorum, sive Heri judicium tulit, cam suas in re litteraria partes unicuique nostrum ille assignaret. Me nihil aliud quam artem integre, pieque factitare hanc, & inservire memoriae rerum jusserat. Cumque centum triginta Archiepiscoporum vitas, & Ecclesiae hujus omne aevum quadraginta libris explicaverim: posse, ac debere videor laborem etiam hunc obire extremum, ut, sub quo Annalium monumenta fideliter, atque innoxie tractare ita didiceramus, ille ipse fidei, innocentiaeque hujus experimentum fiat, feratque fructus hujusce partem. Et nostrates quidem facile mihi concedunt, sive potius etiam ultro monent, amabiliterque hortantur, ut scribere velim. Externorum vero si quis forte exsequi nunc eadem volet: nequaquam ille ausus sit facundiam, artemve suam conferre, sive cum triginta annorum familiaritate, & vigilia, qua Cardinalis animum, & instituta omnia intime ego, atque attentissime speculatus sum: sive cum altitudine ipsa, qua ornatum omnem res haec tota adspernatur. Proinde monitos etiam velim iterum eos, qui ornare ista, & augere solent, ne quidquam a nobis tale requirant. Ad illa potius pro se quisque mihi intendat animum: qui viro quaesiti gradus in Coelum: quae itinera virtutum ejus, consiliorumque viae: quae his etiam interjecta studia, litteraeque, & ingenii artes, dotesve animi, qualia si Pastori Populorum absint, ne tota quidem constare sanctimoniae laus potest. Procedente interim narratione simul, & apud legentium animos dulcedine contemplandi, videbunt Cardinalis hujus cum D. Carolo similitudinem, & pulcherrima divinitus comparatione compositos inter se Patrueles, vestigiaque impressa vestigiis, & rursus diversitatis quodammodo nexum, cum duo familiae ejusdem Cardinales, & Archiepiscopi Urbis, alius alia via: ille severitate, ac rigore, hic adjuncta ad rigorem etiam amabilitate Patriam excoluerint, auxerintque, & demum supergressi ipsi mortalitatem, in Regna sempiterna beata subducti fuerint: quod de altero jam scitur: de altero scire, ac divinare exspectatio publica audet. Alterum Avunculi Pontificatus, & humani generis imperium, totaque Juveni tradita moles, & spes, & fortuna domus, & omnia, quae ad proximos ex Pontificatu pertinent, effuse delegata ei & repudiata majore animo, velut inseruere sanctis, animamque monstravere ex corpore eminentem in Coelum, Coeloque destinatam. Alter hic in eadem magna domo puer, adolescens, juvenis, mox Cardinalis, & Patriae Archiepiscopus, pariter congestis in eum opibus, pariter sensuum, opumque contemptor, par est Patrueli habitus, & eodem tendere passu ad Superos iidem illi pronuntiavere, qui & fuerant Divi Caroli juventae spectatores, & vestigia ingressumque hujus notabant. Caetera Borromaei hujus, a priore Borromaeo per totum vitae tempus, ad extremum usque, partim diversa, partim institutis disciplinaeque ejus, fraterna, & germana reperientur: idque discrimen etiam haud sine jucundo, pioque sensu passim occurret eis, qui monumenta temporum, vitaeque ejus inspexere aliquando, & inspicere hujus volent. Ille, quia populum, & Clerum tot per annos molliter licenterque habitum ad duriora vertebat, durus, asperque creditus fuerat. Hic, quia composita cuncta per illum in modestiae, pietatisque frontem reperit, facilitatem etiam potuit, clementiamque negotiis accommodare. Et neutri tamen, aut severitas amorem, aut mansuetudo auctoritatem diminuit. Rursusque sicut illi in medio rigore non abfuit paternum ac mite quoddam: ita hic nequaquam temperamenti indigebat, quo lenitatem insitam, prout negotia, ingeniaque hominum postulabant, ultro interdum asperare posset: famaque inde asperitatis etiam eum secuta est. Neque solum habitu animi, parteque morum ista sic inter se variavere Cardinales, Archiepiscopique duo: sed Federici tempora, nonnihil etiam inter se variarunt, & quamdam ejus animi differentiam, notabileque discrimen injecere. Nam inter primordia Pontificatus, quam fervidus, atque acer ipse fuerit, indicio erunt

erunt totis peragendae voluminibus contentiones, quas cum altero dominatu habuit: taliaque semper in magnis, parvisque Civitatibus fuere jurgia, & erunt, donec pars utraque tueri sacrorum, aut imperii jura sic volet. Ecclesiastica haec sine armis, & sine sanguine bella, segetem molemque discordiarum, quae negotiis, & periculis, & strepitu cuncta complevere, adiit ille primis annis alacrius, & vi majore: deinde sublata occasione remissius aliquanto placatiusque per aliquot annos. Extrema vero fere quieta & vacua ejusmodi certaminum legentur. Quippe, firmata jam Apostolico nutu concordia, pacem, otiumque praestabat. Regiique Magistratus ultro, tum aequitate sua, tum ob Regis praecipue mandata, quotidie leniter aliquid de pristinarum contentionum diligentia remittebant. Docuerant etiam experimenta Cardinalem, senseratque Ecclesiae rerum, & regendo simul, atque cum Regiis pugnando, senex factus, Ecclesiae statum inter validiores tutius, meliusque per consilia pacata, dissimulando nonnulla interdum, transmittendoque haberi. D. Carolus uno consiliorum atque necessitatum tenore ad extremum usque dimicarat. Sed neque totidem anni, totidemve casuum ac rerum experimenta ei fuere. Etiam in tantis utriusque virtutibus prudentia dispar, & diversa quaedam in communis vitae consuetudine indoles fuit Quippe D. Caroli condita in altitudinem mens, atque contemptu mortalitatis, ab sensibus fere alienata, repraesentata est in iis libris, quibus vitam ejus, Pontificatumque composui. Federicus in historiam inducetur, altitudine sensuum intra animum haud minor: in speciem vultu, incessu, sermone, corpore toto, quales esse sibi filios, amoenitas, & delitiae Regum optarent. Quodque in toto opere longe fore amoenissimum puto: tota Pontificis vita Regiis artibus scatebit, & diversissimae res inter se conjunctae prodibunt: arcana imperitantium: innocentia, candorque Pastoralis: Euangelica disciplina, simul, aulicique provisus: munerique Apostolico, civilia meditamenta interlucebunt, certiora, scilicet, atque interiora quaedam, quam quibus officinae politicorum assidue fervent. At studia, quae vera, & propria Cardinalis fuere, exponendo, numerandoque tantum ingenii monumenta, quae reliquit, pompam omnem opesque Musarum, & serena templa sapientiae recipiemus in partem operis: atque interim spectaculo erunt ea, per quae gloria Scriptoris hujus crevit. Neque aberit aliud haud minus illustre, nobileque spectaculum: tota per eumdem operibus publicis exculta Civitas, Divique, & Divae, magnificentius in Urbe collocati, quam quomodo ante Archiepiscopum hunc coelestes animae nobiscum habitavere olim. Exculta disciplinis Patria per lycaea, per scholas, aequiparata Athenarum Urbi: ingens Bibliothecae munus: & viva alia spiransque Bibliotheca, & constituta illic Philosophantium sobole, Scriptores etiam in saecula parati, & dati. Pedissequae quoque, & ancillae illae scientiarum artes, per quas figurae mortalium ab interitu vindicantur, instauratae, & renovatae, nec minore cura Pictor, & Statuarius ad veteris gloriae culmen evocati, quam quanto studio laboreque, & sumptu pene Musas huc ille evocarat: aliaque demum ab Ecclesiastica pace otioque litterato materiam Scriptori daturam nihilo minorem, quam si bella atrocia, Regnique alicujus fortunam ab origine exsequeremur, sed longe pulcherrima Pastoralis animi facies includenda erit ab famis, & pestilentiae clade, adeo saeva illa, ut similem D. Caroli annum, qui cladium ejusmodi vetera exempla pene oblitterarat ventura saecula in comparatione hujus tradere oblivioni possint. Nam si Cardinalis Federicus umquam alias admiranda opera Divini Patruelis aequavit: in tali certe tempore, quod non vitae modo ipsius, sed Urbis etiam fuit quasi supremum, visus est plane idem. Nosque sicuti diros populi casus, ita facta inclyta Pastoris exponemus, queis retulit ille D. Carolum, atque exemplo ejus & imitatione multitudinem in tanta calamitate sustentavit: duo quantum vel Archiepiscopus unus, vel domus una, vel opes unae sufficere necessitatibus ac fami tot millium potuere. Nam sufficere quae posset, una erat imperii majestas, & opulentia Civitatis: unde suffecit vile jam aurum, & immensa sumptuum moles: quae humanarum opum spectacula inseram, cum ad illud horribile biennium haec nostra cura processerit. Nunc temporum ordinem, sicuti proposui, conservaturus, inde sumam initia narrationis, ubi substiterat ipsa olim.

---

## I M P R I M A T U R.

*Fr. Basilius, Commissarius S. Officii Mediolani.*

*Jo. Paulus Mazuchellus pro Eminentissimo D. Cardinale Archiepiscopo.*

*Comes Majoragius pro Excellentissimo Senatu.*

# JOSEPHI RIPAMONTII,

## *CANONICI SCALENSIS, CHRONISTAE URBIS MEDIOLANI*

## HISTORIAE PATRIAE

## *LIBER XVIII.*

## INDEX CAPITUM.



### CAPUT I.
### *De Borromaea domo.*

QUI BORROMAEORUM origines, & monumenta composuere, pars orsi a Rege Vitalliano, primo conditore Gentis, inde per temporum gradus perduxere seriem ad usque Joannem, qui Vitallianum, Jacobini filium, adoptavit, stirpem universae Domus, prout continuata successione in hunc diem manet. Alii ab ipsa adoptione ordiri maluerunt, atque inde per avos, patresque, & nepotes processere usque ad Federicum, qui duorum Cardinalium, Caroli & Federici avus fuit. Nos quoque in iis libris, quibus D. Caroli Pontificatum, & res gestas memoravimus, pertexuimus ejusmodi successionum seriem, ut nihil jam necesse sit altius repeti natales Cardinalis, & Archiepiscopi hujus, cujus Vitam scribere aggredimur.

### CAPUT II.
### *De Comite Julio Caesare, patre Federici.*

PAter Cardinali Federico Julius Caesar fuit, qui prima juventa Carolum Caesarem inter Germanica bella assectatus; ac Tribunus postea militum curam ab eodem Caesare accepit in castella omnia, & arces, quae in Subalpinis ejus nomine tenebantur. Pacatis deinde Insubriae rebus, quietam inter amoena studia vitam egit: cupidusque erat in primis cognoscendi veterum facta, postquam ipsi obtigerat otium, neque materiem gerendi res jam tempora suppeditabant. Divitiae ei principio quidem etiam supra civilem modum fuere; sed finita stirpe Giberti, qui D. Caroli pater fuit, Domui huic opes illae obtigerunt: spesque successionis, & haereditas universa incubuit huc.

A

### CAPUT III.
### *De ortu Federici.*

MAtrimonium Comiti Julio Caesari Borromaeo cum Margarita Trivultia fuit. Ea post Isabellam, & Renatum, quorum illa Hieronymo Vicecomiti e Principibus Urbis nuptum data est, hic Princeps caputve postea Domus fuit, tertio partu edidit Federicum, anno salutis M D LXIV. sub Ferdinandi Caesaris finem, & Pii IV. Summi Pontificis initia. Puerperii quoque locus monstratur in D. Euphemiae Paroecia, qua Comiti Julio Caesari, Comitis Renati filio, hodie sedes domiciliumque est in aedibus, quas Trivultia marito detulerat honestae dotis partem. Rari, magnique ominis loco acceptum in infante est, quod nulla cutis munimenta corpori aderant: balneaque, & fomenta remedio fuere. Nihil alioqui pulchrius, neque validius nasci potuisse Principes feminae, quae puerperam ibant visere, consensu pronunciaverunt.

B

Atque haec initia fuere formae, quam in juvene postea, & viro demum sene supra hominum caeterorum formam eminere conspeximus, tamquam, scilicet, indicia excelsae mentis etiam in externa illa specie collocavisset Numen. In ipso D. Euphemiae templo lustralibus aquis rite ablutus id Federici nomen accepit, vel ob Federicum avum, vel ob D. Caroli fratrem, quem avunculo

C

culo Pontifici Pio IV. in maximarum rerum limine abstulerat mors, scilicet, ut renovarentur ita reviviscerentque isti per hujus nomen, sicut in omni magna, parvaque domo mortuis honos hujusmodi habetur.

## CAPUT IV.

### *De prima puerili inclinatione ejus.*

MAgnum Federici ingenium, & tanti futuri Pontificis, tantique Scriptoris indoles rudibus naturae elementis inclusa in occulto stabat. Aetatulaque illa, quae ab infantiae, & pueritiae confinio rationis annos inchoat, varium, ac mutabile quiddam praeferre videbatur inter armorum, litterarumve cupidinem, ita, ut non facile discerni posset utram in partem inclinaret magis. Ac de puerili ea inclinatione, & varietate referam, sicuti narravere nobis antiqui ex familia homines, qui duravere ad nostram aetatem, parva fortasse dictu, sed haud absimilia illis, qualia de Cyri Regis etiam pueritia Xenophon refert. Arma principio, & equos, & instrumenta omnia belli puer Federicus adamarat, contrectaratque libenter: & quintum attigerat fere annum, cum hujusmodi specimen dedit. Jam mortuo, sicuti dictum est, Federico, D. Caroli fratre, & spe tota successionis in Comitem Julium Caesarem inclinata, transierat is in majorem domum, quae posita est e regione D. Mariae Pedonis, sedes antiqua Borromaeorum Comitum jam inde a Vitalliano, & Joanne, qui primi familiam Mediolani condiderunt. Praejacet aedibus area campusve, ut in media Urbe ingens. Ibi cum viri Nobiles, & equites primi, qui ad salutandum forte Comitem venerant, incitarent saltibus & cursu militariter equos, e superioribus fenestris conspecti a puero erant. Misitque statim e familiaribus unum, qui suo nomine rogaret ex eorum numero amicissimum, & adnexum Domui quemdam, uti sistere paulisper ante fenestras, seque, & equum adspiciendum praeberet. Mox ipse descendit, atque pro familiaritate institit interrogare multa, qualia vel studiosissimus equestris rei quilibet interrogare posset: quae patria, quotus annus equo: & an paveret forte umbras: an firma satis oculorum acies: & vitia quaedam in crurum explicatione notarat. Rogavit ad extremum, ut in equum ipse subjiceretur: quod libenter ab paterno illo amico factum: & digresso ad pedes equite, sublevatus ejus manu conscendit, tractavitque aliquamdiu magna circumstantium admiratione sonipedem.

Igitur, & quia quotiescumque armorum aliquid forte vidisset, inspicere, contrectare, & quem in usum quaeque facta essent, scire cupiebat, aliaque militari spiritu pronunciata, tentata per aedes a puero, indicium haud obscurum Comiti patri, appositisque ab eo custodibus, praebuere, tamquam ingenium Martiale, penitusque alienum a litterarum studio esset. Sed & oderat aperte litteras, litterarumque Doctorem, ut ne adspectum quidem hominis interdum sustinere posse videretur.

## CAPUT V.

### *De prima institutione ejus.*

VOlebat tamen cognoscere rerum causas, & praecipuos quosque familiarium de unaquaque re interrogando fatigabat. Cum, & ex responsis dictisque eorum, & sua ipse sponte intellexisset, non nisi librorum, & scientiarum ope acquiri, quam ipse notitiam expeteret, adjecit vehementer ad studia animum, scilicet, ut alienaretur fastidiretque, rursus, ac demum conquiesceret altissime ibi, nec aliud in vita levamen, aliamve in terris esse vitam statueret. Isque accessus ad sapientiae templa, & recessus, & plane admiranda mutatio facta est in hunc modum. Camillus Carnagus quidam elementarius Magister datus puero erat, qui, & ducere deinde ad ulteriora discipulum posset. Is, quia non tantos in discipulo progressus videbat, quantos fortasse vellet: veritus, ne id sibi vitio daretur, haberetque inde contumeliam, & probrum: coepit instare, atque urgere vehementius: & laxamenti nihil ab eo dabatur. Inde puero taedium, librisque pene abjectis, arma, & equi placuere rursus. Fixum, certumque Comiti patri erat, nullam sane vim afferre animo, inclinationique puerili, & quamcumque viam suapte natura ille instituisset, dare in partem eam habenas, & relinquere liberum iter. Cui libertati relictus Federicus inter pristina oblectamenta aliquamdiu ludo aetatis fruebatur. Mutari tamen ei Magistrum jusserat pater, nihil inexpertum omittere volens, ad excolendam indolem, quae singularis, & eximia quaedam elucebat. Sed pro duro, & severo illo dederant asperiorem alium, cui paulo post, detecta inutilitate, successit mitissimus, commodissimusque unus, qui mansuetudine effecit sua, ut rediret puero litterarum amor. Natione tantummodo fuisse Tuscum perhibent. Is inter caetera blandimenta, quae tam tenerae aetati danda esse censuerat, excogitaverat hoc, ut binae singulis diebus horae studiorum essent: reliqua tempora soluta, & libera arbitratu suo discipulus haberet. Ita proficere multum, & libenter jam esse cum Praeceptore coepit.

Cumque forte die quodam apud Aronam in paternae ditionis arce, pervolutando domesticae Bibliothecae monumenta reperisset sideralis scientiae elementa continentem librum, magnopere eo delectatus, seposuit sibi; ac per totum illud vacui temporis, quod a Magistro dabatur, ejusmodi librum numquam e manibus ponebat. Nunc in aliqua aedium parte latitans, nunc cubiculo inclusus, in ea penitus lectione, ac meditatione defixerat oculos, animumque. Tantam brevi tempore notitiam ejus generis est assecutus, ut de coelestium orbium natura, & descriptione, de siderum positu, de cursu solis, & lunae, de ratione tempestatum differere posset: lacessebantque familiares, & jucunde audiebant.

## CAPUT VI.

### *De Simone Gazola novo Magistro Federici.*

NEscitur, quonam interea modo, quave de causa evenerit, ut aptissimus ille, mitissimusque Magister, sive abiret ipse ex domo, sive dimitteretur. Tertius hic puero institutor fuerat. Immittitur deinde quartus, prae quo fastiditi illi Carnagus, & Faba, mites quodammodo videri potuerunt. Feceratque pene desiderabiles eos horrore, ac torvitate sua. Sed moribus, & sanitate vitae praecellebat, adeo, scilicet, ut post aliquantum inde temporis, colligeret se se Federicus admiratione ejus, institutaque hominis, & pietatem animi, & variarum exempla virtutum aemularetur. Id Magistro gratum. Factusque paulatim non tam litterarum, quam perfectionis, & disciplinae magister, patientiae quoque, & humilitatis imitatione ipsum erudire studebat. Acciditque terribile hoc, quod memorabo ita, sicuti Cardinalem ipsum in Gropelliano nemore narrantem audivi, cum de studiorum suorum casibus nonnulla recenseret. Ab Arona Borromaeae ditionis sede cum tota familia, duobusque liberis Comitissa mater redierat in Urbem. Statimque filios Renatum, & Federicum ad D. Caroli venerationem misit. Quorum adspectu admodum laetus ille, postquam utrumque adlevarat manu, Magistrum interrogare coepit, ecquam de Federici in litteris progressu spem ipse haberet. Enim vero ille, sive nondum cognita satis, atque perspecta pueri indole, sive ad sumenda virtutis experimenta immodicus atque asper, spem exiguam sibi quidem esse, respondit. Audiente Federico dixerat hoc, conciditque ad eam vocem ei animus repentino velut ictu: erubuitque & expalluit: & silentium erat ipsius, quale magni pudoris, & magni metus, & magnae modestiae esse solet. At D. Carolus, intellecta consternatione pueri, clementer obversus ad Magistrum eumdem; *Videtisne*, inquit, *hos oculos, & hoc caput, vultumque pueri hunc, scire licet, columen hunc fore aliquando Ecclesiae rebus: videbitisque miracula vos in litterarum studio, quae iste suo tempore exhibebit, & aliquando deferetis ultro ad nos.* Sublimi ore dixerat haec D. Carolus.

Aliquantum postea temporis fuit: mensesque, & anni nonnulli praeteriere, cum D. Caroli oraculum hoc, testimoniumque divinum exitu comprobatur: & cogitur sua ipsius conscientia Magister accedere ad D. Carolum

lum in aulam, exponereque ac profiteri, quemadmodum quaeri Federico Doctorem alium oporteret, nec se ultra sufficere processibus ingenioque adolescentis. Causa accedendi profitendique ita fuit, quod inter exercitationes forte quotidianas, T. Livii locum, descriptionemve unam imitando expresserat mirifice Federicus; sanguinemque & colorem & majestatem vere Scriptoris ejus, inspectante Magistro in sua scripta transtulerat absque ullo imitationis furto, quod exstaret, deprehendique posset. Totum hoc, sicuti acciderat, qua par erat gravitate, D. Carolus accepit: neque commotus ipse gaudio immodico est: neque mutavit quidquam: estque Magister idem ille retentus. Cui sane homini cum irasci merito Federicus posset ob atrox id telum, quo telo apud D. Caroli aures ictus ipse vulneratusque erat, tunc cum spem omnem ille de se damnarat, tantum abfuit, ut ei succensuerit, dixeritve commotiore animo quidquam, ut etiam ex illo acerbo, & sibi pene funesto die coluerit impensius omni obsequio eum, contuleritque in ipsum propinquosve ejus beneficia omnia, quibus fortuna eorum indigebat, quaeve capere potuerunt.

## CAPUT VII.

### *Ad Joannem Baptistam Rasarium discendi studio Federicus accedit.*

JOannes Baptista Rasarius erat eo tempore inter Ticinensis gymnasii Professores, politissimae eruditionis vir: & Graecorum, & hoc nostro sermone facundus, haud aliter, quam sicuti Romani veteres linguam utramque conjungebant. Vacationum diebus cum ventitaret is, nunc ad amicos, nunc ob negotia aliqua Mediolanum, inclytaque viri fama esset: colloqui cum eo adolescens Federicus magnopere concupivit, tum ut sermonibus ejus erudiretur: tum vero etiam instinctu quodam suo, quo virorum illustrium amicitias coluit eximie semper, & studiosissime quaesivit. Atque initium hoc ei talium amicitiarum futurum erat cum adhuc intra domesticos tantummodo parietes rem litterariam seu Musas ad mutua colloquia familiaritatemque deduxisset. Hospitio Rasarius utebatur Senatoris Mazentae, qui ultro quaesiverat hoc, tum suae quoque delectationis causa, ut talis Viri sermonibus ipse levaretur: tum praesertim utilitatis, eruditionisque liberorum, ut super exercitationes, magistrosque quotidianos politi, atque eximii aliquid inde haurirent. Erantque filii ejus praediti ingenio, & indole, cui tanta haec paterna cura deberetur.

Federicus igitur, cum divertere ad Mazentas ita Rasarium accepisset, coetumque praeterea juvenum in ea domo haberi praestantissimorum, cum alterius quoque Senatoris gemina proles studio eodem incensa conveniret: petiit sibi quoque aditum, & summa Senatoris utriusque voluntate gratulationeque juvenum impetravit. Rasario ipsi ante omnes laeta res fuit: atque auditore hoc auctus ille veniebat etiam libentius postea Mediolanum, captus nimirum admiratione Borromaei, quem, & anteponebat longe ipse caeteris, & caeteri anteponi sibi facile patiebantur. Haud omiserim graviter, & severe facetum quiddam, quo Federicus illic inter aequales illitteratam quamdam in librorum ornatu pompam, splendoresque surdos, & intacta manibus volumina, voluminumque possessores, magno ipsorum pudore perstrinxit, sicuti quidem, & postea narravere ipsi, & scripsere etiam, cum proderent ultro de Virtutibus, & Dictis Vitaque ejus. Habebant Mazentae fratres festivam domi Bibliothecam, sicuti & studiis ipsorum, & opulentae Senatoriae domui conveniebat. Ad eam invisendam aliquando post consuetas auditiones & colloquia cum Doctore invitavere Borromaeum. Ibi ille Romanae eloquentiae fontes M. Tullii Ciceronis monumenta inauratis recentissima specie voluminibus inclusa, manibus intacta cum adspexisset: *Quam mallem*, inquit, *lacera haec atque contrita videre.*

## CAPUT VIII.

### *De studio pietatis, & religiosa indole adolescentis Federici.*

ERga studia litterarum, & artium, quas in comparatione studiorum, artiumque meliorum, inania, & profana appellari licitum est, ita se se habebat Federicus. Solida vero, & alta, & plena illa salutis, in ea aetate sic fuere apud ipsum. In secreta sed maxime illustri aedium parte posuerat aram. Hanc non decore modo, sed etiam splendide pretioseque adornarat: consumebatque ibi quidquid fere vacui temporis ab studio altero concederetur. Psallere, meditari, sive legere pia meditamenta, aram excolere ipsam, haec erant, quae in secreto illic agebantur. Sed invitare atque adhibere ad eadem studia aequales subinde nonnullos instituit, quos, videlicet, tali contubernio dignos esse censuisset. Atque horum increscente numero simul & pietate crescente, demum eo processerat res, ut diebus fere omnibus, quibus Ecclesiae mysteria sanctiora celebrantur, imitamenta rituum eorumdem illic ipse obiret. Eratque illud plane coeleste spectaculum. Praesidebat solenni Federicus: seu quem forte alium ipse nominavisset: quive praesidere optavisset: quive eunte in orbem vice nactus id muneris erat. Praeibat modos non sine trabea unus: caeteri elatis jucunde vocibus, Angelico velut ore, subsequebantur. Et domi quidem haec.

Ad templa ibat, prout religio diei alicujus, prout etiam Apostolicae Indulgentiae proposita publica munera invitarant. Ingrediente eo sacram aedem pietas & modestia religioque ipsa ingredi videbatur: accipiebaturque & destinato loco flectebat genua, sive considebat, alibi aliter: in templo maximo in Pontificalis solii gradibus, ad D. Caroli pedes, quotiescumque ille adesset: sic ipse mandarat. Id Dei servo levamen: tantae spei patruelem adolescentem, inter Divina mysteria participem religionis in conspectu habere. Neque omittenda est insolentium nobilium adolescentulorum protervia, Tartareis pene modis debacchata die quodam in hujusmodi mores, quos equidem tormenta fuisse Daemonis, crediderim. In Baptistae aede, cui cognomentum e Conca dixere veteres, sive ob felicem ejus Divi exortum, sive quam aliam ob causam sanctissima caeremonia erat, maximusque populi concursus. Ejus religione diei Federicus admonitus, procedit ingrediturque illuc, & salutato ante aram maximam Numine, conspicua in sede consedit, quà Fratres incolae Monasterii ejus invitavere; atque meditabundus ibi suo more quiescebat, circumfusa servorum cohorte, quae semper honoris, & custodiae causa affectabatur. Adolescentuli procaces, Principum urbis fere liberi, sed nec moribus nec animo nobiles, conspecto Borromaeo, quem ceu vitia, lasciviasque sibi exprobrantem oderant, illudere ei statuerunt. Itaque facto per turbam dissimulanter, atque paulatim impetu, rupere velut cuneo viam, atque in arae maximae conspectum ipsi quoque penetravere. Illic e regione subsellii, distorquere os, inflectere colla, exserere linguas, cachinnos tollere coeperunt. Advertit Borromaeus, & commotus vehementer animo est, aegerrimeque tulit, facere talia magnarum familiarum haeredes, & quosdam eorum generis, ac sanguinis propinquitate sibi connexos. Circumlatis parumper oculis, unico significavit obtutu, quantopere sibi ea displicuissent. Surrexitque mox, & flexo ad aram poplite pro eorum salute precatus, abiit: simulque confusi, & perculsi illi abiere. Haec aliaque indicia Federicus in illa aetate dabat animi coelestis: e quibus indiciis referam etiam breve illud: Circumibant praedia avita ipse, majorque frater, in equis ita se se oblectantes. Post multum itineris, voluit Comes Renatus uti compendio, transibatque agrum, & sata proculcabat. Revocatus primo, deinde etiam relictus a Federico est: jurgiumque fratrum in digressu fuit, cum Renato Federicus labores, & damna pauperum agricolarum: Federico Renatus pauperem, restrictumque animum exprobraret.

CA-

## CAPUT IX.

### *Mittitur Bononiam ad Philosophos.*

SAtis constitit, D. Carolum excelsa sua, atque in Coelum subducta mente, agitasse nihil umquam humanarum sollicitudinum, praeter hujus patruelis Federici institutionem, atque educationem, quam ipsam inter coelestia opera referebat, respiciens, nimirum, & purissimam illius, Angelicamque mentem, & utilitates, quae ad Dei gloriam inde perventurae erant. Itaque aliquamdiu apud se pensitato, quamnam adolescenti studiorum sedem assignaret, quove mittendus ille esset, ut tam illustre ingenium privatim jam satis excultum liberalium artium disciplinis, etiam disputationum subtilitate, ac frequentia publice excoleretur, Bononiam elegit, urbem eam, existimans, esse ex Philosophantium nobilitate, juvenum ingeniis & Ecclesiastica modestia mixtam ac bene compositam. Et erat ibi Cardinalis Paleottus, Archiepiscopus Urbis, tum intima cum D. Carolo familiaritate conjunctus, tum nomini gentique Borromaeorum obstrictus maximi beneficii memoria, quod in collegium a Pio IV. per ipsius maxime D. Caroli commendationem cooptatus fuisset.

Igitur hoc, &, quia fuerat ipse cum imperio ibi Sedis Apostolicae Legatus, fecere, ut nusquam alibi tutius collocari posse adolescentem statueret: atque, communicatis etiam cum ejus matre consiliis, eo Federicum misit. Profectio fuit neque obscuro, neque tamen ambitioso comitatu. Quotidiani victus administri, stipatores, & asseclae quotquot modico Principi juventutis apponi par fuit. Et Joannes Capra datus e nobilitate Mediolanensi, qui regeret adolescentis mores, formaretque ad aulae consuetudinem, sicuti fuerat ei Viro haud inerudita Urbanitas, & elegantia, quae acquiritur usu, & consuetudine civili, quaeve nascitur haud sane cum multis. Et Gazola simul ivit, ille, qui capitalem olim de Federico sententiam in D. Caroli conspectu, sicuti memoravi, cum tulisset, factus erat magnus postea ejusdem admirator: alumnumque reverebatur simul, & adhuc in Latinae linguae studio retinebat, quam linguam nemo umquam percalluit, didicitve nimium. Expleverat Federicus annum quartum decimum aetatis, & tanta gravitas ei, tantusque decor, & fama virtutum modestiaeque ejus, ut Civitas, Academiaque omnis, obversa penitus in eum, delitias veluti suas intueretur. Non comiter modo, sed reverenter etiam accepere nobiles, ac Senatus fere universus. Et Paleottus in primis ipse laetatus intime est. D. Carolum redditum sibi credebat esse Civitas illa, quem jam inde ab Legationis tempore ceu parentem ex longinquo adspiciebat. Adeo miti justoque imperio praefuerat.

Deinde brevi effecit Federicus, ut D. Caroli memoria omne momentum ad favorem conciliandum sibi esset. Ea quotidie exempla virtutis, & sanctimoniae edebat: ea etiam experimenta ingenii, sive privatim eliceret, tentaretve aliquid, sive congressus aliqui disputationesve publice haberentur. Federicum Pendasium in scholis, domi Flaminium Papazonum audiebat. Quorum uterque ea tempestate Philosophiae Principes habebantur: uterque Academiam sapientiae magnitudine famaque obtinebant. Horae subcessivae Mathematicis, coeloque, & situi terrarum inspiciendo insumebantur tanto majore studio, ac voluptate, quia meminerat has sibi membranas, & chartas, globosque initia, seu invitamenta litterarum fuisse, atque hinc primam sciendi cupiditatem, & sitim sibi esse excitatam. Latinae linguae consuetudinem, ne forte sibi periret, neve corrumperetur in Barbarum, neve arescerent squalore, ac situ, fontes sub nominato jam saepius Gazola, insigni Grammatico temporum eorum, arctissime complexus augebat, fovebatque, quantum in studiorum varietate posset. Accesserat vero haud parvum in eo studiorum itinere levamen, atque subsidium Brutus Guarinus a Phano. De quo juvene, & postea narrabat saepe Cardinalis ipse jam senex, & narrantes ego alios audivi, qui tunc in familia cum eo fuerunt, monumentaque ejus nonnulla exstant. Fuit moribus animoque venustus. Pietas ei, quanta ne in severioribus quidem aliis fortasse reperiretur: ac de rebus divinis altissime sentiebat. Gratia amabilitasque oris aderat. Studia ei cum gravia quaedam, tum plena illa amoenitatis. Philosophus, Historicus, Poeta, Theologusque etiam; & omnia simul. Cardinalis Paleottus hunc Federico dederat in Caprae locum, qui non ferens Bononiensis coeli gravitatem, bona cum venia haud sine morbo domum redierat, & Guarinus tamen ipse post aliquanto dimittitur.

## CAPUT X.

### *Revocat D. Carolus ab urbe Bononia Federicum: & sacram ei togam dat.*

SAcer unus Ordo fuit, ab cujus Ordinis disciplina, & imitatione manat quidquid fere sanctitatis, quidquid & jam fere litterarum in Civitatibus habetur. Ejus Ordinis homines, cognita Federici indole, adjungere sibi eum, atque ad sua instituta adducere cupiverunt. Id ipsum & homines alii tentavere pene suppares istis, habituque, & vitae forma parum absimili. Neque dubium habebatur, quin utra pars voti compos fieret, ea hoc uno addito, decorem tantumdem fere gloriae, tantumdemque emolumenti adipisceretur, quantum altera centum, altera paulo paucioribus ab origine sua annis adipisci potuerunt. Pars utraque certe nitebatur argumentis, artibusque diversis, conatu eodem. Detulerat ejus negotii suspicionem fama ad D. Carolum: sive appositi homines admonuere. Advertitque ille animum, non sane, ut Patrum, ipsiusve Federici destinatis adversaretur, si subesset spiritus vere Dei: sed, ut discerneret ipse divinos in ea re, humanosque spiritus: neque accidere in patruele suo pateretur tale quiddam, cujusmodi adolescentibus aliis usu venisse considerabat. Capi abducique juvenes specie honesta, & magna, deinde calor ubi primus decesserit animis, languere invalida pectora sub durae rigidaeque virtutis jugo, poenitentiamque subire seram eamdem, & inutilem: atque non sine probro, sermonibusque hominum, abire postea inde, quo tamquam ad salutem, & gloriam ex rerum humanarum insidiis, & coeno perfugissent. Non parci Regum, Principumve domibus, quin unici etiam haeredes ex vitae lubrico in claustra illa securitatis eripiantur: & licentiam hanc esse Patribus consulendi ita saluti animarum, & amplificandi Ordinem suum.

Haec igitur animadversa prudenter a D. Carolo fecere, ut illico mitteret e fidissimis Bernardinum Rosignolum, qui deduceret ad se adolescentem, ut cum eo ipse de tota re colloqueretur. Suberat & causa illa, ut, quoniam collegii Borromaei moles perducta jam ad fastigium, jam fere constituta disciplina, esset, collocaret ibi Federicum, initiumque pulcherrimi operis hinc fieret. Pertulit, exposuitque mandata Rosignolus. Nec mora. Federicus ad D. Carolum recta tetendit. Erat eo tempore D. Carolus in Dioecesi Brixiensi, suscepta cura Ecclesiae visendae, lustrandaeque ejus, cum suam ipse vicissim Ecclesiam, Metropolimque hanc, electo in id Episcopo recognoscendam, obeundamque reliquisset: atque ad Rovatum (id loco nomen) forte substiterat. Igitur eo flexere iter. Postquam in D. Caroli conspectu stetit Federicus, prima & benignissima percunctatio Pontificis fuit, crederetne vere, ac sentiret, vocari se se divinitus ad profitendum in aliqua religiosa familia nomen: idque vitae genus, an saluti sibi fore arbitraretur? Sumeret sibi deliberandi respondendique tempus, atque precaretur a Deo & sanctissima Matre ejus, ut itinera sibi salutis monstraret. Respondit Federicus, sibi quidem de eo vitae genere instituendo dictum, & cogitatum esse nonnihil: sed magnopere vereri, ne vires haud sufficerent: in praesentia optare precarique hoc, ut sacra sibi toga daretur, & initiaretur primae tonsurae mysterio. Nam velle utique sic inservire Numini, & viam sibi placere hanc. Jussus etiam atque etiam deliberare & cogitare de ea re, cum in sententia permaneret, collaudatus a Pontifice, confirmatusque est: & mox litterae Mediolanum ad Comitissam matrem, nunciique mittun-

tuntur, ut sciret etiam ipsa, quid consilii filius iniisset, voluntatique divinae assentiretur. Illa muliebriter sollicita erat, ne filio hoc ad sacra traducto, reliquo uno permanente, Domui finis fieret, si quo forte casu Renatus exstingueretur, sicuti etiam ipsum D. Caroli fratrem mors immatura abstulisset. Rescripsit congruentia timori, sollicitudinique huic, nec lamentis querimoniisve temperarat. Redditae litterae D. Carolo sunt, cum Federicum ipsum forte in conspectu haberet, ac de novo consilio, reque agenda ipsi colloquerentur: & legendam ei epistolam tradidit. Quam ille cum inspexisset, nihil sane commotus, dixit: gavisuram sine dubio, re confecta, matrem, quae nunc ita sollicita sit: novasque preces ipse instaurabat, uti quam primum initiaretur. In Rovati montis vertice stat Deiparae Virginis aedes, inclyta miraculis, crebroque concursu exposcentium aegris corporibus ab Diva opem. Ibi D. Carolus rite injecit Adolescenti togam, inciditque crinem, prima libamina vitae sanctioris. Unde, & loco crevit honos, memoriaque illic actae rei aeternum manet. Excivit fama non modo proximos terris eis accolas, sed longius citos etiam. Novum Clericum omnes videre avebant. Convenere populorum agmina, & confusis vocibus acclamavere, sancto Cardinali, sanctoque Clerico, & domui foecundae coelestium animarum, Trivultia mater nuntio accepto versa in gaudium sollicitudine, D. Carolum novis litteris pro eo munere venerata est.

## CAPUT XI.

### *Federicus in collegio Borromaeo collocatur omnium primus.*

In iis libris, quibus D. Caroli Pontificatum, & numquam intermoriturae memoriae facta narravi, satis demonstratum esse, arbitror, quemadmodum ille Ticini fundavisset collegium, quod Seminarium illustrium virorum esse deberet: unde Senatores, & Magistratus, & ipsius Ecclesiae capita prodirent, viverentque grato animo erga patriam hanc, atque praesidio simul, & ornamento Metropoli essent. Id opus pro aedificii magnitudine lentis incrementis ad summa perductum hoc tempore erat, ita, ut non facile alia per Italiam moles augustior, majorque reperiretur. Vectigalia, & fundi, legesque, & regimen universum accuratissime descripta, & constituta omnia spem fundatori fecerant, quamdiu justa imperia durarent, & quamdiu litteris, ac virtuti honos haberetur, duraturam eam molem, atque ad publicam utilitatem mansuros fructus, & emolumenta collegii, quae principio quaesita essent. Pulchrum videbatur: ex qua domo prodiisset id opus, inde etiam quasi spiritum, & animam, & quasi solem pridire operi.

Igitur hoc, & quod antea de sollicitato per Patres ad claustra Federico, narravi, insuperque consilia amicorum movere D. Carolo animum, ut patruelem ibi collocaret, futurum disciplinae exemplar ad caeteros, qui subinde recipiendi essent, sicuti & evenit. Familia juveni eadem fere, quae Bononiae fuerat, data est. Accitusque propter eximiam in Philosophia subtilitatem ab eadem urbe Papazonus, & pro Guarino Bonhomius destinabatur, qui Congregationis, collegiive Oblatorum facile Princeps in Theologia erat. Guarini dimittendi causa in obscuro fuit: neque tamen dimisit D. Carolus eum: sed Cardinali Paleotto scripsit: melius, utiliusve fore juveni, quoniam Ecclesiasticae vitae iter ingrederetur, si studiorum adjutorem, sociumve Sacerdotem ille haberet. Id satis fuit: sensitque Guarinus, & sine strepitu ullo abiit.

## CAPUT XII.

### *Patres sollicitant nova arte Federicum.*

Novos itaque cursus in novo domicilio, gymnasioque Federicus inchoabat. Nulla in re erat oneri collegio, & alta illic quiete fruebatur. Tranquillitas ea tamen paulo post nonnihil turbari coepta est pia inquietatione hominum, de quibus antea significavi. Nam posteaquam Borromaeum fixisse Ticini sedem, remque alieno tempore deprehensam vident, moliri, ac tentare nova quaedam coeperunt. Inter caetera scripsere epistolam, quam equidem a disertissimo aliquo Ordinis ejus, vel certe a disertis multis compositam fuisse existimo. Inerant pericula omnia magnae fortunae: casus ancipites: etiam e secundis adversa, & infausta repraesentabantur: alterius vitae sempiternum aevum: praesentis aevi brevitas: tamquam nulla extra claustra, cellasve salus. Sed ne fulgorem quidem honorum abesse Religioni, & commodiorem hanc ad infulas, atque ad imperia viam: posse, si quis velit, attolli hinc ad proximum Coelo culmen: posse fieri sanctum, & radiato inter mortales capite adspici, ac vivere saeculis innumerabilibus: aliaque multa in sententiam eamdem.

Hanc epistolam, ut in Federici manus perveniret, fecere occulta manu. Ac ne forte intercepta nudaret auctores, Bacchini cujusdam Presbyteri nomen subdidere, tamquam ab illo perscripta esset. Fuerat namque Presbyter ille Bacchinus Bononiae, continuus assecla Federici, solers quidam, simplex, astutus, pius, negotiosus, ad obsequia omnia paratus, aditumque & locum adeptus ita inter familiares, vivere in familia solitus, & abesse quandocumque vellet. Ejus nomine subsignavere epistolam, quae ab longe diversa officina prodierat. Hanc Federicus, cum accepisset, suppresserat sane, ita ut neque familiarium ulli nota res esset; neque cum Bacchino Presbytero de ea re colloqueretur: neque rescriberet ad Patres; sed nocturna secum ipse diurnaque manu versabat, quidnam maxime expediret, attentissime consultans.

## CAPUT XIII.

### *Perfectos mores exquisitamque disciplinam in collegium inducere conatur.*

Natus ad emendandos, excolendosque mortales, & vertenda in bonum etiam vitia animi humani, Federicus, nullum adhuc fere campum habuerat, in quo censoria illa, sive potius paterna indoles explicaretur. Statim ubi venerat in collegium, ibique, composita familia, & ordinatis ad D. Caroli praescripta rebus, quae circa ipsum fuerant ordinandae, respiraverat paulisper, atque conquieverat, institit meditari primo, dein praescribere, ac sancire sodalibus omnia, quae ad solidae virtutis studium, & divinae gratiae spem, ac coelestia dona consequenda pertinerent. Quidquid vel intra claustra sanctissima fundator, magisterve Ordinis excogitare, moliri, persuadere gregalibus, atque ex difficili, & inusitato in consuetudinem usumque quotidianum inducere potuisset, excogitavit etiam obtinuitque Federicus, ut nova quaedam, & alta via, secum insisteretur. Coetusque illi, & scholae perfectionis prototypa quodammodo videri potuere similium rerum, quas, Archiepiscopus postea factus, inter Cleri hujus homines instituit, ac fecit, quasi subducere secum in Coelum meliores animas volens. Coetum atque congregationem ad frequentanda mysteria, habendasque de rebus divinis orationes, sermonesque conferendos instituit unam, quae Congregatio Angelorum videretur, nisi addita mox huic alia, speciem vere coelestem illam, laudemque occupavisset. Fuerat prior illa communis, & vulgata, & omnibus aperta, qui nomen dare voluissent. Altera haec adeo secreta, & occulta fuit, ut praeter eos, qui delecti in eos adscriptique erant, nemo sciret, quid ibi ageretur, immo ne congregari quidem, & convenire delectos scirent. Ita dissimulanter, & locis temporibusque alienis, & in caeterorum fere conspectu selecti isti gerebant rem, itineraque in Coelum, duce Federico, ardua, & ignota tentabant. Ejus arcanae congregationis instituta nobis exposuit sodalium ipsorum unus, qui, cum scriberemus ista, superstes erat.

Fuere autem fere haec: Agebatur in primis de macerando ac castigando corpore, quo purior animus innocentiorque servaretur. Jejuniorum ciliciorumque ratio reddebatur, prout descripta inter ipsos ejusmodi afflictamenta erant. Proponebantur capita, quae meditari quisque deberet. Objiciebantur vitia invicem: Et sua in primis

mis exprobrari sibi Federicus volebat. Et conquirendum fingendumque erat aliquid, ut ejus anxietati satisfieret: nec ideo conquiescebat, quia reticeri, supprimique graviora conquerebatur.

## CAPUT XIV.

*Instituit artium quoque liberalium Academiam in collegio eodem.*

INclyta & recens adhuc erat fama Noctium Vaticanarum, quod celebre nomen lucubrationibus studiisque jucundis repererat D. Carolus, cum avunculi Pontificatu dominus ipse rerum, & revocare Musas, & dare honesta oblectamenta primoribus aulae viris, & animum in primis ipse suum replere per eam occasionem auditionum varietate destinavisset. Ejus praeclari inventi recordatio subierat nunc Juvenis Federici animum, ac ne studia severa semper, litteraeque horridae tractarentur, haec veluti ludicra Musarum induxit, & una cum eis artes, quae ancillae, & ministrae quodammodo scientiarum videri possunt: carminaque, & numeri, & machinae, & lineae, circini, tabulae, situsque terrarum, & globi coelestes, paulatim occupavere juvenum animos, ut, quidquid otii daretur, consumere ibi gestirent. Conventibus recitationibusque habendis electi singuli per hebdomadam vacationum dies, ut, quoniam festis diebus tum iretur ad templa, cum sanctiori Academiae opera daretur, haberent hac quoque feriae utilis laxamenti, sive jucundae utilitatis aliquid, quo nec remitterentur animi penitus, nec magnopere intenderentur. Academia dicta Accuratorum est: emblemaque additum ex Mathematicis disciplinis huic titulo congruens: sphaera, nimirum, sphaericumque verbum: IN PUNCTO. Instructores Academiae facti ex Federici familia Papazonus, & Boterus, ille grandi inter litteratos nomine, cujus monumenta exstant. Federicus ipse Princeps fuit. Orationem in principio rerum habuit nominatus jam nobis alibi Mazenta, qui erat Academicorum unus, & horum pleraque nobis memoravit. Domicilium & sedes Academiae fuit aula collegii maxima ad instar theatri, quam Peregrinus Architectus, ad Federici praecipue monita, & nutum aptaque hujusmodi studiis substructione descripserat, atque exaedificarat.

Studia praesertim Architecturae exercebantur, tamquam necessaria futuris aliquando patribus familiae, Pastoribusve populorum. Etiam experimenta naturalium rerum cordi erant: praebuitque huic oblectationi materiem, & excitavit juvenum ingenia forte oblata res, cum D. Joannis aedes, contermina collegio, vetustate fatiscens, jam stragem ingentem, ruinamque dedisset. Inter cumulata ruinis saxa conspiciebantur cavernae, specusque ingentes, & informes hiatus, qui praeter id, quod in conspectu erat, abdita, & ulteriora quaedam prae se ferrent. Juvenes ingredi cupivere, sumtisque luminibus, & sublevantes alii alios, illato sensim pede repererunt ossa immanium belluarum inusitatae magnitudinis, haud sine stupore, tamquam essent belluarum quoque gigantes. Facile mox apparuit exsuvias esse Elephantum, ubi scilicet proboscides, & dentes, & capita enormia notaverunt. Ab Longobardis, templi conditoribus condita ibi haec fuisse autumabant, quae per tantum aevi sepulta, & occulta, extraxere etiam occulte, theatroque intulerunt: & multiplici ambage circa ea disputatum. Repertum inter caetera est, non, sicuti vulgo crederent, esse crura Elephantum absque ullo ad poplitem flexu, ideoque animal inhabile ad resurgendum, ubi semel forte procidisset. Grata Federico res fuit. Sed post aliquot inde dies, ubi oculis, & curiositati ingeniisque satisfactum, jussit referri cuncta in specus eosdem, unde sublata essent, sive tribuens hunc antiquitati honorem, sive religione tactus, ne rei alienae contactu ipse sodalesve polluerentur.

## CAPUT XV.

*Christianae doctrinae elementa per se, perque contubernales alios, pauperibus tradit.*

CHristianae doctrinae scholas, quas primordia salutis, immo salutem vere ipsam appellari jus, fasque est, instituerat Mediolani D. Carolus: eaque sanctissima consuetudo ex Metropoli propagata in caeteras subjectas urbes pervenerat facili transitu Ticinum etiam: sed neque ad formam eamdem, neque pari diligentia, & fructu scholae ibi habebantur. Suscepit curam Federicus: habitoque de ea re ad sodales sermone, implevit Apostolico spiritu animos, ut fierent una secum ultro magistri non modo infimae sed etiam sordidae plebis: atque per id munus nobilitari se se existimarent magis, profecto, quam originibus opibusve suis, & superbia, quam ab Domo quisque attulisset. Descripsit Federicus, edideritque singulis descripta templa regionum urbis, ad quae templa docendi causa ire deberent. Sibi Magdalenae templum sumsit in regione, quae Salera dicitur: dictaque ea porta Salera Papiensibus est, ex eo, quod Pado, dein Ticino appulsae naves, salis ibi copiam exponunt: unde scilicet occasione, & quaestu ferendorum onerum bajuli plurimi habitant: & bajulos fere illos Verbanus antiqua possessio Borromaeorum mittit. Id Federico invitamentum causaque ea, cur portam hanc aedemque sequeretur. Pulchrum erat videre Comitem Juvenem, Principem, Dominumque Gentis, obscura, & sordida, & saccis induta cohorte circumfusum tradentem elementa, & mysteria fidei illis, pugnantem cum tarditate ipsorum, balbutienti, haesitantique huic verba suggerentem, castigantem alios, aliis vero blandientem, quo promtius, libentiusque adesse vellent. Nec minus pulchra species alumnorum caeterorum. Partitis inter se vicibus ibant, alii ad expiscandos, & cogendos in templa mortales, alii ad erudiendos: & facti omnes Paedagogi pauperum erant. Idque institutis & auctoritate Federici.

## CAPUT XVI.

*Victus cultusque ejus cujusmodi esset.*

PAupere semper mensa, paupereque cultu intra collegium egit. Patinae, quae caeteris eaedem apponebantur. Argenti fere nihil erat: nulla serica vestis. Abdicaverat ista, tamquam foedari se se vanitate, & splendore talium rerum existimaret. Nec desinebant interea, mater, fraterque major conqueri multum, & reclamare, quod faceret aliena, sic & indecora magnitudini, ac nobilitati Domus. Collegii quoque ministri Sacerdotes obtrudere, subdere, apponere nonnulla tamquam Domino illic, & summae rerum arbitro studuerunt: suntque ob id ab ipso reprehensi, & notati. Pecuniae summam ob alimenta sua persolvebat: alebatque suo sumtu familiam, quae numerosa quidem, & erudita, sed modesta in primis erat. Non contrectabat ipse pecuniam: penes dispensatores omnis ea relinquebatur. Sic & contubernalibus vilem esse cupiebat: ac magnopere contendit, ut spernere assuescerent.

## CAPUT XVII.

*Ad curas, & meditamenta vitae revolvitur casu quodam.*

PAter Franciscus Adornus, fuit ex magna, & inclyta Societate Jesu, vir sane rarus, sed cujusmodi multos in omni Religioso Ordine esse oporteret, expediretque rebus humanis. Primus haud dubie Philosophus, primusque Theologus, & primus Orator erat, & Antiquitatis notitia secundus nemini. Historiae recentioris idem, consuetudinisque Principum & rerum aulicarum gnarus apta cum dissimulatione, quantum oportebat, hauseratque ista & percalluerat ad Dei tantummodo gloriam, salutemque animarum, non in pompam quaestumve suum, aut Ordinis, atque ad corrigendos, ubi foret opus, non ad captandos, demerendosve Principes, Principumque Ministros. Horridus, severus, asper in se ipsum, mitissimus in alios, delitias omnes, & blandimenta carnis abdicarat. Unde, & sequuta eum erat res, quam effugere studiosissime voluisset. Volebant Pontifices, Episcopi, Dominique terrarum hunc sibi esse quam familiarissimum: adhibebantque libenter ad colloquia, & consilia omnia, & denique

que mensas, partemque rerum: aderatque ille, & accumbebat, & negotiis immiscebatur, sed nusquam, nisi ita, ut appareret facere invitum, neque aliam ob caussam, nisi, ut posset ea occasione conciliare, & lucrifacere Christo quamplurimos. Hunc sibi D. Carolus elegerat, cui culpas illas suas innoxias, & omnibus aperta pectoris arcana aperiret, atque in secreto confiteretur ea, quae publice praedicari, ipsi gloriosum, salutare omnibus foret.

Forte is paulo ante D. Caroli mortem aliquo proficiscens, venerat Ticinum. Et res nota Federico statim fuit. Voluit hospitio accipere Dei servum, virumque magnum D. Caroli familiarem, invitavitque perbenigne, & Pater annuit, tum, ut recrearetur Juvenis adspectu, quem esse Pontificis sui simulacrum, atque imaginem sciret, tum, ut universam illam quoque collegii sobolem inspiceret atque contemplaretur. Vicissim erecti exspectatione Juvenes, ob famam, quae de viro erat, concionantem ipsum audire cupiverunt; idque suum votum & preces super ea re suas mandavere Federico, qui facile impetravit. Viderat, notaveratque Pater in ipso aedium ingressu grandis formae fraenum, e gypso plastico opere expressum, insigne Borromaeae gentis. Ea species objecta oculis, & mox condita pectore moverat viro eloquenti divinos, altosque sensus: atque recordatus Esaiae carmen, dicendi id initium sumsit, orsusque ita est: *LAUDE MEA FRAENABO TE, NE PEREAS.* Haud facilia nunc relatu sunt nobis ea, quae Concionatori Theologoque tanto facile potuit subjicere ars, & sapientia ipsius, quaeve sine arte etiam, spiritus vere Dei, quo movebatur ille, subjecisset. Alludendo varie ad vim nomenque fraenorum, & Vatis antiqui mentem interpretando, sententiamque carminis, ostendit, quam essent salutaria vincla, quae Divinae gloriae magnitudo injiciat animis, qui se se ei devoverunt. Repraesentavit praecipitia, & ruinas, cladem que, & exitium, & sine exitu voragines, in quas ruere possit lubrica praesertim aetas, nisi fraena haec adsint. Protulit exempla terrifica, tremendas auctoritates, testimonia Patrum, sententiasque divinas, quibus irreparabilia damna denunciantur, ubi, fallente semel vestigio, lapsa est prona illa ad interitum pars aetatis, vitaeque humanae. Ipsius etiam naturae ratione, atque petitis ex immutabili necessitate argumentis demonstrabat haec: interimque sedentem in eadem corona Federicum, uti intuerentur, monebat. Vincula jam eum ultro indidisse sibi, ultro esse obligatum vitae purioris initiis, ne prolabi, foedarique, & interire posset. Vinculumque majus esse puritatem ipsius animo insitam: quae, quoniam ibi tantummodo reperiretur, ubi unice favisset Numen; consulerent sibi, excubarentque plurimum, & timerent, & assumerent fraena, non sine mysterio stemma Fundatoris, cujus beneficio, ac nutu, congregati essent in eam domum.

Haec ab Adorno perorata, paterno plane spiritu, cum gravia per se, & vera, momentum quoque majus ex Oratoris fama, & auctoritate adipiscerentur, curam & metum injecere collegio, tamquam parum tuta illa via salutis esset. Paucis post diebus alii collocuti inter se, alii nihil effati, claustra quaesiere, quae sibi quisque apta putarat: & nobilium eorum Juvenum pars magna ita dilapsa est. Federicus ipse haud etiam olim ab ejusmodi consiliis alienus, durum, & triste quiddam de se cogitarat, quod cum Patre Gabriele Porro, Barnabita, communicavit. Is ad D. Carolum detulit rem: & ille moneri patruelem jussit: quoniam valetudine non firmissima esset, melius fore, si perseveraret, uti coepisset: & quies rursus in hunc modum parta fluctuanti animo.

## CAPUT XVIII.

### *In Ticinensi gymnasio, collegioque Borromaeo quanta fuerit gratia Federici apud omnes.*

UTriusque Philosophiae cursum sub Papazono, & Bonhomio, sicut dicere instituceram, ingressus, tanto majore contentione ad naturae res, & arcana Divinitatis cognoscenda enitebatur, quanto solutior jam erat ei animus ab illa, quam exposui, cura, tentamentisque Patrum. In D. Caroli sinu deposuerat ejusmodi sollicitudinem: penitusque exonerato animo absque interpellatione ulla studiorum, & litterarum erat: & collegii alumnis, qui jam ad quadraginta convenerant, non uti Dominus modo, & Princeps loci ejus, sed etiam uti magister, atque exemplum perfectissimi moris adspiciebatur. In scholis gymnasioque ipso magna erat gratia ejus, immo potius reverentia apud omnes, tanta, scilicet, ut, ingrediente eo, conticesceret tumultus, & vociferatio repente omnis: adpositaque ad os manu, silentium, & quietem sibi Juvenes imperarent. In testimonii sui litteris affirmavit, prodiditque ita Pater Ambrosius Mazenta ex Barnabitarum Ordine, qui condiscipulorum eo tempore unus, & Federico ipsi continuus fuit. Ac potuit sane mirum, & novum videri hoc in gymnasio, ubi per studiorum nomen, lascivia, & protervia juveniliter exercetur majore studio: &, ubi sicut in caeteris quoque gymnasiis, velut concesso jure pro obscuro, & ignobili habetur quisquis non inter experimenta laureolasque legum tulit hanc etiam procacitatis, & insolentiae palmam. Non pepercere Galliarum Regi Ludovico, cum ille, sive gloriae, oblectationisque suae caussa, sive, ut Magistros discipulosque simul praesentia sua honoraret, ausus fuisset illuc inferre pedem. Et ausos eadem temere calcare vestigia Gubernatores, pastoritia fistula, sibilisque multis exploserunt. At, ingrediente, sicut dixi, Federico, silentium, murmur, & repente quies erat. Sed ne strenam quidem ab ipso ullam exigere ausi sunt, quo, velut necessario tributo persoluto, tirones tamquam pupillaris verecundiae vinclis exsolvuntur, atque aggregantur nequitiis & licentiae veteranorum. Ea quaedam initiatio est plena tumultus; impendiaque illa, & consensum in vitia ludosque aetatis cogitur praestare quisquis esse auditor velit. Nemo effugit umquam ejusmodi necessitatem: quam si qui detrectare fortasse voluerunt, armis periculoque victi succubuere. Federicum ne appellavere quidem. Et ipse dare ultro supersedit, volens abolere, si posset exemplo suo, licentiam, quam non edicta, non decreta, non poenae tollere potuerunt.

Florentissima eo tempore erat haec Ticinensis Academia Principum Juvenum concursu, quos undique conciverat claritudo Urbis, nobilitasque Doctorum, & vulgata fama per gentes, haud alibi felicius proficere ingenia, haud etiam alibi post eos, quos dico, ludos, & concessa jura juventae, magis in exitu provenire, ac velut emergere modestiam, gravitatem, floremque sapientiae, & apta capita juri dicundo, regiminique terrarum. Perscripsit nomina Principum horum Mazenta idem, cujus testimonio libenter ego utor, quia non poterat sanctior alius esse testis, auctorve certior eo, qui fuisset una cum eis etiam ipse nobilissimus, ac deinde propter Christum humana cuncta reliquisset. Fuere autem in gymnasio Principes Juvenes tunc fere isti: Monoeci Princeps Hercules nomine Camillus Columna, Martii Columnae frater; Andreas Auria, nepos Andreae, quem maritimae res nostra aetate extulere immensum; Abbates duo nostrates, Sfondratus, & Arcimboldus; quorum alter patrui postea Pontificatu rerum humanarum arbitrum aliquamdiu egit: alter magnitudine opum caeteris praestabat, splendoreque sumtuum anteibat etiam opes suas. Aliique praeterea nonnulli pares istis, quos recenseri, sive numerari universos, haud attinere arbitror. Hi omnes, nobilitate sua, & fastu fastidiosi, delicatique, & superbi, & elati adversus alios, inter se aemuli, discordesque ob potentiam, in eo consentiebant, ut colerent haud tamen sine certamine Federicum; atque velut unanimes ad eum saepe ventitabant in collegii aedes, haud aliter, quam sicuti in aulam itur. Cardinales quoque ipsi, quicumque venerant, sive diverterant ex itinere forte Ticinum, ad Juvenem ivere salutatum: ivitque Sfondratus inter caeteros ille, qui postea Gregorius XIV. fuit. Cardinali Rubeo, qui super Purpuram Pontificatumque Urbis ejus,

ejus, etiam ab insita animo violentia elatior habebatur, gratissima voluptas erat invisere, ipsum alloqui, lacessere, & audire disputantem: decesseratque D. Carolus jam cum ista fierent.

## CAPUT XIX.

*In tanto plausu gratulationeque communi nonnulla etiam ei objiciuntur, fertque leniter & mutat.*

INdiderant sibi Juvenes cognomenta invicem, sicuti procacia ingenia sunt, & sicut in otio fit: inerantque cognomentis vitia, quae cuique legitimis nominibus superindita appellatio exprobrabat. Nec fere nisi per ejusmodi cavillos inter se appellabant. Indecorum id, atque alienum ab moribus & dignitate collegii Federico visum, voluitque tollere si posset. Die quodam inter solita colloquia, per horas, & tempora relaxationum, arrepta occasione, illatoque sermone, dicere instititit, ludibria illa nominum ab nulla alia re, nisi ab familiaritate immodica oriri. Rem esse parvam, quae tamen haud parva momenta facere, & negotiis haud sane parvis inquietare animos possit. Sibi, quod sciret, nondum mutatum esse nomen: causamque ex eo, quod modice consuetudine hominum uteretur: libenter incola cubiculi sui esset: ac familiaris amicitiae jura libenter ab colloquiis, & congressu mortalium, ad mortuos jam, atque ad eorum monumenta transferret. Dixerat simplicitate quadam, & ingenuitate sua provectus: cumque diceret, leniter subrisere nonnulli, ac vidit ipse ridentes. Ratusque id quod erat, impositum sibi quoque nomen, rogare coepit uti conscius fieret: pervelle scire, quomodo appellaretur: neque finis efflagitandi, donec aliquis reverenter, petita venia, bonamque pacem verecunde praefatus, nuncupari *pertinacem* dixit: subjecitque causam: quia, nimirum, immutabilis ad omnia, quae semel imbibisset, animi esset: atque in disputationibus praesertim sententiam praefracte tueretur. In praesentia quidem id in levi habitum, leviterque transmissum videri potuit. Caeterum alte animo haeserat cura emendandi quidquid illud reprehendendae consuetudinis per cognomenti ambagem objectum foret.

Namque D. Carolus inter caetera praecepta, quae tum voce, tum scripto dederat proficiscenti Bononiam olim, mandaverat in primis hoc, uti meminisset semper capessere pugnam adversus id vitium, quo vitio laborare se se suspicaretur. Atque praeceptum id e multis unum inter schedulas, & adversaria Federici perscriptum reperimus, cum caetera sive negligentia sua, sive casu quopiam improvido periisse, etiam ipse, nobis audientibus, conquestus haud semel fuerit.

Per eosdem dies inter Michaelem Angelum Caciam, qui postea Senator fuit, & Alexandrum Petram, collegii alumnos, ex dignitatis certamine grave certamen ortum, ad diffidia in posterum etiam graviora spectare videbatur. Cura reconciliandi eos, & ipsorum arbitrio Juvenum, & jure potestatis ad Federicum pertinebat. In causa aestimanda pacificator ad Caciam, quia Aronensis ille erat, magis inclinare visus, favoreque in illum promtior accipiendis adversus Petram offensis habitus est. Id ipsum arguere sodales, cum religiose invicem excuterentur, atque objicerentur in arcano culpae, non dubitaverunt: agnovitque culpam Federicus, & gratias monitori egit: multumque contendit, ut se se Petrae purgaret, donec illum satisfactionem accepisse comperit inquietus. Hoc igitur utroque casu factus erat in posterum promtior, & cautior, ut & rerum, hominum, causarumque momenta, integre ac juste sine perturbatione ulla dijudicaret: & nulli umquam sententiae pertinacius adhaeresceret, prout monitum se esse meminerat. Simul, quia senserat offendi sodales rigore nonnullo, & severitate disciplinae, statuit mitigare, ac remittere aliquid: remissiorque & communior ad nonnulla ipse deinde erat, quo promtiores ad caetera alumnos, obedientioresque haberet. Nam etsi gratuita alimenta juventuti illi praeberentur: mirum tamen utique fuit, potuisse ita contineri & regi tamquam indigos, obligatosque votis, qui & domi delitiis opibusque affluebant: & poterant abire quandocumque vellent: & post D. Caroli mortem nulla re magis, quam ipsius Federici admiratione intra claustra veluti illa tenebantur: & erant demum in flore aetatis.

## CAPUT XX.

*Ad familiaritatem aliquam, & nonnulla cum caeteris oblectamenta descendit.*

HAud pigebit referre, quemadmodum postea censuerit permittendas aliquas esse collegio voluptates, nec inutile fore, si talibus oblectamentis etiam ipse immisceretur. Quae quidem ludicra fuere ejusmodi, ut haud immerito custodita memoria sit, non secus, videlicet, ac sicuti seria caetera graves homines, qui interfuerant, tradidere per manus, & solliciti fuere, ne intercciderent: referrique profecto etiam ista in exemplum possunt. Anno eodem, quo decesserat D. Carolus, tumultuatum in Ticinensi gymnasio forte erat, nescio, quam ob causam: iere ad arma suo more juvenes: exturbavere Doctorum genus: atque per treis fere menses clausis gymnasii valvis solitudo ibi & justitium fuit. Per totum id spatium temporis contineri domi etiam alumnos oportebat, ne in publicum egressi traherentur in partes, incommodique aliquid inde oriretur. Coerciti igitur intra aedes limine tenus, aegre otium solitudinemve eam ferebant: & cum Bacchanalium etiam forte dies incidissent, optavere jocularia, quae alias etiam licentia, & consuetudine dierum eorum permitti fas esset. Permissum, uti structa scena, fictisque personis, memorabiles e sacra vetere historia casus in theatro repraesentarent: & Joanni Botero negotium datum, qui scenae praeberet historias, & delectabilia quaeque ludenda assignaret.

Is inter caetera die quodam assignarat, ediderat que repraesentandam filiorum Jacobi profectionem in Josephi fratris domum. Sterile id, atque jejunum visum est alumnis, non tam, quia erat, quam, quia cupiverant interponi etiam convivia, & mensas, atque epulari vere ibi, quomodo famelicam antiquam eam turbam, cohortemve fratrum, & dives, & laetus adventu suorum Patriarcha accepisset. Id placiturum sibi significarant, dixerantque Oeconomo, pertinere hoc ad scenae veritatem. Quia dissimulaverat, omiseratque ille, suboffensi juvenes ita peregere simulacra historiae, migrationisque & hospitii illius, ut nihil amplius, quam totidem ipsa Biblica verba recitarent, quibus verbis res ea consignata memoriae est. Facile intellecta indignatio Comicorum: tumultuabaturque Boterus, &, se delusum esse, ajebat.

Ad Federicum itur, non tamquam de ludicro: audiunturque partes. Querimonia Boteri haec: spretum esse studium operamve suam: pro specie, & pompa, qua Scenico ritu adornari & effingi nobilem eum ex Vetere Testamento casum oportuisset, nudam & simplicem recitationem fuisse verborum. Juvenes vero dicere, recte id, ordineque factum: & horribile carmen, anathematisque verba sacri Concilii proferebant in eos, qui adulterare, invertere, diminuere, seu multiplicare Bibliorum verba auderent. Diremit Judex amabilitate sua litem, jucundeque collaudatis alumnis, quod sancta decreta religiose ita conservarent, Oeconomo mandavit, ut nobile epulum extra scenam adornaret, sicuti promte comiterque factum, & versa in hilaritatem, ac ludos tota contentio est.

Puderet operi tam serio leve ultra quidquam immiscere, nisi & praefatus jam satis de hujusmodi rerum etiam necessitate essem: & grave nonnihil, atque eruditum singula praeferrent: & nisi demum venia justa deberetur ordienti longum, & continuae severitatis opus in haec remissiora divertendi. Quia ciborum, & mensarum incuriosus, ut dixi, Federicus erat, inde nasci credebatur incuria & negligentia eorum, qui talia administrabant: insciteque & insulse condita saepe apponebantur. Haud dubie alumni vulgo omnes causam incommodi

di ejus, murmure inter se se occulto referebant illuc, unde & oriri credebatur. Non tamen deferre querimoniam ausi fuerant. Hilaritate temporis ejus invitati sunt, ut audere inciperent: sensimque atque per jocum illata mentio est: examinari oportere coquum: ut, nisi peritissime ad interrogata responderet, exauctoraretur: si satisfecisset, aucta stipe retineretur, acciperetque lauream etiam ipse suae artis. Ejus joci repertor problema hoc afferebat, quomodo coena ex rapis lautissima parari posset. Annuitque cognitioni habendae Federicus, tum, quia Bacchanalium illi dies erant: tum, quia recordatus erat ex Romanae historiae Principe Calcidensis hospitis, qui, cum daret Imperatori coenam, varietatem ferinae carnis ex mansueto sue solstitiali tempore anni, imitatus fefellerat judicia convivarum, ut a convivatore illo exquirerent, undenam tam copiosa, & multiplex venatio tam alieno tempore ei esset. Ejus Liviani loci memor, & raparum simplicitate delectatus Federicus, mandavit rite interrogari coquum, sumique etiam experimenta, &, prout exitus fuisset, statuere, ac decernere arbitratu suo ipsos, qui quaestionem ejusmodi movissent. Non caruit delectatione res, multumque exhilarati animi sunt.

Accidit mox, quod inter oblectamenta haec, multo cum rubore verecundiaque praesenti, confusionem in posterum etiam doloremque afferret. Altempsii fratres venere d ebus iisdem in collegium, miseratque Cardinalis patruus eos, ut ibi, tamquam in sua domo, erudirentur. Nam ex D. Caroli sorore geniti erant, quae Pii IV. sororis filia Comiti Altempsio, clarissimae per Germaniam nobilitatis, data in matrimonium ediderat geminam eam prolem; & imitatione moribusque Federici imbui tantae Domus haeredes patruus eorum magnopere cupiebat. Accepti sunt a Federico gratulatione, & laetitia, quanta par fuit: & post dierum aliquot quietem invitavere, ut paulisper ludere pila secum vellet. Ille negare primo, & excusare multa: rogare etiam ut sibi ignoscerent: collusoresque potius ex eodem contubernio alios humanissime exhibebat, nolens ipse, scilicet, descendere in campum, ubi vel deponere, vel subducere talarem tunicam, cruraque aperire necesse haberet. Sed instando ac fatigando saepius Principes fratresque Altempsii, patria Germanica illa libertate pervicere demum, uti descenderet: assumtisque sociis, ad utrumque caput aulae divisi in partes, & interjectis aliis, strenue ludere coeperunt, adstante ad spectaculum universo pene sodalium coetu: personabatque theatrum, sicuti consuetudo ludicri est: qualis nempe clamor etiam Homeri carminibus inest, illic, ubi pila ludentes Alcinoi filias, opinor, ad fluenta in littore Vates facit.

Petrus Galesinus tunc in collegio erat, noti nominis, ob studiorum elegantiam, sed moribus animoque haud perinde eleganti habitus, asper quidam, & iracundus, Cynico pene ritu probus, honestusque idem, D. Caroli familiaris olim, &, mortuo nuper Cardinale, transgressus ipse quoque una cum caeteris ad Federicum. Is, audito strepitu, intulit theatro pedem, & strepitu pene majore exclamare coepit: *Hoccine Cardinalis Caroli collegium est? Haec disciplina quam ille fundarat?* stetitque Federicus, & inhorruit, & exanimatus pene est, quia, nempe, sciebat, hunc virum esse illum, qui tot Synodos, atque pro Ecclesiasticae disciplinae dignitate, tot habita a Cardinale concilia, sua manu perscripsisset. Unde & obversari quodammodo sibi majestatem ejus, praesentemque adesse putabat. Verecundia quoque orta apud caeteros, postquam confusum ita Federicum, attonitumque viderunt: consternatione intellecta solvitur ludus: & in sua quique cubicula discessere.

## CAPUT XXI.

### *Collegio studiisque affixus absque ulla evagatione perseverat.*

ADeo assiduus collegio gymnasioque fuit, ut & inter acta collegii, & in diariis hominum proborum, quibus observare, & custodire ista studium fuit, perscriptum exstet, quoties, quibusve de causis, quibusve temporibus discesserit, & quanto etiam temporis spatio contigerit abesse ipsum: parva fortasse dictu ista: sed quae perseverantiam, assiduitatemque juvenis, & immobilem etiam in illa aetate animum declarare possint. Ivit ad D. Carolum evocatus ab eo quinquies ob colloquia, & monita, de quibus alibi dictum esse, arbitror. Mora quatuor vel quinque dierum erat. Ivit Gropellum in Lumellinos ad invisendam sororem, quae nupta cum Equite Hieronymo Vicecomite, toto, quantum vixit, aevo matronalis sanctimoniae exemplum habita est, &, scribentibus ista nobis, decessit, cum vitam ultra octogesimum annum aequabili virtutum omnium tenore perduxisset, misericors, & benefica in egenos, castigatrixque peccantium, & ad praecepta tradenda perfectionis, ac salutis supra feminam prudens. Non dubium habebatur, quin ab sermonibus, hortamentisque ejus Federicus ipse compositior rediisset in collegium, licet nihil esset jam in ejus moribus, & vita, quod gravius, sanctiusve componi posse videretur: retulitque gratissimum ab ea sibi munus, Magdalenae effigiem, quam ipsa confecerat acu, serica, & aurea fila contexens, cogensque spirare, quomodo pictorum arte spirant colores. Id non tam Divae peccatricis, quam ipsius poenitentiae simulacrum, opus munusque sororis, & ostendebat ambitiose Federicus, postquam ab ejus congressu discesserat: & per totam deinde vitam unice charum, dilectumque habuit.

Fuit iterum ad salutandam consobrinam Capucinae Balbianae sororem, quae Balbiana Capucina nostris temporibus credita est, & constantem hanc de se famam reliquit. Ibat vacationum autumnalium diebus Aronam, & redibat omnium primus. In suburbano Colle, qui Baldi lucus dicitur, Altempsiis fratribus, collegioque toti semel epulum praebuit, simul ut sodales universos, simul & Germanicos eos praecipue Principes tempestiva comitate recrearet.

Pene omiseram id, quod primo loco ponendum fuit: Ivisse, nimirum, ad D. Caroli funus, atque in ea lugubri pompa accidisse memorabile hoc. Aversis a feretro oculis omnes eum intuebantur; & inter duos Borromaeos mortuum, vivumque divisa Civitas moesta simul, & laeta, Pastorem sibi aliquando hunc precabatur. Hi Federici egressus narrantur. Numquam fere alias Urbe egressum ferunt.

## CAPUT XXII.

### *S. Theologiae lauream accipit.*

ALtum & occultum, & incredibile quiddam, circa electionem adhuc formamque vitae, destinatum fuisse Federici animo, credere oportet consilia ejus aestimantes, quae consilia videlicet in aperto ita fuere, ut vel clare perspici possent, vel saltem non obscuras aliquas sui conjecturas darent. Nam cum ab ineunte aetate, sicuti demonstratum est, tanto labore, tantisque conatibus, pervolutatione librorum, audiendisque Philosophis tentavisset arduum illud ad serena Templa Sapientiae iter, vereque, quantum homini licet, eo pervenisset: in studiorum termino demum, & velut in fine itineris, praemia illa ex plausu approbationeque communi debita & semper tributa ingeniis, adspernabatur: certe assequi non curabat. Apparebat sapientiae fructu contentum minimi ducere honores illos, & insignia virtutis, quae tantummodo pompam inanemque jactationem animorum haberent. Inde conjectura ducebatur, meditari Juvenem abscessum adhuc & migrationem a rebus humanis, violentiorem aliquanto, quam esse potuisset, cum ad sua instituta Patres traducere ipsum, & socium adjungere sibi voluerunt. Quoniam ad laureae contemtum, recusationemve illam, caetera omnia congruebant: solitudinis amor: eleemosinae multae: profunda humilitas: precandi studium: sobrietas etiam cuilibet Religioso nimia: inde conjectura ducebatur, de rebus humanis decrevisse ipsum; velleque aut secedere, aut latitare ita, ut secessus, atque solitudo domus ipsa fieret. Ipse quid interea cogitaverit, nobis in incerto est.

De

De laurea certe primoque illo ad honores, & famam aditu, non cogitabat.

Treis eo tempore Cardinales erant, qui, alius alia de causa, omnes admiratione virtutis, quae in Juvene etiam ex longinquo elucebat, producendum sibi eum, ornandum, attolendumque destinabant: erantque isti, Altempsius, Farnesius, & Fererius, collegii Principes, adnexi Domui Borromaeorum, de quorum postea studiis atque consiliis, &, ut quisque eorum in eo negotio affectus fuerit, sicuti accepi, demonstrabo. Admonuere isti, sive tamquam admonerent, haud obscure mandavere, ut, quoniam satis jam studiorum, atque meditamentorum haberet, curriculaque solita confecisset, accingeretur etiam ad publica experimenta, sumeretque coronam. Haud multum deinde ille cunctatus, in arenam solito more descendit: Theologusque Doctor post consueta certamina solenni caeremonia declaratur. Cur petere voluerit hanc praecipue palmam, abdicaveritque Juris & legum, causa fuit illa, quod nimirum meminisset, improbatum fuisse D. Carolo id in Clerico studiorum genus: nominatimque ille mandarat, ut, relicta laicis hominibus cognitione Juris civilis, hanc, quae coelestis esset, & divina sequeretur. Praesedit certamini Cardinalis Rubeus, Episcopus, ut antea dixi, Urbis. Orationem habuit Sancti Theodori Praepositus, Theologorum ea tempestate facile Princeps. Apparatus, munerumque magnificentiam narrare, injuria novi Doctoris fuerit. Nam, sicuti in certamine, disputationeque illa aversi stetere omnes ab ejusmodi pompa ad tanti ingenii contemplationem: & sicuti ne pompam quidem ullam ipse curarat, sed eo inscio, curavere adornavereque familiares: Ita, ne nobis quidem, litterisve nostris decorum nunc esse, arbitror, ad ista opum humanarum ludibria divertisse, nullius inter doctrinae experimenta momenti, etiam si Regum omnium fortunae consumerentur. Illae verae opes divitiaeque ingenii fuerunt: quod nullam umquam pari subtilitate, & profunditate doctrinae in eo Ticinensi gymnasio habitam esse disputationem affirmabant, qui ipsi viderant ibi portenta aliqua ingeniorum, quive alias exstitisse aliquando acceperant, sicuti memorantur ista semper, & quamvis antiqua, atque exoleta sermonibus hominum, & praedicatione renovantur. Non fuere ex ante condicto, & ex ante praeparato velitationes illae punctorum capitumve quorumdam, in quibus satis est, non esse mutum, neque elinguem, ut fieri Doctor, ut ferre lauream possis: ubi eludunt, eluduntur que invicem discipuli pariter, & magistri, gymnasium omne, concioque tota, qui dant coronam, quive accipiunt, quive scenica haec spectant, & prodit repente Philosophus, Theologusve, sive Jurisconsultus, quisquis dividere munera potuit, & pronunciare pauca verba memoriter.

Federicus accepit quidem etiam ipse, fecitque solennia cuncta, neque de inveterato legitimo disputationum ritu mutavit quidquam. Caeterum, respondendo ad singula breviter, enucleate & modeste, ita dissolverat nodos, & argumenta diluerat, ut appareret, nihil esse id, quod positum principio fuisset, nihilve etiam illa, quae deinde objicerentur. Et, cum aliud ex alio necteretur, atque certamine incalescente, sensim etiam animi incalescerent, abducta a punctis capitibusque primis disputatione, penitus in scientias disciplinasque omnes itum: involvebanturque difficultatibus argumentatores, unde se se explicare non possent: &, ubi torserat aliquamdiu eos, atque versaverat in omnes partes, monstrabat unico verbo viam, ultroque expediebat: cognitum ita est, non unam esse scientiam, quam ille percalluisset: sed omnia, quae capere posset animus humanus, mente comprehendisse. Adeo opportune, & accommodate, & copiose jecerat, sive intulerat, ostenderatque semina & fontes universarum rerum, neque id tamquam sponte, sed veluti coactus ab iis, quos tamen coegerat ita ipse, & implicarat. Et tunc quidem sudavere multum: postea vero conquesti fuere se se circumventos. Intellexere, & crebris sermonibus celebravere: quidnam esset pertinax illud absque ulla intermissione studium: quidve etiam conjuncta cum studio pietas, spiritusque divinus. Huc miracula illa referebant. Sic disputationis ille dies transiit.

Postero die in convivio praebito Professoribus, haud minore eos stupore defixit, compressa, & fere in silentium acta ostentatione ipsorum, sive historias, & facta veterum protulerant: sive carmina aliqua lacessiverant patinae cibique illati: sive demum caetera convivali eruditione ipsi inter se lacessiti altercarentur. Nos ista retulimus, prout retulere, qui interfuerunt.

## CAPUT XXIII.

*Cardinalis Fererius Vercellensem Abbatiam, quam obtinebat ipse, Federico tradit, recusanti.*

FUit Guido Cardinalis Fererius ex Messerani Principum domo, sive potius domus ejus pene Fundator ob nomen & famam, quae magnis Cardinalibus eum adnumerabat: habebaturque vere magnus, non tam ab opibus, & splendore ac dignitate vitae, licet ne illa quidem abessent, quam ab innocentia, & simplicitate animi, quae in Principe, & Cardinale eo, rara societate cum prudentia conjungebatur, quantam nempe prudentiam vix habuere illi, quorum haec sola laus fuit. Fuit Sedis Apostolicae Legatus: Borromaeorum domum affinitate contingebat: & intercesserat ei amicitia cum D. Carolo, qualis inter Sanctos ob similitudinem quoque morum, & altae spei consortium esse solet. Post D. Caroli mortem, animadversa, & penitus introspecta vita, & conditione Federici, coepit iste cogitare, & moliri multa, quo virtutum illius haeres fieret, haeres quoque dignitatis, alterque Borromaeus hic, collegio Cardinalium, & Ecclesiae Romanae restitueretur, quando priorem illum suprema destinata vindicare Coelo maturassent. Ea cura sederat Cardinalis Fererii animo, & nihil ille destinabat cupiebatve magis. Habebat apud Vercellarum urbem Sacerdotium amplissimum, nobilemque Abbatiam, Ecclesiasticarum opum, & Apostolicae majestatis haud leve specimen. Quippe in multa millia passuum praedia, villaeque, & pagi subjecti excurrunt: eaque suburbana rura Sabaudus, & sicuti sua suspirat, & sicuti aliena intuetur. Sacerdotium, Abbatiamque hanc, si traderet Borromaeo Fererius, videbat ad ulteriora fore gradum & robur. Nec sane res dilata, quo minus exsequeretur Cardinalis, litterasque & mandata opportuna in id daret, ut Pontificis Maximi nutu Borromaeus renuntiaretur Praroli Abbas. Sic Abbatia nuncupatur. Annuitque Pontifex Gregorius XIII. & cuncta per eum benigne ac prolixe concessa super eo negotio expediebantur.

Haud fortasse credent venturi homines, in quorum manus haec nostra cura perveniet, id, quod nos quoque credere coegerunt testimonia, & monumenta, unde tota nobis harum rerum petitur fides. Non enim dicere possum de re, casuque narrando, sicuti de caetera deinceps narratione profiteri licitum erit: vidisse me, scilicet, atque interfuisse, & comperisse. Sed Mazenta sic in Ephemeride, Diarioque suo perscripsit. Federicum, ubi accepisset, fieri se Praroli Abbatem, moverique insuper, & tentari quaedam, ut Romam eundum sibi esset, incidisse subito in morbum, cujus causas assignare Medici nullas possent, nisi interturbationem animi repentinam. Ad pronunciatum illud, sententiamque Medicorum congruisse mox etiam confessionem aegroti Juvenis, qui dixerit, tabescere se, & mori, si avelleretur a quiete sua, & ab eo vitae genere, quod elegisset. Comitissam matrem, ejus morbi causa ab Urbe Mediolano excitam venisse in collegium; adhibitisque amicis, & Medicis, cum remedia omnia conquirerentur, nullum praesentius efficaciusve repertum fuisse, quam si omnis ejus negotii mentio supprimeretur, imponereturque silentium. Id aegro levamen: redditamque ita Juveni salutem. Hactenus Mazenta perhibuit, testatusque est, qui tunc in collegio erat, assediteque decumbenti.

## CAPUT XXIV.

### *Nonnulla turbantur.*

Convaluerat Federicus, & de eo, quod acturus postea esset, secum ipse deliberabat, nemine conscio, aut participe consiliorum, suspicantibus tamen multa cunctis, qui circa eum erant, tum ex indole ipsius, vitaque ad eam diem acta, tum ex eo, quod nuperrime accidisset. Accidit interim, ut Pontifex Gregorius diem suum obiret, eaque occasione Cardinalis Fererius, de cujus animo, & voluntate demonstravi, Romam ad comitia proficisceretur. Is ad Federicum misit, ut sibi in itinere occurreret, qua Ticinus in Padum effunditur, jungiturque flumini: processitque Federicus illuc. Nemo colloquio interfuit: nemo potuit scire quid Federico dictum: sed credidere omnes, hortationem fuisse Cardinalis ad capessendum vitae iter, in quod a Cardinale Carolo optimo & sanctissimo inductus ille jam fuisset. Id ipsum Cardinalis Altempsius per litteras, hortatoresque submissos monere non desinebat. Nam ille quoque, sicuti Fererius, & meritorum, ac sanctimoniae D. Caroli memor, & cum Borromaea domo necessitudine conjunctus, & mirifice de Federico sentiens, admovere summis Ecclesiae honoribus hunc flagrantissime cupiebat, nullo modo quieturus, nisi Cardinalem primo quoque tempore factum vidisset. Ita duo Cardinales, communicatis inter se consiliis, & inter comitia ipsa, &, posteaquam novo creato Pontifice, exiere, votum animi sui hoc, apud amicos, apud alienos, apud Pontificem praecipue ipsum, urgere non desinebant, veluti rem justam debitamque efflagitantes. Atque ipse interim, de quo agebatur, expers actionis ignarusque erat, & ab tota re animo plane alieno. Sed & Pontificem reperere alienum, ultra quam credi posset.

Sixtus V. erat, qui fuit ante fastigium, nomenque illud, Frater Felix a Montalto: quo nec Pontificatu, nec nomine, neque terribilius, neque amabilius plausibiliusve quidquam, neque tantae diversitatis mixtura perinde memorabile aliquid Apostolici fasti habent: memoriaque viri ob conjuncta, in animo, imperioque eodem, & consociata divinitus haec, aeternum manebit. Privatis adhuc intra Franciscana claustra rebus, offensionis aliquid; sive suo, sive Fratrum nomine ille animo condiderat, quo scilicet tempore D. Carolus Ordinis ejus Franciscani Protector, recognoscere ibi, atque emendare nonnulla voluisset. An attigisset nominatim censura Montaltum, sive perculisset in commune tantummodo omnes, haud sane compertum mihi est. Illud minime ambigitur: servasse Fratrem iras in longum, Regum plane ritu, moreque: quos ait Homerus, etiam si coxerint hodie indignationem, cras tamen fore iratos: & fuit Regio utique spiritu Montaltus, tum in omni reliqua Pontificatus, & Imperii sui parte, tum privatim in eos, quos de se bene, secusve meritos esse, meminisset, quosve hoc discrimine descriptos in suae mentis albo haberet. Accessit ad animum ita offensum falsa de Borromaeo Juvene fama, quae sive sua sponte, ingenioque semper, sive nunc aliquorum arte mendax detulerat ad Pontificis aures cuncta in contrarium: & ubi secundis auribus accipi ea artifices viderunt, augebant ultro atque affingentes finitima virtutibus vitia, pro studioso, atque solitudinis, & litterarum amatore tetricum, pro quieto & mansueto segnem appellabant, caeteraque ad eam formam: unde Pontifex alia potius omnia cogitabat, quam quod fautores Cardinales meditabantur. An in Conclavi inter comitiorum arcana promisisset Altempsio sive Fererio quidquam, incertum fuit. Responsa nunc ambigua, perplexa erant: & supplicanti Fererio semel aperte negavit: cumque non dubitavisset ille causam exquirere, cur tantae domui, tantae virtuti, cur denique Cardinalis etiam Caroli meritis negaretur, dictum aperte est: *Juvenem nimis adhuc esse Federicum: anceps id ingenium spectari, & expendi paulisper oportere: non deesse benemeritos in aula, nobilissimosque senes, qui spei adhuc eidem insenescerent.* Et clausula ad extremum illata Pontificis ore haec: *Magnorum Principum esse praerogativam, ut Cardinales fierent id aetatis.*

Quae Fererius audiens, intellexerat etiam id, quod non dicebatur: planeque desperabat. Excogitaverat tamen illud optimum factu fore, si Federicus ipse venire cogeretur ad Urbem: posse praesentia, adspectuque ejus confutari objecta, & expugnari Pontificis animum. Sed nihil tam inexpugnabile erat, quam Federici animus: adeoque ille a Romana profectione abhorrebat, ut conturbari vehementer appareret, quotiescumque illata ejus rei mentio esset: ideoque mater, & familiares, & propinqui, veluti misso inter ipsos praeconio abstinebant, ne tale quidquam eo audiente loquerentur. Metus incesserat, ne levissima quamvis offensione recideret in morbum, qui & nuper eadem de causa aegrotasset, & corpore insuper esset, ob studia, & tenuem victum assiduasque meditationes, periculose affecto: atque ob eam rem acceptis Cardinalium litteris, alloqui, & compellare supersedebant. Moritur interea Fererius, quem & confectum fuisse moerore, plerique crediderunt. Ac nova sub ejus mortem indicia alienati animi Pontificis exstitere. Namque cum de Abbatia, qua se Cardinalis ille abdicarat, ut Federico traderetur, nondum acta transacta omnia essent, quae peragi transigi oporteret: Pontifex, ceu vacuum id absque ulla controversia Sacerdotium cuilibet alteri tradere in animo habebat. Et prensabant candidati, competitoresque nonnulli, quibus ne negari quidem in principio rerum a novo Pontifice posset. Sane Pontifex Gregorius prolixe ac benigne, sicut retuli, annuerat, ut renunciaretur Abbas Praroli Borromaeus: feceratque id, tum ejus causa, qui dare volebat id munus: tum ejus, cui dabatur.

Verum enim vero, dum perscribuntur diplomata concessionis, auctoritatisque Apostolicae, dum obsignantur, dum eunt, redeuntque per manus, & ministeria illa Scribarum: deprehensa res morbo, dein morte Pontificis, atque intercepta, sive oppressa fuerat, tumultu scilicet eo, qui Romae in transitu, & mutatione rerum fieri solet. Inchoatamque ita renunciationem pro irrita, & nulla, successor habuit. Deerat plumbum. Id satis visum Pontifici Sixto, cur de conferenda, & dispensanda arbitratu suo Abbatia & cogitaret ipse, & cogitantibus aliis aures, animumque praeberet. Quod nisi Altempsius & Primores alii Cardinalium, quicumque scilicet extra spem, cogitationemque eam erant, & quicumque D. Carolo obligati, nascentem alterius Borromaei gloriam rectis oculis intuebantur, deprecati essent: profecto, perierat res, vectigaliaque illa, & exspatiantes late campi, qui postea sub possessore dominoque isto, subsidia pauperum, & alimenta litterarum fuere, pervenissent in alienas manus. Traditur sic Abbatia Borromaeo, sicuti destinaverat, volueratque Fererius, imposita tamen pensione, contra quam ille voluisset.

## CAPUT XXV.

### *Romam proficiscitur, Cardinalis creatur.*

Mortuo, sicuti dictum est, Fererio, cum negotia ita se se haberent, collega actionis atque adjutore destitutus Altempsius, neque contentus eo, quod actum erat, & clare inde prospiciens, quam difficilia reliqua futura essent, pertaesus dilationes agendique modum, tria simul haec uno tempore agenda suscepit. Volebat inprimis abrumpi moras circa Federici profectionem in Urbem. Statuerat ei tradere Abbatias praeterea duas, quas in Regno Neapolitano habebat, alteram Vercellensi illi pene parem, alteram, quae ad utramque addita, momentum etiam ipsa suum in novo Abbate facere ad splendorem vitae posset. Volebat demum assequi, & efficere tertium, summumque illud, uti Pontifex Sixtus placidius in Juvenem, mitiusque inclinaret, quod futurum esse sciebat, statim, ubi vultum ejus, & animum, ingeniumque vidisset. Ivit Federicus ad Urbem, factus jam nempe firmior, & machina velut efficacissima illa commotus, atque impulsus, cum Altempsius ad eum in haec verba scripsisset: Placuisse ita Cardinali Carolo, mentemque ipsius fuisse hanc, ut confecto studiorum cursu, laureaque accepta, Romae vitam ageret in publica luce ad Dei gloriam, salutemque suam, & anima-

rum:

rum: proinde ne ultra cunctaretur. Abbatiae postea traditae sunt. Et Pontifex ille non modo maximus nomine, appellationeque usitata, sed etiam animo, ac sapientia vere magnus, posteaquam Comitem hunc, Abbatemque Borromaeum (sic jam in aula noscitabatur) in conspectu habuit: damnasse fertur inania rumorum, seque etiam ipsum increpuisse qui credidisset, Cardinalem statim cum tacita, neque tamen occulta animi destinatione faciebat, & mox dederat hanc Altempsio fidem. Id deinde quotidie magis, atque apertius, posteaquam aliquamdiu Federicus inter Pontificii cubiculi Antistites apparuit, modestia, virtute, pietate, eruditione incomparabili: quae omnia laudantem aliquando Pontificem dixisse ferunt: *Plus honoris intulisse collegio, Ordinique illi Abbatem, quam, quantum ferret inde ipse, atque haberet.* In Urbe, aulaque interpretante, & antevertente cuncta sermonibus, conjecturisque suis, haec fama erat: prima Ordinatione Cardinalem fore Borromaeum una cum Montalto, quem sororis suae filium pene puerum Pontifex creare debebat.

Obstitit ex favoris certamine impedimentum, invidiaque orta. Nam Cardinalis Alexander Farnesius Comitissae Hersiliae patruus, quae nupta cum Comite Renato erat, nonnullam ejus actionis partem ad se quoque pertinere debere existimans, ubi videt totam usurpare Altempsium, gratiamque beneficii sive gloriam penes eum fore, vehementer animo commotus, agere per se, perque alios, ac moliri nonnulla occulte apud Pontificem coepit, uti rejiceretur in alia tempora Borromaeus. Jaciebat illa quidem etiam alias jactata ab aliis, atque Pontifice praesertim ab ipso minime dissimulata, de immatura adhuc aetate Federici, de meritis, & senecta, & longa exspectatione aliorum. Sed praesertim exquisitum, reconditumque hoc: minui, & vulgari Pontificii sanguinis honores, si una cum Nepote crearetur alius: semper esse observatum, ut creatio illa solitaria singularisque esset. Penetravere haec: & prodiit in Purpura sine Borromaeo Montaltus, haud quidem sine aulae totius admiratione, quae par illud Federico decus exspectarat, sed in primis haud sine fremitu Altempsii, qui veluti ademptam eo die sibi Purpuram putabat.

Memini ego, cum ex Gropelliana villa plerique familiarium in uno cursu rediremus in Urbem, ita narrasse Bonhomium: Die, quo id acciderat, obvios fuisse invicem Altempsium, Montaltumque, Cardinales: sublimem curru hunc insequente agmine carrucarum, sicuti erga dominantes adulatio aulica assolet, ac sicuti etiam plausus, & studia in novum Cardinalem ferebant: illum vero gestamine sellae, sicuti mos seni, podagraque insuper impedito. Voluisse Montaltum, sive sponte sua, sive admonitu suorum sistere, & salutare, ac colloqui paulisper officii causa. Cumque inhibente fraenos eo, qui jumenta regebat, assurgeret jam exporrigeretque caput adolescentulus ille Pontificius tanto circumfusus aulico favore Cardinalis, Altempsium, sicuti offensus, iratusque erat, virgula, sive bacillo, quem tenebat manu, percussisse unum e servis, qui succollabant, & jussisse abire. Id Pontifici dictum, indignatioque intellecta. Statuit igitur haud ultra differre, & quia non ignarus erat inter duos Cardinales ortae aemulationis, medio temperamento usus, accitos ad se Farnesium, & Altempsium, in haec verba alloquutus est: *Borromaeum Abbatem addere collegio, & Cardinalem facere, in animo habemus, non alterutrius vestrûm causa, sed utriusque: immo, ipsius praesertim causa: cui pro dilato in hanc diem honore cumulus erit iste, quod dilatum esse dicimus: sed non ultra differetur.* Verba Pontificis fuere haec: & mox Cardinalis ille creatur, tanta omnium approbatione, ut gratulari palam, & laudare cogerentur etiam illi, qui ob suas quique causas occulte moerebant. Abjebant, manere virtuti suos honores: occupasse virtutem in Comite, & Abbate Borromaeo altioris fortunae locum: & exempla memorabantur; quam raro quisquam nisi aut domui Pontificis adnexus, aut ex magnorum Principum stirpe, ac domo, Cardinalis ea aetate factus fuisset. Magnus Dux Hetruriae, totaque illa Medicorum domus, & tormentorum bombis, & missilium ignium ludo, caeteroque omni apparatu celebravere laetitiam, ita, sicuti assolent, cum sui sanguinis alicui data Purpura est, atque in collegium illud aequale Regum fastigio cooptati ipsi fuere. Plausere ita, & magnae aliae per Italiam domus, Urbesque nonnullae. Mediolani tanto major gratulatio fuit, quanto plus caritatis erat erga Civem suum: insidebatque divinatio quaedam animis futuri Pontificatus, & rerum, quas ille gesturus in hoc patriae Pontificatu erat.

## CAPUT XXVI.

### *Novi Cardinalis studia & occupationes, mansioque ad urbem.*

HAbitabat Cardinalis Altempsius ad D. Apollinaris, ubi nunc aut pari, aut simili splendore habitat Dux Altempsius. Eo Borromaeum invitarat, quo primum tempore ille ivit; volueratque esse secum. Neque ambigam ego, quin inter caetera, quae Farnesii animum, ea, quae demonstrata est, aemulatione, sollicitare potuerunt, illa quoque domicilii familiaritas, atque necessitudo, praepotenti, & magnanimo, & supra caeteros se se efferenti Cardinali displicuisset, tamquam hoc argumento praeferretur alter, auctorque venturae dignitatis ille declararetur, qui & hospitium in Urbe, sedemque praebebat. Nunc acta re, decesserat levis ea cura animis, sive decessisse videbatur, quae ne id ageret, aliquamdiu causa, impedimentumve fuerat: & sive Pontificis verba, quae retuli, sive Federici ipsius amabilitas, atque simplicitas nunc colentis pari obsequio utrumque, nunc ab utriusque consuetudine, & cultu studiorum suorum causa desistentis, effecerant, ut pariter utrique carus honoratusque esset. Mansit igitur iisdem apud Altempsium aedibus, accepta Purpura, per aliquot postea menses. Ibi Cardinalium caeterorum, & urbis, aulaeque universae gratulationes accepit, ac vicissim ipse, prout cuique dignitas, functus officio est: strepebatque domus, & vicinitas illa concursu Principum, ventitante etiam, ac sedente saepe Farnesio illic, propterea quod ea gratulantium officia ad se quoque pertinere, sibique etiam exhiberi, notum esse vellet.

Finito autem hoc aulico Romano tumultu, Cardinalis Federicus nactus otii partem, quantum scilicet in Urbe, fortunaque illa, esse otium potest, novum quemdam studiorum suorum cursum abditus, occultusque domi repetere instituit, accipiens in cladis fere loco, quoties ob accessus & alloquia hominum, consuetudinemque communem ad inania rursus, & nihil profutura avocaretur. Nam periisse sibi multas bonas horas ad eam diem, magnopere angebatur, sicuti quidem & accepi ego ex aliis, & ipsum audivi commemorantem. Nec sane dissimulata ejus detrimenti querimonia est in eo libro, quem de suis studiis edidit. Philosophiae in primis, ac Theologiae quaestionum cura sollicitabat, ne subtilia, & alta, & multiplicibus intorta nodis illa fugerent oblivione ac desuetudine, altius, magisque etiam sibi implicarentur, ac demum plane evanescerent, sicuti plerisque usu venit, qui Philosophi Theologique prodiere e scholis aliquando, & post aliquantum inde temporis simillimi reperiuntur aliis, qui studia numquam illa attigerunt. Id, ne sibi accideret, sollicitusque, & anxius erat. Repetendo igitur, atque recolendo pertractata, & comprehensa olim, sic memoriae cuncta, animoque infixit, ut excidere nusquam deinde possent. Repetitio pertractatioque haec habitum paravit: habitus inde vertitur in naturam, quae, sicuti perpetua ipsa immutabilisque est, ita cognitionem scientiamque rerum menti impressam perire, mutari, minui non sineret, donec mens, & ratio in homine esset. Id consilii, sibi ab homine sapientissimo datum fuisse, scribit: &, divina praeditum mente Philippum Nerium, Confessorem suum, magnopere probavisse, quod prior ille suasisset.

Habitum, naturamque hanc ut adipisceretur, irrequieto studio adlaborabat. Et erat tunc viginti trium annorum in flore, roboreque aetatis, labori, contentioni-

que huic abunde suffecturus, si & robur corpori adesset. Tardabat aliquando impetum delicata illa, atque attenuata constitutio, de qua alibi dictum est, parvaeque, sed crebrae ex priore morbo offensiones; haec sic incitata studia interpellabant. Remedio erat interpellatio, remissioque ipsa, & necessaria subinde quies, qua ad labores, vigiliasque novas opportune firmabatur. Etiam colloquia cum eruditis levabant animum simul & loco studiorum erant: nec desunt Romae umquam ingenia copiosa bonis artibus: ad genus omne sermonum utilium exercitatae linguae: capita demum etiam apta, & foecunda rebus inveniendis: omnesque isti libentissime ibant ad Borromaeum, alii vocati, sponte sua plures, tum, ut discerent, tum, ut impetrarent ab eo aliquid, vulgata scilicet fama per Urbem sapientiae beneficentiaeque ejus. Aderatque ipsa etiam, quae spectatur in primis hominibus ejusmodi, facultas ad bene faciendum. Nam haud secus quam Cardinales illi, consanguinei affinesve Pontificum, quibus cuncta obediunt, ad impetranda, quae vellet, abunde potens, pollensque erat. Et quo rarius petebat ipse quidquam hominesve quotidianos haud fere commendabat, eo major erat verecundia negandi quod petiisset. Immo ne petiit quidem, commendavitve quemquam umquam, nisi, qui spectati litteris ita, & innocentia vitae essent, ut non posset negari eis, etiam si a nemine commendarentur. Mediocres, atque obscuros potius de suo sustentabat.

Haud absurdum fuerit, ponere etiam nomina eorum, qui aulam hanc praecipue frequentavere, quando, & litteratis hisce probisque suis amicis honorem habendum esse hunc ipse putavit, uti meminisset, cum narraret caetera studiorum suorum oblectamenta, & casus. Celebres in suo quisque genere Jesuitae adfuere in primis, Toletus, nimirum, & Bellarminus, Tutiusque, & Clavius, & Bentius, & Crispus: quorum duo priores ob doctrinae, ingeniique praestantiam Cardinales postea fuere: caeteri quales, & quanti fuerint, ipsorum monumenta testantur. Aderant etiam in Purpura jam senes facti, Valerius, & Paleottus: sive ad eos ipse ibat, nobile inter Collegas certamine humanitatis, consuetudinisque eruditae, & jucundae: quo fiebat, ut praevenire invicem studerent. Baronius nondum sane Cardinalis erat: sed ob sanctum innocentissimumque animum, & hoc, & omni alio dignus honore, frequens, ac pene assiduus sermonibus, & consuetudini Cardinalium horum adsumebatur: resque pulcherrima erat, omnis Ecclesiastici aevi conditorem illum, & Sedis Apostolicae plane Varronem, simplicem, horridulumque adspici sic in peronibus, & lacerna, quam suspicerent, venerarenturque Cardinales, & splendoribus ipsi suis taciti anteferrent. Magnopere amabat hunc, honorabatque Borromaeus, ibatque nonnumquam in claustra ad eum: & vicissim ille, raro alias in publicum egressu, aut in Vaticano ob Bibliothecam, aut Borromaeum, tamquam in Bibliotheca reperiebatur. Dicavit Cardinali primum Annalium suorum Volumen, hoc ipso professus in publica luce, conspectuque Pontificis, & collegii totius alienissimus ab adulatione senex, & nescius deformis obsequii Scriptor, quanto pluris unum, quam multos alios simul aestimaret. Pari Scriptor alius obsequio & familiaritate Borromaeum hoc tempore frequentabat, & styli genere dispar, & fortunae vitaeque exitu obscurior, sed fama Latinitatis clarus, magnoque inter aemulatores nomine, posteaquam decessit. Maffejum, dico, Jesuitam, novi Orbis Historicum, ea re infelicem, quod industriam, excellentiamque ejus non potuerunt agnoscere Indi, quibus ea desudarat. Perfugium huic erat Borromaei domus: & reperi ego inter exempla epistolarum, scriptam a Cardinale ita unam ad Oeconomum suum: *Enumeraret Alberto Bergomensi, Maffei fratris filio, quinquaginta nummos aureos: Patrem Maffejum ab se petiisse summam eam, ut suorum egestati subveniret, & dari libenter, quoniam suus ille amicus, ac de re litteraria meritus optime esset.*

Fuere, & alii amici Cardinalis eo tempore, illustres jam ingenii litterarumque fama, qui famam invenere postea majorem etiam ad posteros ob monumenta quae ediderunt, veluti Sylvius Antonianus, & Fulvius Ursinus: aliique nullo edito opere clari tunc, & hodie minus noti, veluti Concionator Hebrainus, & Sancta Fides homo Graecus, & Vallis Umbrosae Monachus quidam Hebraicae Graecaeque linguae peritia, nihil infra duos illos. Quorum alter ab Judaeorum quisquiliis ad Christiana sacra bona fide transgressus, atque receptus inter Dominicanos, haud mediocre decus Ordinis habebatur: alter etiam inter suae gentis homines magister patrii sermonis habitus fuit. Erat Valuerdius quoque nomine, quem consuetudine, & usu linguarum tres illi aequiparari sibi facile patiebantur. Omnesque istos volebat Cardinalis sibi esse familiarissimos, ut per eorum colloquia, Graece, Hebraiceque doctus, quam minima temporis jactura, velut aliud agendo, evaderet. Sed Magistri partes Monachus ille Vallumbrosanus proprie sustinebat, probus vir, & sicuti Cardinalis in Commentario refert, praeter notitiam, usumque linguarum, etiam caetera omni eruditione, prudentiaque excellens. Consilium ab eo datum sibi fuisse, ait, ut occasionem discendi nullam umquam adspernaretur: staretque erecto semper animo ad ea notanda, & custodienda, quaecumque prudenter, atque erudite dici, narrarive audivisset. Atque memor ipse consilii praeceptique ejus, non Romae tantum, sed per omnem deinde vitam tenuit hoc, ut ephemerides, & diaria quaedam auditionum conficeret: quos fontes thesaurosve appellare vere possumus novae cujusdam, atque admirandae varietatis, qua Volumina ejus scatent. Nam cum accederent ad eum quotidie gravissimi viri, tum Cardinales, aulicique Cardinalium, tum Romani nobiles, tum peregrini, qui e terris omnibus, cum sua quisque arte, & dote, negotioque suo confluunt in Urbem: cumque sermones, nusquam, nisi aut de nobilium scientiarum disciplinis, aut de rerum humanarum casibus, aut de statu, & conditione Principum haberentur: inde fiebat, ut quod eorum quisque pulcherrimum, elegantissimumque haberet, humani ingenii more afferre gestiret in medium, cunctaque ipse dissimulanter animo recondebat, ut mox conferret in Adversaria, quae exstant, atque in sanctioribus Bibliothecae Ambrosianae scriniis hodie adservantur. Fecit Cardinalis in congressu, consuetudineque hominum id, quod fecerat in portentosa illa, & propemodum infinita librorum pervolutatione Plinius, ut, quidquid legisset, excerperet, seponeretque, & litterarum memoria custodiret. Ita sententiarum & casuum, narrationumque florem, & novum quoddam sapientiae genus, quod extra libros, & monumenta, per manus, & ora tantummodo hominum, peregrinum, & indocile vagatur, collegio arripuit iste & custodivit.

Haec studia Cardinalis fuere Romae per octo fere annos, ab ea die, qua fuerat in collegium a Pontifice Sixto cooptatus, ad eam usque diem, qua creatus a Pontifice Clemente Mediolani Archiepiscopus est; ut in Urbis hujus deinde Pontificatu, per ipsos triginta quatuor annos, inter occupationes, actionesque gravissimas, & rerum negotia maximarum, studium etiam id, consuetudinemque retineret. Didicit in ea mansione, otioque Romano Jus quoque Pontificium, Apostolica decreta, Canonesque sacros, occasione quadam invitatus, cum Pontifex Sixtus eum congregationi Rituum adscripsisset: quam sibi occasionem fuisse discendi insuper, cognoscendique multa, profitetur. Praefuit tunc etiam editioni veterum Conciliorum: idque Graeco-Latinum opus, uti quam emendatissimum absolutissimumque prodiret, magnopere adlaboravit, conferendo codices, & recognoscendo singula, ne qua corruptela irreperet, ne adulteratus apex, ne vocula una falleret curam. Confessore interim illic utebatur Nerio, sicuti dictum est, eo, nimirum, cujus moribus, & sanctitati decerni coelestes honores nostra aetas vidit. Is, quia super innocentiam puritatemque animi singularem, qua tantum mereri decus potuit, etiam prudentia, provisuque rerum omnium excellebat, adhibebatur a Cardinale non arbiter, & judex modo culparum & conscientiae magister,

ster, duxque itineris ad salutem: sed consiliorum quoque particeps, & auctor, quae consilia, quasve actiones misceri sacramento nulla lex cogit. Regebat ille nutu domum, animumque Borromaei, & quidquid is pararet, atque meditaretur. Ab colloquiis regimineque isto credidere Cardinales caeteri, haustam huic Borromaeo fuisse moderationis & prudentiae pene divinitatem, quam attulerat ipse in conclavia semper, ibique explicarat plane consentaneam libro, quem & de prudentia hujusmodi postea edidit. Non potuisse Juvenem unum aequare sic, atque etiam anteire per se sapientiam, auctoritatemque senum in eo negotio, atque conventu, ubi Imperium humani generis, ubi Vicaria Numinis aeterni potestas agitur. Quamdiu moratus Romae est, procul ab evagatione omni egit, procul ab ineptiis, quae occupavere ibi, ac perdidere minus cautos. Omnibus, qui Romam ab Mediolano pietatis causa peregrinarentur, hospitium illa domus fuit.

## CAPUT XXVII.

### *Archiepiscopus Mediolani creatur Cardinalis Federicus.*

Haec experimenta sui dederat Borromaeus in hanc diem, nullo ad inania lapsu, qui exprobrari posset, in Urbe introspiciente, atque interpretante cuncta illic, ubi rara sine vitiorum confinio virtus tribuitur, assignaturve illis etiam, qui fastigium, & culmen attigere virtutis. Anno M D XCV. quem ipse trigesimum alterum aetatis, Purpurae acceptae nonum, inchoabat. Archiepiscopus Mediolani Vicecomes mortuus erat, ancipiti fama quamdiu vixerat, & majore gloria, postquam decessit. Et sors nimirum ita plerisque mortalium est. Nonnisi, postquam desiere, cognoscuntur. Fuerat ille scientissimus omnis humani divinique juris: moribus innoxiis, & animo antiquo prudentia simul, quantam ex novitiis saeculi artibus, saeculove callidissimo vix colligere potuerunt illi, qui sola hac laude claruerunt. Addidit ad Ecclesiae jura potius aliquid, quam, ut pars ulla pristini juris, ipso Metropolim obtinente, violaretur. Et maximi incrementi loco fuit quies per omne Pontificatus ejus tempus conservata Metropoli Ecclesiaeque huic. Nesciam avaritiae mentem, quae pars virtutum laudumque ejus, dum vixit, minus intellecta fuerat, declaravit vitae exitu, cum pauperibus omnia reliquisset, iisdem quibus & reservaverat opes. Huic Archiepiscopo successor quaerebatur. Nec satis erat invenisse unum, qui par ipsi, & munere dignus haberetur. Majus, ampliusque aliquid tempora requirebant. Et sicuti in moribus ingeniisque hominum, immo & in natura, ingenioque imperii hujus limaverat quotidie multum jam, exacueratque aetas; ita in altero etiam hoc, dominatu, regimineque sacro speciem, majestatemque rerum augeri oportere apparebat. Nisi major quaedam esset in Pontifice majestas, quam quanta per tredecim illos Archiepiscopi defuncti annos fuisset. Neglecta ratio decori, nec satis intellecta conditio, necessitasve temporum videri posset apud ista curiose aestimantes. Pontificem Clementem, pro ea cura, qua terrarum Orbem capessit Apostolica Sedes, ac pro eo momento, quod semper Ecclesiae Mediolanensi tributum fuit, haud parva incesserat cogitatio rei hujus: & major, profecto, quam si, aut cuilibet alteri Metropoli tunc, aut huic ipsi tempore alio dandus Archiepiscopus foret.

Nec minore ambitu Cardinales dignissimi exarserant, quos dulcedo patriae hujus stimulabat, ut redire cuperent ad finiendam ibi cum honorata, & splendida quiete vitam, unde ad studia, & labores, & honorum curricula discessissent olim, quive etiam alienigenae, atque externi, patriam sibi libenter hanc fecissent ob magnitudinem Urbis, gloriamque Pontificatus. Sane potuerant, & Pontifici Maximo curam, & Cardinalibus ambitum, spemque exemisse praesentia Borromaei, notaeque virtutes ejus, & animi splendor, & familiae nomen, & apta in eo cuncta regendis animis, qui Provinciam eo tempore regebant, Urbique Mediolano pro Catholico Rege moderabantur. Non utique digniorem, magisve idoneum alium reperiri posse constabat. Aderantque mox legationes, & litterae Principum exposcentium a Pontifice praesidium & decus Metropoli hoc, prout cuique tetigerat animum cura aliqua rei negotiique hujus. Dux Parmae Alexander, cujus Regiam vere mentem, atque Pastoralem in Martiali illo pectore animum, & pro Catholici imperii majestate sollicitudines immortalia ipsius facta declarant, preces super ea re suas Romam misit. Helvetii quoque supplicavere. Et supplicabant in primis magni Cardinales, qui non ipsi affines cupiditati, speique erant. Ipsaque Mediolanensis Civitas, & publici consilii capita Decuriones, Legato ad Pontificem suo mandabant, ut commune votum exponere non desineret.

Fiebant, mortuo Vicecomite, haec: neque dubium esse poterat, aut competitoribus, aut Pontifici, quemnam suffici vellet fama, quae raro errat, saepe eligit. Sed & pervaserat aulam, pulsabatque Pontificis aures alia fama constans, & commune murmur: alte destinavisse Borromaeum, uti refugeret penitus ab eo Metropolitano munere, neque se negotio implicari pateretur. Notaque erat in Cardinale hoc tenacitas illa propositi, quae semper objecta ei est, quamve conterminam vitio virtutem, sive sub virtutis imagine vitium nuncupavere faventes, aut affecti secus. Tanto minus sperabatur, timebaturve, posse flecti moverique animum: & quod Pontifici maxime displicebat, id ipsum aemuli maxime sibi laetum, maximeque opportunum ex diverso interpretabantur. Mediolani interim versa tota in sollicitudinem, & metum, inde in vota, & preces multitudine, ad templa omnia supplicabatur, ne privari Deus Optimus Maximus tanto bono vellet urbem, quae sibi ab hoc D. Caroli haerede, alteroque D. Carolo, ab alumno, & filio, & mox futuro Patriae Patre, salutem, felicitatemque despondisset. Sacrosancta mysteria altaris per supplicationum earum dies exposita stetere: institutumque postea, ut pignora illa nostrae salutis, immo vere salutem ipsam, continuata per dies, noctesque adoratione in aperto haberi solenne esset, donec precibus annueret Numen: quod ipsum futurum esse praesagiebant, sicuti accidit.

Ad eum, quem dixi, pervulgatum de Cardinalis Federici obfirmata in contrarium mente rumorem, Pontifex Clemens, haud minus ipse tenax consilii, sententiaeque suae, adhibitis e collegio, quos posse aliquid ei persuadere censebat, egit cum eis, uti persuaderent. Negotiumque suscepere Cardinales isti praesertim: Farnesius, nempe, Montaltus, Aragonius, Valeriusque, & Gesualdus, & Paleottus, gratia apud Borromaeum, sive auctoritate crediti satis efficaces ad permovendum animum ejus, quam & ipsi opinionem, pro sua cum illo familiaritate habebant. Adhibitus quoque est, & in partem agendae rei assumtus Pater Philippus Nerius, de quo spirituali Patre, & Confessore Federici, antea dictum est, sanctitatis eximiae viro, & jam tunc fama, atque approbatione hominum, aulaeque totius obtinentem titulum, ac nomen, quod Apostolica deinde auctoritas, & Catholicae Ecclesiae consensus tribuit ei, riteque firmavit. Per hos tentari agique coeptum, si posset injici Borromaeo studium, alacritasve ad capessendam Ecclesiam, quam Pontifex ei mandare decrevisset. Et caeteri quidem monitis hortamentisque suis profecerant minus. Nerius incussa etiam religione, tamquam adversus divina decreta contumax ille esse vellet, evicit, ut sibi promitteret in potestate Pontificis esse futurum. Exstant quoque Cardinalis Valerii litterae, scriptae graviter in eam sententiam, ne sibi nimium crederet in eo negotio Borromaeus, sed Christi Vacarium audiret: coelestia jussa sequeretur.

His ita praeparato, molliterque castigato Federici animo, Pontifex, ad III. Idus Aprilis accitum ad se eum, in haec verba alloquitur: *Mediolanensem Ecclesiam Archiepiscopi Vicecomitis morte vacuam tradere Fraternitati Vestrae statuimus. Ita Spiritus Sanctus, Apostolique Petrus & Paulus jubent. Proinde Fraternitas Vestra, ne recuset,*

*censet, dicatve quidquam, sed obediat, onerique succedat.* Haec a Pontifice dicta. Neque verbis ultra opus fuit.

Post tertium inde diem, qui dies fuit VII. Id. Aprilis, exposita in Cardinalium conventu de Ecclesia Mediolanensi, & Archiepiscopo Borromaeo res, non approbatione modo Ordinis universi, sed plausu etiam verbisque omnibus accepta est, quibus Patres, favorem, & laetitiam ejus rei suam declarare possent. Petenti postea Cardinali, Archiepiscopoque novo, ut a Cardinale Medicaeo Archiepiscopo Florentiae consecraretur, respondit in haec verba Pontifex: *Vult Clemens VIII. solenne peragere istud: neque initiandi Borromaei gloriam alteri permissurus est.* Ad III. Id. Junii, qui dies erat D. Barnabae sacer, peracta caeremonia est, sive distinuerant antea Pontificem actiones, & negotia, curaeque aliae: sive diem illum exspectari placuit, magni ominis, & laetissimi augurii causa, ut, qui Mediolanensem Ecclesiam tot ante saecula fundavisset, ejus solennia cum hac ejusdem Ecclesiae instaurationis consecratione initiisque miscerentur. Et auxit hujus divinae opportunitatis, consociationisque mysteriorum vulgata fama celebritatem. In aede ipsa sanctae Mariae Angelorum, qui Cardinali titulus fuit, peragebatur res. Eo convenere ad spectaculum in primis omnes, quotquot cives Mediolanenses in Urbe erant: Urbsque, & aula, & populus Romanus pari gratulatione commota sunt; non secus, ac si vel esset suus ille civis, vel sua ipsorum patria, suaque Ecclesia Pastorem eo die acciperet. Multitudinem profecto sinus amplissimus, & vastitas illa templi non capiebat: quod videri mirum potuit in Urbe satura semper & plena rerum novarum, atque ob satietatem eam, quam longa consuetudo affert, incuriose adspicere solita Pontifices ipsos, Pontificumve caeremonias.

Nomina Cardinalium, qui in caeremonia inaugurationis consecrationisque hujus adfuere, ac ministravere Pontifici, scripta reperi ordine hoc: Florentia, Paleottus, Verona, Farnesius, Aldobrandinus, Montaltus, in rituali habitu omnes; caeteri in vulgari quotidiana veste, quia in partem ministerii nullam, sed deductores tantummodo, spectatoresque aderant. Adnotabant homines, quibus cura noscere quidquid aliquando Romae factum, sive non factum, veteraque, & recentia comparare: vix exstare memoriam, quando umquam Episcopum aliquem Pontifex ipse consecravisset. Peracta caeremonia, consecratoque Archiepiscopo, coelestis Indulgentiae carmen recitari Pontifex jussit: idque munus praesenti populo, & concioni universae impertitum. Benedixit pro Pontifice Borromaeus: populumque salutari signo lustravit, Pastoralia sic exercere incipiens: & laeti abiere omnes.

## CAPUT XXVIII.

### *Laetantur nunciis hisce Mediolanenses. Venit ipse Mediolanum, ingrediturque urbem.*

Accepto nuncio, Mediolanenses, vere triumphavere gaudio: erantque peracta re Mediolani, supplicationes & vota eadem ob laetitiam, quae fuerant ob sollicitudinem, antequam impetraretur. Simul gratiae Numini, Virginique Deiparae, & Divis Tutelaribus urbis agebantur ob concessam Metropoli salutem, & lucem, & immortale decus: simul exposcebant munera alia statim: ut reditus celer in patriam Pastori Cardinali esset: ut longa vita ei, ut prospera salus obtingeret: ut etiam tranquilla omnia, & quieta darentur: aliaque sicuti mos vulgo, nec capienti rerum fidem, quas magnopere optavit, & timenti, ne statim eripiantur, & spes quoque suas anteire volenti. Sic plane circa novum Archiepiscopum affecti animi multitudinis erant. Decuriones urbis, quos penes cura patriae rerum, sicuti mortuo statim Vicecomite, de successore solliciti, verterant studia in Borromaeum, precesque super ea re publicas Pontifici mandaverant; ut non desineret ille supplicare nomine Civitatis, donec votis postulatisque communibus annuisset Apostolica potestas. Ita posteaquam, Archiepiscopo creato, voti compotes fuere, Oratores e suo corpore duos destinavere Romam, qui Christi Vicarium pro tanto beneficio venerarentur, exponerentque ei, quam plena omnia spiritualis voluptatis ob id beneficium Mediolani essent. Oratores fuere e Proceribus urbis, Comes Joannes Baptista Bilia, qui postea Ticini Episcopus fuit, & Eques Hieronymus Vicecomes, qui sororem Cardinalis Elisabellam, sicut antea dictum est, in matrimonio habebat. Hi Legationem, & Decurionum mandata Pontifici cum exposuissent, respondit eis humanissime Pontifex: *Se quoque laetari, quod in juniore Borromaeo Archiepiscopum Metropoli patriaeque ipsorum invenisset, non modo magnis prioris Borromaei virtutibus aequiparandum, sed etiam sapientiae studiis, & ingenii gloria majorem, quam ille fuisset.* Miserant Decuriones ejusmodi Legationem, acceperantque responsa, quae laetitiam suam, & Urbis universae cumularent.

At interea dum adornatur, itque Legatio, & redit, & interea, dum Cardinalis, accepto patriae Pontificatu, caetera, quae deinceps erant Romae agenda, peragit, accingiturque ad iter; intenti ipsi occupatique erant, ut gaudium, & exsultatio illa, quae animis insidebat, publice depromeretur, utque venturo mox Pontifici, civitatem una secum eodem pio munere occupatam plaudentemque exhiberent. Alia statim argumenta gestientium animorum exhibuere, tamquam impatientes morae non possent exspectare triumphum, quem Pontifice adveniente celebraturi erant: alia ad pompam, magnificentiamque triumphi ejus apparabantur, tanto sumtu, & effusione pecuniarum, quanta tunc opulentia Urbis, quanta magnitudo rei, & quam promta semper Civitas ad omnia, veterum Romanorum more, per quae prodigitur aurum. Ac volebant utique Decuriones, apparatum, & pompam esse hanc, cui vix umquam aliquid simile Mediolani fuisset alias, quodve posteritas olim, quotiescumque talia struenda essent, vellet imitari, nec assequi posset. In praesentia decurrit honori Pontificis, Archiepiscopique novi, militariter armata Juventus: aut sub vexillis incessere per aliquot dies, imitamenta castrorum ad civilia gaudia transferendo. Noctibus splendores intulere diurnos: missilium flammarum arte provocavere stellas: & strues lignorum accensae pyramidatim, altius, quam pro ejus ludicri more, tentavere per coelum iter: aliaque subitaria pignora hujusmodi, & signa exhibita publicae hilaritatis, magnifica per se, nisi velut pignora vere haec & signa fierent eorum, quae majora parabantur. Praecipua circa portas, arcusve triumphales occupatio erat, non sumtuum modo Civitatis, artificumve eorum, qui describunt ista, struuntque lineis, & graphide priusquam operibus, materiisque struantur: sed ingeniorum etiam, artiumque nobiliorum, quae muta illa opera surdamve materiam spiritu, voceque implent, ut & alloqui, & laudare possint eos, quorum gloriae machinae illae assurrexerunt, quibusve stetere moles.

Volebant namque Decuriones, & elegantissima substructione attolli portas, fornicesve eos, & ipsas esse elegantias floresve Musarum, ac doctrinae interioris, carmina, emblemata, sententias, symbolaque, & in modum trophaeorum convoluta argumenta virtutum, quae subscribi, adscribi, sive appingi portis, arcubusque deberent. Ea verecundia incesserat erga sapientiam, litteraturamque Cardinalis, & erga ingenii amoenitatem, ne quid ingredienti paterentur occurrere inelegans, atque ineruditum, qualia peccarent in ejusmodi saepe apparatibus. Artifices, conductoresve artificum, ingenia, judicesve ingeniorum, tunc, scilicet, cum propter inscitiam, ineptiasque illas laudes ipsae probrum, & injuria triumphantis fiunt, operaque, & ornamenta operum pro voluptate stomachum movent. Ne tale quidquam in hac pompa admitteretur, occurreretve Cardinali, cautio Decurionibus fuerat, & prima circa id magnificentia publico consilio Urbis. Non sane ego operi, quod triginta quatuor annorum tanti Pontificis, & tantae Ecclesiae successoribus destinatum est, quodque maximarum actionum, gravissimorumque consiliorum esse perenne monumentum velim, credideram convenire

nire descriptionem apparatuum horum, quae partem historiae facere quodammodo trabes, & tigna, tabulasque, videretur. Caeterum haud alienum fuerit, spectacula etiam haec inclusisse, sicuti, & Vates Homerus ad recreandos inter praelia, caedesque legentium animos, clypeum illum Herois, omni refertum varietate, descripsit.

Prima ad D. Eustorgii aedem porta Triumphalis attollebatur: qua scilicet Archiepiscopi Mediolanenses ad capessenda solennia honoris intrant Urbem: idque antiquitus ita esse institutum, alibi demonstravimus, ob inclytum D. Barnabae Fontem, qui ibi in vicino divinitus repente effluxerat, cum Apostolus ea regione Urbis, qua tunc suburbana deserta fuisse, demonstravi, ad abluendos qui se se dabant, initiandosque Christo & saluti, & Ecclesiae, constitisset. Eas lustrales deinde aquas, numquam arefacta, sive diminuta per tot saecula scaturigine, manantes largo perenni fonte adhuc primordia saluti, Baptismique Patrum materna ubera, laticesque vitales populo huic, & Metropoli nascenti, honorari apud posteritatem, prolemque sequutam ita placitum: & ritu, moreque priorum veniens ab Roma Pontifex, Cardinalisque Federicus flectere iter hac ingredique debebat. Eminens in coelum porta altitudine, quantam artis, oculorumque dimensio patiebatur, habebat in culmine statuam Divinae Majestati Patris Aeterni adsimilatam, quomodo mortalium inventa mortalibus materiis exprimunt Numen: subscriptumque carmen erat, non Poetae alicujus ausu laboratum, sed ex ipsa reverenter, atque simpliciter divinarum litterarum majestate petitum, tamquam ingenio, oreque humano contrectari altitudinem illam infinitam fas minime esset. Fuitque ita inscriptum: *ILLUMINAVIT ORIENS EX ALTO.* Sic statua stetit suprema destinata demonstrans, instinctusque coelestes, queis mens impulsa, & illustrata Federici, & dilecta Numini tantopere fuisset. Imaginem hanc, symbolumve, & divinae destinationis humana arte adumbratum utcumque simulacrum cingebant inferius sita insignia Dominationum duarum humani generis, quas auctores, Dominique pompae, coeli quodammodo Vicarias intelligi, & significari voluerunt. Hinc Apostolicae claves, mysteria veneranda Pontificatus, queis clauditur, aperiturque Coelum: hinc stemma Catholicum, Regna illa terrarum orbem amplexa pendebant. Et suum in parte utraque carmen, illic electum e tot millibus unum: hic imperii florem, atque delicias alloquebatur, intrantemque salutabat. Triforis erat porta, fornicemque maximum duo minores arcus interlocabant, alter Virtuti dicatus, alter Honori, congruentibus utrimque simulacris. Quippe sarissam Virtus, clavamque tenebat: statua Honoris, & hastata erat, & fundente suas opes Amaltheae cornu decorabatur. Suberat huic depictum in campo rubricante fraenum albicans adscripto Regii divini Vatis versu, qui fraenanda sic & domanda mala canebat. Statua vero altera illa Virtutis, non quidem premebat pede, sed infra pedes habebat subrectum leniter media aeris regione Monocerotem: cujus animalis ingenium, vimque ei insitam retegendi simul, & depellendi venena, monstrabat oppositum alteri carmini carmen. Ita, nimirum, apte, atque erudite miscebantur insignia Borromaeae domus haec, & insignia duarum potentissimarum in terris maximarumque rerum, quae vitam, & animos hominum ceu Numina regunt, Honor, & Virtus. Neque tam inventa artificis haec videri potuere, quam operis fortuna quaedam, ut inter se ista ultro conjungerentur, quae multiplici arte ambagibusque variis contorquenda fuerant, si Pontifex quilibet alius exspectaretur. Sic deinde pari obvia facilitate operis, artificiique hujus, & ferens gibbo Camelus diadema Regium plumasque decoras, & coronata in latere altero *HUMILITAS:* Ille conjunctam cum labore abstinentiam instrumenta aptissima Virtutis itinerisque ad Honorem: haec summum honori decus, quodnam posset esse, quodque in hoc esset Pontifice, praeferebat. Atque in minoribus portis haec mixta emblematis carmina legebantur. In portae maximae fronte inscriptum fuit haud multum discrepantibus ab hujusmodi titulo verbis: *CIVITATEM MEDIOLANENSEM OB DATUM SIC E COELO PONTIFICEM HAEC MONUMENTA POSUISSE.* Ineratque inscriptioni mysterium, ut intelligerentur plura, quam quae scripta sic propositaque essent. Quippe ipsa evectum Virtute Borromaeum ad hosce gradus, &, Rege etiam collaudante evectum, intelligi debebat, ob picturas, & symbola, quae retuli, quaeve omnia retulisse, longum foret: ideoque supersedi. Stemma Civitatis, & stemma Borromaeorum stetere obversa invicem, quasi de re tam laeta sermones gratulationemque consociarent. Duaeque striatae columnae ingentes, binos habuere versus, quorum memoria Civitati mansit in longum etiam apud plebejos, expertesque litterarum. Nam vulgatum erat, contineri praesagia de futura olim sanctitate Cardinalis, Archiepiscopique hujus, quem D. Carolo aequiparaverant carmina, vatumque more inseruerant astris, ac fecerant id novum licentia sua sidus. Radiabant haec omnia fulgore auri, fulgorque ille picturae coloribus etiam radios addebat. Sed cuncta vincebat architectura molis ipsius, quae Vitruvios consumsisse dicebatur. Inter exemplaria reservari, nec resolvi umquam hanc oportuisse ajebant homines artis ejus, quive circa machinas, & monumenta hujusmodi, & Romanorum operum imitationem, commentatione diuturna, & nobilitate ingenita, eruditos oculos, & judicia polita habebant. Sic porta stetit, quae prima in Urbis aditu vestigia Pontificis acceptura erat. Per singulos deinde incessus, sed ad viarum capita praesertim publicae alacritatis & magnificentiae certamen fuit, ut simile aliquid, vel etiam magnificentius, sumtuosiusque strueretur. Opificesque etiam, & mercatores, atque sellularii cultores invenere Musarum, qui sibi vestirent in eum diem compita carminibus Aegyptiis, atque figuris, quasve suas alias opes ingenia sumtibus alienis, ostentationique sumtuum miscent haud minore gloria. Corrivium antiquitus fuit, qua *Carubium* hodie, corrupta in Barbarum voce, dicitur. Ibi Triumphalis porta quidem etiam, tum structurae dignitate, tum inscriptionum elegantia, carminum spiritu, subtilitatibus, & acumine emblematum, neque dispar priori, neque dissimilis stabat. Caeterum premebat speciem, & magnitudinem, splendoremque hujus modico distans intervallo columna praefixa Crucis vexillo, quales in singulis Urbis regionibus olim, a D. Carolo positae columnae vicinitatum earum hodie piis coetibus, officiisque frequentantur. Alte eminet columna: capiebatque decore altitudo latissimos circum circa gradus ab ima usque ad mediam exstructos. In iis gradibus studium & pietas, gratulatioque vicinorum, immo, & opulentia, liberalitasque simul excogitaverat, ut hortos collemve imitaretur, qualia nasci haec deliciae ipsae optarent. Arbores erant non ex collibus, & hortis translatae illuc, sed arte manuque factae: frondesque & poma aemulatae illarum formam tam felici successu, ut, cum intermixtae ipsae quoque essent, nativa ab fictitiis, & falsa ab veris, neque folia, neque trunci, scapive arborum, neque mala, baccaeve dignoscerentur. Argentea sive inaurata pendebant, & excogitatum erat illud quoque non oculorum modo, sed etiam argenti, aurique ludibrium, ut solida quaedam utroque metallo fierent, trahentia, videlicet, pondere suo ramos, ut, si nihil aliud, id certe pondus, & ea inclinatio arborum exprobraret novum errorem iis, qui fraude cognita imitationis, vacua tamen haec, & inania esse credidissent. Solida sic, & plena esse videbant: & fraudem abesse metallo sensere qui judicare poterant, & inspicere propius, contingereque, & experiri voluerunt. Ea sodalibus, atque vicinis alacritas incesserat efficiendi in suo apparatu aliquid, quod novum & gloriosum, incredibileque esset. Par in florum varietate gloria sumtuum, ostentatioque fuit. Nam cum veros flores anni tempus daret, factitios, laboratosque maluerunt, qui interpositi

siti illis, majestatem naturae operum aemulatione, conatuque artis eluderent, sive augerent: suberatque comitas illa in Pontificem, tamquam ita significaretur, conjunxisse naturam, artemque suas opes, ut ei blandirentur. Amoenitas utrimque corrivata vestiebat collem, quomodo nec illa mater, fatrixque rerum, nec ista imitatrix, ac discipula ipsius vestire per se, & ornare seorsim potuisse videretur, sed quomodo certamine tantum, & concursu generis utriusque potuere induci, tum florum imagines, & coronamenta numquam spectata in hortis, tum nemora, & sylvae natae numquam, tum qualia nascuntur semper ista, & spectantur. Atque ut repraesentaretur illa vere quaedam hortorum nemorumque divinitas ad veteris Paradisi formam, unde primi Parentis contumacia dejecerat humanum genus: inerant Angelorum quoque simulacra cum thuribulis, & acerris, tamquam Pontificis adventum igne puro adolerent: animalia quae fugitant nunc procul ab manibus hominum, & conspectu, vicissimque fugitantur, securitate antiqua quiescebant, oberrabantque illic. Mansuefactae, edoctaeque aves erant, ut insiderent humeris, ac se se capiendas darent. Et sicuti vocales humano more quaedam, ceu miracula audiuntur: ita garrulos earum concentus pueri, qui imitarentur inter arbusta illa absconditi dispositique erant, ipsi quoque veluti miraculum. Cingebantur haec omnia septo in Theatri modum: erantque in vestibulo, & aditu septi Colosseae propemodum figurae Angelorum, qui duo sublimes erecti utrimque tenebant, alter FRAENUM, alter HUMILITATEM, insigne Borromaeorum ex argentea lamina compositis litteris in eam formam quae statuarum etiam magnitudini conveniret. Haec igitur circa dicatam Cruci columnam, pari magnificentia, & arte, ingenioque vicinitatis exstructa, atque repraesentata modis admirabilibus, ita ut non possint ab ullo scriptore repraesentari, qualia tunc subjecta oculis converterant ab reliquo regionis ejus apparatu oculos in se, animosque omnium, atque detinebant. Caetera deinceps ab Carubio, sive Corrivio per totam eam urbis longitudinem ad usque templum maximum, & templo praejacentem aream, si sola spectarentur spectaculum etiam ipsa grande admirabile ingens, quia majora quaedam & illustriora sequebantur: hoc ipso admirationis, & famae minus ad posteros ex comparatione habuerunt. Qua desinit via, aperitque & inchoat forum, porta gemina erat excurrente per duodecim amplius ulnas interjecta porticu, quam mixtum rubro caeruleum holosericum alte concamerabat, & conchiliati tapetes latera utrimque vestiebant. Frons portae obversa in regionem portamve Ticinensem, habebat in fastigio positam in basi statuam, quae sive urbis Mediolani, sive Insubriae ipsius intelligi statua simulacrumve potuit, prout quisque interpretari, & accipere vellet. Cinctum huic diademate caput erat: ulnaeque patentes obvio sinu, tamquam ipsa sive urbs, sive Provincia Mediolanum, seque, & sinum suum Pontifici ingredienti offerret: acciperet effusa alacritate alumnum: patriamque capessere hortaretur.

Et juvat, quoniam ita coepi, pergere paulisper, condereque monumentis inventa, quibus temporum eorum homines ad ista commentanda adhibiti certavere inter se, ut, quo propius jam ad sedem ipsam domiciliumque Pontificatus pompa succedebat, eo plus artis etiam ad limina haec exornanda ipsi afferrent. Basi sustinenti urbis, seu Provinciae statuam, simulacra admoverant habitu, nisuque eo tamquam sic basis ipsa sustentaretur. Praegrandes erant, horridae, senilesque figurae, qualia fere Neptunorum ora, crinesque, & torosa membra pinguntur. Lyra palmaeque in manibus: & subjecta gutturnia cubito large fundebant aquas. Galeae, clypeique, & sceptra, crucesque confusa & mixta omnia simul circa statuam innexa pendebant. Statuae infra hunc aliae magnitudine pari, specie, ac majestate augustiores; ab sua utraque basi, Princeps Apostolorum Petrus, & patronus Ambrosius urbis elogium includebant, haud sane ineleganter, sed numeris omnibus gratulationis, & obsequii compositum Civi simul & Parenti Pontifici-que & Pastori, ad Patriae gloriam nato, dato ad salutem, felicitatemque populorum. Totidem enim fere verba fuerunt: quorum summam posui libenter, ut simplicitas haud inamoena titulorum & inscriptionum, quae locis omnibus positae fuere, regustaretur. Non enim hoc genere minus, quam caetero splendore dives & conspicua pompa fuit: ponimusque in specimen, & exemplum pauca quaedam, unde conjectari caetera possint: nam cuncta retulisse, pene infinitum foret: inscriptionumque volumen haud dubie ita exhiberemus. Sic & omissis aliis, quae porticum illam inter portarum limina excurrentem, ipsasque portas, & bases, & columnas eleganter acute docte loquentes in ea publicae gratulationis parte fecerant: referam Claudiani tantummodo carmen, ex Poeta illo translatum huc, aptius utique, & gratia majore, quam si Vates, & Poetae nostri pangere suo Marte aliquid, & depromere voluissent. Quatuor Ecclesiae lumina Gregorius & Paulus, Hieronymusque & Bernardus totidem expressa simulacris ab utroque porticus latere bini stabant, priores duo ingredienti ad dexteram partem, caeteri in laevum latus. In statuas & simulacra haec dispensaverant, quibus ea cura, carmen, quo vetus laudator ille sui Principis, cuncta quae spargerentur in omnes, & quae divisa beatos efficerent, permixta fluere in illo, collectaque teneri cecinerat. Ita nimirum etiam in Cardinale Archiepiscopoque Federico esse simul omnia significabatur, quae singula, caeteri si haberent, clari, magnique & mortalium haud dubie primi existimarentur sapientiam, opes, claritudinemque generis & excelsum piumque animum, & ea, quae in corpore ipsius, animoque, eminerent. Ab gemina hac porta, porticibusque interjectis, quod intra spatium antiqui illi magni Ecclesiae Patres, atque Doctores Doctori, & Pontifici novo cum sua quisque carminis parte plaudebant, testimonium perhibebant, spatia sicut ampliora, ita etiam amplius cultiusque ornata & instructa Cardinalis intraturus erat, ut mox inde gradum in ipsam templi maximi molem faceret. Area namque illa ingens toto, quantum foro spatium patet, fulcris, tabernis, impedimentisque omnibus vacua facta erat: & tantus ille in Urbis umbilico campus fulgebat simul nitore splendoreque omni, & inumbrante desuper panno tegebatur. Excipiebat laxitatem, opacitatem, splendoresque fori istos supra templi gradus porta effecta ad formam, similitudinemque fere ejus, quam e vero olim marmore, verisque Romana antiqua, portentosa magnitudine columnis aedificandam descripsere architecti tunc, scilicet, cum templi frons pene desperatum per tot saecula exspectationi publicae opus, & nostra demum aetate felicissime inchoatum, assurget atque absolvetur: hujusque portentosi admirandi operis absolutissima similitudine typum sive exemplar ostentavit nuper etiam in Cardinalis Infantis ingressu Civitas eo sumtu, quo non templa modo Urbium aliarum, sed ipsae aedificari Urbes potuere. Talis nunc etiam ex quadam parte erat illic forma, faciesque portae Triumphalis, quae sedem intra Metropolitanam admittere Archiepiscopum, tradereque, & inducere templo suo debebat.

Ipse ad X. Cal. Sextileis ab Roma profectus, & moratus in itinere tantum, quantum aut Italiae Principum officia, aut visenda ob pietatem loca detinuere, adventabat. Adiit, visitque alia etiam inclytae religionis loca in illo itinere, prout vel nobiles reliquiae aliquae Sanctorum, vel miraculorum fama vetus incitarat. Sed ad Lauretanam praecipue aedem substitit incunabula illa Salvatoris sine fine venerando contemplandoque: & adnotavere familiares, aegerrime ipsum abscedere inde invitumque divelli. Flexit etiam ad Camaldulenses Eremitas iter, amicus nempe solitudini illi, Patrumque nonnullis, quos & solatus arcano alloquio est: & solatia vicissim ipse ab eis interiora ac divina reportavit. Nam erant eo tempore nonnulli illic in coelesti coetu vere coelestes, consuetudine quidem, & exigui corporis pondere depressi humi, una cum caeteris incolae sylvarum, altitudine vero animi subducti penitus ad Superos, civesque Sanctorum. Hos sibi per litterarum colloquia notos atque fami-

familiares visere coram, & alloqui cupiverat. Pridie Cal. Septembris Mediolanum die Dominico pervenit: substititque in Urbis primo aditu illic apud Patres, qua celebre Divi Eustorgii templum, Monasteriumque est, antiquissima statio, sicuti diximus, Archiepiscoporum, Pontificumque nostrorum, cum ad honorem ineundum, Metropolimque capessendam ingrediuntur. Mane pervenerat. Hora vigesima processit, mulae albae insidens, habitu comitatuque solito. Canonici templi maximi, Monasteria, Clerus universus, Senatus, Magistratusque omnes, tota Nobilitas in equis obviam egressa deducebat: Episcopi complures e tota Provincia ad illud solenne congregati: Confanonerii quoque cum sua vetere praerogativa stipatores, raptoresque mulae Pontificalis, & caetera omnia, sicuti moris, adfuere: taliaque, & viderat alias saepe Civitas inveterato per saecula ritu, deducendi sic honorandique Metropolitam D. Barnabae successorem, & videbit saepius etiam, opinor, donec Ecclesiae ritus, Ecclesiaque ipsa, quam aeternam, & immutabilem oportet sperare, manebit.

Sed neque viderant antea majores nostri, neque posteritas fortasse ulla visura est ea, quae propria tantummodo Archiepiscopi hujus fuere, non autem communia multorum esse possunt. Juvenis erat triginta trium annorum, flavo crine, & dignitate oris, quae Regiam stirpem ab Patavina Vitallianorum origine praeferret: Speciemque & pulchritudinem illam jejunia simul, & studia offuscarant: quam, & verecundia comes supprimebat, sive augebat. Ad visendum, excipiendumque hunc mota ab sedibus suis fere Civitas exierat quidem etiam extra Urbem, & prodierant ad aliquot passuum millia plurimi, qui sanctae, & gratissimae apud omnes memoriae patruelem ipsius redditum sibi, venireque, & adesse clamitabant, sicuti mos vulgo, quive etiam ipsum tantummodo intuebantur. Ut vero intra moenia eumdem habuere, procedentemque sub umbella viderunt, clamores alii plaususque & lacrymas ob gaudium, turbaeque etiam & tumultus ob spectandi intuendique certamen, cum impedirent alii alios, & frequentia in Urbe esset, non ea solum, quam nuper sustulit clades, sed etiam ea, quae tantam urbanam multitudinem ex pagis, municipiisque onerarat, cum ad spectaculum accurrissent undique omnes. Non sufficiebat eo die sibi Urbs: in tecta, culminaque aedium evadebant: unde & cum fragore ac ruina dejecti nonnulli.

Ipse quoque in periculo fuit, haud aliter, quam sicuti de Romano Imperatore proditum memoriae est, Graeciae Liberatore Quintio, quem illi, qui liberati erant, coronas lemniscosque jaciendo pene oppresserunt. Nomina duorum ponam, qui periclitantem eo die multitudine ingruente Cardinalem, veluti maris aestu abreptum, cum neque Praetorianae cohortes ad custodiam appositae, neque nobilissimi aliquot, conspecto discrimine, minitabundi cum gladiis impetum prohibere potuissent, facto ipsi impetu in discrimen periculumque tendentes, sustulere inter manus, atque ab ingressu templi ad aram usque deportaverunt. Hi fuere Picotius cognomento, & Clericus, qui pro Magistro caeremoniarum erat. Praevalida corpora juvenum Sacerdotum horum, sed animi quoque validiores, sustinere id pondus, & conservare potuerunt, donec in solio collocavere. Ibi sedentem Magnus Cancellarius Urbis de more affatus est; & peracta caeremonia, prout in rituum libris: iturque deinde in Palatium, & sic dies ille transierat; qui magnorum dierum, magnarumque actionum Cardinali & Archiepiscopo huic initium fuit: nobisque profecto etiam inde haud parvi operis series paratur.

## *LIBER XIX.*

# INDEX CAPITUM.



## CAPUT I.

### *De statu rerum, qui Mediolani erat, cum Archiepiscopus is venit, & quomodo Clerum populumque excolere primum omnium agitaverit animo.*

EA, quae de Federici studiis, & moribus, & primo vitae cursu exposui adhuc, quaeve de tota deinceps vita exponam, fuere, eruntque omnia ejusmodi, opinor, ut ex ingenii quadam elegantia, simul, & morum severitate compositum, atque temperatum divino munere animum indicare possint. Porro, sicuti factus ita ipse, natus, educatus, firmatusque erat: ita etiam pro habitu eo, indoleque, & consuetudine, ac disciplina animi statim ubi vocatus fuerat ad hoc Pastorale munus, Ecclesiamque Mediolanensem cogitare coeperat, quomodo non Clerum tantum, & Sacerdotes, homines que proprie suos, sed populum etiam universum, ex quo Ecclesia constat, & unde, veluti coagmentatur hoc, efficiturque corpus, formare ita, atque instituere posset, ut cultus simul humanitasque litterarum, & morum vere cultus in Clero hoc & populo, & Metropolitana sede conspiceretur. Id alte destinatum, alte fixum animo ejus etiam antequam veniret, sensere homines, qui Romae post Ecclesiam Metropolimque susceptam, quive in itinere, de vetere Mediolanensium gloria, de patriae ingeniis, de Sanctorum numero, de magnitudine Urbis, de civium horum ad cuncta docilitate multa jucunde commemorantem audiverant, ac talia narravere postea nobis. Quoties in ejusmodi mentionem ingrederetur, summam esse sermonum ajebant: *Praeclarum fore, si, quemadmodum esset Urbs Mediolanum tot urbium, populorumque Metropolis: ita etiam disciplinarum honestatisque Principatum obtineret, immo recuperaret, qualem scilicet habuerat tunc, cum* Romam alteram *hanc nobilis Poeta appellavit: nescioque* (ajebat ita Cardinalis) *blandiensne Vates ille more bonae artis, an oblique accusans:* & erat hujusmodi interpretatio, ancepsque dictum plane dignum sapientia, & gravitate, & erudito lepore Federici. Vere enim noti carminis auctor incusasse videri potest degenerem a prisca virtute cultum habitumque Civitatis hujus eadem plane clade, qua Roma etiam ipsa litterarum ingeniorumque Mater adeo ab se desciverat, ut nativi quoque sermonis oblivisceretur. Quippe non secus atque Romae, patria quondam hic etiam atque sedes ingeniis antiquitus fuerat: & publica olim Bibliotheca Mediolani, publica munificentia provocaverat Musas: in quarum gratiam fuisse publice constituta alimenta ingenuis, testantur adhuc, sive exprobrant melioris aevi reliquiae vetusti lapides, quos abolere non potuit insequuta nequitia, cum caetera omnia quidquid erat elegantis, & amoeni, depopularetur. Et postquam simillima Romanis casibus tempora Mediolanensium una cum ipsa Roma, velut motu, inclinationeque pari lapsa retrotraxerant secum humanitatis & litteraturae ruinam, non defuere sicut etiam illic mediae, vel inferioris aetatis lumina velut intermicantia nocti, quae litteris offusa nox nitorem earum antiquum obscurabat. Duoque miracula ingeniorum Ambrosius, & Augustinus, alter posthabita Roma, alter inde missus, gratissimum hoc divinae suae voci

ci theatrum habuere. Et uterque tamen plus gloriae, quam secum attulerant, ex hac Urbe reportaverunt. Horum litterae, conciones, monumenta, discipuli, & ipsa profecto fama, nomenque, ac veluti transfusus diuturna consuetudine, & familiaritate spiritus quidam in coelum terramque hanc, potuit Romani cultus dignitatem aliquam renovare Urbi, donec ea quoque vestigia dilaberentur. Mox inducta rursus oblivione bonarum artium, atque per solitudinem hoc sylvescente campo, nunc paulo eruditior subinde Archiepiscopus, liberalior Princeps, nunc vero civium etiam aliqui privatim dediti studiis, ad excolendum rursus litterarum elegantia patriae hujus, Ecclesiaeque genium momenti aliquid, nec tamen satis efficere potuerunt.

Ita Metropolis Insubriae totius, & nulli Italicarum Urbium haec secunda civitas, decus honoresque Musarum, quo decore Romanis temporibus una cum ipsa Roma claruerat, non quidem abdicavit, amisitve penitus, sed paulatim studio quodam tristiore mutarat. Et tamquam inter se se diffiderent litterae interiores, religionisque sanctitudo: ita confirmatis Ecclesiae rebus desieramus Latine loqui: ac pulsa in exsilium omni humanitatis arte, squalor horrorque sermonis infuscabat scientias indignus majestate earum. Immo quo indignius esset, scientiae ipsae aut spectabant quaestum tantummodo & ambitionem: aut ab Clero procul, sacraque toga aberant. Sed nec apud cives ipsos, nobilitatemve totam litterae politiores magnopere colebantur. Jura legesque tractabantur prout ad Magistratus, opesve acquirendas, imperiaque exercenda, pars ea studiorum contenta suis voluminibus est; voluminaque illa, sicuti multitudine leges ipsas, & humanum implicavere, ac turbavere genus: ita Latinitatem fugavere, quae cum ipsis nata legibus erat, immo ex qua natae leges. Sic Jureconsulti Mediolanenses nihil in litteris, ac sermone suo responsisque magnificis decentius, antiquiusve habebant, quam quomodo scientia illa horride, atque incondite passim alibi etiam exercetur. Et foedior, putidiorque arte ipsa litteratura Medicorum erat, cum hi quoque nobilissimos auctores sequi possent, habereque Magistros artis, tum qui Romanis, tum qui Graecis Arabicisve monumentis condidere arcana ejus.

Haec artium atque scientiarum dehonestamenta incessisse, Cardinalis reputabat, in Urbe, quam ipse primum quidem religionis ac pietatis, deinde vero etiam omnis politioris litteraturae principem facere aliquando, & factam constitutamque pro sua parte ita videre ac relinquere cupiebat. Videbat insuper atque cogitabat, habuisse Graeciam olim porticus illas inclytas, eruditasque ambulationes, Academiam & Lycaeum, & tot Gymnasia exercendae juventuti, qua, si nihil aliud, remedia certe otio, & morae atque impedimenta vitiorum fuissent. At Mediolani, nulla esse oblectamenta, quae vel tantae Urbis populum, vel tantae Ecclesiae Clerum publice detinerent. Esse Lycaea juventuti fora, tabernasque institorum & inania ludicra, equestresque decursus, & alia, quae socordiam alunt. Moverant ista Cardinali animum etiam cum Romae esset, atque inde profectus itinere in ipso, & multo magis, posteaquam pervenit denique Mediolanum, coepit de ea re cogitare, quidnam facere ipse posset, quo studia liberalia in Clerum, populumque inducerentur, & linguae praesertim etiam ipsae quodammodo liberales, haud ita penitus ignotae semper & peregrinae in Civitate hac Ecclesiaque essent, tum Latina, videlicet, haec, veluti Princeps flosque linguarum, tum externae illae, quibus, & sapientiae Principes loquuti fuissent, & ipsa Numinis Majestas voluisset mysteria contineri nostrae salutis. Hebraica, & Graeca praecipue sollicitabant animum: accessionemque istarum, Persicam, & Arabicam, & Armenam, extenta in longum cogitatione amplexus Clero suo despondebat; ut haberet ac depromeret hinc earum aliquando Magistros & interpretes, Orbique commodaret, velut incredibilia, & nimia agitans, nisi factum postea vidissemus.

Attulerat has ab Roma cogitationes, & ibi meditata Mediolani confirmarat, posteaquam in muneris sui sede constitit habuitque ingenia subjecta oculis. Simul & tetigerat cogitatio illa animum, spemque commoverat, posse aliquando ipsum moliri, & ponere publice ejusmodi aliquid, quod Graeca illa domicilia Musarum imitaretur, neque ab Ecclesiastica gravitate abhorreret. Haud dubie Bibliothecam, collegiumque Ambrosianum imaginabatur ita ex longinquo, leviterque, & obscure adumbrabat, velut rudimenta quaedam operis in secreto depingens, volvensque multa animo. Rem fore dignam vetere majorum suorum erga patriam hanc munificentia, Metropolique dignam. Sic posse parari Urbi grande ornamentum, atque oblectamen liberale juventuti, sedemque nulli vel ordini vel aetati indecoram: sic otia posse averti, magnarum civitatum, magnaeque fortunae cladem sic denique inveniri, aperirique viam, qua daretur litteratura Clero simul & civitati, non horrida illa quaedam, & inculta, sed polita & elegans, mixta ex gravi & jucundo, qualem, scilicet, Chrysostomi, & Basilii, & Nazianzeni tempora tulissent, dignam nempe majestate rerum, quae sacris disciplinis continentur, & illiciendis ad veritatem, ac salutem animis apte temperatam. Haec erant non tam consilia nunc, & curae Cardinalis, quam oblectamenta quaedam inter rerum curas & consilia graviorum, quae magnae res, & nihil differendae curae statim initio Pontificatus, formam statumque civitatis & Ecclesiae totius intuenti multiplices sane occurrerunt. Namque illa, quae demonstravi de litterarum studiis, nova & recondita & exquisita ratione instaurandis, de publica Bibliotheca aperienda, collegioque fundando, ac de varietate linguarum, si faveret Numen, inducenda in collegium, transferendoque Mediolanum Oriente; haec & alia ejusmodi, quae deinde feliciter facta cuncta vidimus, veluti magis optanda, quam speranda, & fortasse futura numquam primis illis temporibus intuebatur, admittebatque interdum, & deinde relinquebat.

Instantior erat perennisque sollicitudo, de moribus & disciplina Cleri, de tutela Ecclesiae, de moribus etiam, & pietate civitatis, quae magna & opulenta, & per temporum illorum quietem deliciis, & commodis assueta omnibus jam simile quiddam haud dubie patiebatur, quod exercitus quoque validissimos pessumdedit, atque corrupit ita, ut, quos nulla hostium arma vincere potuissent, otium desidiaque debellaret. Sic & cives nostri non modo accumulatis, & auctis, sed etiam inventis longa pace voluptatibus, inter eas laxissime agebant aevum, libenter obliti disciplinae, viaeque ejus, quae arctior, & ardua ducit ad salutem, contumaci etiam plebe ad praecepta salutis. Haec suo more semper ubi quaestus affluat, ganeae, & aleae, choreisque, & saltationi, per festos praecipue dies, tamquam legitimis artibus intenta profanabat, sive deserebat divinorum officiorum horas: & vitia pauperum haec, unde & turpiora alia Pastori Populorum, acerba sequebantur. Praepotentes Nobilesque, & horum haeres futura juventus, ad omnia, queis pecunia prodigitur, opes, animosque verterant; ibique vitia fortunae, & animi majoris exercebantur, unde inimicitiae & caedes: nec tamen etiam illa plebis aberant, aliena omnia pietati, populoque gravi, & honesto.

Sane, D. Carolus multo suo labore, coelestibusque institutis, ut esset vere gravis, & honesta, piaque civitas, effecerat, inveneratque nobilitati simul & multitudini laudem hanc, sive potius longo intervallo revocarat eam, cum ante adventum, Pontificatumque ipsius, licentia temporum, & diuturna absentia, desiderioque Archiepiscoporum aliorum, magna ex parte exolevisset ea laus, & ab majorum virtute, modestiaque, & religione tunc quoque degenerari coeptum esset. Sequutusque Borromaeum in hoc Pastorali munere Vicecomes magnopere adnixus erat, parta ab eo & instituta retinere. Verum & aliquanto dispar magnus Archiepiscopus iste magno sanctoque illi, & mortuo etiam ipso, sedis vacuae menses dederant notabilem hanc in populi, Ecclesiaeque Mediolanensis disciplina lacunam, ut, quan-

quantas in vetere modestia & pietate factas temporum lacunas D. Carolus initio repererat, tantas fieri coeptas jam, & quotidie increscentes Federicus quoque reperisset. Impliciti Clerici mercimoniis, mulierculisque suis, armati nonnulli eorum, semitogati fere omnes, socii ministrique laicorum, participesque peccantibus; immo & peccare docentes: neglecta quoque templa per incuriam eorum occupationesque diversas: & alia nequaquam grata dictu nobis, quae ideo compendio hoc notasse contentus fui. Sed & in summa rerum illata detrimenta Jurisdictioni Ecclesiasticae deprehendebantur, qualia fieri necesse est illic, ubi pars altera potentior, imperiumque majus excubat, ne sibi quoque detrimentum inferatur. Haec omnia sananda, corrigenda, sarcienda, restituenda Cardinali Federico statim in ipso Pontificatus limine occurrerunt. Curaque major in eo, ne, dum sanare, emendare, restituere ista conaretur, exacerbaretur forte aliquid, deteriusve fieret. Immo, & decoris gravitatisque causa caverat ultro, provideratque, ne cupide accedere ad censuram hanc, neve totam illico molem commovere voluisse videretur. Unde & lente dissimulanterque agebatur: erat modus ille agendi tamquam videri mallet recte composita cuncta reperisse, quam composuisse statim & ordinasse Metropolim. Inspiciebat omnia veluti per otium: aliosque inspicere, ac referre jubebat: decernebat subinde aliquid: dabat intervalla decretis, & tempora cuique negotio apta exspectabantur. Et quo gravius decentiusque ageret, per aliquot dies & vacavit humanissime alloquiis, salutationibusque nobilium, Principumve civitatis, & processit ipse salutatum ad eos, quorum honori dari id, tum Ecclesiae negotiorum, ac rerum interfuit, tum ipsorum quoque status & conditio postulabat. Ibat etiam ad praecipua templa nonnumquam, veluti antiquitates, & monumenta aliqua inspecturus: & ea per dies mensesve paucos dissimulatio, lenitasque erat, donec cognitis, inspectis, auditis, quae cognoscenda erant, maturitas, & occasio, nunc hujus rei, nunc illius, acriter, serioque agendae veniret.

Haud interim etiam ex consiliis, actionibusque istis, & intento sic ad destinata exsequenda animo dimittebatur illius litterariae actionis cogitatio, sive imaginatio quaedam, oblectamen inter negotia potius hoc tempore, quam negotium, & sicuti dixi, modo seposita res, modo repetita, prout a meditatione, & contentione animi majore constituendae Ecclesiae respirarat. Collegia Urbis & Seminaria Clericorum adeundo diebus, occasionibusve quibusdam, ultroque etiam occasiones adeundi quaerendo ipsas, inspecta sobole, juventuteque omni, notabat tacito delectu, deinde post aliquot experimenta segregabat eos, quos ad quaeque studia maxime aptos esse judicavisset. Coegit Hebraice Graeceque tunc balbutire nonnullos. Alios evolvere historias, & in manibus habere, praecipue Livium, jussit. Aliorum habita cura, ut in Philosophiae, ac Theologiae studio detinerentur. Aliis commendatae sacrae antiquitates, proposita omnibus spe praemiorum, si in suo quisque genere praeclarum aliquod industriae, vel ingenii specimen didissent. Eaque spes cum decoro, & majestate facta erat, non pollicitatione ulla Cardinalis ad mobiles adolescentium animos, sed rerum ipsarum fructu exemploque Magistrorum, quos pensionibus, sacerdotiisque ornavit, prout quemque eorum ante suum adventum in munere non segniter versatum fuisse compererat. Inde nimirum fiebat atque ducebatur conjectura juventuti, posse etiam ipsos praemia aliqua adipisci olim, neque futuros illos absque honore, & emolumento labores. Factumque postea divinitus est, ut iidem illi, quos veluti praeludio quodam elegerat seposueratque ita, post multos inde annos exstructa, & aperta Bibliotheca Ambrosiana, collegioque fundato cooptarentur ab ipso in id collegium, Doctoresque nuncupati ederent volumina quae exstant: cujus sane cooptationis, fundationisque collegii, nec non & Bibliothecae quodammodo casuum, consiliorumve Fundatoris, Institutionisve Doctorum, veluti historiam suo loco inclusurus sum, tunc, scilicet, cum ad illa Cardinalis, & gestae rei tempora, narrationem perduxero. Nunc sive agentem, sive experientem tantummodo, tentantemve talia Cardinalem negotia longe diversa & plane aliena excepere, de quarum rerum causis, & initiis, exituque cuncta ordine exponam.

## CAPUT II.

### *Controversiae oriuntur.*

Lites & controversiae Cardinali cum Magistratibus Regiisque Ministris nullae sane adhuc esse potuerant: nec vero deinde posse incidere ullas autumaret, quisquis praesentia intueretur. Et rursus intuenti nonnulla facile appareret, posse levi momento turbari statum rerum, mira diversitate, cum res eaedem, & pacem ostenderent, & diffidia turbasque minitarentur. Urbis Provinciaeque Gubernator erat hoc tempore Excellentissimus Joannes Velaschius, notabili praesertim ipse varietate, hinc gravitatem promittens, otiumque rebus, hinc aptus ad res quoque novandas, sive lacessere ultro vellet, sive foret ab alio lacessitus. Comestabilis Castellae ipse erat: quod magni honoris vocabulum veteri Magistro Equitum potestate ac dignatione respondere plerique censent. Ingenio, prudentia, litterisque excellebat: & erant decora alia Principi, magnaeque virtutes. Sed & elatum gloria fastuque animum gerebat, super caetera irritamenta superbiae humanae, etiam Regiae stirpi sese adnexum ferens. In aetatis praeterea flore cum esset, alta & excelsa cuncta sperans, decus aliquod novum, atque eximium, sicuti vulgo homines credebant, ex Provincia deportare cupiebat. In Principem, ingeniumque Cardinalis inciderat, haud parva fere omnium exspectatione, posse concors, atque unanime regimen esse Urbis, quandoquidem ea natalium claritudine Gubernator, parique animo esset: ac rursus metus apud prudentes, curaque subibat in diversum. Nec secus etiam de Cardinale ipso, novoque Archiepiscopo augurabantur homines, atque existimabant. Et mitissimos ejus mores, amabilitatemque naturae videbant: & strenuum in Ecclesiae causa animum, atque per vestigia patruelis coelesti passu iturum fama extollebat. Auxerant etiam intenderantque curas, sermonesve hominum partis utriusque Ministri, qui & accendere, & stimulare Principum animos vellent. Ab Ecclesiastica parte vetustissimi Presbyteri, qui esse D. Caroli se se alumnos, haud falso gloriabantur, admodum severi senes, & in senecta retinentes crudum, ac torvum & viride quiddam, & cedere nescium, ubi quid sacri juris ageretur. Sumserantque isti, nemine repugnante, nomen, & auctoritatem, quasi novum Archiepiscopum juvare fideli opera, regere consiliis haud alii magis valerent. In parte altera nihilo dispares animi, vel sapientia, vel studio, vel ardore, & cupiditate vincendi. Quodque inter Ecclesiasticos, pietas, & propugnatio divini cultus, his officium, & fides erga Regem: magnaque nomina, Catholicum Imperium, & Catholica Majestas, & his inclusa nominibus haud minor tutela Religionis obtentui sumebantur.

Haud sane ego culpis, criminibusve adnumeraverim id, quod fama jecit in partis utriusque Ministros, quasi crimen: potiusque adscribendum esse reor moribus & consuetudini omnium, qui sub alieno imperio vivunt. Dictum namque ita creditumque est: homines in parte utraque fuisse nonnullos, qui potentiae suae causa, hinc apud Archiepiscopum, hinc apud Gubernatorem jecerint semina turbandarum rerum, sive ab aliis jacta nutrierint, aluerintque & auxerint, ut certamina illa orirentur, unde nihil demum aliud etiam ipsi retulere, quam aerumnas, & sinistram in Urbe famam. Sed praeter ejusmodi homines, veluti duces & capita rerum erant, Menochius, & Seneca: ille peritia legum celeberrimus, & fere primus aevi, dignatione Magistratus, nec non moribus & auctoritate vitae commendatus, acceptusque Gubernatori: hic haud dispare inter Ecclesiasticos fama, sed praecipue ob D. Caroli nomen, ex cujus disciplina prodierat, pariter acceptus Cardinali, intimusque. Menochius Regii honoris vocabulo

Praeses Magistratus extraordinarii erat: sed ad omnia, quae consultanda essent, quaeve etiam agenda, adhibebatur. Seneca Vicarii Generalis terminos egressus inclinatione in eum, & fiducia Cardinalis, Ecclesiae statum, atque initia Pontificatus regere credebatur. Prima offensionum, suspicionumque mutuarum semina causasque dissidio praebuit Gubernatoris ex Belgio reditus: initiumque turbandi, unde quis minime crederet, exortum forte est. Cum enim, re bene gesta, rediisset ille Mediolanum, atque ad gratias de more agendas, Numenque adorandum, templum maximum Urbis inire pararet: dictum ei denunciatumque ita est: si loco sedeque Gubernatoribus adsignata alias considere vellet, nequaquam id ei ex animi sententia cessurum: obstare auctoritatem & exempla Majorum, qui intra chori sive odaei cancellos laicum consistere quemquam vetuerint. Sedem eam esse sacrorum, & purum ab omni profano contactu servari locum oportere.

Perculsus ea denunciatione Gubernator, gravi, sed dissimulato motu, abdidit iram. Dimissoque Sacerdote, qui nomine Cardinalis exposuerat haec, nihil ultra effatus, quam bene sane verteret, vertit ipse iter ad Deiparae Virginis aedem, miraculis & religione inclytam, cui cognomen est ex finitimo Martyris Celsi templo: eaque sacra aedes ingredienti Urbem non devia forte erat. Salutato illic Numine, peractoque solenni, qui in expeditionis, itinerisque fine ab grato, pioque animo, ut Superis honos haberetur, peragi oportuerat, nulla sane per aliquot dies turbati signa animi ab Gubernatore dabantur. Plane sperares bonam fore pacem, si nihil praeterea incideret, quod posset stimulare iras, quove jam oblitterata renovarentur: sive, nisi abrumpi dissimulationem cogeret aliqua nova res, sicuti novum ab humana ambitione irritamentum pene coegit.

Cardinalis Alexandrinus, cognomento erat Pii V. fratrisne filius, an sororis, ob patrui, sive avunculi memoriam, solita erga Pontificum propinquos adulatione eminens adhuc, nec dum pristinus favor exoleverat, reliquiaeque gratiae prioris manebant. Is, cum per Provinciae fines iter forte haberet, ac venisset hoc tempore Mediolanum, pari studio moti sunt Cardinalis Archiepiscopus, & Provinciae Gubernator, ad hospitem, quanta maximi possent honoris & benevolentiae significatione, excipiendum. Itaque & processere ei una obviam, & templo maximo latera cingentes ad peragenda illic solita officia pietatis induxere. Ibi asperatus iterum Gubernatori animus est: parva dictu res fecit, ut & offensio illa prior posteriorem augeret, & vicissim haec ad illam adjecta, non alienaret modo animum, sed ultionis quoque curas, & meditamenta elicere inciperet. Namque venenum hoc sub dulcedinis illecebra propinavit natura mortalium animis, ut offensi, atque irritati effundere dolorem, & punire aliquo modo iracundiam velint. Culcitrae praeparatae stabant ad flectenda, sicuti assolet, molliter genua, in speciem, commoditatemve simul. Sed Cardinalibus forte positae fuere grandes, & splendidae, & pretiosae, quaedam Gubernatorem humilior, & obsoleta manebat. Destinato id dataque opera, & Ecclesiae rituum aliqua lege, an incuria ministrorum factum esset, sive Magister, & Antistes ipse caeremoniarum excogitavisset ultro, & facere sua sponte voluisset, incertum fuit. Certe Gubernator non fortuitum, neque legitimum, sed malevolum atque contumeliosum in se, promto jam ad deteriora credenda animo interpretatus, aestuabat, movebaturque interiore sensu ita, quomodo viri potentes, quandocumque se putant esse violatos, aestuare, moverique, & simul hos prodere animi fluctus solent. Simul vero etiam, ritu, modoque Principum, ille fecerat hoc, ut, & videri vellet eo die coxisse iram, & aleret tamen atque retineret. Manebat, ut dixi, cum Archiepiscopo Cardinale gratiae, amicitiaeque species ejus, quam retineri sive adsimilari ex decoro ac dignitate utriusque foret, etiamsi vel uterque, vel alter eorum aliena, & inimica induisset. Sed nihil sane simulans, fingensve Cardinalis, suspicatus id quod erat, culcitram displicuisse Gubernatori, misso in id certo homine, purgavit factum, incuriamque in eo Magistri caeremoniarum excusavit. Atque Gubernator, accepta, sicuti videbatur, excusatione, par priori responsum dedit: precari se bonam fortunam, ut pacata omnia Mediolani, & habere, & relinquere posset.

Haud multi postea dies fuere: & promulgatur edictum, magnum, & grave illud *De oryza intra quintum ab Urbe lapidem non serenda:* quo edicto convelli Ecclesiae statum & redigi sibi agros in solitudinem, & squalorem, creberrima, & nescio ego, an ista querela Clericorum fuit. In partem utramque varie disserebatur. Ajebant Regii, eo sementis genere infici aera: corrumpi superfusum hunc spiritum: uliginesque paludum, & eluviem aquarum, qua campos & oryza proveniat, inundari necesse est, insalubrem atque pestilentem agrestibus, civibusque juxta esse. Dum praeparatur terra faciendae sementi per hiemem, aestate dum aluntur sata, & rigantur, obtinere cuncta aquas, ibique demersam in opere faciundo plebem adfici morbis: nec leve Regis id, Reipublicaeque damnum. Id porro etiam inter publica & Regia damna posse numerari, quod, dum oryzae satu spatia camporum occupantur, locus fere desit frugibus, quibus eget vita, serendis. Ita emolumentis & avaritia nonnullorum premi, fatigarique annonam, quo nihil damnosius esse Regi possit. Adversus haec omnia, pro Ecclesiasticis erat, causamque veluti agebat ager ipse circa Urbem plane inanis, ac sine fructu, si oryza ablegaretur inde, futurus. Nam tertiam fere partem Ecclesiae nomine possideri constabat, quae tertia pars, promulgatione illa edicti redderetur inutilis, ac pene sterilescere cogeretur. Itaque damno incommodoque huic, ab Ecclesiastica parte obviam itur alterius edicti carmine, quod in haec fere verba compositum fuit: *In Ecclesiae agris, ne quis absque auctoritate Archiepiscopi oryzam serito. Qui serere volent, causam, necessitatemque probanto. Veniam facultatemque serendi impetranto. His, qui non paruissent, dirae coelestis, malorum ultimum, poenaeque aliae intentatae, quascumque Ecclesiastica potestas interminari, atque exercere etiam ipsa solita est.*

Veluti cum duae infestae acies constitere, tubaeque cecinerunt, tunc in praeliis miscentur arma, virique, & plurimus it coelo clamor: manibusque consertis vir virum amplectitur, ac toto concurrunt impetu, qui taciti signum antea exspectabant: ita, Ecclesiastico hoc edicto promulgato, cuncta hinc inde, quae suppressa olim, & dissimulata fuerant, sive quae partis utriusque ministri, mussando tantum, atque fremendo inter se agitarant, erupere, suntque veluti tela contorta invicem. Regii primi consurrexere, atque acerrima in forum Ecclesiasticum diligentia usi, singulas, atque quotidianas ejus fori actiones collegere in unum: eumque libellum, ceu damna Regiae Jurisdictionis exprobrantes, obtulere Gubernatori, ut vindicaret, scilicet ipse, atque persequeretur. Capita pleraque inerant, & series longa usurpationum: sed summa fuit haec: *Potestatem, & nomen, imperiumque sacrorum ita pollere Mediolani, atque tam late per omnia esse diffusum, ut vix locus in Urbe nomini imperioque Regio relinqueretur, ac tantae Majestatis memoria apud multorum animos prae dominatus alterius potentia pene exolevisset. Per speciem, titulumque Religionis, obnoxiam atque subjectam huic dominatui esse Civitatem, caputque & fortunas, & bona singulorum inde pendere. De omnibus rebus in judicium illuc iri conticuisse in parte altera judicia & causas. Inania sibi nomina Senatum, & Curiam, & carcerem, & satellites, forensemque Ministerium, propterea quod Ecclesiasticae latumiae domicilium pene populi Mediolanensis fierent.* Subdebantur & alia quasi crimina Majestatis: *Stemma Archiepiscopi gentilitium stetisse situm altius quam Regis: effigiesque Regias die, & pompa frequenti dimotas fuisse, quia profana haec simulacra esse dicerentur.* Collegissent Ministri sua sponte haec, & in eamdem formam alia obtulissent Gubernatori, an vero Gubernator ipse, notata ultro, atque animadversa haec ostendisset illis, depromique sub eorum nomine jussisset, haud facile ego discreverim, dixerimve. Nam & dictum utrum-

utrumque est: & conjecturae, sive rerum argumenta in partem etiam utramque inclinant. Ultro sive remedium damni, ut dixere, increscentis tam propere insecuta est, ut composita, & meditata omnia fuisse, Magistratus inter Gubernatoremque appareret.

Praesidi Menochio, qui edictum composuerat, atque obsignarat, aqua, & igni, hoc est, communione sacrorum interdicitur. Pars deinde utraque in Hispaniam ad Regem, Romam ad Pontificem Maximum de se causaque sua magnifice in partem alteram cum expostulatione perscribit. Irritatisque ita animis, etiam fortuita, sive innoxia, pro injuriis, cuncta sinistre, & infense accipiebantur. Namque inter suspiciones offensionesve caeteras, error etiam ille quidam, & fallacia orta est, ut, cum divinam opem in tanto rerum discrimine exposcendam, preces quasdam ex ritualibus libris inter quotidiana sacra repeti Cardinalis adhiberique jussisset, *Orationem a cunctis*, ea ipsa res perculerit Regios, & nova offensione vulnerarit. Ajebant, quaesita sic esse initia seditionis ad populum, praebitamque materiem, quasi Domitiani tempora rediissent. Cumque alia hujusmodi inciderent, promta semper in deterius apud animum humanum interpretatione, indignatio augebatur. Atque interpretamentis & motibus hisce pares eventus, & simillima facta hinc inde erant: ac potestati utrique adversus alteram sua tela in promtu. Intra paucos hujus coeptae controversiae menses eo ventum erat, ut ad ultima propediem exempla irarum, Ecclesiastici pariter, & Regii prolapsuri esse viderentur: & ipsum haud dubie Gubernatorem, ceu mox anathemate defigendum vulgo homines notabant oculis, fama, sermonibusque destinabant. Frequentare Archiepiscopi forum, & munia aliqua ibi obire, laicis horror esse coeperat: atque dilabente paulatim omni fere ministerio, Scribisque recusantibus ibi factitare artem, solitudo Ecclesiasticae rei fiebat eadem, quam sibi quoque factam esse Regii conquerebantur. Et rursus incesserat rumor, Magistratuum aliquos, cum vellent de more peccata confiteri, animumque expiare mysteriis, non fuisse admissos, neminemque reperisse, qui sibi aures praebere vellet.

Cardinalis per eos dies ad haec negotia consultanda, convocatis Episcopis, Novariense, & Derthonense, in quorum prudentia plurimum spei habebat, de eorum sententia statuerat, non ultra sisti posse: denunciandum prius esse Gubernatori: petendumque ab eo, uti rescinderet acta: edicta antiquaret: ni id fieret, diris & summo Ecclesiae jure esse agendum. Episcopi iidem illi legationem suscepere hanc: ingressique ambo ad Gubernatorem, quam potuere commodissime, mandata exposuerunt. Dixere praesentem Ecclesiae statum, neque Majestati Catholici Regis ullo modo placiturum esse, si Majestas illa cuncta, quae Mediolani fuerint a suis acta, cognoscat; neque tanti Gubernatoris natalibus, nominique, & pietati convenire. Ad ultima ventum esse: nisi primo quoque tempore subventum sit, rem propediem esse lapsuram. Ea, cum in commune dixissent, nominatim deinde tolli abrogarique edicta postulabant, quibus edictis Ecclesiastica libertas imminuta, labefactata esset. Ad ea Gubernator placate moderateque respondit: Initium novandi fortasse aliquid ab Ecclesia ipsa esse ortum: neque aliter, Regis & imperii Majestatem potuisse retineri. Non Cardinalis Archiepiscopique Borromaei culpa quidquam esse factum: sed culpam fuisse omnem eorum, quos circa se ille haberet, si Cardinalis Archiepiscopusque Borromaeus tolli atque omitti talia jussisset: se quoque ab sua parte in pristinum statum restitui cuncta jussurum. Magnopere sibi cordi esse, ut Civitas, & Ecclesia, quae prima Italicarum sit, etiam decoro tranquillitatis & pacis antestet.

Cum hoc responso dimissi Episcopi, iterum deinde, ac tertio rediere, acrius id ipsum quod antea, & magis definite nonnulla alia postulantes. Petiere altera legatione quidem, ut, & Mediolani ad Ecclesiastici fori negotia tractanda liberarentur Scribae, Causidicique omnes, & id ipsum in caeteras etiam Provinciae Urbes a Gubernatore mandaretur. Altera vero, ut sicuti Alburquertii Dux olim, promulgato adversus Ecclesiae agrorum aratores, conductoresve edicto, ut postea edictum interpretatione molliore temperasset: ita par interpretatio nunc minas poenasve mitigaret, quarum horrore, ac metu, attonita circa Ecclesiam & afflicta cuncta jacerent. Petierant ista Episcopi, diemque finierant, intra quam diem, nisi facta essent, differri anathematis poenam haud ultra oporteret. Gubernator ea denunciatione gravissime pro insita animo pietate commotus, exemplum Alburquertiani edicti poposcit: atque adhibitis hominibus, quorum prudentia, & consilio in ejusmodi negotiis utebatur exquisita sententia eorum, statuit, non esse e Republica, non esse Regiam utilitatem, quod ad edicta attineret, addi, demi, mutarive quidquam. Id apud Regios ita constitutum esse, posteaquam apparuit, die quodam, summo mane, fixi stetere libelli cubitalibus litteris Gubernatorem Ecclesiae ritu publice admonentes: eamque admonitionem, ni animi ad aequitatem adducti essent, sequi res ipsa debebat, ut anathematis dirarumque carmina promulgarentur. Tunc & primores Urbis, & quicumque Cardinalem propinqua, seu longinqua cognatione attingebant, rebus ita commotis, alii quidem publico dedecore, alii vero ob studia privatasque necessitudines: quidam etiam nulla, neque publice neque privatim sollicitudine, & cura: sed tantummodo per ambitionem, ut in magno illo rerum discrimine, a Principe utroque adhibiti esse viderentur, ultro citroque commeare coeperunt, conditionem subinde novam aliquam, & delinimenta animis nonnulla excogitantes atque ferentes. A Gubernatore ad Cardinalem, a Cardinale ad Gubernatorem pacificatores veluti isti ibant, ipsis etiam haud sane recusantibus, sive, quia cupiebant vere pacem: sive, quia exquiri hanc, atque tractari parti utrique decorum erat. Et mater praecipue Cardinalis ipsius, Margarita Trivultia, primaria femina, non sane muliebriter anxia, ob damna & pericula aliqua domus, sicuti credi fortasse posset, sed supra sexum prudens, piaque, & rari exempli, immo sanctimoniae matronalis unicum, ac singulare propemodum ea aetate exemplar, nunc per codicillos, atque internuncia, nunc in aulam quoque delata, sive domum excito filio, rogare, obtestarique non desinebat; officio quidem, & honestati sui muneris, sed interim etiam saluti & otio, securitatique consuleret. Apud Gubernatorem item apta mitigando animo disserebantur: sed neutri persuaderi quidquam potuit. Obtendebant, alter quidem regisset Imperii majestatem, alter vero majestate majore Numen, & Ecclesiam, cultusque divinos, nec arbitrii jam sui rem esse. Et sicuti Gubernatoris in eo mens fixa perseverabat, ne sua ipse edicta abrogaret: ita fixum destinatumque Cardinali, depromere, quae ferro, & Regum omnium opibus validiora arma data divinitus Ecclesia Christi habet.

Statim ubi exisset praefinita Gubernatori dies, intra quam diem Ecclesiae satisfecisse is deberet, ferire ipsum anathemate parabat, invitus sane quidem haud aliter, quam, si sua ipse viscera secanda, & lanianda praebiturus esset: caeterum in remedium maxime salutemque ejus, qui telo hoc petebatur. Dies ea tamen cum in exitu jam pene esset, Parmae Dux, cujus sororem Hersiliam Comes Renatus, Cadinalis frater, in matrimonio habebat, obtinuit, uti prorogaretur, & rursus hoc etiam finito spatio Cardinalis Aldobrandini litterae adfuerunt, quarum auctoritate, nutuque Pontificis Maximi, temporis amplius Gubernatori, ut, nisi intra trigesimum diem Ecclesiae satisfecisset, anathemata denunciata irroganda ei essent. Namque Gubernator, ubi videt, abscissa sibi esse cuncta, nec posse simul, & evitari hoc, ut ne communione sacrorum ipse arceretur, & edicta, quae essent promulgata, retineri, missa in id Romam legatione impetraverat, ut adversus angustias, in quas a Cardinale Borromaeo conjectum se esse expostulabat, spatia laxiora sibi concederentur. Inter quae, Majestas ipsa Regis cognita causa litteras ad Cardinalem dedit, egregio temperamento inter altitudinem pietatemque ipsius, & suorum

rum querelas imperiique defensionem. Inerat salutatio comis, & benigna quidem in principio litterarum in hunc modum: *Rex Philippus Venerabili & Dilecto Amico nostro salutem.* Caetera deinde ad eamdem formam mixta graviora lenibus, qualia rigor, Majestasque Regum praefert. *Designabat suorum querelas, tentata imperii jura, quietemve sollicitatam. Quae si essent ab Ecclesiasticis forte Ministris aliquo modo facta, emendari tollique, nec fieri amplius debere. Dein ad mitiora perplexe adhuc, ambigueque conversa Majestas eadem spem gratiae interioris ostendebat, ita ut ex diverso intelligeretur etiam id, quod reticeri Majestas ipsius fuit. Intelligi autem potuere denunciationes aliquae irarum, nisi Cardinalis in controversiis, negotiisque ejusmodi remissius in posterum, molliusque egisset.*

Ipse, hac Regia epistola accepta, rescripsit de officio suo primum, & fide erga nomen Majestatemque Regis, dein de jure causae, & statu rerum Ecclesiae Mediolanensis plura atque intentius: & omnia quaecumque egisset, recte atque ordine facta esse, demonstrare conabatur. Rex ad ea rursus in hanc sententiam humanissime rescripsit: *Fidelem amicum, & Episcopum optimum esse Cardinalem. Majores ipsius optime semper de imperio meritos fuisse, & egregie conservasse fidem. Sic & ipsum haud degenere animo velle mereri. Non se dubitare, quin, si homines etiam Ministrique ejus, absque ulla perturbatione, quae flectere a vero animum possit, rem gerere velint, nihil postea controversiarum incidere debeat, atque contingat ea pax, & tranquillitas, otiumve rebus, quod sub Catholico imperio in tanti nominis Ecclesia esse oporteat.* Scripserant talia quidem inter se, Rex Philippus, & Cardinalis Archiepiscopusque Borromaeus. Facileque apparebat, posse omnia amabiliter placideque componi, nisi Ministri utrimque sane fideles, sed intempestive solliciti obstarent. Mox vero etiam Pontificiae litterae turbavere Regis animum, secuta protinus interpretatione, tamquam, Cardinale ipso urgente, atque instigante, scriptae illae essent. Summa litterarum fuit: *Jam diu esse, cum voluisset atque cupivisset Pontifex exponere Catholico Regi damna, quae per nonnullos Ecclesiae rebus illata essent. Sed distulisse querimoniam officiumque ejusmodi, ne tam pii Regis Majestatem, animumque religiosissimum sollicitudine aliqua afficeret. Nunc cum ad ea quae intra paucos annos, in Belgio, per Siciliam, Neapolique accidissent, novae Mediolani controversiae moverentur, quae pacem, & dignitatem illius Ecclesiae distinerent, non potuisse ultra differri. Petere uti mandata opportuna daret Rex, atque in pristinum statum uti cuncta restituerentur. Id praeterquam quod ad Catholici Potentissimi Regis officium magnitudinemque pertineret, etiam Regiarum utilitatum causa videndum ei considerandumque magnopere esse. Nam damna Ecclesiae, damna esse Regnorum. Rursusque ubi plurimum Ecclesia polleat, floreatque, ibi pariter augescere, ac florere dominantium opes: nec alio certius meliusve exemplo id demonstrari posse, quam nominis imperiique Catholici, quod imperium ideo amplissimum sit, quia religiosissimum: & quasi reddente vices Numine, paribus incrementis hinc Domus unica Ecclesiae propugnatrix, hinc Ecclesia ipsa, quotidie attollantur.*

Inerant Epistolae huic pleraque etiam alia, tum clementer, & paterne, tum Apostolice, atque graviter, tum interjecta quaedam, & cuncta tamen, quocumque ducerentur, itura, sive placide forent accepta, sive more Regum offenderetur animus. Inseram simulacrum Regiae altitudinis, atque Majestatis adversus fastigium, altitudinemque majorem quam rescripserit Rex, referendo: *Admodum Sancte Pater. Sanctitatis Vestrae litterae, quae Idibus Octobr. datae fuerunt, dicendi multa vicissim occasionem mihi praebebant, si istud agere vellemus. Et sane turbatur mihi dolore quodam animus haud injusto, sicuti arbitror: si quidem hisce Christianae Reipublicae temporibus, dum graviora instant, atque urgent, moventur talia, atque aguntur. Attamen quia mihi quoque curandum haud minus est, ne filiis meis imminuta relinquam ea, quae a majoribus accepi: peto a Sanctitate Vestra, ut posteaquam Sinuessae Ducem, Legatum nostrum audiverit, mandata opportuna dare velit, ne usitata diu atque inveterata mutentur. Nam si novandum utique aliquid, mutandumve esset: ita ego de Sede Apostolica, & de Vestra Beatitudine meritus esse videbar, ut aliqua imperii mei utilitate non manifesto detrimento id fieret. Haec & alia clarius, fusiusque ab Legato nostro exponentur Sanctitati Vestrae, quam Deus, sicuti ego opto, salvam esse velit.*

Haec per se gravia, & apud Pontificis quoque animum apta sollicitudini incutiendae, vim ex eo pondusque sumebant, quod erant scripta Regis ipsius manu. Caeterum animum in scribendo ita subiratum, & dissimulatione majoris irae tumentem habuerat Rex, non tam ob epistolam Pontificis eam, de qua memoravi, quam ob recentiorem simul aliam, quae Patriarchae Cajetano data fuerat, cum Nuncius in Hispaniam ille mitteretur. Sed ne epistola quidem haec ipsa per se tantopere offenderat, quantopere offendit animum Regis adjunctus huic epistolae libellus, in quem collata ordine cuncta erant, quae Ecclesiasticis adversus Regios aliquando materia querelarum fuissent. Litterae quas Pontifex Cajetano dederat, simul atque in Regiam ille pervenisset, una cum libello depromendas offerendasque Regi in hanc sententiam scriptae fuerunt: *Borromaeus Archiepiscopus, cum nuper Ecclesiae Mediolanensi daretur, id factum esse spe optima, magnoque in posterum provisu, & propemodum certo atque interjecto pignore tranquillitatis pacisque habendae, quia, scilicet, & controversiae omnes, quascumque cum patruele hujus Cardinale Sanctae Praxedis, conditio illa temporum rerumve movisset, compositae feliciter, ac terminatae essent: & hunc ipsum Majestas Regis benevole atque honorifice admisisset. Sed spem ita conceptam ad irritum plane cecidisse: nec lites modo renovatas easdem, sed etiam non alia, quam Daemonum manu pestilentiorem sementem factam esse controversiarum, atque jurgiorum adversus Ecclesiam, quae negotia, quomodo sese haberent, uti intelligeret Rex, descripta ordine cuncta exhiberi, per quae Mediolanensis Ecclesia violatam se esse conqueratur. Capita rerum, & querimoniae Ecclesiae Mediolanensis: Primum omnium Regii Magistratus Ecclesiasticae libertati officiunt in eo, quod efficere volunt, semperque nituntur, ne Archiepiscopus lege agere possit, neve jura sua exsequi in homines Ecclesiae subjectos in praedia fructusve agrorum, in colonos suos, atque annonam, in caetera demum, quae sacrae potestati obnoxia tantum, & altero dominatu intacta, atque libera semper habita sunt. In haec omnia Regii potestatem suam ostendendo paulatim jus omne demere Archiepiscopo, seque dominos & arbitros ejusmodi rebus apposuere. Praeterea in oneribus, & tributis per capita, tectaque imponendis, Clericorum domos haud discernunt. Si laicorum, populariumve aliquis in sacra sacrosve deliquerit, debeatve Clerico quippiam: Ecclesiastico foro in hunc esse actionem vetant, sibique assumunt talia.* Quaedam & alia complura inerant ei libello, quem Pontifex Clemens ab Archiepiscopo, & Cardinale Borromaeo sibi transmissum dederat Patriarchae Cajetano, Regique per eum obtulerat, si forte Majestas illa suum animum ob negotia componenda moveret. Sed pro cura, & cogitatione hac, mota indignatio est, quae Regium animum multa dissimulare assuetum manifeste occuparat.

His, quae pauca retuli, pleraque alia adnectebantur, quaecumque irreverenter, aut irreligiose ab aliquo Magistratuum, facta per eos menses colligi undique, & conquiri potuissent. Cumque breviter uno vel altero capite peragi expostulatio ea potuisse videretur. Facies ea rerum erat, tamquam augendo querelarum volumine, res eadem in plures species deducta, atque exaggerata, & amplificata esset. Ideo scripserat Rex ad Pontificem Maximum, sicuti retuli, epistolam, in qua cernere fuit, hinc Regium animum alte offensum & velut obstrepente indignatione memorem Suae Majestatis, hinc Pontificiae quoque Majestatis reverentia inhibentem iras, quo minus debiti obsequii terminos in scribendo egrederetur. Pari temperamento Regius Legatus Regis jussu Pontificem alloquebatur: ac fuere etiam praescripta ei, quae dicere deberet in hunc modum: *Gravem, & justam, esse Regi causam conquerendi, quod Pontificis Maximi Sanctitas verti, mutarique, & novari, sineret ea, quae recepta pridem, & firmata diuturno usu ad dignitatem, & statum*

*tum Catholici Imperii pertinerent. Quia modestiam, lenitatemque imperii hujus nonnulli videant, ideo agere sic eos, & ferre cuncta arbitratu suo, nec posse contineri, quo minus tentent quotidie patientiam, tentatamque contemnant. Catholicae pietati erga Ecclesiam praemia dari haec, gratiamque referri. At obscuri nominis Regulos, minoresque dominatus, quia certum sit, nihil esse dissimulaturos, nulla ab Ecclesiasticis detrimenta accipere, tutumque habere, ac retinere Imperium. Magnopere displicere Regi, quod Gubernatoribus suis, statim ubi controversia aliqua orta sit, anathemata, diraeque coelestes, minaciter & infense denuncientur. Honestius in posterum, & nomini Ecclesiastico convenientius fore, si de rebus, quae in controversiam vocentur, ut Regii ad Regem, ita Ecclesiastici ad Pontificem placate, ac sincere perscribant, ac posse ita Principis utriusque moderatione, atque auctoritate componi quidquid turbarum jurisdictionis causa exstitisset. Nam & Pontifici Maximo cordi esse debere tantopere commendatam illam a Christo pacem, & quidquid velit Pontifex, id Regi quoque placiturum. Caeterum, & considerandum illud Pontifici esse, quod sustineat Rex onus, curamque hanc, ne apud Deum primo, deinde apud haeredes, successoresve suos diminuti Imperii reus fiat. Quod si rebus ita affectis jam, atque exulceratis via aliqua compositionis, & remedium salutare ostenderetur: nihil sane Majestatem eamdem esse recusaturam. Alioquin ad remedia etiam acriora deveniendum cum gemitu ac dolore congruente sensibus suis, ac lenitati, qua semper uti erga Ecclesiam velit.* Haec, sicut ab Rege mandata, praescriptaque erant, cum exposuisset Pontifici Regius Legatus, depromserat simul, obtuleratque libellum, quo singula querelarum capita Ecclesiae Mediolanensis ordine confutabantur.

Mediolani interim nihilo tranquilliora negotia erant: neque, dum Pontificem inter, & Regem ea tractarentur, scriberenturque, aut Cardinalis aut Gubernator, de suo jure, immo, nec de animorum contentione remiserant quidquam: potiusque in dies magis exasperari cuncta apparebat. Namque promulgato edicto Gubernatoris, cum attonita cuncta circa Ecclesiam, & veluti consternata jacerent, Scribaeque hinc, & tota forensis familia diffugisset: Cardinalis in eo perseverabat, ut summo Ecclesiasticae potestatis jure experiretur, & fixis, ut demonstravi, tabellis, quibus anathemati proxima admonitio continebantur, ceu rem ipsam haud ultro dilaturus timebatur vicissim. Eaeque litterae ad V. Cal. Novembris conspectae summo mane, terrorem incusserant Regiis haud minorem, quam quanto res Ecclesiastica metu desolata jacebat. Quippe impavidum adversus ea, quibus interdum franguntur etiam fortia pectora, Cardinalem absque ulla cura proximorum & domesticorum, absque respectu damnorum, quae damna subire magna domus, & propriis in hoc imperio implicita Regiae munificentiae imperiis posset, ad illa infestissima, & tremenda jura iturum videbant. Id Hispano acerbum, tristeque erat, vel, quia tentari sic atque subrui sibi securitatem, alienarique tamquam a profano Gubernatore populos apparebat: vel, quia nulla sub coelo gens est retinentior nominis, quo obsequium erga Sedem Apostolicam, & Catholicae Religionis consentanea factis etiam professio continetur. Summa litterarum, quae poenam anathematis Gubernatori intentabant, haec fuerat: *Edicto illius, quod pridie Idus Septembris, propositum in Urbe esset, Ecclesiae statum pene esse convulsum, multorumque salutem in discrimen adductam, & pericula graviora imminere. Nam, etsi titulus praefatioque edicti, & series deinde tota nihil aliud praeferret in speciem, quam status, & jurisdictionis Regiae defensionem, eaque verbis forma subesset: tamen, proposito majestatis crimine, formidinem, vincla, terroresque injectos omnibus: nec jam esse, qui misceri ullis in foro Archiepiscopali negotiis velit: solitudinemque ideo factam: & passim gliscere vitia apud plebem, quia Ministri ad coercendum desint. Nec proprium Ecclesiae Mediolanensis tantummodo hoc, & singulare damnum, sed commune provincialium universarum in quascumque potestas Metropolitana patescat. Quippe eadem omnes denunciatione inhorruisse, quotquot Ecclesiae nomine ad munera aliqua adhiberentur. Proinde esse muneris officiique, quod Archiepiscopus sustineat, obviam ire malo huic, & remedia, quaecumque possit, Pastorali jure admovere, ne culparum etiam ipse reus fiat, in quas supremae coenae horribile carmen, & dira exsecratio promulgata est. Sane, omnia, per quae speravisset, posse Gubernatoris animum adduci ad aequitatem, tentavisse, expertumque esse, nunc per alloquia, & codicillos, nunc allegando pios homines, communes amicos, semperque precibus, & votis ab Divina clementia exposcendo, ut bonam mentem, & quieta consilia ei submitteret. Nihil his rebus esse effectum. Ideo admonitionis legitimae litteras hasce conscribi, quae, quoniam difficilem aditum habiturae essent illuc, quo perferri eas oporteret, in publico figendae essent, idque perinde haberetur, ac si Gubernatori ipsi essent traditae de manu in manum, perindeque ad rei gerendae effectum valeret, & jus ratumque esset. Hisce litteris, semel, iterum, tertioque moneri Gubernatorem, ut vel suum edictum ipse rescindat, vel interpretatione emendet, quae quidem interpretatio in haec verba concepta esse debeat: Nullam illius edicti partem ad Ecclesiae jura, vel labefactanda, vel imminuenda pertinuisse. Si quid labefactum, imminutumve esset: sicut antea fuisset, restitui debere, & perinde jus ratumque haberi, reddique in primis Ecclesiastico foro judicia, litigatores, frequentiamque pristinam, & formam omnium rerum, ita ut nulla edicti illius injuria sentiretur. Quae nisi intra sextum diem facta essent: post eam diem ferendam esse de Gubernatore sententiam: ipsumque damnandum Ecclesiae legibus: & Ecclesiam optare tamen, ut parcendi potius, atque amplectendi, quam damnandi locus daretur in Principe, qui complectendus alioqui etiam ornandusque esset.*

Haec forma sive sententia litterarum fuit, quibus litteris tamquam feriendus anathemate Gubernator, periculi poenaeque imminentis admonebatur. Ille tali denunciatione commotus, anxius etiam ob pietatem, ejusmodi edictum promulgavit, quo religionem, obsequiumque suum erga Ecclesiam, Cardinali simul, & populo probare conabatur. Ejus quoque edicti sententiam potius, quam verba referam: Fuit autem in hunc modum: *Edicto, quod antea promulgasset, nihil aliud esse quaesitum, quam, ut Catholica Majestas, & Regia jura conservarentur: idque coram Deo, & Rege profiteri Gubernatorem. Sed quoniam interpretatio diversa sequeretur, atque solitudinem Ecclesiastici fori, cessationemque judiciorum, quae vindemiae diebus, solita vacatione facta esset, ad minas & verba edicti referre quidam mallent: ob eamrem, edici rursus, & tam saepe, quam necesse sit, denunciari, mandarique ita, licere omnibus in Ecclesiastico foro versari, causas agere, & obire cuncta ibi, quaecumque agenda, obeundaque sint. Nemini id crimini futurum, crimen modo absit violatae majestatis, rerumve usurpatarum: quae res juris possessionisque Regiae essent.* His fere verbis Gubernator prioris edicti sententiam, mentemque declararat: addideratque poenarum, & omnis opportunae comminationis clausulas, si quis necessaria erga Archiepiscopum, forumve ejus munera in posterum obire detrectaret. Caeterum Cardinalis, sive, quia temporis tantummodo causa, edicta esse haec, moxque ad pristina redeundum fore, censebat: sive, quia latitabant adhuc vere Ministri, & haud secus, quam majestatis crimina respiciebant, quidquid circa Archiepiscopum, & Ecclesiam agendum obeundumve esset, ea satisfactione atque interpretatione edicti minime contentus fuit. Summo atque extremo Ecclesiae jure exsequi rem parabat, cum distulisset adhuc, saepiusque procrastinasset. Notum Gubernatori id, quod, scilicet, jamjamque esset anathemate percutiendus: ac volens telum utique vitare, quod in singula momenta imminebat, habebat ejus rei spem in provocatione totam, eoque apud animum suum unico subsidio nitebatur. Enim vero etiam superiorem in certamine se se futurum aliquando sperabat, si magna Regii nominis gratia, & magni sui nunc occulti, nunc manifesti conatus praevalerent. Et non omissa spe, quam habuerat etiam antea, Cardinalem quoque placandi, pergebat submittere nonnullos, qui palam nomine ipsius, quive, capto ambitu, & per occasiones illa-

illato sermone, lenirent animum, sive, ubi preces, & delinimenta repudiarentur, aliqua rerum, quae possent accidere, denunciatione commoverent. Inter caeteros iere Matthaeus Taberna, & Ludovicus Riccius, qui aut elegantissimi civium erant, aut certe fecerant hanc sibi inter nobiles alios famam. Hi, cum semel, iterumque Legati, nihil aliud quam suspensa, & perplexa verba retulissent, tertio demum jussi assumere secum, & alios quosdam, eisque praesentibus, epistolam offerre Cardinali, quae in haec verba scripta erat: *Joannes Fernandez Velaschius Cardinali Borromaeo, Archiepiscopo Mediolani, scriptum hoc offert. Quum superioribus diebus Episcopi duo Illustrissimae Vestrae Dominationis nomine a me petiissent, ut edictum, quod Regiae Jurisdictioni tuendae promulgari necesse fuerat, vel rescinderetur, atque aboleretur, vel edicto alio corrigeretur: ejusmodi responsum dederam, quo satisfactum Ecclesiae cumulate videri posset: neque liberalius a me quidquam fieri potuisse arbitrabar. Sed quoniam Episcopi paulo post iidem, denunciare nobis, atque affirmare non destiterunt, aliquid etiam amplius necesse esse fieri, si placare animos, & Ecclesiae rebus illata damna sarcire vellemus, ego vicissim ita profiteor, ac denuncio, voloque hoc esse testatum. Edicta quidem tuendae Regiae Jurisdictionis, tum circumspecte atque legitime perscripta, tum rite promulgata esse: me vero Gubernatorem, ubi de quaque re monitus, appellatusve fuero, quae res ad Ecclesiae statum dignitatemve pertineat, in id praesto futurum, ne quam injuriam fieri patiamur, neve quid detrimenti Ecclesia accipiat. Neque dicta solum a me haec, sed convenientia dictis etiam facta addidimus, promulgato nuper alio edicto, quale vel ipsa sibi Ecclesia componere, & optare potuisset. Quod si officia haec nostra, & tot modis declarata mens, ac professio sincerae voluntatis, & obsequii religiosissimi erga Ecclesiam non valebunt ad ea comprimenda, & sedanda, quae moventur: quorum id culpa fiet, cogemur in eos depromere remedia, quae nollemus: atque jam nunc ejusmodi homines declaramus erga nomen majestatemque Regis, non ita esse affectos, sicuti boni, fidelesque subjecti esse debent.* Haec summa, immo, & verba fere litterarum fuere. Quas litteras duos illos Riccium, & Tabernam, jusserat Gubernator, aut Cardinali ipsi tradere, aut si difficilius, impeditiusque foret, experiri quoquo modo, publiceque, ac testato profiteri omnia haec, & publicas tabulas super eo negotio conficiendas curare documentum animi sui erga Ecclesiam, optimaeque voluntatis.

Cum autem venissent ad Cardinalem isti in aulam, neque res obscura esset, cujus rei causa venirent, aperta omnia reperere, protinusque admittuntur. Cardinalis ita mandarat. Erat Taberna veluti Princeps ejus legationis, sumseratque sibi partes dicendi, quae in rem essent, mandataque exponendi. Is pauca praefatus, de necessario suo officio, & quemadmodum nihil aliud, quam jussa sui Principis exsequeretur, libellum sicuti descriptum, subsignatumque attulerat, & prima postrema omnia recitavit, placido ad omnia audienda Cardinalis vultu, sicuti, qui aderant, retulere. Responsum ejus grave simul & mite fuit; quod Ecclesiastica Romana subtilitate perplexum fuisse, postea nonnulli interpretari maluere. Dixit enim haec ipsa verba Cardinalis: Visurum se, quid facto opus esset: ac nihil, nisi moderate recteque facturum. Renunciata haec verba Gubernatori, non concordiae spem ullam inchoasse, sed contentionem vehementius accendisse videbantur. Postero die, quam haec sic acta erant, Gaspar Castellus ex cohorte amicorum, familiariumque Gubernatoris ad Cardinalem mittitur cum Hispana gravitate ferens Italicae comitatis partem moribus, ingenioque suo. Intraverat pene antequam admitteretur: acceptusque benigne una cum iis, quos testificando simul, & ut speciem legationi adjiceret, eadem, quae pridie acta erant, egit, recitavitque, & dixit, & finis in eo, ut tabellas ipsas Cardinali traderet in manum. Ad caetera silentium fuit, tum Cardinalis ipsius, tum ministrorum, qui, ut in tali re exciti, ingressique, adstabant. Ad id vero quod non cessabat internuncius ille, Apostolos & Pontificem Maximum, & limina & provocationis triste vocabulum, turbato etiam vultu, & concitata voce ingeminare, rupto silentio, nec sine sua etiam ipse vocis animique interturbatione Vicarius, dixit, Non esse provocationem ei, in quem nondum lata sententia esset. Et Hispanus ad id rursum: Atqui ab hoc ipso decreto provocamus, inquit, & tam saepe, quam necesse est, provocamus, dicimusque irrita, cassa, iniqua fore cuncta, quae adversus Castellae Comestabilem, Gubernatoremque nostrum promulgata erunt. Per dies deinde aliquot hujusmodi Legatio ibat: Legatique subinde mutabantur, vel quo pluribus ea nota fierent, vel, quia mille quotidie consilia, milleque sollicitudinum formas volventi Gubernatori aptiores videbantur, qui omissi nec adhibiti erant. Et duos denique elegit, sicuti tunc fama florentes, ita propter vitam eleganter, & cum dignitate actam sermonibus adhuc celebrati posteaquam decessere. Sfortia Brippius, & Rugerius Marianus erant: ille Curator, sive Dispensator rei militaris (Commissarium Generalem appellabant): hic Mariani Comes ex consilio Regis arcano, & multis ejus nomine Legationibus perfunctus, adeptusque in Urbe nomen, tamquam haud alius ad ejusmodi aptior munera esset. Ad Cardinalem hi quotidie fere accedebant cum denunciatione semper eadem, & verba semper illa ferentes, quae defensioni, ac diffidentiae invenit atque composuit Juris ratio: peti Apostolos, invocari Pontificem Maximum, supremamque potestatem, & judicium illud, quod nec potest fallere, nec falli.

Cardinalis definiebat diem, quo die responsum accepturi essent. Ubi dies venerat, procrastinabat rursus: & cum obversari non desinerent, dixit demum: Litteras ab Roma sibi esse missas, quae totum adhuc supersederi mensem juberent. Id illi ita accipere se dixerunt, ut recusarent, penitusque abdicarent, si qua fraus & noxa inesset. Subjecitque Vicarius, arrepta occasione exceptionis, verbique ejus, & dicere ita institit: Nihildum effectum esse rerum earum, queis noxa adversus Ecclesiae libertatem manifesta contineretur. Dum provocationibus extrahitur tempus, dum imperia inhibentur, legatioque magnifica verbis, inanis rerum, saepius nequidquam idem petendo fatigat, atque effugia nihil profutura quaerit, adhuc circumstare damna Ecclesiam, manente scilicet edicto, quo pene deserta fuerit, & ministerium hinc omne fugatum. Talia quaedam ille effatus, coepit ultro petere a Cardinale, & contendere, atque efflagitare pro ea cura & vigilia, quam ab ipso sibi demandatam, injunctamque sustineret, ut ne laxior dies Gubernatori concederetur aliter, quam restituta prius Ecclesia in eum statum, ex quo per minas terroremque edicti dejecta foret. Cardinalis tamen etiam, audito Vicario, perseveravit statuere diem, quae jam dicta fuerat; & abiere. Morae deinde aliquantum fuit: & cum jam dies praestituta exiret, trepidus religione Gubernator, & evitare utique illud coeleste telum volens, novos adhuc sibi Legatos, novasque tabellas tempori extrahendo pararat. Legati fuere Senatores duo, Verastigius, & Trottus, prioribus illis haud absimiles moribus, & auctoritate vitae, ubi pro majestate Imperii, minaciter, prudenter, torveque agendum aliquid foret, potiores etiam, atque nati in id quodammodo, & facti: Italus alter quidem Hispano similis: alter vero in Italia nutritus Hispanus, tantoque aptior, quia magna etiam huic imago pietatis, pictasve ipsa aderat. His & litterae datae, quas Cardinali offerrent, & mandata edita consentanea litteris: quid loquerentur agerentve coram: quid si tulissent hoc illudve responsum, possent ipsi quoque respondere vicissim: liberaque insuper alia mandata habebant ad rem arbitratu suo regendam, alloquendumque Cardinalem ex re nata, tamquam nihil praescripti ac definiti habuissent. Irrita, & vana fuere omnia, quia, quo fere die ad Cardinalem accedere isti debuerant, litterae ab Roma, nunciique venerunt: Pontificem Maximum integrum sibi de controversiis ejusmodi reservare, quid statuendum, agendumve esset. Ita Legationis ejus Senatoriae apparatum, unica significatio litterarum Apostolicarum, & Pontificius nutus ille discussit. Pon-

Pontifex Clemens, cum jam inde a principio controversiae hujus, rerumque Mediolani turbatarum, Borromaeum inter Archiepiscopum, & Comestabilem Gubernatorem, partis utriusque homines quotidie audiret, multa, & gravia hinc inde exponentes: haud aliter affectus animo erat, quam in causa, negotioque tali, Rectorem humani generis esse oporteret. Nolle rationibus querelisve assentiri ullis, per quas Ecclesiae jura subverterentur. Nolle Regis offendere animum, cujus majestas, & pietas, imperiumque, & opes, subsidia certissima Ecclesiae rerum semper habita essent. Et sicuti difficile negotium, ancepsque deliberatio erat: ita certum illud, dum alterutrum vitaretur, in altero offendi nonnihil, & laborare oportere. Inter haec parti neutri causam adjudicando, sed sequendo medium, tertiumve quiddam, rem in suspenso tenebat: & quae sapientia provisa, quaeve tempori apta, subinde ad Regem in Hispaniam, Mediolanum ad Gubernatorem Cardinalemque perscribebat. Precibus & paterna obtestatione Rex, liberius, acriusque Gubernator per monita, hortationesque subiratas ad componendae rei studium vocabantur. Ne conservatae perpetuis temporibus, ac defensae Ecclesiae gloriam, quae propria semper illius imperii fuisset, oblitterari nunc imminuique vellent. Ne lacesserent iras, Rex quidem ipse, Dei, Gubernator vero, Regis: alter admittendo, ratave habendo, quae nimia Praefectorum fortasse diligentia violasset, usurpasset: alter egrediendo fines officii sui, & transiliendo mandata, quae haberet. Ad Cardinalem consilia Pontificis erant, quae tunc quidem magni secreti more, per artes, & commenta Scribarum, obscuris involuta notis commeavere, ne interciperentur: postea vero, sicuti cuncta Principum habentur, manavere etiam in vulgus, & in circulis, atque in ore famae fuerunt. Daret necessitati spatium: duceret rem leniter: contineret atque perterrefaceret sane Pastoralibus minis animos: anathemata ipsa velut in ultimum discrimen ultima tela reservaret: nollet remedia experiri, quae salubria, secusve haberentur, prout obsequium, sive contumacia aegris esset. Diem fortasse allaturam aliquid: & minimum eorum, quae sperari, vel accidere possent, idemque certissimum hoc esse; quod, scilicet, Gubernatores ac Praefecti isti, circumacto breviter sui muneris tempore, decedant e Provincia: & jurgia, quorum in alieno agro fecere sementem, destituere, ac relinquere successori cogantur, a quo deinde, spreta illa seges irrita, inanisque, vanescat. Reges quoque mortales: Ecclesiam aeternam esse. Aliaque scribebat Pontifex in eamdem sententiam: & finis in eo, ut quieta turbidis ante haberentur: paxque & gratia, quae cum Rege Catholico esset, integra maneret: neu parva initia & rerum momenta minimarum, inexplicabiles, sicut accidisset aliquando, turbas darent. Haud fere dissimilia istis, sicuti postea compertum est, ad Comestabilem perscribi jubebat Rex. Qui interim, ut certi aliquid, super iis rebus, quae in controversiam vocabantur, statuere posset, eidem Comestabili mandavit, ut formam ordinemque subselliorum, & totius odaei descriptionem, simul descripta mitteret jura, & instituta, quae Gubernatores ante ipsum alii tenuissent, quoties intra adyta illa ponerent sedem. Missa ichnographia chori est ad Regem, sicuti antiquitus ea fuisset, & sicuti postea sub D. Carolo stetit, intersepta, & divisa cancellis pars ea templi in eam formam, quam adspicimus hodie, & miramur. Et graphidis quidem artificio haec subjecta Regis oculis ita erant, ut simul prohibitus, atque exclusus sua sede Gubernator, pene in conspectu esset.

Verborum autem arte, quae Comestabili minime defuit, subjiciebantur, repraesentabanturque Regi haec: Cum vetere forma staret odaeum, sedisse ibi proximos Archiepiscopo Gubernatores, nec de praerogativa illa dubitatum. Sic Duci Sinuessae, sic Alburquercio, sic Commendatori Majori mansisse, donec, intersepto veteris Borromaei inventis choro, extra cancellos fierent sedes. Id detrimentum illatum esse Majestati Regis, patientiamque duravisse Gubernatoribus, donec, mortuo Borromaeo, Dux Terraenovae preces & querelas super ea re mitteret ad Sixtum V. isque cognitis quae cognoscenda essent, jus injuriamque discerneret, ac statueret Regio Gubernatori sedem, quae justa deinceps ac legitima haberetur. Id factum esse anno salutis M D LXXXV. litterasque super eo negotio Apostolica auctoritate exstare perscriptas a Cardinale Rusticucio ad Vicecomitem Archiepiscopum, qui etiam ei rei assenserit, & consensu suo Gubernatorem in ea sede collocaverit, qua nunc ab juniore Borromaeo Comestabilis arceatur. Haec fere perscribebantur ad Regem: cujus animum Principes aulae viri accendendis offensionibus acres, & insito in Comestabilem favore, Borromaeo minus propitii, sollicitare dicebantur. Romam ad Pontificem, qui praeferrent eadem, aliaque insuper, missi fuere Polus, & Rovida, gravissimi, acerrimique Regiorum: ille Senator, hic Regii fisci Advocatus. Hi magnum Regiae causae titulum in actione praeferentes, ad vim, prudentiam singularem, qua tunc ambo excellebant, addiderant praeterea hoc, ut, in quo cessatum esset, prodi ab se Regem palam, aperte profiterentur. Itaque nihil, quo posset conciliari Pontificis animus, adjungique ad causam, quove simul partis alterius causa aggravaretur, omittebant. Ac sicuti fit, cum certamine animorum, alienae rei procurationem aliqui rem fecere suam, exasperati, irritatique ultro ipsi, coeperant quaerere atque invenire multa, perque non Cardinalis sane vitam, sed Cleri totius incusarent, nunc vera, nunc verbis aucta memorantes. Tamquam Ecclesia, Clerusque Mediolanensis, & Cardinalis ipse, causaque, & negotia, quae agebantur, unum caput, unusque homo essent: ita praeter actionem, causamque communem, velut proprio adversus singulos, singulave ista certamine excitabantur. De Cardinalis acerbitate ad Pontificem, de Pontificis etiam inclinatione in illum atque indulgentia, ad Comestabilem pariter Regemque scribebant, sive nonnihil ita vere erat: sive litigantium more volebant ipsi verum esse, quidquid adversario noceret. Nisi causam obtinuissent, rediissentque victores: non modo sine gloria, sed plane cum ignominia se esse redituros putabant. Magna & miseranda exempla contentionum humanarum: sed & haud ingrata spectacula simplicitatis animique mortalium: cum ab Oriente Sole ad Occidentem, dominantem prope sine fine Monarcham, in tanti Imperii angulo hoc, ob minimarum rerum negotia Ministri ipsius inquietarent, ipsique inquietarentur: individuos inter se Pontificem, & Regem, atque circa divisam inter ipsos e coelo Sanctae Matris Ecclesiae tutelam unanimes, vellent dividere sic in studia diversa. Et rursus haec sic nunc divisa studia vincla demum charitatis obsequiique, & concordiae majoris futura erant: immotaque Suprema Majestate, futuri corpus unum Archiepiscopus & Gubernator, & dissidiorum hoc tempore Ministri.

## CAPUT III.

### *Cardinalis ob Ecclesiae defensionem Romam proficiscitur.*

CUm res in hoc statu essent, atque non sane dubium videretur, quin novi quotidie aliquid, vel fieri, vel exspectari, oporteret, affixis illic Pontificis lateri, vel certe Palatio liminique, duobus, quorum nota diligentia, strenuitasque, & impiger ad magna negotia animis sollicitudinem utique hanc adferre posset: Cardinalis enim vero sibi faciendum putavit, ut Romam ipse proficisceretur. Neque ad consilium, necessitatemve hanc impulsus est ob duos illos tantummodo, Polum, & Rovidam: sed Polo & Rovida longe potentiores alii fuere, quorum efficacissimus pro Comestabilis actione favor dimovit ab Metropoli Cardinalem hoc tempore, Romamque adduxit. Namque Cardinales, qui origine, & patria proprie Hispani erant, quive ob sperata in posterum, aut jam accepta beneficia, ferebant se se Hispanos, pro Comestabile edictisque ejus, haud secus, quam pro sua quisque causa nitebantur. Hos caeteri quoque, si mi-

minus aperte sequuti, certe in occulto respicientes, haud fere causam Archiepiscopi Mediolanensis attingere volebant. Par apud aulicos, familiaresve eorum, & apud Tribunalia ipsa silentium, atque respectus, & sua cuique Ministrorum utilitas. Etiam sancti, integrique, & quibus nulla spem inter, metumque imbecillitas, servilisque aegritudo semper, ubi de ea re, & negotio Metropolitano consultandum esset, agendumve pro munere aliquid, lente, pavide, circumspecte dicebant sententiam, remve administrabant. Inerat persuasio animis, rectius, meliusque fore, si sananda vel administranda tempori ista relinquerentur: atque semper in consultationibus, negotiisque istis apud optimum illic & sapientissimum quemque repetebatur notum vulgatumque illud: Medicos etiam quiete magis interdum proficere, quam urendo, & secando: & rursus magis etiam tritum, ac vulgare hoc: restitui posse omnia cunctando. Ita non restituebatur Ecclesiae Mediolanensi res, sed destituta jacebat. Neque enim etiam ab Ecclesia ipsa, & ab Cardinale missi Procuratores satis impigre munera exsequebantur: cunctaque per eos ad hanc diem gesta Cardinalis fere improbabat, existimans alicui fidem, animumque, caeteris abfuisse diligentiam.

Ob ea Romam ipse proficiscitur. Profectio fuit arcto comitatu, electa hora, formaque, tamquam ad solita aliqua munera exiret, ne, scilicet, motus aliquis, vel certe, ne sermones in Urbe orirentur: ac vidi ego ita exeuntem. Veluti cum pater familiae peregre ob negotia legationemve profectus, sive mortuus etiam moesta omnia domi & desolata reliquit: uxorque, & liberi, & proximi quique desiderio cari capitis anguntur, squalentque, & gemunt: ita memini ego, desertam, velut Parente subtracto, Civitatem, ingemuisse, & moeroribus & squalori relictam, cum Cardinalis hic Archiepiscopusque discessisset. Gubernator quin etiam ipse haud rectis oculis a multitudine adspiciebatur, secuta protinus interpretatione, tamquam controversiae istae, & jurgia Pastorem exturbassent. Turbaverantque Gubernatori animum ea, quae mussitari in vulgus de profectione Cardinalis audiebat. Sed & profectio ipsa per se displicebat, tamquam exprobratio quaedam ea esset in violentiam aliquam, insectationesve ipsius. Sane, etiam antea in medio certamine duorum Principum erumpentibus ita, sicuti demonstravi, vel certe suspectis potestatis inimicitiis, varii motus animorum Mediolani fuerant: habitusque minime simplex, & studia civium haud quaquam in partem ullam curae unius, veluti nec in una Urbe, nec in populo tam bene morato, ubi fides erga Regem, pietasque, & reverentia erga sanctum Ecclesiae nomen, sicuti societate quadam inter se junguntur, ita conjungere animos possent.

Nunc vero egresso Pontifice scindebantur animi magis huc, atque illuc, prout insita plerisque vanitas & adulatio, spesve, & propinquus sanguis, & sua quemque causa discordes inquietosve agebat, atque ad simulanda, & induenda sensibus aliena suis multa compellebat. Cumque circa futurum eventum, & judicia contentionis hujus, varietas in tota Civitate, magna esset: nobilitas praesertim inter se discrepabat magis. Pars probare quidem interiore sensu constantiam, roburque Cardinalis, sed carpere, & insectari sermonibus: pars ne probare quidem, sed damnare palam, liberiusque jam, & solutius obtrectare absenti, cum ita dicerent: Everti severitate tanta Civitatem: destitui Ecclesiam: alienari nobilissimum Hispaniae totius: aliaque, prout quisque commotior ingenio, sive Ecclesiasticae potestati, Cardinalique ipsi non amicus. Paucis recti, verique intellectus, & par sensibus hisce libertas. Hi redonatam Urbi D. Caroli mentem atque calcantem illius vestigia patruelem, cumulata mox gloria rediturum ab Urbe, faustis sermonibus, & gratulatione attollebant. In Clerum etiam penetraverant, studia probantium actionem discessumque Cardinalis, sive moderationem, lenitatemque requirentium. Plebs tota non poterat ferre desiderium, tum simplicitate, & amore, tum favore antiquo erga Borromaeum nomen, jam inde praesertim ab D. Caroli Pontificatu, quem Federicus ipse favorem in tantum auxerat, ut alterius illius pene obliviscerentur in hunc aversi unum, nisi crebra quotidie miracula Divi memoriam e coelo renovarent. Excidisse Solem ex Urbe. Numen iratum Urbi caput illud removisse, tamquam a profano coetu, ajebant. Sed propinqui affinesve Cardinalis in tam vario multiplicique habitu Civitatis singulari conditione erant. Pars verbis facieque simulabant eadem, quae nobilium caeteri praeferebant: pars, nec simulare poterant ea, per quae ad caeterorum studia se se conformarent, nec tegere, per quae dissentiebant. Detrimenti alicujus metu angebantur omnes, qualia scilicet detrimenta semel invisae Regibus domus, atque domibus etiam adnexi istis, haud secus, quam haereditaria mala in longum sentire consueverunt. Contentionem exortam, & quidquid inde Cardinali, sive Gubernatori laetum, sive triste accideret, veluti cladem suae domus tacite intuebantur. Hiscere ultra non fere nonnulli, quin potius eorum, vel tempore, ac necessitate subacti, vel nimium, ut ajebant, in Cardinale suo rigorem vere perosi, processerant eo, ut circulis obtrectantium ultro aggregarentur, fierentque etiam ipsi praesertim ejus Romanae profectionis obtrectatores. Et, sicut injusta illa fortasse obtrectatio erat, injurium Ecclesiae defensorem: ita metus inanis in imperio, ubi causae demum aequitas, & merita domuum nobilissimarum etiam in privata aliqua offensione spectarentur, & ubi certaminum finis futura esset Cardinali, consanguinisque ejus gratia major, auctiorque apud Regem.

Et Mediolani quidem hos animorum motus repentina profectio Cardinalis fecerat, sive jam antea factos renovarat, intenderatque apud proximos, apud alienos, qui diversi diversas ob causas discessisse tunc ex Urbe Pontificem moerebant, sive laetabantur. Bonorum simpliciumque omnium erat moeror: in partem alteram politica ingenia, animique civiles, consilia, sensus, artesve suas habebant. At Romae Legati fautoresque Gubernatoris, tanto acrius intentiusque hoc tempore incubuerant, quanto plus momenti ad Ecclesiasticae causae favorem fecisse Borromaeum adventu suo, porroque facturum esse suspicabantur. Veluti si molliter, ac remisse ad eam diem acta omnia essent: consurgitur vi nova partesque concitantur. Nam ne Cardinali quidem ipsi sua quaedam indignatio aberat ex eo orta, quod discessus ab Urbe suus, qui vel mitigasse, vel confudisse animos poterat, irritasse videbatur. Legatus Regis apud Pontificem Maximum hoc tempore erat Dux Sinuessae, Consalvi ejus filius, cui Magni cognomentum addidit fama, deinde abrogare conata est, solita mortalium levitate, quorum nimius saepe favor pari mutatur invidia, duaeque adeo inter se contrariae res vicibus alternis ludunt. Huic Duci Legato Regis tutiora fuere media, quam summa patri ejus fuerant: & Pontifici, cum minus laeta etiam exponeret, gratus tamen acceptusque erat. Gratia hac apud Pontificem, & amabilitate Legati opportune utendo Comestabilis fere assequebatur, ut absens ipse par Cardinali praesenti esset in iis, quae ad pondus, & momenta causae pertinerent. Inter caetera autem, per quae favorem Legatus ille Comestabili causaeque ejus apud Pontificem, Cardinalesque conciliare conabatur, depromebat praecipue litterarum earum exemplum, quas Cardinalis ad Regem, de ministrorum injuriis, atque per eas injurias collapsa Mediolani fere omni Ecclesiastica disciplina perscripsisset. Depromebatque item, & Pontifici, Cardinalibusque exhibebat edicta omnia, quae per totum controversiae tempus a Borromaeo promulgata erant. In litteris ostendere volebat animum Cardinalis erga Regios Praefectos iratum; auctaque, & accusatorie conquisita omnia, quae Comestabili, ministrisve caeteris iratum item facere Regem possent. Cum uno vel altero capite, sicuti dictum est, peragi rem potuisse appareret; longam seriem criminationis sedulo esse contextam, qua repeterentur saepius eadem, & repetita subtilitatibus interpretamentisque traherentur. Non id esse benevoli Pastoris, serere crimina in subjectos, ac si quid etiam forte commissum violatumque esset,

esset, id percolere eloquentia, asperare Regis animum, exercere per scripta iras hominesque potius, quam vitia insectari. Haud alio sensu formaque litteras eas a Cardinale scriptas fuisse, demonstrare Regius Legatus Dux Sinuessae conabatur. Inter edicta Mediolanensem Archiepiscopatum accusabat apud Pontificem diligentius, accuratiusque ille, quam, quomodo Regios apud Regem inde accusatos fuisse demonstrasset: ac singula pene edictorum verba in judicium id cognitionemque vocando crimini dabat haec: Quod bonorum Ecclesiae conductores, seu colonos laicos tamquam sibi subjectos Archiepiscopus coerceret atque appellaret: Quod multatitias pecunias ex eorum bonis cogere sibi aequum censeret, cum esset id proprie Principis, qui haberet etiam vitae necisque potestatem: Quod imperium, potestatemque hanc asserere sibi Ecclesiastici viderentur, ponendo saepius in serie ipsa edicti NOSTRUM ILLUD: verbumque ita usurpando, cui Majestas Regia inesset. Hac atque his similia redeuntia cuncta ad caput illud denique unum usurpatae Jurisdictionis Imperiique quodammodo affectati conscripta atque obsignata miserat Comestabilis ad duos illos, quos dixi, Polum, & Rovidam, ut per Regium Legatum depromta opportune ad Pontificem, intimosque ejus tela in Mediolanensem Archiepiscopatum acerrima essent. Habebant acerrimum illud praeterea telum: quod obsignatis tabellis docebant atque ostendebant: primos, & gravissimos quosque Senatorii Ordinis, cum pie confiteri peccata, & sacris animum procurare, atque expiare voluissent, ab Sacerdotibus fuisse repudiatos, propterea quod dicerent Sacerdotes, mandavisse Cardinalem, ne admitterentur. Etiam alienae culpae reus ille agebatur. Namque cum Derthonensis Episcopus item de re frumentaria promulgavisset edictum, pariterque offendisset, ad exempla Cardinalis id referri posse visum. Censebant enim, atque ajebant, non suffecturum fuisse ei Episcopo ad talia animum, nisi exemplo praesidioque hoc, &, sicut nonnulli dixere, consiliis atque cohortatione, & auctoritate Metropolitana firmaretur.

Haec fere capita expostulationis in Cardinalem Ecclesiamque fuere: Polusque, & Rovida, Duce adjuvante, ad Pontificis, & Cardinalium aures cuncta diligentissime perferebant. Mediolani Regis nomine promulgatur denuo edictum, cujus sententia nihil sane iniqui habebat, sed terribilis in vulgus atque atrox hoc ipso erat, quod majestatis crimina subdebantur: *Si verbo, si scripto, si consiliis, & nutu, actioneve aliqua aperte, vel occulte quis immiscuisset se rebus, unde Catholicum Imperium, & Regis jura detrimenti aliquid acceptura essent.* Ea denunciatio, sive comminatio, quo magis perplexa, atque ambigua erat: sive quo latius etiam nihil certi definiens, amplectens vero cuncta pertinebat, eo plus terroris dispersérat in omnes, quicumque Ecclesiastica aliqua negotia tractarent, attingerentve. Intelligebatur enim id etiam, quod minime positum in edicto perscriptumve erat. Itaque, sicut antea, dilabi Scribae paulatim omnes: aufugere, seu latitare satellitum cohors: atque ad Judices etiam penetrante timore inhorrescere, ac squalere Tribunal. Nam etsi Scribarum atque Notariorum, Apparitorumve quosdam, sacra, vel ad talos in speciem demissa toga tueretur: consanguineos tamen isti habebant, quorum fortunas haud minus sollicite, quam sua ipsorum capita, salvas esse cupiebant. Etiam severi nonnulli externi, solitarii, quibus nullae necessitudines, nullae in hac terra fortunae, angebantur terrore tantae potentiae, tantique sui discriminis, ne Regius forte miles irrumperet, ne fundendus sanguis in ejusmodi causa, collumve laqueo, sive securi praebendum in Urbe, unde emolumenti potius aliquid referre domum voluissent.

Unus eo tempore peregrinus hujus Ecclesiae Minister fuit, quem pericula nulla moverunt, quive praeferret in lucro se positurum, si maneret is sibi finis. An potius ars & lucrum ingeniumque peregrinis hoc, crescere per abrupta, lucrique & capitis ac vitae contemtum ostentare illic, ubi posita cuncta haberent, spem, gratiam, honores, emolumenta, vitam denique ipsam. Antonius Seneca Nucerinus ille fuit, nominatus jam antea nobis, ille jam inde ab D. Carolo, & postea sub Archiepiscopo Vicecomite, certaminibus hisce imbutus, semperque pars ipse maxima certaminum horum. Vicarius Generalis adhuc iste erat: quae prima post Archiepiscopum potestas, nunc, Cardinale absente, major solito ampliorque habebatur, & cuncta fere obtinebat. Non constans modo animus, atque impavidum adversus omnia robur, cura pervigil in suo munere, sed asperum quoque ingenium Viro huic, quale fuerat olim, hoc tempore perseverabat: sive solida ea, & vera, & laudatis antiquorum moribus par virtus; sive tantummodo ars, & destinatio crescendi sub imagine hac fuit. Stetit immoto gradu hic. Et sicuti, tam fictae, quam sincerae virtuti sua finitima vitia sunt, in quae labi, simulantem, sive agentem honesta, proclive est: ita periculum fuit, ne pro constanti & strenuo Ecclesiae defensore, contumax, & stolidus Majestatis Regiae contemtor habitus poenas daret, & spectaculum aliquod triste praeberet: quali Dalmatam unum Episcopum licentia dominator ejus Provinciae Senatus per eos forte dies admonuisse gladio & castigasse ferebatur. Nihil omittebat Seneca, quo tale quippiam etiam sibi posset accidere, si non in Catholico hoc Imperio ipse esset. Varisium ad instar oppidi municipium est in ultimo Provinciae fine, qua fines Helvetiorum desinens nunc ibi Provincia attingit. Namque Helveticae ditionis illas hodie terras, alienavere, sive oppigneravere Sfortiae Duces olim, cum Mediolanensis Imperii pars antea fuissent.

Ibi igitur apud Varisium, praeter Monasteria alia coetusque pios, domus una Virginum earum erat: quae Virgines Ursulinae nuncupantur, eleganti hoc Christianae pietatis invento, ut Regiae innuptae sponsae comitatum & puellarum agmina illa olim sequuta decus caedemque herilem, aliae passim decoris ejusdem aemulae puellae recolant, sexuique suo ad gloriam simul exemplumque repraesentent. Virginalis ejus domicilii disciplina erat libera quaedam, & soluta, & noto instituti ejus ritu nullis adstricta legibus, sed lege vinculoque majore, ut omnis ex animi electione laus, & gloria plane voluntaria virginitatis constet. Addideratque super haec ordinis communia jura singulare etiam aliquid ad libertatem matrona municeps loci, quae tum puellas ipsas, spectata singularum indole, habitoque delectu coegerat in unum: tum domum ipsam, sub cujus tecta congregarentur, de sua pecunia coemerat: tum vero etiam pecunias alias, certamve stipem, omne suum patrimonium, ut essent gregalibus alimenta, assignarat; unde, & sumserat jus, & nomen, auctoritatemque sibi tamquam arbitra & domina, & hera, Antistesque sodalium ipsa esset, uni sibi obnoxias atque subjectas volens: lata lege, ut, si qua earum, vel nuncupare votorum forte aliquid, vel nova aliqua instituta comminisci, legesve subire novas vellet, fieret illico extra coetum domumve illam. Sic fundatrici visum. Et blandiente dulcedine tam laxae virginitatis multae adultae adolescentulae, aliaeque grandiores, quae corporis intacti puritatem animo amplexae illam, nec totam domi libertatem, nec totum intra claustra jugum totamve pati disciplinam poterant, aptissimum id sibi domicilium putavere: crevitque contubernium, non numero solum, sed etiam opibus, cum suam quaeque dotem inferrent, opesve, & virgines ipsae ab sedula simul, & per indulgentiam plausibili matre regerentur. Triste murmur incesserat ab instituto descisse, & gravius quid timebatur. Advertit ei negotio Vicarius Seneca curam animumque, & aut malum, si jam esset admissa culpa, aut linguas hominum, si nihil mali esset, aut simul utrumque, ne serperet id latius, & ne semper temere istae loquerentur, coercere voluit. Hoc, uti fieret, necesse erat in primis Ecclesiastica auctoritate domum adiri, inspicique illam: & mandat Praeposito Varisiensi Vicarius

us idem, uti adeat, inspiciatque, & referat ad se quamprimum. Virgines id censere statim: sive admonitae, & tumultuari coeperunt. Tumultum, atque perturbationem eam, quae tunc in Ecclesia erat, posse esse suam occasionem existimantes, obtulere Comestabili super nova re libellos: nec defuere, qui suscepto mulierum patrocinio deferrent eadem, verbisque onerarent, ac Regiam nomine Ursulinarum opem implorarent. Esse Cives etiam ipsas pari cum caeteris jure ac fide Majestati subjectas. Nihil habere negotii cum potestate, dominatuque Ecclesiastico. Opprimi tamen, & rapi illuc in jus. Privari libertate sua: eripi sibi leges suas: eripi se Regi, a quo ne desciscere per nomen titulumque religionis ulla hominum violentia cogerentur: vitae formam illam excogitavisse, quae Deo tantum, & Imperio, post Deum immortalem, potentissimo, justissimoque obediret. Refugisse, quantum potuerint, ab Archiepiscopo, ministrisque ejus: adversus eos omni sua spe sepsisse, ac munivisse gregem, domumque suam. Frustra omnia, si nunc Vicarius Seneca per satellites suos irrumpat, pedemve inferat. Exposita dictaque Gubernatori haec, & secundis auribus accepta, sicuti oportebat in tanto dissidio, rebusque tantopere exulceratis: ac bonum animum habere jubebantur. Nolle Majestatem Regis, nolle etiam Praefectos Magistratusve ejus ulli hominum generi deesse, qui in Imperio hoc vivant. Ac tali per homines suos, accepto responso, talique parato subsidio mulieres confirmaverant, atque obduraverant inter se animos, & consilia disposuerant ad omnia patienda potius, & subeunda, quam Visitatorem ulla ratione admittendum. Super ea re appellatae, monitaeque, dabant responsa fortibus oculis: portasque claudebant. Tunc Seneca expertus sane omnia, praeter ingenii sui quoque consuetudinem, si blande, si minaciter agendo, si precibus atque auctoritate animos flectere illos posset, postea quam obstinatas videt, distringere in singulas, atque universas, anathema parabat. Certior fiebat de omnibus rebus in singula momenta Gubernator. Et cognito Ursulinarum discrimine muliebrisque anathematis apparatu, quamquam ipse quoque graviorum ejusmodi poenarum in caput suum ab Roma nondum plane securus, avertere a Virginum coetu id utique telum volens, moneri accuratissime rogarique suo nomine Senecam jubebat, uti supersederet: si supersedere nollet, monitis precibusque minae subnectebantur. Atque interim inducta etiam specie aliqua negotiationis, per internuncios suos agebat exponebatque haec: Si vellent Ecclesiastici domum tantummodo ita inspicere atque recognoscere illam, ut, quid in quotidianis officiis, cultuque divino fieret, & qua pietate viveretur ibi, specularentur: permitti hactenus, neque morari quemquam. Rem familiarem, praedia, fundos, & sodalitii rationes si inspicere, attingere, cognoscere vellent: id enim vero fore injurium atque iniquum: nec se, nec caeteros Regios Magistratus, aut pati posse, aut ullo modo passuros. Nam omnia illa esse Regis: & facturum omnia Regem uti vim inde alienam, usurpationesque prohiberet. Non interfuit Senecae, aut cujusnam illa essent: aut, quid facturus esset Rex: datoque nonnullo adhuc Ursulinis intervallo, si resipiscere possent, admittereque Visitatorem: ubi censurae metu contumaces clausasque perstare videt: haud ultra cunctatus, aqua & igni interdicit. Quo facto, tunc sane potuit apparere agrestibus quoque litteratis, undenam more modoque Latino ducta esset formula illa antiqua excommunicationis, & profana illa exsecratio poenaque, curnam ad Ecclesiasticarum exsecrationum efficaciam terroresque ultimos loquendi consuetudine translata fuerit. Nam impacto apud Varisium anathemate Visentinis, non ignis vere, non aqua domui sodalitioque illi suppeditabat: & consumto dies intra paucos, si quid praeparati reconditique habebant, esuries, fames, egestas, solitudo incesserat: malisque subactae istis feminae, quas mala denuntiata non potuerant terrere, coeperunt in sua quaeque tecta dilabi. Antistes fundatrixve cum paucis ipsa remanebat. Gubernator ante factum largus promissis, constantiaeque nuper fortasse etiam adhortator, in re jam praesenti damnoque alieno, sicuti hominum, ac praecipue Principum ingenia sunt, lentus, similisque oblito, sive etiam manente ira, prudenterque considerans. Res delata Romam: idque muliebre negotium ad negotiorum aliorum querelas, quibus fervebat eo tempore aula, accessit, ut paulo post inter graviora caetera componeretur etiam haec parva res, & futurae deinceps concordiae spes ab hujus compositione jurgii inchoaretur; vel inclinantibus jam sua sponte ad otium pacemque animis; vel Rege, sicuti postea demonstrabo, movente impellenteque suos, ut inclinarent, viverentque cum Archiepiscopatu concordes. Interea tamen etiam, vel propter naturam ingeniumque Vicarii Senecae, vel propter hominum aliorum importunitatem evenere nonnulla adhuc, quae spem & consilia pacis, pacemque adeo ipsam turbare, & impedire possent, si conciliata jam, & firmata esset.

Ad D. Kalimeri, qua Parochorum aedes Laicorum aedibus fere miscentur, vel certe intra portam eamdem sunt: eaque Septa Canonicae nomen tenent; fratres duo domicilium avitum habuere, cui Parochus novo excitato tecto officiebat, impediebatque aditum, & concessam a Vicario sibi facultatem ibi aedificandi ostendebat. Fratres, quibus id fraudi erat, contendebant quidem, & aream esse suam, & rei alienae facultatem concessisse Vicarium: caeterum, ab eo obtineri posse desperabant, uti rescinderet acta, munerisque sui tabellas ipse deleret. Ad Senatum iere, qui statim Ordo, re cognita, Vicario Praefecti rerum capitalium id negotii dedit, ut operas, fabrosque omnes opere ab illo removeret, coerceretve poenis, si jussa detrectarent, pergerentque admovere manum. Et illi sine mora deseruere opus: atque ab aedificatione cessatum. Reclamare Parochus, petereque remedia inde, unde & facultatem initio impetrasset. Atque ita Regius Minister qui disturbaverat, absterrueratque fabros Ecclesiastica protinus auctoritate, fixis oblatisque de more tabellis rite admonetur: ni restituat liberetque operas, & consummari absolvique aedificium sinat, anathema exspectet. Atrox id Gubernatori pariter, & Senatui visum: ob lapides, & caementa, tegulasve paucas, descendi sic ad ultima semper: Regiisque Magistratibus, si paulisper se se commoverint, intentari illico diras, quas, ad extrema scelerum, culparumve humanarum reservari oportere, ajebant. Ac tanto magis offensi sunt, quod petierat enixe Gubernator, neque impetrare potuerat, uti sustineretur anathema parumper, donec responsum a Pontifice Maximo veniret, ad quem de novo etiam hoc exorto negotio ipse perscripsisset. Cardinale absente fieri haec temere, raptim, inconsulte ab hominibus, ministrisve ejus, quorum, & obscuritas, peregrinique cultus, & ignota ora indignitatem augerent. Ipsum, profecto, si adesset, tanti nominis Pontificem, cui summa in Urbe auctoritas, & Pastorale imperium, patriumque jus in subjectos civesque suos, etiam gratia apud Regem, verecundiaque Magistratuum in magnitudinem animi virtutumque ejus, ipsum, profecto, si adesset, timidius, cautius, verecundiusque, fuisse acturum, ne, turbato casibus improvidis jam, fortuitisque negotiis rerum statu, novaret in tali tempore quidquam, Regiosque Magistratus illigaret anathemate adhuc foedaretque. His asperati irritamentis Patres, asperatusque Gubernator, quae proprius dolor animis, quaeve rerum conditio subjiciebat, ultionem parant, ejicitur ex Urbe, proposita capitis poena, Minister Ecclesiasticus, qui id anathema inflixisset, commodans periculo nomen. Vicarius namque Seneca, nescio, quomodo, voluerat esse extra periculum, actionemque hanc, neque negotio hoc implicatus inter acta reperitur. Verisimile est, dedisse

disse tantummodo mandata ipsum, atque ad regendam consilio rem adfuisse: caetera egisse per ministros ipsum quoque suos, atque caput ad pericula alia reservare voluisse. Ministro ejecto, qui vibrarat anathema, suffectus huic repente alter strenue impavideque defungitur audaciae sive constantiae ejusdem praecipitio: & pari mox iste quoque indignatione Regiorum conquiritur ad poenam ejectionis. Ingens materia ex minimis rebus, nisi pacem jam, atque concordiam, Deus & Rex Ecclesiae Mediolanensi pararent alteque destinarent. Pax autem, & concordia haec quomodo agitari coepta fuerit; & quomodo neque statim, neque tota simul, sed per dilationes, & intervalla, perque magnas difficultates, & veluti per partes, atque disquisitionem capitum singulorum denique convenerit, exsequi pergam.

Tempore, quo profectum ex Urbe Cardinalem, Romam ivisse, demonstravi, scripserat proficiscens litteras ad Regem, quarum sententia haec fuit: *Post Mediolanensis Ecclesiae Praefectorumque Suae Majestatis ortas ex Jurisdictione controversias, de quibus ad Majestatem illam, & ipse scripsisset, & Praefectos scripsisse arbitraretur, nullam adhuc concordiae viam potuisse reperiri. Potius autem semper aliam ex alia litem exstitisse, ita, ut res durior quotidie deteriorque fieret, neque apparere, quomodo tandem finiri, componique illa possent, nisi Deus Optimus Maximus, & Majestas ipsa, quae sustineret Numinis in haec subjecta Regna curam, invenire pacem, & dare suo nutu dignarentur. Irritatis humano more animis, non finem esse rerum etiam aliarum, quae sequi jurgia deberent: & violentiae plus in ea parte, ubi potentia major imperiumque esset. In ea confusione & perturbatione animorum, & in eo Ecclesiae suae statu, se consilium cepisse proficiscendi Romam duarum rerum causa: & ut ibi praesens Dei causam, quae etiam esset Suae Majestatis causa, tueretur: & ut generis humani inimico subtraheret pro sua parte occasionem malorum offensionumve graviorum, quam quantae offensiones, & quanta mala adhuc Daemonis manu sata videri possent, & ne casus forte aliquis incideret, quo casu Majestatis Suae Ministri nocentes fierent. Petere ab Maximo omnium, & religiosissimo, justissimoque Rege, ut, qua sapientia, & pietate, majorem, certe meliorem Orbis terrae partem regat, velit etiam regere & adjuvare negotia haec, quo citius, pacatis, ordinatis, constitutisque rebus, possit ipse redire Mediolanum, ibique tranquille inservire Deo, & Ecclesiae, & Suae Majestati.* Moverant haec ita scripta Regem: neque tantopere moverant verba litteraeque ipsae, quam renovata, & excitata recordatio famae, quae secreto inter paucos murmure per eos dies pervaserat aulam, atque ad Regias etiam aures penetrasse ferebatur. Quippe dictum erat, de comprehendendo, seu in exsilium mittendo Cardinale agitasse Comestabilem. Eo pertinuisse partem epistolae quamdam apparebat. Inde pietati & mansuetudini Regis indignatio, & pudor, & dolor, si de Cardinale, Archiepiscopoque tanto, de amico tam honorato, & fideli, non factum modo cognitumve hoc, sed, aut fieri in imperio suo, aut vero umquam cogitari potuisse diceretur. Tanto magis commota ei excelsa mens, animusque vere Regius erat, ut imponi vellet controversiis hisce finem, quae controversiae sermones hosce dedissent, sive vera ea fama fuit, sive totum illud ex hominum ingeniis, & ex rerum ipsarum conditione finxerat rumor. Accepta sane, & lecta hac epistola, Rex Catholicus scripsit simplicissime, & apertissime haec: *Non se diutius ferre posse, quod Ministri sui apud Urbem Mediolanum cum Cardinale, & Archiepiscopo Borromaeo, de rebus iis, quae inter potestatem utramque incidissent ancipites, & dubii tantopere dissiderent. Et certum habere, quod sanctitati quoque suae id ipsum perinde displiceret. Proinde petere a Rectore generis humani, &, quam posset, humanissime supplicare Christi Vicario, ut auctoritate sua suprema statuere modum hisce controversiis velit. Accepturum se hoc in maximi beneficii, & in pulcherrimi muneris loco, mandaturumque Ministris suis, ut ad omnia, quae super compositione, & concordia, agenda erunt, obedienter, ac sedulo praesto esse meminerint.* Addidit, & de Borromaeo laudem: pium, & probum, & prudentem, & imperio fidum, & dignum in primis patruele Carolo testatus: ac se de eo judicium hoc fecisse tunc, cum placere etiam sibi declaravisset, ut ad Mediolanensis Ecclesiae Pontificatum ille admitteretur. Litterae Regis ad Pontificem in hanc, quam retuli, sententiam, scriptae fuerunt. Ad Comestabilem similis alia Regia epistola venit.

Romae jam tractabatur pax, posteaquam exierat haud sine capite, & auctore rumor: velle Pontificem, velle Regem, ut jurgandi, & litigandi finis fieret inter Mediolanensem Archiepiscopum, Regiosque Ministros ejus Urbis. Quae statim potuere decidi, decisa, terminata sunt adductaque ad otium, & quietem; veluti de Episcopo Derthonae, qui fuerat etiam ipse velut accessor litis, & Metropolitano Provincialis tuendus in sua quadam separata cum Regiis lite; de Varisiensi domicilio Ursulinarum, quae mulieres extra communionem usumque sacrorum projectae, atque eliminatae erant; de Ministris demum Ecclesiae duobus, qui, promulgato in Regium hominem ob disturbatum Kalimeriani Parochi aedificium anathemate, exsulabant, alter, scilicet, ejectus edicto a Regiis, alter a se ipso ejectus, ne gravius aliquid fuga pateretur. Tria haec, & alia, credo, nonnulla, statim exitum & pacem habuere suam. Rediere promulgatores anathematis in Urbem. Absolutae sunt, & in pristina tecta reductae Ursulinae. Cum Episcopo illo de oryzae semente, quae materia litis fuerat, facile transactum, factaque potestas ei, ut periculo hoc, & cura liber in suo Pastorali etiam ipse munere versaretur. Capita caetera litium, querelarum, jurgiorumque magnorum, quae pessima seges, sicut ab uno grano provenit uberior foetus, ita nunc ab minimis, nunc ab maximis quoque principiis certamine partium multiplex & perniciosa, varieque implicata exstiterat, spatio, & consultatione indigebant, ut possent adduci omnia ad liquidum, & sincerum, utque non dissidia modo ipsa, sed radices quoque exscinderentur. Ei cognitioni praefecerat Rex unica pietate, & sapientia viros, quibus & Imperii fere summa nitebatur: instituerat que proprium hoc in Regia consilium, ut essent, ad quos de gravissima quaque orta difficultate referretur, iique etiam ad se referrent.

## LIBER XX.

# INDEX CAPITUM.



### CAPUT I.

### *De origine & causa instituendae Bibliothecae Ambrosianae.*

INTER condendae Bibliothecae consilia, quae diu secum agitarat Cardinalis, praecipue, sicut accepimus, moverat mentem, gloria, simul, & calamitas patriae hujus, quam Poeta vetus haud immerito *Romam alteram* appellavit, nescio, blandiensne ille, more vanae artis, an oblique accusans. Vere enim incusasse videri potest degenerem a prisca virtute cultum habitumque Civitatis eadem plane clade, qua mater etiam illa ingeniorum, & litterarum adeo ab se ipsa desciverat, ut nativi quoque sermonis oblivisceretur. Quippe patria quondam hic etiam atque sedes ingeniis fuerat, & publica Bibliotheca Mediolani, publica munificentia provocabat Musas: in quarum gratiam fuisse publice constituta alimenta ingenuis, testantur adhuc, sive exprobrant melioris aevi reliquiae, vetusti lapides, quos abolere non potuit insequuta nequitia, cum caetera omnia, quidquid erat elegantis & amoeni, depopularetur. Et postquam simillima Romanae indoli tempora Mediolanensium una cum ipsa Roma, velut motu inclinationeque pari, lapsa retrotraxerant secum humanitatis & litteraturae ruinam, non defuere mediae, vel inferioris aetatis lumina, velut intermicantia nocti, quae litteris offusa nitorem earum antiquum obscurabat. Duoque miracula ingeniorum, Ambrosius, & Augustinus, alter posthabita Roma, alter inde missus, gratissimum hoc divinae suae voci theatrum habuere. Et uterque tamen plus gloriae, quam secum attulerant, ex hac Urbe reportaverunt. Horum litterae, conciones, monumenta, discipuli, & ipsa, profecto, fama, nomenque, ac veluti transfusus diuturna consuetudine, & familiaritate spiritus quidam in coelum terramque hanc, potuit Romani cultus dignitatem aliquam renovare Urbi, quam peregrini illi incolebant, donec ea quoque vestigia dilaberentur. Mox inducta rursus oblivione bonarum artium, atque per solitudinem hoc sylvescente campo, non paulo cultior subinde Archiepiscopus, liberaliorve Princeps, Civiumve pauci privatim dediti studiis ad excolendum rursus litterarum amoenitate patriae hujus genium, momenti satis efficere potuerunt. Ita Metropolis Insubriae totius, & nulli Italicarum Urbium secunda Civitas, elegantiam honoremque Musarum, quo decore Romanis temporibus, una cum ipsa Roma claruerat, amisit: & tamquam inter se dissiderent litterae interiores, religionisque sanctitudo, confirmatis Ecclesiae rebus, desieramus Latine loqui, & pulsa in exsilium omni humanitatis arte, squalor, horrorque sermonis infuscabat scientias indignus majestate earum. Et quo indignius esset, scientiae ipsae, aut spectabant quaestum tantummodo, & ambitionem, aut ab Clero procul, sacraque toga aberant.

Cumque Graecarum Urbium porticus, eruditaeque ambulationes, & Academia, Lycaeumve, & tot Gymnasia exercendae juventuti putidis nominibus ad fastidium usque celebrarentur, neque tantae Urbis populum, neque tantae Ecclesiae Clerum ulla ejusmodi oblectamenta publice detinebant. Erant Lycaea juventuti fora tabernaeque institorum, & inania ludicra, equestresque decursus, & alia, quae socordiam alunt. Moverant ista Cardinali animum, ac de ea re diu multumque cogitans, statuerat rem fore dignam vetere majorum suorum erga patriam hanc munificentia, dignam Metropoli, si poneret publice ejusmodi aliquid, quod Graeca illa domicilia Musarum imitaretur, neque ab Ecclesiastica gravitate abhorreret; Collegioque, & Bibliothecae animum ita adjecit. Sic parari magnum Urbi ornamentum, & juventuti liberale oblectamen, sedem nulli, vel ordini, vel aetati, indecoram, ubi otium haud parum magnarum Civitatum, magnaeque fortunae clades animos dulcedine sua inquietaret. Sic denique inveniri aperirique viam, qua daretur litteratura Clero, non horrida illa quaedam, & inculta, sed polita, & elegans, mixta ex gravi, & jucundo, qualem, scilicet, Chrysostomi, & Basilii, & Nazianzeni tempora vidissent, & dignam, scilicet, majestate rerum, quae sacris disciplinis continentur, & illiciendis ad veritatem animis apte temperatam.

### CAPUT II.

### *De collegii forma.*

EA sententia postquam stetit, circumstabant operis Auctorem multiplices uno tempore curae, ob res ei consilio necessarias, quarum unaquaeque ardui moliminis foret. Namque, quod ad collegii coepta pertineret, consilium erat in primis efficere, & constituere litteratorum hominum quoddam ejusmodi corpus, in quo sui quisque generis, suarumve partium viritim excellentiam tueretur. Eosque homines non peregre accitos, sed hujus patriae cives, hujus Ecclesiae alumnos provida mens fundatoris destinabat. Inesse peregrinis erga solum, coelumque externum fastidium atque inconstantiam, neque umquam ita assuescere alienis terris caritate, & usu, ut patriae suae obliviscantur. Melius feliciusque provenire ingenia inter suos, ubi, si nihil aliud, ipsius certe patriae conspectus,

spectus, & ossa majorum, & in proximo laudatores, testesque consanguinei, vel indere pectoribus flammas ad gloriam, vel alere inditas possint. Tum praeterea si nostrates eligerentur, illud statim pro patria utilitate, & pro novo instituto fieri, quod daretur ita protinus excultis aliquid optimis disciplinis, & averruncandae publicae deformitatis initium id fieret.

## CAPUT III.

### *De multarum rerum provisu ad collegium Bibliothecamque instituendam.*

PRimum omnium igitur habendus hic ex omni Ecclesiastica juventute delectus erat, habitoque delectu, soboles praeparanda, & instituenda haec, quae prima collegium intraret: Constituenda simul alimenta collegio: Emenda area: Struendae aedes: Aedificanda Bibliotheca: Conquirenda undique lectissima copia librorum. Et quasi tantae res, non cogitatione informatae, sed jam ad exitum perductae forent, erat antecapiendum simul majoris rei tempus, ut non corpus, & forma solum, sed dignitas etiam splendorque toti collegio constaret, honoresque & insignia dignitatis, partim tribuerentur, quae dari potuere, partim quae erant aliunde petenda, impetrarentur. Quodque longe providentissimum fuit, interea dum novelli futuri Doctores in scholis, & umbra adhuc exercerentur, perinde ac si in pulverem jam solemque exissent, describenda argumenta, partesque faciendae, & assignandi fines, quo dirigeret sua quisque studia & stylum. Neque id ad spem modo propinquam, & rudimenta collegii, sed perenni locorum, & argumentorum fonte duraturo, donec collegium maneret. Quae omnia, quomodo suscepta, tentata, peracta fuerint, exsequi pergam.

## CAPUT IV.

### *De juvenum delectu, ac de novo cursu scientiarum.*

ELegerat ex omni Clericorum copia, qui intra Seminarium aluntur, eximiae indolis aliquot, partim qui scientiarum spatia pleno jam cursu emensi essent, partim qui apud Rethores adhuc declamationibus & pertractatione Poetarum Historicorumque exercebantur. Atque illos quidem, qui Philosophi jam Theologique erant, retro ad minora studia vocavit, ut Graece Latineque amplius erudirentur: hos vero, qui nondum ad majora fecerant gradum, altius provexit, itinere quodam novo, atque ad eam diem inusitato, quod tutissimum expeditissimumque esse res insecuta declaravit. Videns enim fundator, & secum ipse reputans, lente nimium anxieque percipi quidquid illud Philosophiae Theologiaeque cognoscendae causa gustatur in scholis, curricula illa circumscripsit, & vanitate quaestionum amputata, rem totam in triennii curriculum adduxit, cujus compendii opportunitate non diminuta, sed aucta disciplinarum subtilitas est, & triennii alterius lucro ditata juventus id otii habitura erat ad scientias easdem aliorum studiorum cumulo, atque expolitione augendas. Caeterum, novus ille cursus ut instituereturr, magistri requirebantur, qui non solum ob ingenii doctrinaeque praestantiam exsequi possent, sed etiam promta cum modestia obedire vellent, atque hi pariter ob notam ejus generis difficultatem, formandi velut & creandi propemodum fuere. Itaque accersitis ad se, quos ei negotio idoneos rebatur, edocuit eos de tota ea ratione & arte, quam excogitasset ipse, atque composuisset. Agnoverant statim docti homines, veteresque Philosophi opportunitatem. Artis & spes praemiorum suberat ab Cardinale, Archiepiscopoque tantae Urbis. Jurati in ejus verba inque ordinem disciplinae ipsius, sedem, & stipem & selectam eam in Seminario discipulorum manum accipiunt, viasque non antea tentatas ingrediuntur, multo hominum sermone, magnaque exspectatione, quinam ei negotio exitus foret. Ac tanto major exspectatio circumsteterat juvenes simul & magistros intentaque velut in alieni periculi eventum ora pluribus disserebant, quia collegii, Seminariique ejusdem alii juvenes eodem tempore consueta apud Patres pericula obibant, ac veluti proposito certamine inter domesticas, alienasque scholas etiam fama comparationis augebatur. Magnum futuri specimen atque momentum hujusce comparationis fuere primae disputationes, primique congressus delectorum juvenum cum aequalibus aliis, qui solita, & longiore via ducebantur. Namque cum institutum ita esset, ut in quotidiana disputationum exercitatione, quae Seminarii legibus habetur, domestici isti Philosophantes, alteri coetui, tum defendenda, tum oppugnanda sententia committerentur, nusquam inferiores nostri discedebant. Ac non toto circumacto anno, & semestri erant in Philosophia manifeste superiores. Id ipsum in reliquo Theologiae decursu magna omnium admiratione usu venit, apparuitque in fine triennii, non temporis id, sed scientiarum etiam fuisse lucrum, trienniumque aliud, quo caeteri garriendo adhuc in scholis angebantur, tum recognoscendis in otio, quae percurrerant, tum humanitatis studiis & varietati linguarum insumsere. Quae feliciter in hunc modum tentata via, postquam & rei ipsius eventu, & approbatione communi, magnum quiddam ingensque erat, alii deinceps, & rursus alii in spem eamdem ex universo numero selecti juvenes itineribus iisdem, jussu fundatoris incessere, scilicet, ne futuro collegio soboles umquam deesset.

## CAPUT V.

### *De eo quod in Provinciali Concilio factum est.*

SEd qui primi cursum eum confecerant, eorum spectaculum insigne editum est ad similitudinem pene Graeci moris, cum Nemeorum, Olympiorumve occasione certamina omnis generis artium exhiberentur. Suberat Concilii Provincialis dies, quod VII. Provinciale Concilium hujus Ecclesiae celebrabatur; isque conventus, & ea celeberrima futura actio erat, congregatis in unam sedem cum suo Metropolita septemdecim Episcopis, quorum unusquisque idoneus arbiter judexve certaminis esse posset. Ea data occasione Cardinalis producere atque experiri novos Theologos, velut sui inventi specimen concupivit. Pulchrum videbatur ostendere Patribus, & tot Urbium Clero affectanti Patres, quae studia hic vigerent, quidve in delitiis haberetur. Mille, & ducenta capita fuere, quae defendenda proposuerunt adversus omnes, qui contra disputare vellent: eaque sive placita, sive effata, sive conclusiones, & Theses in Episcoporum ipsorum nomine apparuere, qui disputationi interfuturi erant. Continebantur coelestia superaque, & divina, & quidquid de vitae patriaeque alterius secretis per Theologiam indagare potuit Princeps olim discordare visi, miraculaque disciplinae ejus Thomas, & Scotus, non minus eo dissidio, quam ingenii divinitate celebres velut adducebantur in unam viam. Et vias simul alias inclytas atque admirabiles insignium Patrum, constantia, & altitudine veritatis adversus aliena argumenta se defensuros denuntiabant Ephoebi adhuc Theologi, & super Theologiae magnitudinem gratia, & dote Latinitatis excellentes atque admirandi.

His longa serie ita propositis, atque divulgatis, ubi tempus venit, per continuos aliquot dies, disputationes habitae sunt, cingente Theatrum corona Episcoporum, quibus id spectaculum edebatur. Convenere magni nominis Theologi, qui inter ejusmodi certamina semper fere vincendo senes facti erant, e Monasteriis, scilicet, gymnasiisque publicis, ex nostro Clero, ex Urbibus alienis, quos gloria, quos livor ergo rem novam, & quos cura aliqua humani ingenii stimulabat, ut rei exitum videri vellent. Et celeberrimum quemque fama juvenes ipsi ultro invitarant adesse, contraque argumentando experiri. Pontificale Palatium proposito certamini sedes fuit. Ibi per totos institutae disputationis dies, cum alii subinde, aliiqui ad oppugnanda capita coorirentur, ac velut in praelio succederent integri fessis, id robur, ea subtilitas, ubertasque, & constantia in respondendo ad extremum fuit,

fuit, ut veteranos Theologos, atque Disputatores, mixtus admiratione, & laetitia pudor occuparet ob exactam suam inter ea studia aetatem, atque ob miraculum illud alienae aetatis, quos uno tempore motus animi varios alii quidem fronte, & vultu fatebantur, alii vero apertius etiam verborum testificatione declarabant. Nec dispares inter Episcopos habitus animorum. Exsiliere gaudio ob talia decora Metropolitanae Sedis, suspiciebantque rem simul, & quaedam liberalis invidia notabatur, quod nihil tale sibi domi foret. Sed illud Concilii tempus, & multo interim sermone celebrati illi disputationum dies brevi transiere. Cardinalis ab gravissimae actionis cura laxato animo, simulque ob experimenti successum, atque felicitatem recreato, & confirmato proximis diebus ac temporibus deinde secutis, strenue urgebat, ut quam celerrime exsequeretur id quod de collegio Bibliothecaque fundanda susceptum habebat.

## CAPUT VI.

### *De collegii forma nova consilia, & curae, explicantur.*

ERigebatur Bibliotheca a fundamentis, alteque jam assurgebat moles, descriptione, & forma, quam postea exsequemur. Et simul Bibliothecae Sol, collegium hoc, in exortu suo partem lucis explicabat propiusque admovebatur. De ipso autem corpore, & institutione collegii principio ita disposita consilia fuerunt, ut octodecim essent, qui cooptarentur. Postea ad novem numerum redacta res est, sive quia is numerus sufficere ad principia rerum videbatur, sive quia soli novem essent, quos idoneos muneri, maturosque Fundator in praesentia existimaret. Hi porro novem ita instituebantur, ut imbuti, & tincti omnibus liberalibus disciplinis, artibusve, quae velut inter se ancillantur, varieque pervagati studia earum in uno demum genere conquiescerent, quod praescriptum, assignatumque esset. Ibi palmam, ibi quaerere Principatum, & partem colere illam unusquisque moniti, in qua seorsim a caeteris, proprieque collocatus esset. Ne quaererent in alieno gloriam, neve sperarent extra suos fines eximiae laudis fructum. Esse id, sive humani ingenii imbecillitate, sive disciplinarum & artium ipsarum conditione denegatum, ne plus una perfecte assequi quisquam possit. Hujus consilii ratione saepe confirmatos, imperio etiam auctoritateque continebat in eo, ut singula singuli sequerentur, quae deinde futura lex, & propria nota, insigneque collegii erat. Eae porro partes, & studia diversa sic assignata sunt, & divisa, prout unicuique progressus ad eam diem, prout ingenium, & quaedam inclinatio naturae cernebatur. Duo, qui ex divinarum rerum affectatione dederant grande illud nobileque experimentum, retenti sunt in eadem Theologia, ut subtilitate commentandi, Principem illam disciplinarum augerent novo aliquo decore, & decus sibi invenirent supra eos, qui vulgo e scholis prodiere. Alii duo ab schola, cursuque eodem, inflexi paulisper & mutati, ut omissa contentione, ac profunditate Theologicarum speculationum, tractarent potius initia, originesque mysteriorum, & quidquid in Ecclesiastica antiquitate intimum praeclarumque cognitu est. Alius Graecam, alius Hebraicam linguam, Orientalesque caeteras, quae affinitate, & similitudine inter se quadam junguntur, persequi jussi, usque ad eum finem, quomodo gentium earum Sapientes scribunt, aut loquuntur. Carminum, & Historiae studia data penes alios, de quibus opinio erat, tamquam nati in id quodammodo essent. Haec fuit descriptio partium, quae cum in singulos a Fundatore dividerentur, ars simul & via, ordoque praeceptorum ab eo dabatur, quae praecepta sequentes pervenire possent eo, quo destinatus unusquisque erat.

## CAPUT VII.

### *De sollicitudine Fundatoris ob peregrinas linguas.*

ATque haec quidem ita disponebantur: obscura vero linguarum, eademque veneranda peregrinitas longe plurimum negotii exhibebat. Nam, qui Graece scribere possent, quive gentis ejus etiam Poetas licet aliena pene lingua locutos intelligerent, non unus e nostro numero erat. Etiam Hebraice docti nonnulli inter nos esse gloriabantur, iidemque Chaldaicum Syriacum sermonem corruptum ex Hebraico magis, quam ab eo diversum, & totam eam inclytam divinarum litterarum commercio barbariem ac generis ejus monumenta non ut peregrina pertractabant. Et congressi saepe isti, nunc cum Episcopo aliquo fugitante Turcicam tyrannidem, nunc cum negotiatoribus impostoribusve semichristianis, quales subinde nonnulli pererrant Italicas Urbes, Interpretum haud incommode expleverant vicem, patriamve ementitos arguerant peritia linguae ejus, confuderantve admiratione Hebraeorum etiam magistros, qui Rabbinici nominis arrogantia, & fastu subnixi ambulabant. Sed Persica, & Arabica, & Armena, & Abyssina lingua, desiderabantur, necessariaeque erant, tum quia imminens Gentium conversioni Fundator agitabat grande illud, ac moliebatur, ut Persice compositum Catechismum inter caetera collegii opera exhiberet. Itaque peregre accersendum ratus id, quod domi non suppetebat, conduxit proposita mercede homines, per quos eae linguae, semel insitae collegio, perpetua deinde cultura, & quasi successione retinerentur.

## CAPUT VIII.

### *De Abdala, & Simone.*

ABdala primo quidam, & Simon, venere, missi ab iis, quibus id negotii Cardinalis dederat, e Perside ille, hic e Libano monte venire se ajebant. Sed inerant utrique Barbari mores, frausque etiam & perfidia docendo detecta est. Nam callidus idem & atrox, protervusque Abdala, sive invidia & livore erga nostra studia, sive oblitus patrii sermonis, fingebat nihil significantia vocabula, quae pro linguae rudimentis inculcaret. Coepit vero deinde etiam procari barbarus, captus amore virginis ingenuae, cujus expetere nuptias ausus est, affectabaturque eam importunus amator, nunc limine tenus, nunc ad templa comes, & ictibus interdum lascivoque singultu quatiebat fenestras, donec parentes virginis, primo adspernati, dein pertaesi ludibrium illud, delata querimonia remedium accepere. Vinculis opus fuit, non solum, ut ab ea insania vecordique amore dimoveretur; sed etiam, ut terrore subactus desineret artem eludendi discipulos, fictaque vocabula depromendi; nec ideo sanari id ingenium potuit, abiitque, desperata apud nos re Persica, si tales Magistri linguae ejus essent. Ac nihilo melior Arabicae linguae Magister e Libano monte Simon, non amatoria vecordia, non vecordi, sicut alter ille, dolo, sed asperitate animi, moribusque tetris perdidit rem. Erat is atricolor quidam, importunus, inquietus, assidue volvens pectore iras, & huic maxime coelo iratus, fremensque, & gemens desiderio abeundi. Cumque altero mense, postquam venerat, se se hinc ejecisset, bidui viam progressus in caupona exstinguitur. Credidimus super ingenii tristitiam, concepta jam antea praecordiis morte sic esse inquietatum, atque versa in misericordiam nostra ira est, cum vere irasceremur homini, qui nos ita repente destituisset.

## CAPUT IX.

### *De Dominico Hierosolymitano.*

SIgnificatur interea Cardinali, esse Mantuae in familia Ducis illius antiquissimum Rabbinum, qui diu Constantinopoli apud Turcarum Imperatorem, diu in Persarum Regis aula moratus, sic linguam utramque nosset, quomodo nos etiam Latine, vel Italice loqueremur. Dominicus is erat Hierosolymitanus, celebri inter Hebraeorum quisquilias fama, tamquam nullus in tota gente peritior legis esset, accessioneque linguarum earum extollebatur. Et a nativis lustris, patriaque superstitione ad Christiana Sacra transgressus, fecerat fidem iste, quasi non pecuniam, & stipem ex Baptismo quaesivisset, sicut caeteri ferme, qui inde transierunt. Excoquendarum herbarum artificio, succisque in medicamenta exprimendis

dis magni Chymici nomen nactus, in Othomana claustra penetrarat ob feminarum morbos; & Sulthanae illic ulcera se inspexisse atque contrectasse narrabat. Postquam Christianus est factus, ejusdem commendatione artis simul incredibilium suasor apud Gonzagam Mantuae alebatur. Appellatus super eo homine Gonzaga, annuit, sive experimentorum fortasse satietate fessus, nec linguarum ejus egens, sive molienti tam magna Cardinali deesse, ac negare indignum ratus. Missoque viatico Hierosolymitanus adducitur, quem velut e coelo demissum accepere Juvenes nostri, & fuere, qui obviam venienti prodirent. Tanta cupiditas incesserat acquirendae linguae, cujus ille magister interpresque ferebatur. Memini ego, cum venisset iste in Urbem, Cardinalemque vesperi recta a porta adiret, adfuisse nos, hominemque induxisse in aulam, & multa statim cum eo esse collocutos de Arabicae linguae elementis, & scriptoribus ejus, quid facilis, & expediti, quid laboriosi & obscuri ea haberet, & quatenus similitudine, atque affinitate attingeret notam jam nostris & familiarem linguam Hebraeorum; respondisseque ita eum, ut valde suspicaremur. Cardinalis comiter acceptum hospitem, & aliquamdiu in colloquio retentum, cum ad curandum ex itineris defatigatione corpus dimitteret, retentis paulisper nobis haec ipsa verba dixit: Hominem esse Rabbinicae, Massoreticaeque litteraturae peritissimum, sed Arabicae negotiationis commerciique expetiti nondum venisse tempus, nosque ab eo sermone dimittebat. Scilicet, percunctando, varieque tentando Rabbinum, deprehenderat in eo inscitiam linguae, quam linguam fama, suo more miscens falsa veris, ei affinxisset. Sed venerat Hierosolymitanus cum uxore sua, totaque domestica supellectili: vasa, & instrumentum omne medicinarum sequebatur. Et erat ipse veneranda canitie senex, sermone, incessuque gravis, atque commendatitias cum gravi testificatione litteras ab Gonzaga attulerat. Neque tamen ista tantopere ei profuerunt, quo minus ei, unde venerat, retro abeundum esset, quamquam retinuit vere eum ac tutata est reverentia linguae sanctae, in qua tanto magis excellere noscitabatur, quo accuratius, attentiusque introspexeramus. Admissus igitur & mensium aliquot liberalitate, ac dissimulatione sustentatus, ingenue depromsit vicissim, quidquid arcani, & occulti Rabbinica jactantia sibi assumit.

## CAPUT X.

### *Quomodo Arabicam & Persicam linguam homines nostri arripuerint.*

MAgni conatus Fundatoris magnaeque susceptae curae pro varietate linguarum, & magna Juvenum studia hujusmodi exitus adhuc habuerant, satis infelices illos quidem, & desperationi proximos, nisi quod in Hebraica & Graeca & Latina ii progressus habebantur, qui solari damna haec possent, & spem facerent, alias quoque aliquando posse acquiri. Idque postea evenit non tam artibus, consiliisve humanis, quam nutu divino; ita ut negotii etiam hujus exitu ad Christianae disciplinae sententias adjungeretur Graecum illud quo dictum est; Casum ipsum melius, providentiusque consulere rebus saepe nostris, quam nos ipsos. Non fortuna, non casus, sed favor haud dubie Numinis fuit, qui tergiversantes ac restitantes quodammodo linguas sistere demum & adesse huc coegit. Nam posteaquam pene deposita, & deplorata res, partim inscitia, partim importunitate Magistrorum erat, consilium ex ipsa desperatione ortum, ut domi exspectaretur id quod peregre quaesitum, accitumque frustra erat. Posse facillime parari, atque haberi linguarum Magistros, rursusque dimitti, & postea suppleri quandocumque visum esset, si nimirum attente captarentur occasiones, quae quotidie se se offerrent. Semper aut negotiatorem ab oriente Sole aliquem, aut exsulem inde Christianum Episcopumve, Monachumve peregrinantem. Errones praeterea, & mendicos saepe venire in aulam, qui circumferant inutiliter, & tegant inglorie linguas, quarum fructus & gloria nobis tantopere appeteretur. Id igitur sedulo agi tentarique coeptum: & quos deinde casus, quosve fructus dederit ea versa in scholas multitudo, colluviesque peregrinantium, subinde exponam, ut cujusque memorandae rei tempus inciderit. Fuere enim variorum temporum eorum hi casus varii sane, nec injucundi ob diversa hominum ingenia, novamque consuetudinem, & ferme felices ob fructum utilitatis, quae secuta est, oblati divinitus iidem, non minus, ut perpetui studii, perpetuaeque contentionis labor ea hilaritate relexaretur, quam ut labor & contentio ipsa exitum denique suum haberet.

## CAPUT XI.

### *De recitationibus primis, sive, de collegii praeludio.*

NUnc pergam exsequi alia juvenum studia, atque exercitationes, quibus a Fundatore praeparabantur, ut idonei aptique collegio essent, ubi instituendi hujus, Bibliothecaeque aperiendae tempus venisset. Ea lenta dies dum venit, & rem suo molimine gravem, alia semper ex aliis impedimenta retardant; statuit Cardinalis, partim impatiens etiam ipse morae, partim experiendi causa formam quamdam exhibere collegii, veluti cum exercendo militi simulacra pugnarum in otio eduntur. Et exercitii, simulacrique ejus forma haec fuit. Crebri per dierum intervalla congressus recitationesque habebantur, non sicuti nunc arbitris remotis, clausa adversus alienos aula, & tempore intra horae spatium definito; sed nondum repertis inditisve harum legum vinculis, libera, & soluta omnia erant; patebatque aditus, & recitabant, quae quisque vellet, & plus minusve temporis recitatione sua absumebat. Haec veluti prototypa erant, formaeque rudes adhuc & inchoatae severiorum congressuum, & recitationum legitimarum, quarum hodie per singulos in orbem it labor, & intra collegii penetralia suam quisque vicem observat, nec exteri admittuntur, nec egredi argumentum, neque coarctare, vel proferre horas licet.

Ad primas eas recitationes praeter destinatam collegio manum conveniebant etiam alii, de quibus judicium adhuc in suspenso tenebatur, an admittendi essent, itemque alii ex intima Fundatoris amicitia spectatores tantummodo, & testes. Aderat interdum etiam ipse particeps ejusmodi exercitationum, & auctor, & magister, & collegio nascenti circumdederat ingentem eam famam. Haec simulacra congressuum exercebantur in S. Sepulcri aedibus; propterea, quod finitima area Bibliothecae substructione, & instrumento, apparatuque operis, & operarum adhuc strepitu occupabatur; aediumque Bibliothecae adjunctarum vixdum posita fundamenta erant.

## CAPUT XII.

### *De consultatione nonnullarum rerum.*

COngressus vero interim alii apud Cardinalem in Palatio nocturnis maxime temporibus habebantur, ad consultanda capita legum, quas jam conceptas ille animo descriptasque habebat. Namque inter caetera magni animi exempla, quae in tota collegii institutione edidit, fecit hoc etiam, ut, quibus daturus erat leges, hos in partem consilii adhiberet, velut exquirens oneribus ferendis approbationem consensumque eorum. qui onera ferre haec debebant. Per continuos aliquot dies, ac per totum fere mensem vesperi conveniebamus in aulam. Ibi coram ipso Fundatore considere jussi, ordine omnes dicebamus, audiebamusque sententias, remota etiam verecundia, non solum metu contradicendi si quid forte non placeret. Praedictum enim, severeque denuntiatum erat, licere nunc unicuique aperte, vel deprecari, vel excusare, vel etiam confutare, quidquid in legibus asperi, quidquid ardui videretur. Non eamdem postea licentiam fore, ubi semel latae, acceptaeque essent. Quaesitum est in primis, varieque agitatum, ecquod nomen coetui daretur, quave appellatione insigniri oporteret istud, quod ad bonarum artium studia ob Catholicae fidei defensionem, atque ornamentum renovanda, sive firmanda publice institueretur. Censuerat aliquis

Academiam posse appellari. Id namque esse vocabulum plenum litteratae venerandae antiquitatis, quae exemplis, & imitatione gloriae stimulare ad honesta studia animum posset, atque in eam sententiam pleraque dicebantur. Cardinalis de gloria, & antiquitate nominis facile concedebat: sed ajebat, id nomen, eamque gloriam nimio jam & quotidiano usu contritam exolevisse, versamque esse prope in ludibria. Quin etiam fieri vere ludibrio, atque dehonestamento disciplinarum, si nomen ab ea Philosophorum Secta duceretur, quae scientias, & artes evertendo omnes absurde famam olim quaesivit. Proinde quaerendum, videndum nomen, titulumve alium esse procul ab inani fastu, quo nomine simpliciter innoxieque censeremur. Cum rursus alius vetera Gymnasia Graecorum, scholasve, & litterarios Romanorum ludos, & alia alii erudite afferrent, placitum demum ita Cardinali est, censuitque in eo conquiescendum esse, ut, sicuti erat res, absque ulla verborum ambitione diceretur *Collegium*, *Bibliothecaque Ambrosiana*, additaque est tertia duobus ob Parentem Ambrosium, sub cujus nomine, tutelaque instituebatur. Ita de totius appellatione tituloque collegii transactum. Doctoribus viritim ipsis, quinam titulus adscriberetur, in dubium veniebat. Et quoniam aut impetrata jam a Pontifice Maximo erat, aut eo maxime tempore petebatur Equestris in singulos dignitas, ob id cogitaverant intulerantque nonnulli, ne attinere quidem ambigi de titulo, cum promta, parataque esset dignatio, quae titulum daret. Posse Equites appellari. Id ab Ecclesiastica modestia paulo alienius visum. Convenientius, honestiusque fore, si Doctores appellarentur. Ea sententia stetit. Insignia, quae daturus esset, constitutum jam apud se Cardinalis habebat.

Sed tamen ea quoque res agitata nocturnis illis conventibus, & communicata est, non tam ad sententias exquirendas, quam ad gaudia impertienda, ut praeciperent Juvenes animis, atque antecaperent hilaritatis magnae fructum ex eo, quod a caetero Clero tam illustri nota distinguerentur. Numisma erat aureum, cujus adversa pars Deiparae Virginis effigiem praeferret: in parte altera duo capita rerum, Ambrosius, & Carolus, alter in alterum obversi, praesidia simul, & hortamenta collegio. Et incisum esse debebat solenne illud: SINGULI SINGULA, ad coercendos assidue Doctores, ut ab inutili varietate, mentem, animumque abstinerent, agerentque, & sequerentur unum, quod sequi, & agere quisque jussus esset. De numismate insignique eo, addubitatum primo fuerat, gestarentne Doctores perpetuo, haberentque id collo suspensum, an recitationum tantummodo diebus, & inter solennia gestarent. Postea honestius visum, si numquam sine suo insigni in publico spectarentur. Haec facies, haec forma collegii depingebatur, cum nondum vere collegium esset, adhucque Juvenes collegiis, & Seminariis iisdem, in quibus educati, institutique erant, fere attinerentur. Leges & praecepta rerum singularum, quae res tum ad collegii regimen, tum ad partes & munera Doctorum pertinerent, habitis super unoquoque capite sermonibus, descriptae sunt longo carmine, prout volumen, & series tota exstat.

## CAPUT XIII.

### *De primo delectu copiaque librorum.*

ERigebatur interim, & lente olim a fundamentis educta Bibliothecae sedes jam fastigio propinquabat. Unde major instantiorque cura Cardinali, ut copia librorum in tempore adesset impletura tantae molis sinum. Nec copia solum, ac varietate, numeroque voluminum opus erat, sed etiam eximio delectu, ut operis immortalitas, & gloria constaret, quam tantae rei molitor animus destinabat. Habuerat sane Cardinalis jam inde ab studiorum suorum initio inchoatam, & Romae postea conquisitione sumtuque majore constitutam ingentem Bibliothecam, quam Amaltheae cornu diceret, quisquis collatam in unam sedem jam eam librorum copiam intueretur. Erat manuscriptorum omnis generis tantus numerus quantus nusquam alibi in privato loco; nec in caetera varietate quidquam ultra desiderares, nisi, quae parabatur, & jam fere stabat aula, exiguam hanc esse copiam altitudine, & capacitate sua exprobraret. Id veluti patrimonium abalienatum ab se atque abdicatum spe & cogitatione contribuerat in hujus Ambrosianae Bibliothecae corpus jam inde ab eo tempore, cum de exstruenda ea, dicandaque cogitare coepisset. Nunc transferri libros omnes jusserat in S. Sepulchri aedes, ut simul atque fabrica absoluta adstructusque pegmatum & nidorum ordo esset, proximo diverticulo inde tolleretur, atque operi primordia haec forent.

Exhaustae nostratium Bibliopolarum apothecae omnes, petitumque inde quidquid eximii prostabat apud eos, sive occultabatur. Petita ex Principum Bibliothecis, quae publice uspiam, quaeve privatim exstarent exemplaria manuscriptorum Codicum, Librariique parati, qui describerent ex autographo, & accuratissime atque optima fide transferrent. Ac pervulgata inter externos quoque Bibliopolas fama, deditoque per emporia cuncta rumore, multa ex omnibus regionibus venum missa ultro; multa viri Principes obtulere. Sed quemadmodum in Ponto Euxino Aegeove mari pauca natantium corpora, lembive pauci subjecti oculis tamquam exiguae guttae ad gurgites comparatae eos, nihil aequori addiderint; ita domestica haec copia librorum, quive adhuc praeterea parabantur, paucas stillas, paucosve natantes intra Bibliothecae sinum dispersi & rari imitarentur.

## CAPUT XIV.

### *De peregrinationum longinquarum consilio ob libros coemendos.*

IDeo Cardinalis ad rem multo antea meditatam animum adjecit, ut certos homines idoneosque viros litteris & mandatis & pecunia probe instructos dimitteret in Galliam, Hispaniamque, & Germanias, & per cuncta vestigia Graeciae veteris, & quacumque demum litterae, & Musae, disciplinaeque, & artes, aut habitassent, floruissentve olim, aut habitarent hodie, & florerent. Fructus autem, atque emolumenta peregrinationum praeter necessarium apparatum, supellectilemque Bibliothecae petebantur alia quaedam ad collegii quoque totius utilitatem, & ornatum, ut nimirum per eam occasionem Ambrosiani Doctores liberali commercio jungerentur litteratis aliis hominibus, qui uspiam reperti essent, atque cum iis miscerent quodammodo dexteras. Id namque, & ad vitae jucunditatem, honestissimum & ad cultum, expolitionemque ingeniorum esse elegantissimum, si instituta cum clarissimis viris amicitia prudenter & modeste uteremur collocutione litterarum, per quas absentes adsunt, consuetudinisque, & familiaritatis dulcedo tantum percipitur, atque in nostra manu est, an injucunda, & amara miscere etiam velimus. Praeclarum innocensque commercium, abesse & nosci: noscere, & ignotum, occultumque manere: colloqui quantum velis, nec amittere silentii quietem: ferre accipereque opem absque tua, vel aliena molestia, aliaque demum hujusmodi, quae insociabilia natura, sermo pagellae unius inter homines eruditos sociat, ac miscet.

Talia nobis vel oblectamenta, vel subsidia parabat Fundator, dabatque mandata istis, quos conquisitioni librorum praefecerat, ut spirantem etiam hanc, vivamque Bibliothecam, Germanica, & Gallica, & Hispanica peregrinatione per cuncta officia, & blandimenta mercarentur. Sane de Abasina etiam Arabicaque & Persica peregrinationibus jam inde a principio agitarat, ut linguarum earum monumenta quaecumque exstarent famae notaeve alicujus, ex ignobilibus eis latebris, pretio barbaris objecto, extraherentur. Sed dilata cognitione linguarum ob eas causas, quae demonstratae sunt, gloria quoque expeditionis differebatur, omnisque cura in eas, quas dixi, provincias, incubuerat. Et proxima prius, dein ulteriora tentantur.

CA-

## CAPUT XV.

### *De prima peregrinatione.*

MIttitur in eam nostrae Italiae partem, quae Magna Graecia dicitur, Gratius Maria Gratius, intimus Scriba Cardinalis, vir plane similis nomini, cognominique suo, nec litteris, & ingenio solum, sed etiam modestia vitae, benevolentiaque erga nos plane meritus, ut nomen famamque ejus optimis recordationibus prosequamur, ac pauca de studiis ejus totaque conditione repetamus. Patria Senensis hic erat, Graece, Latineque, si quisquam, optime sciens, atque ad nativam illam suam linguam, exercitatione, & labore tantum adjecerat, ut excelleret etiam inter eos, quorum una haec laus. Cardinalis eum Romae cognoverat, recordatusque postea viri, cum Archiepiscopus factus Mediolanum ipse venisset, exciverat ab Urbe hominem, ut inter illustria ingenia domi haberet. Per aliquot annos in aula versatus, acceptissimusque Hero collegii, Doctorum unus etiam ipse destinabatur. Quod uti postea irritum fuerit, in tempore memorabo. Nunc secreta Principis tractabat, scribebatque ejus nomine epistolas, sicut fuit ingenium ei viro mixtum non solum ex aulica prudentia, scientiarumque disciplinis, sed etiam e severioribus linguis, & minore quadam lingua, quam colloquentium inter se hominum ambitio artem fecit. Ex hoc scribendi munere aulicoque ministerio destinatus, ut memoravi, Doctorum etiam ipse unus, acceptis a Cardinale mandatis proficiscitur in Magnam Graeciam, non solum ad pervestiganda manuscripta, tentandasque latebras eventu dubio, sed etiam in spem aliam certam, atque exploratam. Nam mortuo per eos menses Vincentio Pinello, multorum nummorum, magnique nominis Bibliotheca ejus Neapoli stabat parata emptori, si quis reperiretur talium rerum adeo animosus cupitor; jamque tentaverant haeredes, si cum Borromaeo transigere possent. Ipse neque annuerat, neque negarat, sed statuerat in rem praesentem esse eundum, videndumque prius, num essent tam pretiosae notae codices, quanta de eis fama circumferebatur. Et erat Gratius manuscriptorum acerrimus aestimator, quem non ultimae vetustatis mentita facies, non vetustas ipsa inutilis, & vitio temporum mendosa fallere posset. Poterat prima statim fronte, atque adspectu dicere, cujus aevi, cujusve auctoritatis foret ille codex; quaeve Graece scripta litteris inexplicabilibus, & propter antiquitatem fere ignotis, haec velut nostratia & quotidiana familiarissime ei adspiciebantur.

Profectus anno M D C X. exeunte Novembre, sociumque itineris habuit Guidum Cavalcantem, quem silentio transisse injuria quaedam operis fuerit. Ac tanto major injuria, quia fuerat iste Cardinali amicissimus, jucundissimusque hospitum, & in medio robore aetatis postea mortuus, triste nobis etiam & collegio toti desiderium reliquit. Invenerant nobis hunc, atque conciliarant pericula, & res adversae, tuncque decessit, cum secundis rebus frui nobiscum inciperet, & cum ingenii ejus suavitate nos maxime frueremur. Cum enim Cardinalis altero fere accepti Pontificatus hujus anno Romam unde venerat laborantis Ecclesiae suae voce compulsus in morbum incidisset, atque Ameliam inde recreandae valetudini deportatus esset, invenit ibi Cavalcantem hunc fere triginta annorum juvenem, corpore procerum, animo liberali, fronte etiam & vultu, qualia fuisse veteribus Romanis ora autumares. Aderant litterae, notitiaque Romanarum rerum, & multa consuetudo aulae, sed nulla inde calliditas, & haec omnia nobilitate honestabantur, quae nec nova nec inops in eo homine fuit. Placuerant mores, ingeniumque, & conditio viri adeo, ut domo, hospitioque ejus uteretur, quamdiu Ameliae propter valetudinis incommoda subsisteret. Is aditus Cavalcanti ad Cardinalem, idque amicitiae principium fuit, quae ab tam honestis profecta initiis mansit adeo firma & constans, ut ne morte quidem ipsius dirimeretur. Quippe, cum haec Ambrosianae Bibliothecae monumenta custodienda nobis mandaret Fundator, addiderat inter caetera hoc, ne Guidi oblivisceremur. Numquam certe Guidus ipse oblitus hospitis, amicique tanti, quem domi suae habuisset, atque admiratus animi simul & ingenii magnitudinem, statuerat, relicta Amelia pariter, & Roma, apud eum agere Mediolani aetatem. Et posteaquam Cardinalis confirmata valetudine, ab Amelia Romam, & compositis Ecclesiae rebus, ab Roma Mediolanum redierat, aderat saepe, nunc ultro nunc invitatus, ac totos in hac aula consumendo annos, abibat, redibatque rursus cum ea destinatione, & voto, semel ut ita veniret, ne esset amplius postea sibi abeundum.

Fuit vero Cavalcantis mira suavitas, & jucundissima consuetudo, quia, cum omnes eximii aulici virtutes haberet, nihil vitii ex aula, sicuti dictum est, traxerat. Ingeniis & litteris nullus fortasse magis umquam intra potentiorum limina favit, fuitve cupidior ipso litterarum. Recitabat ex veterum scriptis multa memoriter, & Q. Curtii praesertim verba, apicesque singulos reddere, & assignare paratus erat, si quis experiri vellet. Gratissima voluptas ei nos quoque de scriptis nostris audire recitantes subinde aliquid, & apud Heri aures ingenuus gravisque laudator, primordia & rudimenta collegii favore eximio amplexus, preces etiam & vota singulorum ad Cardinalem ipse deferebat, si quid fortasse optaremus. Inter hujusmodi oblectamenta peregrinantis ritu, assiduus, acceptissimusque Hero morabatur apud nos, donec ultima peregrinatione migraret etiam e vita. Nunc Gratio ad conquirenda volumina comes ibat, delectatus, scilicet, magnitudine operis, & pulcherrimi obsequii gloriam apud Herum petens. Profecti, sicut diximus, ineunte hieme, cum jam November in exitu esset, antequam Neapolim pervenirent, non leve operae pretium fecerunt, perquisitis in ipso itinere, aditisque, quos monstraverat fama, quosve noverant ipsi dignos, quibuscum agendae rei consilia communicarent. Convenere Regii Camillum Bosium Bononiae Florentiaeque, & in Senarum urbe pares huic doctrina, elegantiaque ingenii nonnullos, cum quibus de sua expeditione collocuti, cujus rei causa proficiscebantur, & utilia pleraque cognovere ex eis, & inita familiaritate vicissim iisdem dedere mandata rerum, quae per ipsos agendae essent. Hinc venere Romam, ubi inter intelligentes talium rerum aulicos, cum de Pinelliana praesertim Bibliotheca sciscitando multa exsequerentur ita comperiebant. Non esse Neapoli Bibliothecam, ex quo possessor Vincentius decessisset: cuncta in Julianum (id suburbano nomen,) transtulisse haeredes. Eos, quia diversae cujusdam prudentiae, artiumque potius aliarum homines sint, pretia immodica sperare, eoque plus difficultatis etiam rem in contrahendo esse habituram, quod homines isti, modo vendere haereditatem eam cupiant, saepius ab eo consilio revocentur, tamquam merituri piaculum, si decora illa domus pretio alienarint. Famam, profecto, nomenque Pinelli, & ignotum sibi quiddam illud in volumina, codicesve singulos arbitrari venale esse.

Injecerant haec audita curam, atque Neapolim itur tamen constantia magis & alacritate experiendi, quam perficiendi spe. Tanta difficultas atque varietas eorum hominum intelligebatur, eratque Romae res in circulis ob crebras collocutiones epistolarum, quae super eo negotio inter litteratos ab Neapoli retro vicissim assidue commeabant. Haec secum haud prospera initia gerendae rei spesque dubias ferens Gratius ab Roma Neapolim venit; atque ibi quo praesentior erat res, eo certiora omnia de Pinelliani negotii, haeredumque difficultate comperiebat. Sed praesto fuere viri treis, velut parati, & conciliati divinitus ad leniendas rei asperitates, & tollenda, quae obstabant; decetque jam in parte operis etiam esse istos, per quos tantum illud incrementi Bibliotheca Ambrosiana cepit. Fuere autem Franciscus Lombardus, Caesar Capacius, & Joannes Baptista Porta, quorum celebre alioqui nomen, & magna fama pertinuit ad negotii dignitatem tamquam haud per alios magis rem transigi conveniens, decorumque esset. Erat

Lombardus Graece Latineque doctus, ad eam formam, cumque modum, quo Doctores etiam Ambrosiani spe, ac destinatione Fundatoris jam inde ab initio fingebantur. Eaque litterarum, & ingenii commendatione, Pinello, dum viveret intime familiaris, haeredibus etiam, postquam ille decesserat, colebatur. Aderat simul auctoritas viro, quia, cum esset ejus Ecclesiae, collegiique Metropolitani Canonicus, nullus Collegarum eum moribus, & dignitate vitae anteiret. Reliqui vero duo, Capacius, & Porta, ii erant, qui actam suam inter optima studia aetatem censerent nusquam posse splendidius, illustriusve coronari, quam, si ad decorandam operis hujus gloria Italiam, ipsi quoque adessent, manumque admoverent.

Cum his igitur, atque per hos agendo multa Gratius, varieque tentando, eo rem adduxit, ut dicerent haeredes in ipsorum potestate se se futuros, neque recessuros a conditione, quamcumque ipsi dixissent. Dato per eosdem aditu profectus in Julianum Gratius, totam ab imo Bibliothecam pervolutavit, ac tridui cura confecto librorum omnium indice, reversus Neapolim, relicta penes treis illos omni negotiatione, & cura, proficiscitur in Magnam Graeciam, uti destinarat. Melphiam primo venit, spe injecta, posse ab Episcopo Urbis ejus adjumenta aliqua sumi ad rem gerendam, monstrarique loca, & sedes, quas adiisse operae pretium foret. Erat is Placidus Maria, non sacro tantum honore nitens: verum etiam aderant litterae viro, non modo, quas honos requirit, sed, quae honori decus adderent. Colloquia cum eo haud inutilia fuerunt. Quas adiri terras, quaeve tentari librorum cubilia expediret: & rursus, quam in partem supervacanea peregrinatio, atque sine fructu itineris labor. Nomina item edita ab eo, ut, in qua quisque Urbe plurimum, sive litteris, & ingenio, sive opibus & auctoritate excellens prodesse conquisitioni librorum posset. Ac ne consilio tantum juvisse rem videretur, eximiae notae manuscriptum, quod apud se forte habebat, velut faustae expeditionis omen depromsit ultro, & donavit. Catullus erat, quem aut Poetae ipsius manu, aut aetate certe illa scriptum diceret, quisquis perite faciem, ductusque litterarum aestimaret; & fama hodie illa Codicem inter caetera pretiosa Bibliothecae sequitur.

Ab hoc Melphitano hospitio, colloquiis cum Episcopo habitis, Barrium proficiscens, incessit per loca deliciis magis inclyta, quam litteris, Barulum, Canusium, Tranum, qua vellus fulvum nascitur, & Anfidus amnis ex Hirpinis montibus defluit. Naturaeque ludos potius, quam bonarum artium vestigia, reliquiasve ullas in eo itinere inspiciens, propere transibat inane illud solum. Sed ne ad Barrium quidem subsistendi satis digna causa fuit, nisi si fortasse quemlibet alium peregrinum ibi hominem detineret multum expetiti piscis ganea, quae celebrata veteris Poetae carmine per tantum aevi sufficit mensis, nobilitatque id littus. Moratus unum ibi diem, postridie, quam eo venerat, Phormias pervenit, quae Laconum Genti sedes adversus Lestrigonas fuisse quondam perhibetur. Inde Egnatiam ventum agri Salentini, qua sacri Lapidis contactu ardere ligna, Plinius credidit scripsitque. Hinc Candolicam, ab Candolica Britam, ex eo loco Levinum itur, nullo adhuc peregrinationis emolumento, quam nec aspera hiems, nec itinera corrupta tabe liquescentis nivis tardarant. Ibi ad Levinum nonnulla quiete opus fuit, quae ipsa quies, neque per desidiam acta, neque sine fructu, communicatis cum Alexandro Donzelio consiliis, & facta percunctatione ex Barnabitis Patribus, quorum colloquia in ipso Graeciae aditu fores veluti aperuerunt. Levinensis indidem erat Donzelius, raro alias audita societate disciplinarum, musicae artis idem, & Graecae linguae Princeps; cujus diversitatis illecebra, nobilium domus, & monasteria cuncta patebant ei, vicissimque ab nobilibus, & eruditis ipse frequentabatur. Eo utilior sermo ipsius, & deinde opera ad expetiti mercimonii compendium fuit. Galatina locus est, quem Sancti Petri superindita appellatio, & tutelare nomen coronat. Sanctum Petrum in Galatina appellant, portam fere, & limen ejus Italiae partis, quam Graeci, cum in suum nomen adoptarent, velut admiratione erga terrarum REGINAM honoravere titulo, quo supra caeteram Graeciam particula ista attolleretur. Incipiunt ibi Philosophae quondam gentis vocabula, mulierum, infantumque & agricolarum violari Soloecismis, & barbarico sono; anxieque olim per singulos apices in numeros modulati sermonis vestigia illic in plebejo coeno demersa cernuntur. Illuc ingressus cum litteris Donzelii commendatitiis advena, sic ad ea signa laetatus est, veluti cum per ignotum mare, terrasque eundo ignotiores aliqui praenuntias humani cultus auras sensere, primosve volatus avium in coeli marisque solitudine immensa conspexerunt.

Namque statim, ut audivit Graecas aliquas in vulgi sermone voces, hanc illam esse terram tacitus ipse secum statuit, cujus effoeto jam ac sterili sinu dispersa semina veteris gloriae segetem idoneam dare monumentorum omnis generis possent. Regio frequenter habitatur, habetque modicis intervallis discreta inter se oppida, & vicos, unde tamquam ad centrum aequales lineae pertinent ad S. Petri in Galatina locum eum, quem sic appellari diximus. In eo igitur loco Gratius, cum sibi domicilium fixisset, excurrebat inde ad circumjecta loca, prout spes aliqua se ostenderat, seduloque cuncta perscrutatus vesperi ad hospitium redibat. Hac diligentia, multumque etiam adjuvante Episcopo Bubae, qui circum ea loca officii sui perfunctione tunc forte ibat, multi pretiosi codices inventi sunt, partim, quos nulla peritia possessores optima nostra conditione venditabant, partim, quos rependi pene auro necesse fuit. Et mortuus erat per eos forte dies eximia eruditione Sacerdos, relicta librorum supellectili, quam, si quis attente intueretur, ex veterum Graecorum scholis hunc fuisse autumaret, sive ex eorum stirpe procreatum. Erant omnium artium scientiarumque plurimi, sed, qui pauci cunctis anteponerentur, ad quinquaginta fuere. De ea emptione cum ageretur, negotium inciderat simile ei, quo res Pinelliana demersa adhuc & impedita jacebat. Namque haeredes, ob aetatem, tutoresque eorum, ob inscitiam, nihil commode explicari sinebant. Verum, superatis denique difficultatibus, reque transacta, sublata ea gaza, impositaque in arcas, & apud ipsum, quem dixi, Bubae Episcopum deposita est, ut suo tempore inde tolleretur. Namque conjectans Gratius, ex unius mortui Sacerdotis Bibliotheca, quantum rerum sibi ex tota illa regione proponeretur, prope immensa animo complexus, statuerat Episcopi ejus domo, tamquam mercimonii totius apotheca, uti, & collocare ibi, quae subinde ad manum venirent. Sed brevi sensit, fortunam exitumque expeditionis fere omnem ea re consumi quam velut omnem, & pignus rerum ingentium ipse amplexus fuisset. Quippe peragrando deinceps clari & vetusti nominis oppida, Gallipolim, Hidruntum, & Neritum, & Augustobrigam, locave alia, in quibus nihil praeter famam duraverat, vix potuit eruere, quo capsae praeterea duae implerentur.

Consilium fuerat in Siciliam quoque trajicere, sed edoctus, id itineris ac laboris frustra adiri; Insulamque esse librorum inopem, omissa ea spe, cum nihil ultra relinqueretur, quod tentare posset, jam de reditu ad Herum cogitabat; & quo magis cuperet Neapoli esse quamprimum, Pinelliana res, quemadmodum demonstravi, tentata, & inchoata erat incitamento. Negotium id ex itinere revisere, rursusque experiri gestiebat animus, si quid aut profecissent amici, qui rem agendam, ut demonstravi, susceperant, aut coram ipse moliretur. Datis mandatis ut capsae apud Episcopum depositae quae fuerant, subsequerentur, ipse praecedit, veniensque Neapolim reperit ibi desperata, & abscissa omnia quae ad Pinellianam emptionem attinerent. Perstabant enim haeredes in eo, quod semel animis imbibissent, aut non oportere patrimonium alienari illud, aut, si quid venale pretio esset, summas debere esse, quarum magnitudine dedecus abalienatae rei obrueretur. Romam inde proficiscitur, qua in Urbe, & reliquo deinceps itinere Medio-

diolanum usque, velut exigendo ab amicis pensa suarum cujusque partium, & recipiendo, quae collegerant ipsi, rem auctiorem fecit, obtulitque se Hero ineunte Aprili, cum Januario exeunte, dimissus ab eo fuisset.

Grata fuere omnia, reditusque in primis hominis docti, & fidelissimi amici jucundissime acceptus. Sed morositas illa Pinellianorum, ejusque negotii difficultates, & antea per litteras a Gratio significatae, & tunc expositae coram haud mediocriter angebant Cardinalem. Perscribit itaque ipse ad eos, quos antea nominavi, Portam, & Capacium, & Lombardum de re ea tentanda adhuc & ad exitum perducenda. Summa erat: Indignum fore gravitate disciplinarum, si quid, quod ad earum cultum pertineret, vilis metalli cura aliqua respectuque impediretur. Proinde transigerent quacumque conditione; quod illi exsecuti sunt, & Pinelli Bibliothecae flos omnis accuratissimo delectu conquisitus atque decerptus, haud multo post affertur. Peregrinatio Gratii hunc exitum habuit, nec fortunatum eum nimis, nec sane infelicem, relatis ex Magna Graecia capsarum aliquot voluminibus, unde plus spei fuerat, & ad Pinelli Bibliothecam aditu per eumdem patefacto.

## CAPUT XVI.

### *De peregrinatione Antonii Olgiati.*

FElicior alia, & majore proventu per Gallias Germaniasque peregrinatio Antonii Olgiati fuit. Ex Novocomensi Dioecesi fuerat Olgiatus, Lucani municipii civis in Lacus ora, cui ex ipso municipio nomen; Helvetiique id tenent. Sed missus jam inde a puero Mediolanum, atque in Seminario educatus, per omnes honestarum artium disciplinas perductus ad maturam petendis honoribus juventam, dederat id sui specimen, ut in Cleri Ambrosiani corpus reciperetur, ea formula, qua lectissimum quemque assumi solenne est inter Oblatos ei Divo. Oblatus igitur in hunc modum atque assumtus, cum in Latinae linguae studio praesertim excelleret, essetque aequalium suorum in eo genere facile Princeps, adipiscitur haud vulgare decus, ut litteras easdem in Seminario doceret; quo munere occupatum eum invenerat Cardinalis, tunc, cum huic Ecclesiae datus Archiepiscopus, ingressusque Urbem, inter primas illico curas, eam Seminarii sobolem inspicere ac recognoscere voluisset. Atque delectatus moribus & ingenio, indoleque, & litteratura Olgiati, complexus praecipuo favore juvenem ornavit beneficiis, ita, ut in eadem provincia munereque docendi retineret. Statim enim aptissimum eum esse judicaverat, qui & collegio adscriberetur, & ad scribendos una caeteros sua praestanti eruditione expoliret.

Atque id Cardinalis de eo homine judicium, comprobatum postea est eventu quodam, sicuti nobis ad recordationem, ita caeteris ad spectaculum jucundo, cum Ambrosiani Collegae fere omnes, & discipuli ipsius fuissemus, & Collegam eumdem haberemus. Quae res & pari jam consessu, collegiique honore mixtus discipulis magister, nescio, an saepe alias inter litteraria experimenta evenerit. Et fueram ego aetatis ordine discipulus ei inter antiquissimos, nullique erga magistrum observantia, & pietate secundus. Hunc Olgiatum, non solum adscribere collegio statuerat Cardinalis, sed etiam Bibliothecae toti praeficere eum, sicuti postea factum est, initio destinarat. Nunc tamquam praefecturae ejus rudimento, emtione, delectuque librorum occupabat, non ad usum modo praesentem, sed in posterum etiam, ut emporiis peregrinationibusque assuesset. Eratque viro come ingenium, & illiciendis animis apta dexteritas, haud minus interdum, quam pecunia peregrinanti utilis. Mandatum ei fuit, ut ad curam emendorum librorum, cujus rei causa mitteretur, adderet nihilo leviorem illam de aggregandis ad collegii, Bibliothecaeque amicitiam claris ingenio, doctrinaque viris, quoscumque uspiam in ea peregrinatione reperisset.

Proficiscitur Olgiatus commodissimo anni tempore circa Veris initium: & quo expeditiora ei forent omnia, tutiorque iret, addiderat eunti Cardinalis itinerum mercimoniique ejus peritissimum Bibliopolam, qui & de re nostra Ambrosiana optime meritus erat. Litterae item ad principes viros datae, quacumque ituri essent, & praescripta nominatim atque edita loca, quae vel adiri, vel declinari oporteret, prout gerendae rei compendium, sive pericula aliqua, & infames haeretica tabe aditus provida mens Cardinalis notarat. Profecti cum hisce mandatis, atque subsidiis, & egregio in primis munimento syngrapharum ab Tridento, dein Oeniponte, caeteras ordine Urbes, & loca inclyta Germaniae adeundo, nulla prius invitamenta causasve subsistendi repererunt, quam Augustam Vindelicorum pervenere. Nobilis ea Civitas, ingeniisque & opibus, & soli coelique clementia, civilique cultu, cuilibet Italicarum Urbium aequiparata, floret in primis amoenitate studiorum, qualia esse studia solent, ubi naturae syderumque plurimus favor. Veterum Graeciae Urbium hanc esse aliquam dicas, vel huc certe commigrasse genium, qui terrae illius olim fuit. Hinc festiva per officinas copia librorum, & res Typographica nusquam fere alibi cultior, magisve ad perfectum expolita: & subjectis prelo chartis imprimere litterarum notas artifices nulli subtilius callent. Crebri litteratorum coetus, ditissimi Bibliopolae, idque mercimonii genus in ea Urbe, vel maxime pollet, ac frequenti cum exteris etiam negotiatione augetur. Unde fiducia Olgiato, posse in ea Urbe negotium commodissime administrari, ad quod missus ipse esset. Sed maxima spes, maximumque ejus negotii momentum fuit unus homo, quem velut divino munere, & quadam erga rem Ambrosianam Superum indulgentia paratum ibi reperit, Reipublicae illius simul, & litterarum facile Principem. Marcus Velserus is fuit, Germaniae terrae decus eximium, idemque celeberrimi per Italiam quoque nominis, ob ingenii monumenta, quae exstant, & studiosus vicissim ipse rerum Italicarum, valdeque amicus coelo huic. Quippe cum ob mores ingeniumque excolendum peregrinabundus olim Italiam, Germanicae nobilitatis ritu, pervagaretur, contraxerat hanc nobiscum amicitiam atque familiaritatem. Et innotuerant etiam ipsi inter se, Velserus, & Olgiatus, consuetudine officioque epistolarum, quomodo eruditi inter se homines assuescunt, atque colloquuntur. Ac nos quoque eodem colloquii genere, cum ultro aliquando compellassemus virum, comiter accepto responso jucundam cum absente consuetudinem instituerámus, quae deinde intermissa est, sicuti longinqua, & externa fere habentur.

Nactus igitur Olgiatus hunc Augustae praepotentem amicum, cui non civilis & publica tantum, sed etiam tota litteraria res ibi pene obediret, respiceretque nutum ipsius, statim optima spe plenus fuit, quam spem & attulerat secum, & quotidiana emolumenta confirmabant. Nam, quidquid librorum in ea Urbe venale habebatur, quidquid etiam nonnullorum in eo genere ambitio privatim jactabat, ac supra pretia, taxationemque omnem attollebat, tumidis, ut sunt ejusmodi ingenia, sermonibus, id omne, stimulante Velsero, prolatum, depromtumque est, ut eligeret seponeretque Olgiatus, quae probata sibi vel expetita essent. Neque interea Velseri humanitatis singularium officiorum finis modusve erat erga rem Ambrosianam, quam velut in Olgiati capite ille amplexus ipsum simul Olgiatum, ceu rei hujus Ambrosianae specimen amplius impensiusque complectebatur. Itaque invitare benigne domum, invisere saepius, deducere per Urbem, extollere apud primores civium; quibus rebus, & Olgiati simul in sermonibus eruditione, ac comitate effectum est, ut adeuntibus cunctis peregrinum, tantae celebritatis, ac frequentiae suppuderet, avebant videre, & alloqui, & dexteram contingere omnes, queis aliqua ex renascentibus in Italia litteris voluptas, operisve cogitatio, cui caput destinari ipsum tulerat fama. Satisfaciebatque ipse cum hilari modestia, & semi-Germana facilitate, quae viro huic ab origine adfuit. Et conciliatus hic per Velserum Olgiato favor, initaque, apud Augustanos, gratia, apud alias quoque Germaniae Urbes invaluit, comitante, vel an-

antecedente fama, tum ingenii doctrinaeque ejus, tum pecuniae facultatum, quas ad coemendos undique libros afferebat.

Francofurtum inde proficiscebatur maturato itinere, propterea quod stati nundinarum dies aderant, ad quod tempus occurrere statuerat, cum vel una illa opportunitas excire ab domo potuisset. Bini per annum ii conventus habentur ad distrahenda, quae venditant inter se mortales, aut emunt. Gallique & Belgae, & Germania tota confluit illuc ad mercatum: nec minima nundinarum pars libri sunt; otiique oblectamenta haec in tantis rerum acervis, tantoque hominum strepitu quaesitum eunt, quibus ea sunt cordi. Ad nundinas igitur eas in tempore occurrere volebat Olgiatus. Ac ne occasioni deesset, salutato Velsero, relictaque Augusta, capessit iter, propereque adveniens incidit in eos dies, cum fora, & compita, tabernaeque Urbis maxime calerent, & mixti indigenis advenae, trajectione pecuniarum, permutatione mercium, clamoribus, jurgiis, strepitum cierent, qualis gruum fere clangor auditur, cum frigore imbreque vitato ad Oceani fluenta gregatim volant. In eo tumultu, ac strepitu noster sedate tranquilleque agendo, inspectis atque contrectatis arbitratu suo omnibus apothecis, egessit inde, quidquid eximii & rari tota illa Respublica Bibliopolarum habebat. Et ditaverat ita Bibliopolas, & ditatus ipse erat vicissim, moxque deposita, qua commodum fuit, ea merce, abibat, ut, cum alia tractus ejus emporia, Lovanium, Bruxellas, Antverpiam unica excursione circumisset, Lutetiam inde caput rerum peteret, inclytam illam studiis, & studiorum instrumento hoc, quod litteris chartisque continetur.

In eis, quas memoravi, Urbibus, pro frequentia, & claritate ipsarum invenit etiam nonnulla, ob quae venisse eo laetaretur, haud minus quam tempestive adito nuper ad Francofurtum mercatu. Quippe, aut non attulerant secum omnia Bibliopolae ad nundinas, aut ab nundinis aliquid novi transtulerant domum. Et quo magis essent illic omnia in promtu, Jacobi Scoti auctoritas, & summa in nos propensio voluntatis efficiebat. Invenerat Olgiatus Antverpiae Scotum, e Societate Jesu hominem, non dignum solum Ordine, nomineque eo, sed qui litteris, & honestate sua splendorem etiam Ordini addiderit. Atque voluit idem postea collegio nostro decus addere, Doctorum alicui dicando Cyrillum, quem ipse Latinitate donavisset. Ejus auxilio, consiliisque, & auctoritate apud Antverpienses, haec primordia Bibliothecae adjuvabantur, & ab hisce initiis, conciliata nobis amicitia viri ejus, fida stabilisque mansit; epistolaeque semper commeavere. Nam demonstravi antea, mentem hanc, consiliumque fuisse Fundatoris, ut peregrinationibus hisce non librorum copia magis, quam illustrium virorum amicitiae quaererentur; talesque etiam opes referrent domum isti, qui subinde dimissi, quive dimittendi erant. Ejus generis mira & optabilis copia parata Lutetiae fuit; veniensque in eam Urbem ab Antverpia Olgiatus, invenit ibi virorum florem, quorum unusquisque, si singulis aetatibus exstitissent, poterant in futura saecula ad gloriam sufficere illi aevo. Fuere autem: Fronto Ducaeus, Augustinus Thuanus, & Joannes Baptista Faber, quorum huic ob Ludovicum Regem Gallia statuam debet. Fuerat enim ejus in pueritia Magister, atque ob eam rem illustri per id regnum gratia potuit efficere, effecitque, ut obvia, & expedita omnia Olgiato essent. Nec minus utilitatis attulit Thuanus, inclytus ille voluminibus historiarum quae edidit, & officii magnitudine, quo gerendis etiam interfuit rebus, amicitiamque nostram is ultro expetiverat, & petierat antea scriptis ad Cardinalem litteris, ut Historicum suum opus nobis commendatum esse vellet, per quos aliis deinde commendaretur. Invenerat illic Olgiatus Regiae Bibliothecae Praefectum, cujus vitari colloquia non potuere, placueratque propter magnam ejus in Graeca praesertim eruditione famam, ut consuetudine viri per litteras uteremur; & mutuae inter nos epistolae ierant jam, venerantque. Sed cum gravissima quaedam suspicio de eo homine Cardinalem interea perculisset, jussi repente sumus commercio illo abstinere, nosque admoniti, honesta utilibus antepo- suimus libenter, atque abdicavimus coeptae familiaritatis jura.

Olgiatus per hos aliosque similis notae homines, gestis per Galliam Germaniamque rebus, reditum in patriam maturabat, ac rediens, ut ad quaeque in itinere venerat loca, locorum eorum Bibliopolas adibat, Lugdunique praesertim, & Avennione, & Taurini multa nova coemptio facta est. Mediolanum advenienti honos habitus, obviamque itum a nobis est jussu Cardinalis, qui sospitem, re commode gesta, venire amicum intime laetus, inter caetera id quoque benevolentiae signum ei dedit, ut ab nostro grege in Urbem induceretur. Mittitur postea idem, data dierum aliquot quiete, Venetias; unde paulo post pari felicitate redux, majore etiam gratulatione accipitur, quia, ad priorem copiam additis, quae inde advexerat, totum jam fere Bibliothecae corpus perfecte & absolute constabat. Et nos altera quasi viva, spiransque Bibliotheca, parum jam ab eo aberamus, ut jungeremur ei corpori publicaremurque una. Nam olim cogitatae aliae in Graeciae ulteriora missiones, mareque intrandum, & Insulae adeundae, ac peragrandi cura Orientis in aliud differri posse tempus, videbantur. Cardinali tamen nihil cunctatione opus visum, ac duos in praesentia, Antonium Salmatium, & Dominicum Hierosolymitanum ad ea longinqua itinera deligit.

## CAPUT XVII.

### *De peregrinatione Salmatii, & Hierosolymitani.*

DE Hierosolymitano Rabbino satis antea demonstratum esse, arbitror, & quisnam, scilicet, ille esset, & quomodo ad Cardinalem initio venisset. Salmatius e nostro numero erat omnibus disciplinis in Seminario institutus, in queis Graecarum litterarum laude praecellebat. Optime ita comparatum videbatur, si socius juniori senex, simul duarum illustrium linguarum praesidio, simul gentium locorumque notitia hic, ille robore aetatis freti, in pericula negotiumque irent. Profecti Sextili mense, transmissionem aliquamdiu Venetiis exspectavere. Deinde velis in altum datis, ac duobus circiter mensibus in itinere consumtis Corcyram tenuere. Mercimoniis, & vetustate famae nobilem locum, unde haud multo post Rabbinus, relicto socio, Mediolanum rediit ad Cardinalem.

Fuerat Hierosolymitano, quemadmodum antea demonstravi, sua Mediolani conjux, & parva familia, negotiique nonnihil, & quaestus institutus ex arte, quam factitabat, ut credi possit, invitamenta haec fuisse illi, taliumque desiderio illectum, finxisse causas aliquas, & ab suscepta expeditione, socioque descivisse. Mox difficultatibus quoque aliis res conflictari coepit. Nam, turbato civilibus armis Turcarum imperio, infesta omnia erant, mariaque, & littora, & portus obsidebantur, quae res Salmatio facultatem in ulteriora trajiciendi ademit, sive per vestigia Hierosolymitani, ut sunt hominum ingenia, redire cupienti domum, opportunae aliquid occasionis obtulit. Corcyra porro ipsa dives artium olim, & perinde copiosa litterarum monumentis, nuda jam inopsque talium, ad Barbarae terrae similitudinem Barbarica pene ipsa reperiebatur. Quodque cultus, & disciplinae habitare solent, quacumque etiam Christiana Religio sedit, id omni contagione proxima depravatum, corruptumque erat. Ajebant incolae, vastantem illic, ac diripientem cuncta Selinum inter caeteram praedam abstulisse quidquid librorum Insula haberet.

Igitur Salmatius, exhaustae, sicuti dictum est, & spoliatae suis honoribus Insulae diverticula omnia lustrando, monstrantibus indigenis, invenit nonnulla, quae Barbarorum furori superfuissent. Praeterea nactus indidem advenas mercatores ex Thessalia duos, nec ignaros patriae suae linguae veteris, & ad pericula quaevis adeunda proposita mercede audaces, transegit cum eis, excurrerent ipsi, irentque per Macedonica oppida, quod strenue feliciterque factum, & non semel pressa voluminibus navi ad sedentem Corcyrae Salmatium hi rediere.

Scri-

Scribebat ille interim in aulam de molestiis ac difficultatibus, in quas suscepta peregrinatio incidisset, ut proinde rem esse vere periculosam, atque impeditam cernens Cardinalis, qui suos omnes praecipua semper charitate complecti solitus fuerat, revocare Salmatium decreverit, qui, accepta epistola humanitatis plenissima, quam nos quoque cum aliis nonnullis ipsius Cardinalis manu exaratam vidimus, nihil cunctatus, rediit incolumis, portans secum quantumcumque illud librorum constipare atque eruere potuisset. Nec ingrata fuere, nec pauca quae attulit.

## CAPUT XVIII.

### *De peregrinatione Ferrarii.*

ANte Salmatii reditum apparari coepta erat Hispana peregrinatio, &, postquam redierat iste, multo magis ea apparabatur. Opus erat homine, cui super litterarum, ingeniique elegantiam, mores etiam essent ad conditionem naturamque gentis apte temperati, ne fastum illic alienum offenderet suo, neve propter plebejam in cultu, vel sermone humilitatem sperneretur. Haec omnia qui haberet, opportuneque misceret, ad manum fuit Franciscus Bernardinus Ferrarius, condiscipulus olim noster, modo Collega, qui postea edidit ingenii monumenta aequiparanda iis, quae nunc emptum ipse ibat, & digna, quae emptores vicissim olim alios peregre excirent. Totam Hispaniam peragrare sedulo, & Citeriore lustrata, in Ulteriorem transire monitus jussusque erat, haud desperante Cardinale posse in foecunda ingeniorum artiumque terra reperiri digna aliqua pretia tam longinquae peregrinationis. Genuam primo ivit, non solum quia trajectus inde in Hispaniae littora frequens expeditissimusque est, sed etiam spe a quibusdam injecta magnae rei, quae res tentata simul, omissaque est. Bibliotheca Sauliana erat, copiosa manuscriptis, & multum celebrata optimarum editionum delectu, plane supra privatae fortunae modum, & supra Urbis etiam ejus studia, & mores. Non Genuae inter mercimonia, sed Athenis plane, aut Romae conflatam eam copiam esse librorum, merito aliquis diceret. Hanc rem esse venalem forte tulerat rumor; non autem erat utique venalis, propterea quod possessor olim Bibliothecae Saulius, cum Sodalitio, sive collegio cuidam eam legaret, vendi, alienarique vetuerat, & dixerat eam in testamento conditionem, ut, si umquam alienata ea res esset, tunc Sodales omni haereditatis jure excidissent. Ita Ferrario negatum simul, satisfactumque est, & magnae spes ad irritum cecidere. Ille cum tanta res ostendisset se repente, abiissetque ex oculis, moerens, non praesenti solum damno, sed etiam sinistro in posterum omine, mare trajicit, Barchinonemque defertur, prospera, & celeri navigatione solatus id malum.

Barchinone statim gerere aliquid negotii aggressus, reperit volumina ibi, quae Urbis ejus officinarum, ac prelorum veluti propria erant; nec Typographi fere alii quaestum sibi inde instituerant; sive privilegium, sive cura ea tantummodo Barchinonensium fuit. Hispani fere Scriptores fuere isti, flos haud dubie ingeniorum terrae illius, quos floridissime etiam excudendo industria Typographorum, velut adulatione erga patriam illam certabat. Adit Ferrarius caeteras deinde Urbes, queis aliqua honestarum artium fama vetus sive recens, perindeque monumenta earum, & libri. Et sicuti monuerat, allexeratque fama, ita etiam in unaquaque Urbe fructus, atque emolumentum fuit, Ilerdae, Caesar-Augustae, Compluti, ad Madritum, ad Toletum non tam fastus, & opulentiae, quam Musarum studiorumque domicilia. Voluerat Ferrarius, prout in mandatis habebat, Baeticam item, Lusitaniamque peragrare. Sed monitus a peritis, spem foveri vanam, laboremque suscipi irritum, ea profectione supersedit; aditoque Escuriale reditum parabat. Est hoc nomine locus, ubi Regiae delitiae sedesque litterarum, & honestae voluptatis posita illic nobili Bibliotheca, quae Catholici imperii magnitudinem haud minus, quam possessus tam lati orbis testatur. Cupidine visendi illic inclytae auctoritatis

A codices, & multa alia, quae potentia, & nutu, opibusve tantummodo Regum eorum parari potuere: quaesito aditu pervolutavit tabulas, indicesve Bibliothecae, & haud sine acri doloris morsu contemplatus est, multa ibi, quibus caeteri Reges etiam frustra inviderent.

Ac posteaquam invidendo ipse contemplandoque talia, satiaverat animum, cum nihil ultra commercii speive esset, abibat inde confusus magnitudine rerum, & loci ejus pleraque admiranda secum in itinere reputabat. Mantua Carpetanorum haud procul a Madrito, ubi nunc Regia est, claruerat olim inter Hispaniae Tarraconensis Urbes: nunc nomine appellationeque Urbis amissa inter pagos, pago major claret. Ibi expedientem se B itineri Ferrarium, & coempta disponentem, quo tutius in patriam, expeditiusque deveherentur, morbus invasit, quo periculose aliquamdiu conflictatus, lente convaluit, ac firmato corpore capessit iter, patrioque coelo sospes redditur. Libri, quos emerat, haud multo post adfuere casibus maris intacti, & laetum Ferrarii ipsius reditu Cardinalem novo gaudio cumulavere. Augescente ad felices rerum eventus animo statuerat non ultra differre, quod de Syriaca, & Arabica, Hierosolymitanaque, & Aegyptiaca conquisitionibus agitarat, quas diu capitum semper aut expeditionum aliarum consilia, & apparatus, aut alia ex aliis impedimenta tardarant; occurrebatque animo, terras esse istas, quae divinarum C litterarum velut patria, & natale solum proprie dici possent. Frustra Germanias Galliasque, & profana caetera loca peragrata esse, si contactu divinitatis velut inaugurata haec omitterentur. Hic Rabbinica scripta, multiplices Bibliorum versiones, & pleraque generis ejus, nativa monumenta posse reperiri terris iisdem, in quibus Biblia etiam ipsa nata essent.

## CAPUT XIX.

### *De peregrinatione Michaelis Maronitae.*

ERat in Cardinalis familia Michael, e Maronitarum genere, permodestus homo, litteris, & pietati Romae innutritus, excultus humanitate Provinciae, ac D nihil ex Barbaro retinens, cum ne Barbarica quidem indole umquam fuisset. Huic mandata litteraeque datae, data etiam pretiosa dona, quae conciliandis ad gerendae rei opportunitates animis in Orientales Episcopos, prout singulorum erant nomina praescripta, dividerentur. Ea fuere argentea vasa, infulaeque, & omne altaris instrumentum, apparatusque Sacrificalis, tanto gratius accipienda gentibus eis, quo pauperiore illic, & simpliciore cultu Sacra fiunt. Hoc haud levi praesidio munitus ibat. Commendabatur praeterea Veneti Senatus Principibus, ut per eos expeditiora cuncta essent, tum ad navigandi commoditatem, tum ad loca peragranda, E quae iste adibat. Nam & frequens per mare Hadriaticum in ea loca trajectus est, & magna per totum fere Orientem Venetis Legatis, sive negotiatoribus gratia, ac potestas manet. His commendatum esse negotiatorem nostrum oportebat, ut inter Barbara, & fere ignota cuncta, consilio reque adessent, & peregrinum adversus fortuita, & infesta quaeque tuerentur. Hae datae litterae proficiscenti Michaeli, & quas postea Cardinalis Venetias ad Marcum Parutam dedit, plurimum profecere; eoque adnitente, & commendante receptus est in onerariam, quae Hierapolitanum Praetorem ad suae praefecturae sedem vehebat.

F Idibus Junii solverunt, & exacto Quinctili Corcyram tenuere, quam, ut antea demonstravi, Salmatius repererat fere inanem; nec Michaeli quidquam ibi actum, nisi, quod relationi illius addidit fidem, scriptis illinc ad Cardinalem litteris de Insulae nuditate. Statuerat Cretam inde adire, & Jacinthum, ac de ea re litteris eisdem scribebat. Mox consilio mutato, recta Tripolim petit, quae Syriae dicitur, discriminis causa, ob alteram in Africa Tripolim, parem huic, non solum nomine, sed & corpore trigemino, quo tria simul oppida, sicuti prior, amplectitur. Ejus Ecclesiae Pontifici, quae redderet, habebat illustria dona Michael reliquiarum thecam, & Sacrificalis instrumenti, qualia demonstravimus

mus, non ad conciliandos modo animos, sed ad solatium quoque destituti illic inter Barbaros pusilli gregis a Cardinale praeparata, & missa. Ea cum frequenti concione prolata sunt, ingens animorum motus factus est, & venerabundi in genua procubuere omnes. Cumque dona illa sacramque supellectilem insueti talibus admirarentur, haud minus Cardinalem ipsum, a quo haec erant missa, suspiciebant. Certamen incesserat animis, tum inter ipsos, ut ad referendam gratiam tantarum rerum largitori essent alius alio promtiores, ejusque munificentiam officio ac sedulitate saltem aliqua remunerarentur in eo, quod expetere ipsum accepisset.

Itaque adnitentibus cunctis, extracta e tenebris & squalore in lucem multa, quae collocarentur in hac luce, atque Orientalium linguarum is fere Thesaurus fuit. Exscripta exsignataque ea omnia, & probe munita traduntur hominibus, qui Venetias inde ituri erant, atque per eos cum cura & fide trajecta Mediolanum pervenere. Maronita dein ab Tripoli Libanum montem adit, inclytam illam, & coelestibus delitiis aequiparatam divinarum litterarum praeconio, ac testificatione sedem. Haec patria Michaelis erat. Ibi Patriarcha Antiochenus sedet. Ei quoque ferebat dona Michael, pyxidem, trabeamque, & D. Caroli reliquiarum partem; quae Pastorem simul & populum, sicuti Tripoli, exhilaravere. Vidimus nos ejus Patriarchae humanissime scriptam ad Cardinalem epistolam, cujus summa haec erat: *Munera, quae Michael attulisset, grata fuisse sibi, populoque universo, qui destitutus inter Barbaras gentes atque afflictus sustulisset tali solatio oculos, & muneris, solatiique tanti auctorem intima veneratione amplecteretur. Pro tam immortali beneficio gratiis agendis impares esse ipsos: caeterum, a Deo precari, ut ipse reddat; rem divinam factam esse in veste, caliceque eo, & frequentes Episcopos, populumque adfuisse, sicuti tunc uno animo effusos omnes in eam precem, ita recordationibus postea saepe renovatis. Quidquid potuerint Chaldaicorum voluminum, dedisse Michaeli, & curam subinde adhibituros, ut eximii semper aliquid in eo genere conquirant, mittantque, quo res Ambrosiana, quantum fieri possit, per se augeatur. Georgium Episcopum super illius Ecclesiae rebus ab se missum ire Romam: petere a Cardinale, uti commendatum eum habere velit, hominique praesidio esse ad omnia, quae tam procul ab domo peregrinanti accidere possint.* Haec summa litterarum fuit.

Michael ex Libano monte digressus, Hierosolymam adit ingenti labore molestiaque, emolumento perlevi, nisi, quod Sacrorum Bibliorum opus Chaldaice scriptum reperit, emitque conditione optima, quia vendentes, non suis momentis id opus barbare imperiteque aestimabant. Par fortuna emptori ad Bizantium fuit, quae Urbs particeps olim Graecae comitatis, nunc Regia Tyranni prementis Orientem pleraque linguarum earum monumenta, & reliquias veteris aevi retinebat. Erant Medici, Syderalesque & Arithmetici libri, tum Arabice tum Persice loquentes, prout eae quondam linguae principatum artium ejusmodi tenuerunt. Haec tanto majore nostro compendio Michael emebat, quo minor barbaris jam peritia talium rerum, aut cura; forteque congruerat, ut hoc tempore ibi esset Paruta Venetus ille, de quo antea memoravi, resque per eum valde adjuvaretur. Is Paruta, cum in sermonibus Michaeli ostendisset, percupidum se esse ritualium quorumdam librorum e nostra disciplina, Cardinalis, eo studio per Michaelem indicato, nihil cunctatus est, quo minus mitteret; ac tanto impensius ipse postea negotiationi illic nostrae aderat favebatque. Monebatur interea Michael Franciscanorum ab Hierosolyma litteris, multa Chaldaica volumina apud homines sibi notos esse reperta, ac posse ipsum, si redire velit, facili negotio ea auferre. Simul reputabat, percursam eam raptim, & inspectam verius, quam obitam, atque lustratam fuisse regionem; nec ultra moratus, quam dum Bizantinae mercis vecturae trajectionique consuleret, libros quidem Veneto Legato tradit, ad Cardinalem primo quoque tempore transmittendos, ipse vero Hierosolymam, ac deinde Hierapolim haud irritus proficiscitur.

Quae itinera, dum terra marique conficit, Ulyssis pene ritu, per dolos, atque fallacias evasit casus ancipites, & discrimina, quae imminebant. Nam mare piratis infestum, plenae insidiatoribus naves, latronesque saepe navicularii, & praecipitantia ultro in insidias etiam praesidia haud aliter, quam pari fraude vitari poterant inermi inter ferro succinctos, solitario inter plures consentientesque Turcas ad rapinam. Itaque per Arabici sermonis symbola, & mutando saepius, nunc vestem, nunc tegumenta capitis, etiam interdum simulatione vecordiae, vim, dolos, impetumque vitarat. Sed aderat homini necessitas alia inevitabilis, morsque propinqua atris alis eum circumvolitabat. Hierapoli in morbum incidit, decumbensque apud Franciscanos, tum Cardinalis ipsius causa, tum hospitii jure accuratissime habitus, exstinguitur. Nuntium de morte ejus attulit Franciscanorum eorum unus, qui adfuerat morienti, mandataque ipsius ultima exceperat. Summa mandatorum fuit: Diceret, affirmaretque Cardinali, debitam se fidem ei ad ultimum praestitisse, libentius moriturum, si re perfecta decessisset. Indoluit Cardinalis fecitque tanti hominem, ut exemplum ultro imputaret. Haud multo post adfuere, quae Paruta Venetus a Michaele sibi tradita mittebat. Nec tamen suspicio decessit, quin multa etiam, ut in tanto locorum intervallo, periissent. Hae fuere primae peregrinationes conquirendorum voluminum causa obitae, partim a futuris collegii Doctoribus, partim ab iis, qui ministri, adjutoresque rerum in principio adhibebantur.

Nunc pergam caetera exsequi, nempe inductos in Bibliothecae sedem Doctores, & magnum fundati collegii diem, instituta quoque, & leges, & alia, quibus decernendis, agendis, promulgandis interfui etiam ipse, memorabo.

## CAPUT XX.

### *Collegium instituitur, producunturque Doctores.*

POstquam olim inchoata res, & suo ipsa molimine gravis, & impedimentis subinde exorientibus, lente tandem ad finem pervenerat, perductaque ad fastigium ipsa Bibliothecae sede, erant omnia in promtu, libri domiciliaque librorum, & tanti apparatus abunde capax aula, ipsique Doctores ab incunabulis fere scholarum ad maturitatem sui quisque generis educti, regimen simul; & alimenta collegio, & diuturna meditatione conscriptae regulae: his ex animi sui sententia ordinatis, atque constitutis, haud ultra Fundator differendum putavit, quin veluti clausa adhuc, & occultata omnia in publicum proferret. Diem in id elegerat religione sua, & celebritate aptum caeremoniae dedicationis, exspectatumque ultro, ut quoniam Deiparae Virgini, & Parenti Urbis Ambrosio consecranda Bibliotheca erat, sanctis etiam Ecclesiae ritibus congrueret mens, consiliumque dedicantis. Ob id eligitur Immaculatae Virginis Conceptioni sacer dies, qui diem sequebatur ipsius Ambrosii consecratione festum. In eum diem caeremonia, spectaculoque indicto, convenere, Senatus, populusque Mediolanensis, & cum tantam frequentiam angustiae excluderent, circumsteterat multitudo templum, lateque per vias ibi in vicino exundabat. Intus Patres, & reliqui Magistratus, Primoresque Urbis, & cum Fundatore Pontifice, Aula, Clerusque, & Ordo noster, quem publica exspectatio aversis a caetera multitudine oculis fere intuebatur. Agebatur res in templo Sancti Sepulcri, cujus lateri apposita Bibliotheca est, & Basilicarum Urbis, haud alia fere gratior populo toti jam inde antiquitatis fuit. Ea nunc sacra aedes veluti theatrum ad celebrandam collegii Ambrosiani coronationem fiebat. Cardinalis in sedem suam processit. Simul caeteri considere ordine omnes. Aluysius Bossius erat ex templi maximi Canonicis unus, sedemque Theologi in eo Ordine tenens, & in ipsa professione Theologiae clarus etiam Orator. Is initio actionis, caeremoniaque totius consessus, e suggestu consilia Cardinalis de fundando collegio, aperiendaque Bibliotheca exposuit, implevitque animos admiratione rei. Avebant cognoscere, &

& videre oculis, quinam illi ad tanti operis initia producerentur. Producti sunt, & monstrati singuli quadam hujusmodi caeremonia, quae mixtam hilaritate, & gratulatione majestatem contineret, ac perinde afficeret, moveretque animos. Nomina singulorum ex albo recitabantur, studia cujusque, & scribendi argumentum; quid jam quisque scripsisset, quidve postea meditaretur. Citatus prodibat, & Magistro Caeremoniarum antecedente, deducebatur ad Fundatoris pedes. Ibi reverenter in genua provolutus, insignia collegii accipiebat, suspensum, nempe, numisma collo, Cardinalis ipsius manu, phaleratusque ita consessui reddebatur. Condiderat autem Benedictus Sosagus e nostro numero, binos in singula capita versus, quos musici homines arte sua modulati, ut quisque prodierat, canebant; laudabamur iis choris, & Poetica licentia effusum unicuique plaudebat melos.

Vocatus est, prodiitque primus omnium, Antonius Olgiatus, non solum, quia prior ille aetate, Magisterque nobis omnibus fuerat, sed etiam ideo, quia titulo honoris, ac dignatione Praefecturae antestabat. Fiebat namque ipse, & declarabatur Bibliothecae Ambrosianae Praefectus, inibatque eo die perpetuum id munus. Elogium in haec verba compositum fuit: Antonius Olgiatus, en prodit, qui Latinae linguae studiis, & interiore peritia, veteris Latii gloriam renovare saeculo, patriaeque huic poterat, nisi per alios etiam renovata esset. Conversiones, editionesque librorum novas parat, per quas clarissimorum ingeniorum monumenta ante hanc diem involuta tenebris, publica luce donabuntur, & Bibliotheca haec nova erit. Addidit aliud Ambrosianae rei lumen, excogitata, atque ad usum adducta subtili ratione, ut codex, & liber, & schedula una quaelibet, quam quis optaverit, nominaveritve, ex innumerabilibus numeris illico ad manum esse queat. Ab hoc elogio producebatur inter plaudentes choros velut Antesignanus Ordinis nostri; nosque Magistrum olim eum, nunc Collegam ordine sequebamur, prout Cardinalis ipsius jussu descripta nomenclatura erat. Connexus Olgiato Salmatius ivit, Zonarae, Cyrillique interpretatione Latina testatus, quantum in utraque lingua posset. Hunc etiam ego sequebar; ac me deinde Gigaejus, uterque principio destinati linguis addiscendis, sed non uterque pari exitu. Nam, cum ego ad hanc scribendi curam, velut in aliena castra forte delatus, a pristino instituto descivissem, penes alterum palma linguarum fuit. Atque nunc ille ceu miraculum, exemplumve ingens humani ingenii, industriaeve mortalium populo ostendebatur, & de eo ita pronunciatum est: Antonius Gigaejus linguas omnes, queis inclyta vetus sapientia Orientis locuta est, percalluit industria sua, & egregiis magistris; Hebraiceque, & Syriace, & Arabice doctus, decora haec ad alias disciplinas adjecit. Texit nunc ipse Rabbinicam catenam, ad sacra Biblia recte interpretanda, semper expetitum opus, & nemini antea tentatum. Rabbinum Aben Esdram, qui Proverbia Salomonis illustrarat, exhibuit Latine loquentem, propediemque exhibiturus erat Arabicae linguae Thesaurum, quadripartitum opus: tanta mole voluminum singulorum, quanta etiam copia linguae fuit.

Educitur inde Franciscus Bernardinus Ferrarius, ille, scilicet, qui, Cardinalis missu, peragrata olim Hispania, non leve peregrinationis suae collegio, Bibliothecaeque Ambrosianae momentum attulerat, relatis voluminibus, quae ex terra tot gentium regnatrice, & tam foecunda ipsa artium, ingeniorumve coemisset. Sed non praecipua Ferrarii laudum haec, dedisse, per Hispaniae Regna, dexteritatis, ingeniique specimen, & volumina inde reportasse. Ipse enim ingenio styloque elegans, & Ecclesiasticae antiquitatis pertractatione copiosus ac profunde peritus. Clarus idem scriptis, edendisque libris, quinto loco producebatur. Scripserat is de Veterum Epistolis libros treis, in quibus pervolutata ab imo antiquitate, totam generis ejus consuetudinem eleganter, copiose, erudite persecutus, antiquitatem ipsam, & colloquentes inter se Patres, atque tot annorum oblivione abolitos eos ritus, ceu nova, & recentia omnia saeculo huic, venturisque redonavit. Id nunc opus caput erat elogii, quod recitatum de ipso, pronunciatumque est. Caetera deinde ejus ingenii monumenta ordine subjiciebantur, proditura suo tempore in lucem, & quia prodiere, minime necessaria memoratu. Hunc coetus nostri nobilitas, idemque luctus animo meo ingens ordine sequebatur. Non enim aut Poeta talis collegio Ambrosiano, aut talis mihi amicus erit, qualem Benedictum Sosagum existimo fuisse. Et libri quidem ejus, scripti, sive scribendi, repraesentabantur; Sylvae & Opuscula sacra, Lemniades, Epigrammata, Jephte. Caeterum, repraesentari non poterat id, quod nos quoque, donec ille aderat, parum intelligere visi sumus, & posteaquam est amissus, admirari magis, quam dicere posse videmur; Poeticum nempe quiddam, & munus plane divinum, quod nisi adfuit Sosagi carminibus, falso de aliis etiam praedicatur.

Non dispar in diverso genere laus Francisco Collio erat, qui aetate etiam fere aequalis huic. Successere dein, post alterum alter inclyti duo juvenes, illi, scilicet, qui inter collegii rudimenta, magnitudine, ac subtilitate disputationum, miraculo Patribus fuere, cum Provincialis Concilii diebus dignum id Metropoli spectaculum, sicut demonstravi, interponeretur. Consentanea talium studiorum altitudini fuere opera, quae inchoata habebant; Rusca quidem notas in Guglielmum Ochamum, Collius vero Commentarios in Hervaeum, & de sanguine Christi justum aliud, magnumque opus, non & sine audientium plausu pronuntiata tunc quidem, sed aliis, quae insuper postea edidere, aucta multum, & pene degravata. Clauserat Josephus Vicecomes agmen parvum hoc, familiamque Musarum, aetatis ordine novissimus ille quidem, sed studiis, ingenioque facile inter primos, adeo ut, majores natu nos, & exemplo commoveret, & ob praesentem, speratamque gloriam jucunditate non parva afficeret. Scripta, quae ederet, ad eam diem, haud sane multa habebat; caeterum supellex, apparatusque juveni jam tunc is fuit, quo pertexere posset ea, unde aperuit immensum sibi famae iter, editis hodie de re divina voluminibus, celebri nomine quacumque litterae etiam, & sacra frequentantur. Ea, quam exposui, caeremonia, & pompa instituti, productique Doctores paucis post diebus in ipsam Bibliothecae sedem inducuntur, quae lentis incrementis absoluto opere perducta ad fastigium, & collegio accipiendo parata, atque expedita jam stabat.

Porro Fundator, cum revocandis, instaurandisque disciplinis, omnia, quemadmodum demonstrata sunt, in collegii, & Bibliothecae hujus institutione excogitavisset, ac fecisset, alia deinceps, atque alia agitabat, quae ad perpetuitatem gloriamve instituti pertinerent. Primum, antiquissimumque omnium erat, ut quoniam in praesentia satis esse firmata res videretur, sobolem etiam pararet in futura tempora collegio suffecturam. Nam sicut in re militari, optimum censuere prudentes, si veteranis tyrones perpetuo succrescant; & sicuti nulla virgulta, nullaeve arbores, absque vitali aliquo alimento vivere possent ea vita, quae propria ipsarum est: ita collegio necessarium esse subsidium, alimentumque hoc paratae semper novae sobolis videbat. Alioqui properus finis instaret, Doctoresque ipsi quodammodo languerent orbitatis metu, nullo in posterum munimento praesenti. Itaque collegium trilingue instituit Cardinalis, cujus collegii studiis, atque exercitationibus exculti, & probati juvenes cooptari aliquando possent in vacua loca, prout Doctorum quisque decessisset. Instituerat antea fundaveratque collegium Alumnorum; idque Bibliothecae Ambrosianae collegium appellaverat ab re ipsa, quod frequentando ipsi Bibliothecam, & legendo ibi multum, eo processissent, ut possent etiam ipsi scribere legenda. Huic item collegio scriptae, editae leges, datusque Praefectus Hieronymus Alferius, facilitate ingenii, & elegantia studiorum muneri aptus, nec leve incitamentum animis ob gratiam apud Herum meritis, & virtute partam. Is primus collegio Alumnorum praefuit.

fuit. Ante omnia ſtatutum, ut lucubrationes ſui quiſque generis in experimentum ederent, praemiaque etiam propoſita, ſi recte ac laudabiliter id fieret.

Et quoniam edentibus ſubinde volumina Doctoribus pariter, & Alumnis, indecorum foret, ſi editionum earum cauſa, prela ſemper aliena adirentur; diligenter eſt habita ratio Typographicae rei, ut ſcilicet Ambroſiana officina ſufficeret omnibus linguis, quas linguas Fundator nativas, atque familiares collegio voluit eſſe. Latina Typographia ad hanc diem ſatis polita, elegansque nobis habebatur, &, ut nitidior porro, elegantiorque fieret, nova ſubinde mandata ille Curatoribus dabat. Ad Graecas editiones parum contentus praeſenti characterum copia, quae aderat, grande illud, arduumque moliebatur, ut formas ex Gallia coemeret, quarum ſplendor, & fama nobilitat id Regnum. Et quamquam ſumma difficultas conficiendae rei proponebatur, ſpes erat tamen poſſe auro obtineri. Suppetunt Hebraici typi caeterique Orientales, Arabici, Syriaci, Armeni, quoſque Samaritanos appellant, peregrinum ſane opus, & raro alibi conſpectum. Eo charactere pars Bibliorum in Bibliotheca noſtra conſervatur. Et ab reliqua copia, quam inſtructi ſimus, Lexica declarant, tum Arabica, tum Armenica, quae ex Ambroſiana officina prodiere, moxve prodibunt. Deſunt autem Abyſſinae formae tam, profecto, quam etiam ipſa lingua nobis deeſt. Utriuſque incommodi cauſa Cardinalis quaeſiverat diu idoneum hominem, qui aegre tandem in Aegypto repertus, cum Alexandrina navi deportaretur, capto eo a piratis navigio, non tam captus ſimul ipſe, abductuſque eſt, quam capi, abducique voluit. Namque piratica claſſe conſpecta, cum negotiatores, nautaeque inermes pro ſe quiſque deſcenderent in propinquam inſulam, reſtitit ſolus, clauſa ad ſociorum preces aure, qui, ut una deſcenderet, rogabant. Re, ſicuti geſta erat, nuntiata, credidimus hominem fuiſſe Turcam Aethiopicae linguae peritum, atque Chriſtiani nominis taedio, & popularium ſuorum fiducia ultro in eorum manus eſſe praecipitatum. Nunc inquirebatur, exſpectabaturque alius, obſtricta etiam fide, ſi venerit, large, atque hoſpitaliter eſſe accipiendum, &, re perfecta, non ſine praemiis, muneribuſque abiturum.

Suſceperat interea Fundator illam quoque curam, ut artes quaſdam, quae ſunt finitimae, ac ſociae diſciplinarum, vel certe eis quaſi ancillantur, ad veterem gloriam, cultumque revocaret, Picturam, nempe, & Sculpturam, Architectonicemque, eaque mente, & conſilio aedificaverat conclavia, tum ſignis, operibuſque collocandis, tum ad peragendos diſcipulorum, artificumque conventus, ut una in ſede congregati cum juvenibus majores natu, periti cum tyronibus tractarent arcana veterum, atque lineamenta illa, mirificoſque ductus exprimere imitando aſſueſcerent. Nunc ſcholae artium ipſarum inſtitutae ſunt, attributaque ſcholis apta ſupellex, & plena nobilium exemplarium aula, ſuſpenſae undique tabulae, & hermae, & reliquiae antiquitatis, quae artifices ipſos contemplatione ſui erudire poſſint, haud aliter quam ſcholarum ipſarum magiſtri. Quodque efficacius ad diſciplinam imitationemque eſt, nudi humanorum corporum artus exhibentur, perſoluto pretio nonnullis, qui ad id ſervile obſequium evocati ſtatim adſunt. Congregantur ad haec gymnaſia ſelecti juvenum, artificumque, & ſtatis temporibus ſingulorum opera recognoſcuntur. Cardinalis huic coetui leges etiam dedit, quas ordine ſubjiciam in fine operis. Haud ingratam legentibus fore curam, arbitror, ſi ipſam quoque Bibliothecam, & haec artium domicilia, qua ſtant facie, & ſtructura, repraeſentavero. Ita, nimirum, Bibliotheca ſimul, & adjuncta conclavia, litterarum beneficio peregrinabuntur, quomodo litterae ipſae vagantur agilitate ſua. Et fortaſſe exteri, quibus hoc ſpectaculum longinquitate locorum adimitur, offerri ſibi ſpeciem hanc avebunt, & operam hanc a me expoſcent. Atque his pariter, & noſtris gratificando ego nunc, non ſolum Bibliothecae formam, qualis ea in conſpectu eſt, ſed etiam verſatas olim in ea deſcriptione conſtituenda varietates, atque controverſias artificum, ſicuti fuere, proponam.

Cum enim area coempta, aedibuſque dejectis, quibus ea occupabatur, aperienda jam fundamenta eſſent, ambigeretque adhuc Fundator de forma Bibliothecae, adhibiti Architecti pro ſuo quique ſenſu varie diſſeruere, diſtraxerantque curas. Erant, qui formam laudarent uno ambitu continuam, circumductamque in orbem; erant qui deducerent eam, porrigerentque in longum. Alius columnas per intervalla interponebat; alius impediri ita, obſtruique Bibliothecae ſinum: alias alii ſententias dixere. Quorum ſermonibus auditis, & laudato ſingulorum ſtudio, perſtitit Cardinalis deſcriptionem aedificii retinere, quam principio ſecum ipſe deſtinarat, neque rotundam, ſcilicet, neque columnatam, ſed oblongam, & amplam, ſinu expedito, ac patente, quem hodie viſentes laudant, nec minor laudator uſus etiam ipſe commendat. Aula eſt excelſa, ingens, teſtudinata, caelata ſuperne auro, quale opus non credet olim poſteritas aliter quam opibus, ſumtuque & majeſtate Regum excitari potuiſſe. Latitudo cubitorum eſt tredecim, altitudo quinque ſupra viginti: ſic Fabri dimenſi retulere. Trigemino gradatim adſcenſu, ad veſtibuli limina itur: veſtibulum deinde adeſt: hinc Bibliothecae fores occurrunt. Eo rurſus patefacto aditu, valvae humiliores e ferri nitentis lamina politiſſimo opere contextae objiciuntur, quae viſentium oculos admittant ſimul, & turbam inutilem ingreſſu prohibeant, ne promiſcua irrumpat. Praefert frons ipſa veſtibuli Bibliothecae ipſius titulum nomenque Divi, cui dicata eſt. Ejus inſcriptionis litterae ſunt ad eam formam, qua veterum Romanorum lapidum reliquiae notantur. Et vicenis aureis nummis conſtitiſſe ſingulas, collegii rationes docent. Ad Bibliothecae ingreſſum hinc inde legitur Apoſtolicae denuntiationis horribile carmen, *ne ſchedulam unam efferre inde quiſquam auſit: ſi quis extulerit, eum illico vinculis aeternis illigari, quae a Pontifice Maximo tantum exſolvi poſſint.* Id carmen, eaque denuntiatio atro marmori inſculpta eſt, cujus ipſa nigredo ſpeculi fulgorem imitatur. Pegmata, nidique librorum introrſus ab imo ad ſummum per totam Bibliothecae longitudinem pari nitore excurrunt, ordineque eodem, caput utrumque circumveniunt, atque complectuntur, conſtipantur ea pegmata voluminibus toto quantum ſinu ſpatium eſt, in longum, in tranſverſum. Ac ne temere contrectari, moverique loco poſſint volumina, aereo filo reticulatim objecto clauduntur; idque munimentum eſt, qua pertingere manus non poſſint. Pars ſuperior altitudine defenditur. Et adſtructo in omnes partes, marginatoque tramite permeabilis ea altitudo eſt, iturque pedibus illac, quo reſpicere ſine defatigatione oculorum nequeas. Scalae cochlides adſcenſum praebent. Eae inaedificatae angulis, domuncularum inſtar, receptacula inſuper in varios Bibliothecae uſus fiunt, teguntque domunculae iſtae, ſi quid vel pretioſi, & arcani, vel ad miniſteria inconditi teneri in occulto tutius elegantiuſve ſit. Hic D. Gregorii Dialogos, ex vetere philyra, librove compactum volumen. Hic Virgiliana Poemata, quae Petrarchae contrita fuiſſe manibus apparet, obſervari juſſit Fundator. Aliaque ſimilis notae monumenta, ſphaerae inſuper, & quadrantes, & inſtrumenta Mathematica ex argento clauduntur ibidem, haud minus eleganter, & decore, quam quantum rerum earum dignitas, pretiumque eſt. Ibi etiam occultiora receptacula parabantur, ubi volumina, quae Fundator ipſe conſcripſit, velut in ſanctiore aerario adſervari poſſent, amplexa, quidquid litteraturae, doctrinaeque interioris concipere humanum ingenium poteſt. Ab exitu poſtico Bibliothecae panditur atrium: ex atrio initur aula congreſſuum noſtrorum ſedes: hinc majus, altiuſque conclave pateſcit, cum illuſtrium virorum imaginibus, quicumque uſpiam in aliqua nobili arte nomen ſibi, famamque invenerunt. Dein horti ſequuntur conſiti floſculis, & arbuſcularum etiam hiberna viriditate perennantes. Poſt eam amoenitatem, gradus fit in loca illa longe amoeniſſima, quae coloribus, aut marmore, vel

vel aere expressum includunt, quidquid fere artifices eximii arte sua dignum censuere; & scholae ibi statuariorum, atque pictorum sunt, augentes tam locuplete gaza, splendidoque theatro majestatem Bibliothecae simul, & urbis; ac vicissim ipsae concursu assiduo, & quotidiano confluentium ad talia spectacula nobilitantur. In aedium autem istarum atrio, quod a tergo Bibliothecae esse demonstravimus, aenea palma patulis diffusa ramis, ac multiplici fronde stat medio, & opacitate aspera, mollique rigore inumbrat locum; idque Fundatoris, multiplex, eruditum, ac nobile commentum fuit. Voluit siquidem ille pulcherrimum, atque elegantissimum naturae opus statim in conspectu esse inferentibus illuc pedem; Indicam nempe palmam, quae unica arbor fert mortalibus alimenta simul, medicatasque potiones, & vestem, & tecta, papyrumque supellectilem sapientiae studiis, & ad sulcanda quoque maria, quidquid magnae classes requirunt. Hujus arboris ingenium, & naturae majestatem in una arbore Fundator admiratus, quaesivit ex eo miraculo, tum speciem, atque elegantiam hisce Musarum aedibus, tum pium, ac liberale oblectamen ingeniis ex contemplatione divinae sapientiae, quae humanis in rebus ludere sic amet. Porro, quanta est Indicae palmae munificentia erga mortalium usus, tantam ficta palma varietatem atrio huic praestat. Nam, praeter contemplandi materiem, ac praeter sylvestre imitamentum, & umbras, quas ipsa ministrat etiam ab subterranea regione introrsus ita temperata est, ut fundat puros, largosque latices, sive bibere, sive lavare quis velit. Defluunt tamquam ab venis, & fonte superno per frondes. Hae humorem, quem interiore machinamento sorpsere, reddunt quasi labiorum hiatu, labia aliena allicientes ultro invitantesque lambere, & haurire. Gratissima sic fit aquarum proluvies, quae non sine strepitu in subjectam petram cadunt, & per solum aliquamdiu vagatae resorbentur. Ea solo voracitas est dispositis artificiose lapillis, ut in sua antra remeare lymphae possint. Atrium ipsum angustiae sane loci coarctant, atque restringunt ita, ut laxiora spatia optasse Fundatorem appareat, ejusque mens ob id incommodum, atque difficultatem veluti restricta curis in ipsa operis mole conspiciatur. Caeterum, ars naturam in hoc negotio si minus potuit vincere, emendavit tamen aliquo modo, vel certe adjuvit; reperta scilicet ratione, per quam in angustiis fieret quidquid etiam in ampla area, spatiosoque solo ad usum, elegantiamve poneretur. Hic enim, quemadmodum demonstravi, palma assurgit, explicatque late dotes suas, & circumfuso coelo, campoque subjecto potitur: excurrunt porticus: columnae eminent, & decoro per scalas adscensu in superiora itur, discreta cellulis, ut in solitudinem abdere se quisque possit, commentandi, vel scribendi causa, nemine interpellante, atrium hoc, & conclavia proxima atrio, manent, qualia ab initio stetere.

Posterior vero aedium pars, destinata artium cultui, eademque plena operum inclytae artis, cum adversus casus ignium parum tuta videretur, cumque recordatus veterum Urbis incendiorum Fundator, periculum id timeret, adjecit ei consilio animum, ut, ea fabrica dejecta, firmiorem aliam in iisdem vestigiis quantolibet sumtu excitaret, idque, scribentibus ista nobis, fiebat.

*LIBER XXI.*

# INDEX CAPITUM.



## CAPUT I

### *De studiis, ac de monumentis ingenii Federici Borromaei.*

EA, quae Cardinalis, Archiepiscopusque Federicus, in Ecclesiae Mediolanensis administratione per quatuor & triginta annos exempla edidit, ac totum ejus vitae cursum, publicae actiones, & instituta, privatim, innocentiam, & mores, superioribus libris, cum cura, & fide, exposui, praeclara, & admiranda cuncta, atque, haud scio an veterum quoque rebus aequiparanda, certe, anteponenda omnibus, quaecumque nostra aetas vidit, & admirata est. Nunc studia ejus exsequar, librosque, & ingenii fructus, & opera Musarum, quibus ille praecipuam vitae partem, tantumque temporis insumpsit, ut sane ista reputantes, mirum videri possit, ecquando umquam vacare negotiis potuerit unus homo, qui nusquam ab hac altera parte vacarit; & rursus homines alii, quibus tota in litteris vita agitur, erubescant, molem rerum intuentes, quam tantae Ecclesiae tantique populi Rector simul, & tot librorum Scriptor iste administravit. Caeterum, pars ista operis nostri, quae studiorum, & otii nomen praefert, quaeve alias ingrata esse solet apud eos, qui actuosi ipsi nihil nisi actiones, & negotia etiam aliena mirantur, in Cardinale hoc, Archiepiscopoque nostro, pene altera Principis vita erit. Magna consilia, multum artium, atque machinarum includet, atque plus pene varietatis, & delectationis in legendo habebit, quam cum regna, Reges, & praelia horrenda narrantur.

Ac posse ego videor, si quisquam etiam alius, intimorum familiarium certissime ac verissime prodere de parte ista vitae Cardinalis, quam studia, & litterae, Musaeque totam occupaverunt. Nam cum, & Philosophantium, atque Theologorum facile primi adhiberentur intra paucos post prima rudimenta puerilia annos, mixtura illa litterarum emicuerat, quam inter Graeca monumenta Patrum cum voluptate mirantur, quicumque gustum aliquem ejusmodi rerum habent, quive intelligere, atque aestimare haec possunt: sed linguarum in primis aderat peritia Juveni, quas Graeci illi, sua tantummodo mirantes, contemsere opinor, sive studiis occupati aliis addiscere non potuerunt. Rara certe vestigia praeferunt eorum litterae sermonis ejus, quo sermone mortales olim affata divinitas hoc ipso nobilitavit Orientem, quive ceu deductos ab uno fonte rivulos, treis modica discretas varietate linguas efficit, Veteris Testamenti mysteria singularum vocum interpretatione continentes. Noster Orientales hasce linguas prima statim aetate didicerat haud minus profecto, quam Graecorum quo-

quoque linguam, & Graeca illa familiaris, ac pene nativa Cardinali erat; haud aliter, scilicet, quam si patria illa virum edidisset. Verum haec leviora studia Cardinalis fuere, subcesivisque horis oblectamenta haec assumendo paraverat linguarum sibi varietatem, grande instrumentum gloriae, quam sequi decreverat, quaeve jam ultro eum sequebatur. Interim vero etiam Oratores, & Poetas, & veteris memoriae monumenta accurate pertractabat, haud dubie memor, veteres illos Ecclesiae, quos dixi, Patres, hac litterarum parte magnopere esse delectatos, scriptaque divina eorum, petitis inde sententiis, atque testimoniis, & plurima tali imitatione scatere. Lectitaverat autem avidissime ipse M. Tullium e nostris, e Graecis vero Demosthenem, & Homerum, atque hos in omni familiari sermone litteratis suis magnopere commendare solitus, ajebat, numquam de manibus esse ponendos. Homeri namque carminibus semina inesse rerum, scientiarumque omnium, atque vidisse cuncta coecum hunc. Absque Demosthene non posse constare nervos Oratori. Et aemulum huic Arpinatem vere medullam esse Suadae, fontemque Latinitatis. Et ista quidem ad quamdam ingeniorum elegantiam, expolitionemque pertinebant, qua utebatur ipse, quave caeteris utendum esse censebat, ut tamquam in musica arte gravia lenibus temperarentur, neve, aut rigor ille litterarum in torvitatem exiret, aut, dum vult lenis esse scriptor, futilis, inanisque fieret. Tale temperamentum ea monumenta, quae reliquit ipse, commendant, semperque commendabunt, eamque gratiam, ut ex lepore commendationem, versati nocturna, versati diurna manu politissimi scriptores attulere.

Studiorum sedem, atque magistram habuerat Bononiam primo, deinde Ticinum urbes, & profitentium claritudine, & concursu juvenum, ac nobilitate inclytas. Ibi curricula scientiarum apud domesticos simul, publicosque Doctores eodem tempore emensus, ad eam, quam hactenus designare volui ipsius ingenii elegantiam, atque expolitionem adjunxerat pari felicitate, judicandi quoque, & disputandi subtilitatem in utraque Philosophia, & ea, scilicet, quae arcana naturae rimatur, & ea quae supergressa naturam, speculari mysteria, altitudinemque Divinitatis audet. Haec de se nobis ita ille narrabat, nominabatque Doctores etiam, quos in unoquoque genere habuisset; amissisque postea per oblivionem eorum nominibus, haud secus, quam dedecore, & injuria historiae ipsius indoluimus. Nam sicuti Leonidam, opinor, Thesei Magistrum, Graecia venerata est, statuamque ei ob id meritum statuerunt, atque posuerunt: ita horum saltem custodiri memoriam oportuit, qui Scriptorem, Archiepiscopumque tantum excoluere nobis, ac dedere. Philosophi tamen, & Theologi tantum fuere isti. Nam, si Jure civili abhorruerat magnopere juvenis, propterea quod id esse litium, & fori, contentionumque humanarum arbitrabatur: & mite ipsi ingenium, insitaque magnanimitas oderat haec, queis vita mortalium frustra inquietatur. Porro cursus sic, & forma studiorum hactenus caruerat ordine & descriptione quadam, quae necessaria est ei, qui praeclari aliquid assequi, & efficere velit: multique excellentibus ingeniis, & magna industria homines, quia studiis suis ordinem hunc minime adhibuerant, consumserunt inani labore vitam, sterilesque, & inglorii, & ignoti, absque fructu plane ullo decesserunt. Adhibuit autem ipse studiis ordinem descriptionemque novam, quo primum tempore Romam ad capessendos honores profectus evocatusque est, neque ab eo postea semel instituto ordine descivit; nisi quod devexa jam aetate pulcherrimarum rerum copia saturatum animum gerens a legendo ad scribendum transierat, eaque mutatio facta est.

Tenor igitur, ordoque studiorum in Purpura prius, deinde etiam in Pontificatu ad extremum usque retentus, atque conservatus hujusmodi fuit: Duodenae inviolabiliter horae per dies, noctesque singulas velut lege quadam seponebantur, quae officiis, & somno ereptae, negotii, otiive hujus totae essent. Negotium autem Cardinali erat pervolutare scripta omnia veterum, queis Latium, queisve Graecia gloriatur; atque orsus a primis, & antiquissimis, proximos hisce, dein horum aetati finitimos, &c, ducta per temporum gradus lectione, rursus hisce continuos ordine percurrebat, donec molem illam ingentem librorum, queis genus omne litterarum, atque scientiarum inest, pari voluptate, & labore exhausisset. Laborque, & voluptas interim alia erat, excerpere ex unoquoque scriptore pulcherrima quaeque, ac delibare florem rerum, id quod excerptorum ipsi codices declarant, qui sunt in scriniis reperti, voluminibus, quae legerat, numero fere pares. Nihil enim legit, quod non excerpserit, sicuti de avunculo suo Plinius Junior in epistola refert. Et plane res erat, qua non parum erubescere deberemus, quicumque sub nomine hoc, & titulo litterarum clari, magnificique incedimus, neque aliud, quo nitamur, habemus. Adspici cujusque generis, atque linguarum fere omnium volumina viri Principis manu praeferentia obeliscos, asteriscos, glossemata, notas, & quaecumque inter legendum meditamenta esse possunt ejus, qui ipse scribere legenda queat. Neque hac adspici tantum, sed cerni simul redacta in angustum volumina eadem, innumerabilitatemque rerum per compendia elegantissime repraesentatam. Eratque supellex haec, & apparatus ad monumenta ea, quae suo Marte composuit ipse, ac reliquit.

Et libenter ista commemoramus, ob eam quoque caussam, ne moles tanta operum simile portenti negotium fiat apud eos, qui, an invenire, & scribere tam multa potuerit unus homo, fortasse dubitabunt. Desinent autem multo magis dubitare, si sciant praeter assiduitatem hanc, continuationemque legendi, machinam aliam huic fuisse Federico, quae dederit hanc molem. Ea fuit perpetua meditatio comes actionum vitaeque totius effectrix rerum, quas ope, ingenioque humano effici potuisse, vix fides. Nam, sive proficisceretur aliquo, sive domi, quod saepe in cubiculo multumque faciebat, inambularet, inter alloquia quoque, & in curando etiam corpore, & in perfunctione ipsa munerum excogitabat profecto aliquid, sive recolebat ea, quae legisset, sive ex alieno demum sermone excipiendo quidquid cum elegantia momentove aliquo diceretur, rem suam augere studebat. Cumque in Urbe, quae theatrum humani generis est, & in hac altera aemula Urbis ejus viri Principes, Principumve Legati ad eum quotidie irent, essetque ipsius aula ingeniorum vere domus, apparatus ille quotidie crescebat, & veluti altera haec Bibliotheca fuit codicum, queis acute dicta, sententiaeque graves, & magna casuum humanorum exempla continerentur. Codices illi Mundi totius inclusam historiam habuere. Tanta varietas rerum inerat auditionumque munificarum. Hoc instructus apparatu Cardinalis primo, dein diutissime Archiepiscopus quinquagesimum fere vitae annum excesserat, nulla adhuc ejusmodi sollicitudine, & cura, quid de suis studiis, ingenioque, & doctrina posteritas existimatura esset; quae ferme cura, & sollicitudo hominum est, qui inter litterarum studia egere aetatem. Demum id quoque cogitare coeperat, eratque circa rem eam magnopere animo fluctuatus. Et relinquere monumenta aliqua gloriosum atque ad memoriam hominis illustre arbitrabatur, & rursus voculas, atque sermones oderat, eorum praesertim, qui nihil umquam scripsere ipsi, & scripta tantummodo carpere, ac notare aliena amant. Post ancipitem super ejusmodi negotio dierum aliquot anxiamque deliberationem, denique sententia stetit, scribere, quantum plurimum posset sane quidem, nihil autem in lucem edere, nihilve in manus hominum exire pati, priusquam ipse decessisset. Id gloriae, modestiaeque temperamentum egregium sibi repererat. Spartamque amplexus ingenti animo istam summa contentione excolebat: sermones, & invidiam, obtrectationesque hominum otiosorum in mortis tempora haud sane pertimescens.

Nunc si nobis etiam, quemadmodum Poetis, liceret invocare Musas, facerem sane, peteremque, uti adessent

adessent in partem operis, exponerentque, & dicerent ipsae volumina, & libros, & hujus ingenii fructus, & molem tantam operum, quantam qui oculis non subjecere, capere animis haud possint. Orsus a primis ad ultima processit: tractavit subtilitate, ac majestate litterarum supera, infima, & quidquid his interjectum, fatigat, exercetque mortales, sive oblectat. Cumque haec ipsa tantis jam inde antiquitus, & ingeniis, & laboribus hominum explicata, pertractata, commentata sint, attulit ipse tamen, & in rebus certiora multa, quam quae priores indagando, atque pervestigando excogitare potuerunt, & in scribendi arte splendores, ac lumina ejusmodi, queis res etiam obscurae, & incertae fulgerent, & granditate orationis augerentur; qualia jam exierunt in lucem, modoque hominum manibus teruntur.

## CAPUT II.

### *De ratione, modoque Cardinalis, adeundi comitia Pontificum creandorum causa.*

IN obitu Pontificum quoties Romam ad comitia proficisceretur, maxima per totum iter atque in Urbe erat exspectatio adventus ejus; Principesque & Reguli, & Episcopi, & populi fere omnes tanta laetitia, & gratulatione prodibant obviam, quanta, si Pontifex ipse transiret atque adesset. Visere, alloqui, contingere osculo vestem, accipere hospitio ipsum, familiamque totam, velut suo jure certabant, quibus ea semel alias fortuna evenisset. Satisque constitit, dum piis studiis, & obsecratione Principum sumere ab ipsius manu mysteria divina cupientium alicubi detineretur, injectam ejusmodi moram aliquando itineri fuisse, ut majore postea properatione contendere necesse habuerit, ne labor omnis ille irritus, atque frustra susceptus foret. Nec minora civibus, & populo universo Mediolanensi desideria proficiscens relinquebat, quam, quantas in itinere exspectationes atque concursus commovere, ac facere solitus fuit. Ad ista Pontificum creandorum comitia aliter alias, aliave ratione, & modo proficisci Cardinalem vidimus. Ad ea, quibus Leo XI. creatus est, mortuo Clemente VIII. in hunc modum ivit: Lustrabat, obibatque Pastorali ritu Dioecesim, & Cernusculi (id loco nomen) forte substiterat, cum decessisse Pontificem subito accepit. Ad ejus rei nuntium rediit illico in Urbem: ingressusque recta templum maximum in ara subterranea pro mortuo Pontifice litavit: ituramque secum una cohortem coelesti omnes pane refecit. Completur interea templum plebis, nobilitatisque adcursu, sicuti fere semper fiebat, ubi discedere Cardinalem, & longius abire increbuerat rumor. Ea multitudine conspecta, conscendit repente suggestum, atque verba ad populum fecit haec: *Sanctissimum Patrem, Christi Vicarium, Clementem Octavum, diem suum obiisse: creandique Successoris causa Romam sibi esse eundum. Actionem esse gravissimam, ex qua humani generis pendeat salus. Proinde, ne desinerent continuare preces ad Deum, Virginemque Deiparam, ut tanto fastigio dignissimus eligeretur. Neque precibus tantum, sed jejuniis etiam, & emendatione vitae opus esse, si gratas, atque acceptas esse Numini preces, vellent.* In hanc sententiam semihorae fere spatio peroratum: atque in Regiam deinde ibat salutandi Gubernatoris causa, qui ipse momento forte eodem egressus aula erat, ut pari erga Cardinalem officio fungeretur. Ad ipsum Regiae limen obvii invicem fuere: congressique mutuis amplexibus, & collocuti paulisper, certavere nonnihil, uter abiret prior. Diremit necessaria festinatio id certamen: & mox Cardinalis itineri se se tradit, sequente Gubernatoris ipsius rheda juncta sejugibus Pannoniis equis, quam prohibere non potuit, quo minus Placentiam usque decurreret. Sic Gubernator ipse mandarat.

## CAPUT III.

### *Itineris ratio & disciplina Federici, cum Romam iret.*

ITineris ratio, & disciplina quaedam haec fuit: Rem divinam, aut faciebat quotidie summo mane Cardinalis: aut sacrificio intererat, nisi locorum, ad quae ventum erat, incommoditate excluderetur. Pauperibus una cum reliqua multitudine, quacumque ibatur, ad spectaculum in viam effusis subsidia aliqua dabantur. Ac si quem ex familia, dolor forte, morbusve aliquis tentasset, mandatum Oeconomo erat, ut commode alicubi collocatum aegrotum, pecunia, comitibusque attributis, curandum relinqueret. Officia, & certamina Principum, obvias equitum turmas ad primos cujusque Provinciae fines, pompam, atque concursum simul obviae nobilitatis ministeria munificentiae Regalis in Cardinale excipiendo, apparatusque Principales, satis repraesentata omnia, arbitror, Pontificiae Majestatis imagine, ac similitudine, quae narrationis hujus initio proposita est. Sed insuper, quasi parentem quisque suum, quasi non amplius visuri excipiebant, ac detinere conabantur. Parmae apud Farnesios, Florentiae apud Medicaeum, uxores, feminaeque aliae Principum eorum Eucharistiae munus sumere ab ipso voluerunt. Eaque occasione numerus ingens ad divinam dapem accessit: omnibusque satisfactum, atque in Civitatibus etiam aliis eadem Principum, & populorum studia exarsere. Pervenit Romam die ipso, quo Cardinales caeteri Conclave ingrediebantur. Et cognito ipsius adventu, fere omnes eo die confestim venere salutatum. Confluebant Patres mirifica ad Borromaeum gratulatione gregatim: ac viginti fuere, qui unius horae momento venerant simul. Sub vesperam in Vaticana aede mansit per horae spatium effusus in preces, deinde Conclave ingreditur. Introduxere ipsum obviam egressi Cardinales ad triginta, tanta comitate, tantisque blanditiis, ut ab eo divelli non posse viderentur. Stipaverant penitus obsederantque Collegam, ita ut ad necessaria ministeria, actionesque, simul ingressi familiares propinquare Hero, & inservire ei non possent. Arcana comitiorum, exitumque negotii ejus, & quomodo se gesserit tunc in Conclavi Borromaeus, hoc loco exsequi non mihi propositum est. Id, quod Leone creato, Cardinali statim accidit, exponam, sicuti ab iis, qui interfuere, accepi.

Ex Conclavi, per scalarum gradus, solito augustalis sellae gestamine novus Pontifex in Vaticanam aedem solenni pompa deportabatur. Cardinales ordine bini praeibant, aliter alii compositi per singula paria, prout quosque collegii ritus, antiquitasve ipsorum in eo augustissimo agmine congregarat. Cum Cardinale Aldobrandino erat Borromaeus, super caeteram animi altitudinem, quam in Conclavi circa consilia eligendi Pontificis explicarat, etiam singulari illa conditione, quod ab electo suis maxime consiliis eo Pontifice poposcerat nihil, cum caeteri suo quisque jure destinata, & cupita postularent. Quippe per tantae fortunae gratulationem sublata repulsa habebatur. Nec segnes ad occasionem in eo rerum articulo Purpurati erant. Tunc Pontifex exspectans aliqua etiam Borromaei fortasse postulata, vidensque nihil petere ipsum, Cardinali Sfortiae, qui inter proximos ibat, significat, velle se alloqui Borromaeum. Et Sfortia confestim ipsum Pontificis nomine accersit, sustuleratque alte vocem, ut clarissime audiretur. Notavere omnes solitam, atque propriam Borromaei gravitatem, quae maxime conspicua tunc fuit. Nam relicto ad eam vocem Aldobrandino, immotus vultu, incessu raro, non arte ulla, sed naturae munere compositus inenarrabiliter, ad decorum, & personae suae majestatem, intuentibus ipsum observantibusque cunctis, ita retrocessit ad Pontificem, veluti si inter consueta studiorum suorum meditamenta solus in cubiculo ambularet. Posteaquam in conspectu stetit, dixit ad eum hujusmodi verba Pontifex: *Postulant a nobis omnia caeteri Cardinales, annuimusque libenter omnibus: Et Borromaeus unus, cui debemus tantum, quemve tantopere amamus, nihil petit?* Ad ea Cardinalis, *Nihil*, inquit, *habeo, quod petam, Ecclesiae meae dignitatem Sanctitati Vestrae commendo.* Et Pontifex rursus, obversa ad Montaltum, & Farnesium facie, qui latera cingebant: *Audite*, inquit, *Optimi Cardinalis dicta. Aut nomen nos, gradumque Pontificis omittemus: aut Ecclesiae Mediolanensi subveniemus, ut* opti-

*optimus hic magnusque Cardinalis cura, & sollicitudine liberetur.*

## CAPUT IV.

### *Reditus in patriam Federici, Pontifice creato.*

Rediit postea Cardinalis illuc unde venerat, & cum Aldobrandino conjungitur constantia, & majestate eadem, qua se se principio ad Sfortiae vocem moverat. Compertum mihi est, id destinatum habuisse Leonem, ut, participe consiliorum, & quasi socio Pontificatus, Borromaeo uteretur: jamque propriam in Vaticano sedem ei assignarat, discedere eum ab Urbe, non passurus. Sed Cardinalis id ipsum, ubi comperit, tanto magis parabat ab Urbe proficisci, ac se se propere expediebat. Quod Pontifici gnarum: accitoque ad se Antonio Seneca, qui jam inde ab D. Caroli temporibus minister, & assecla Cardinalis, habere nonnihil etiam apud ipsum auctoritatis existimabatur, eam animi sui destinationem huic viro cum exposuisset, mandaverat, ut persuadere Cardinali ipse conaretur. In id Sfortiam quoque Cardinalem allegabat: sumseratque iste peragendam rem. Intervenit consiliis hisce Pontificis mors luctuosa cunctis. Atque haec nobis ita suppeditavit Abbas Joannes Baptista Besutius, qui ministrorum intimus, assectatus in ea profectione Cardinalem, regebat hoc tempore familiam, & interfuit omnibus rebus.

Caeterum Cardinalis, exstincto sic intra paucos dies Leone, Mediolanum ad Ecclesiae suae gubernacula reversus, magnificentiae opera, quae ad divinum cultum, partim inchoata habebat, partim in profectione ipsa, Romanoque itinere meditatus inchoare destinarat, magnopere animum adjecit. Et aderat magnis coeptis, favebatque Numen. Gropelliana rura forte quodam anno tantum vini numerum effudere, quantum antea numquam. Quatuor millia fere metretarum fuere. Et est Mediolanensis agri id fere Falernum: nec alibi nobiliora vina nascuntur. Cumque parum felix alibi annus vineis fuisset, ea publica difficultas, & penuria emolumentum Cardinali ingens latura erat, si alius quilibet fuisset. Scire voluit quanti venumdaretur: atque percunctatus super ea re Oeconomum, posteaquam audivit, posse in praesentia singula vasa, sive metretas venumdari quaternis aureis nummis; sed pretium haud dubie fore majus, si aestivi menses tempora venditioni commodiora exspectarentur. Adspernatus ejusmodi lucrum, distrahi protinus omne, vendique jussit. Ducentae metretae divisae sunt in Monasteria coetusque pios. Reliquum omne vini pretium in crucem, & candelabra argentea cessit, quod Virgini Deiparae donum in ara maxima ponere destinarat, posuitque anno eodem. Et sanctiore interim disciplina quotidie magis agere coepit.

## CAPUT V.

### *De vestitu, cultuque corporis Federici.*

In vestitu, cultuque corporis sui nihil inane sumtuosumve admittebat. Atque munditias ipsas, quibus ob insitam animo puritatem, & elegantiam in omni vitae parte delectabatur, magnopere studuit semper, ut citra vanitatem omnem, fastumque contineret. Indumenta interiora, quae sumsisset semel, eo usque retinebat, donec lacera, & detrita nimio usu essent, & donec Oeconomus Praefectusve cubiculi, sive quis alius ex intima familiaritate minister, admoneret, non posse vestimenta illa ultra sustineri. Tunc ille jucunde renidens, vel interpolanda, resarciendaque dabat: vel annuebat, ut novi aliquid integrique pararetur, prout sive thoracem, sive femoralia ad extremum adducta esse conspexisset. Aliquando etiam, se inscio, parata ultro a ministris, & veluti per dolum subjecta suppositaque repudiavit, increpans inanem diligentiam supervacaneosque sumtus. Sane anno Sal. M D C V I I. cum hiems durissima esset, & frigorum asperitate cuncta rigerent, compulsus ejus incommodi sensu dixerat, ut pellibus subsuta vestis sibi emeretur: accivitque Oeconomus ejus rei causa pretiosas ab Venetiarum Urbe pelles, & vestem caetera insuper elegantia, & dignitate conspicuam celerrime, ac diligentissime faciendam curavit, quae in posterum etiam adversus hiemales ejusmodi injurias subsidio esse posset. Idque subsidium valde opportunum ministri censuerant, propter obnoxium frigori corpus Cardinalis, tum ob tenuem victum, tum quia ob quoddam valetudinis genus raro ad ignem accedere solitus fuit. Ea vero vestis, postquam in conspectu fuit, pretio, splendoreque offensus, & adspernatus ejusmodi gestamen, Bonhomio accito, quo ad sacras confessiones, sicut alibi diximus, utebatur, re cum eo communicata, jussit ipsum curam suscipere hanc, ut venumdata protinus veste, quod inde pretii redactum foret, pauperibus absque mora divideretur, sicuti factum illico est.

Eodem tempore vendi jussit, quidquid praeterea pretiosae vestis ex priorum temporum magnificentia paratum sepositumque habebat: omnisque ornatus ille, quo Princeps, juvenisque Cardinalis olim enituerat, in Christi pauperes cessit. Atque hujusmodi largitiones quidem, & munera in egenos eleemosynae nomine appellare solitus fuit, quae scilicet daret tamquam de suo. Quidquid autem de fructibus, & vectigalibus mensae superesset, id omne proprie esse pauperum ajebat, neque licere arbitrabatur de eo Christi velut patrimonio attingi intervertique quidquam. Idque tanta religione custodiebat, ut ne alimenta quidem ipse sibi sumere inde vellet. Sexcentos aureos nummos quotannis repraesentari, ac numerari mensae administratoribus jusserat, quantum scilicet cum tribus servis consumere posse ipsum retulerant homines, quibus mandaverat, ut ejus impendii rationem calculosque exacte inirent. Atque divisis ita suis, & mensae facultatibus, res quaedam etiam fiebat parva fortasse dictu, sed quae mirificam in hac dispensatione sollicitudinem, curamve Cardinalis indicare possit. Quidquid ex quotidiano victu supererat panis fragmentorum, segminumve carnis, quidquid eduliorum, pulmentique, & vini ex triclinio referebatur, sive in coquina remanebat, id omne congregatis in stellae contubernio mendicis attributum erat: appositusque ex eodem coetu custos, patinas, ollas, amphoras omnes obibat suo jure, detergebatque, & exhauriebat, & sportas, atque oenophora plena inde portabat ad sodales. Quam parvam, ut dixi, rem politico supercilio nonnulli fortasse fastidire poterunt: sed magnis aliis adjuncta rebus haec, quas retuli, quasve referam, ipsa quoque magnum hujus viri animum testabitur apud eos, qui nihil in Apostolicae perfectionis disciplina parvi pendere didicerunt. Quis credat, curantem haec minima, & infima Archiepiscopum adeo excelso eumdem animo fuisse, ut domesticarum utilitatum non modo cura, sed etiam cognitione pollui, & inquinari se se arbitraretur? Ministros, qui ista tractarent, vetuerat in aula comparere, ne sordes, & avaritiam in cubiculum suum inferre crederentur, si palam ingressi essent. Non convenire Episcopo diligentiam, ajebat, colloquendi cum istis. Ac si fortasse colloquendum necessario erat, per posticum introducebantur. Praeposuerat rei familiari sex viros. Horum erat cognoscere, ac statuere de negotiis universis: referebantque hi nonnumquam ad Cardinalem: sed ad eosdem ipse cuncta rejiciebat. Illud praecise mandatum habebant, ne differrent eleemosynam, sive imminuerent, atque aes alienum uti dissolverent. Erat tamen aeris alieni semper aliquid ob sumtuum magnitudinem: & in singulos annos scire volebat semel, quantum arca deberet.

## CAPUT VI.

### *Liberalitas Cardinalis erga Presbyteros etiam alienigenos.*

Anno, quo Paulus Quintus Venetos interdicto perculerat, magna quaedam exercendae liberalitatis occasio Cardinali oblata est, quam avide arripuit, sicuti demonstrabo. Civitatibus universis Reipublicaeque Venetorum Pontifex ille ob diffidia quaedam, sacrorum usum interdixerat: eoque interdicto Senatus irritatus, novam contumaciam, sicuti fit, priori culpae addebat. Fieri utique sacra volebant, cogebantque minis, & imperio

perio Sacerdotes: quos, & in vincula conjiciebant, obfirmatis ad conservandam Religionis, & Ecclesiae faciem animis, tamquam Reipublicae majestas in eo negotio ageretur: eaque profana sacra tunc vere appellari potuerunt. Sacerdotes, pars praesenti periculo damnisque subacti Senatus imperium ante Pontificis auctoritatem, salutemque suam animo pusillo habebant: pars constanter, & impavide Apostolica jussa sequebantur. Alii statim, alii postea, in hanc, illamve partem inclinavere. Tertium genus erat eorum, qui neque lacessere pericula, & iras imperitantis, minitantisque Senatus, neque rursum per obsequia impia in capitaliores incidere iras exitiumque volebant. Hi medio consilio Mediolanum ad celebratae liberalitatis, & munificentiae Cardinalem confugere coeperunt. Et vulgata statim fama, quam comiter, & benigne largeque acciperentur, paulatim deinde veluti ad gloriam, & emolumenta certissima confugiebant etiam illi, quos patria, quos imperii respectus, & sua quemque utilitas, sua quemque domus aliquamdiu retinuisset. Incredibile fortasse auditu, visu certe jucundum, admirabileque erat, quod referam, non sicuti accepi ego, & audivi, sed sicuti meis ipsis oculis subjecta res fuit. Singuli primo quotidie, binive, aut terni, & quaterni, postea deni, sive duodeni: postremo major per dierum intervalla numerus aderat: ac fuit aliquando, cum e Venetorum terris fugitivi isti Sacerdotes in Cardinalis domo ad quadraginta numerarentur. Veniebant, relictis raptim suis quisque rebus in talari tunica, sine pallio, sine pecunia, nihil amplius gerentes, habentesve secum, quam quod humano corpori ad pudorem, necessitatemque injicitur. Nam ne fugere possent, clausa, & obsignata per satellites unicuique appositos omnia, ipsique in primis arcta custodia cohibebantur. Nec succedebat fuga, nisi quibus distentus vino, corruptusve mercede satelles evadendi locum dedisset, quive ipsi viam, & ingenia fugae incredibilia aliqua, & nova reperissent.

Veniebant igitur cum singulis vestimentis, pulvere obsiti, famem, sitimque praeferentes, fatigati labore itineris, sed multo magis anheli ob pericula, quae timuerant, quaeve etiam vitarant. Et promta statim omnia habebant, quietem, spem optimam, alimenta, pecunias, & quidquid recreando corpori artes humanae repererunt. Tamquam non in hospitium, domumve amicam, sed ad parentem, & carissima suorum pignora quisque venisset, ita accipiebantur, habebanturque. Destinaverat namque Cardinalis e familiarium numero duos aptissimae humanitatis, ingeniique mansuetissimi homines, qui cognoscendis hospitum horum necessitatibus, facta simul subveniendi potestate praeessent. Abluebant primo statim ingressu pedes eis Apostolico more, ac de singulorum statu, & conditione referebant cuncta ad Cardinalem. Ipse postea in conspectum ad se adductos, alloquio, & laudibus, & gravissima cohortatione firmabat: ac pro eo, quod obsequium erga sedem Apostolicam, fortunis commodisque suis antetulissent, in honore, & caritate apud se futuros, ajebat. Detinebantur alii, alebanturque domi: alii per Urbem, atque Dioecesim occupabantur muneribus variis, & mansere omnes, donec tempestas illa transiret.

## CAPUT VII.

### *Quomodo Nuntios Legatosque Pontificios admiserit Cardinalis, & hospitio acceperit.*

Haec porro Cardinalis erga sedem Apostolicam pietas tanta fuit semper, ut Nuntios, Legatosque Pontificios omnes, quotquot per Provinciae fines iter haberent, accipere hospitio, ac pro muneris, & nominis ejus dignitate munifice tractare vellet. Si invitati non venerant, diverterantve ad alios, humanissime conquerebatur, atque eripi sibi sua jura ajebat. Oeconomo mandaverat, ut diligentissime excubaret, ne quis in Helvetios praesertim proficiscens ab Roma Legatus falleret, quo minus invitaretur ad se, ac fere pertraheretur. Acciditque aliquando, ut, cum redeuntem ex Helvetiis forte Nuntium, nota una ex Mediolanensi nobilitate domus invitasset, non sine jurgio Oeconomus contendere necesse habuerit, ne injuria illa Cardinali fieret: induxitque Palatio Episcopum. Sed & Episcopi alii, qui neque Nuntii, neque Legati erant, ob nominis ejus tantummodo reverentiam invitabantur: ibatque Oeconomus ad eos, ubicumque substiterant, Cardinalis nomine deducendos. Ac fiebant nulla ambitione haec: tantummodo, ut sacer ille honos incorruptus maneret.

Anno, qui Venetum illum, de quo narravi, casum, insequebatur, venere in Urbem sexaginta Legati Helvetiorum ad foedus cum Rege Catholico ineundum: ejusque rei caeremonia in templo maximo peracta est, tanta populi frequentia, & concursu, quantae exspectationis, & momenti res ipsa erat. Aderant sua in sede Cardinalis ipse, Fontanusque Comes Gubernator Urbis, universusque Senatus, & Regii Magistratus. Rebus divinis rite perpetratis, & invocata Sancti Spiritus ope, Legatus Helvetiorum unus orationem habuit de opportunitate foederis, ac de suae gentis erga Catholicum Regem obsequio, & fide magnificam: nec potuisse gravius, elegantiusque perorari, censuere, qui judicare potuerunt. Respondendi partes ad magnum Cancellarium, cognomento, Salazar, muneris ejus officio pertinebant. Is, antequam dicere inciperet, subito deliquio est forte correptus: ac deportari senem ita domum necesse fuit. Sive quia gravior jam aetate erat, sive quia in multum diei producta caeremonia, & jejuno corpore, defecerant vires; id eo die incommodum, vario hominum multoque murmure acciderat. Tunc Gubernator, rogari Cardinalem jussit, ut pro Catholici Regis Majestate respondere nonnulla arbitratu suo vellet. Cardinalis facturum se dixit: atque collecto paulisper animo, Latino sermone respondit in hanc sententiam: *Quod Respublica Helvetiorum ad ineundum cum Rege Catholico foedus, amicitiamque consensisset, recte id prudenterque fecisse: fore id foedus praesidio atque ornamento ipsis: & Hispana vicissim arma eorum auxilio relatura victorias, quae ad gloriam Helvetici nominis redundent. Sperare Regem, qua prudentia, & nobilitate Primores gentis ad tam illustre foedus animos adjecissent, etiam semel placita perpetuo retenturos, atque adjecturos optimis consiliis constantiae suae laudem.* Haec aliaque ex tempore dicta, quae, sicuti tunc perculerant admiratione conscios rei, quae acciderat: ita tanto jam intervallo ex memoria sermonibusque hominum exciderunt, neque facilia relatu sunt nobis.

Post foederis solennia, institit Gubernator a Cardinale flagitare, ut convivium una secum inire vellet, quod Regis nomine, gratulationis, & honoris causa paratum eo die in aula erat. Cardinalis haud umquam sane convivator, & mensis accumbere alienis inferius majestate Episcopi, existimans, negabat primo, excusabatque nonnulla, & pro ea invitatione gratias agendo, dari sibi ab Hispano veniam petebat. Deinde vero, cum demisso ore Gubernator, per salutem felicitatemque Regis, per ea Catholicae Religionis incrementa, perque circumstantem re confecta legationem obtestari non desineret, cessit Gubernatori; iturque ex templo recta in aulam hoc ordine: Praeibant, Cardinalis, & Gubernator pari gradu: Legati Helvetii sequebantur. Tum Senatus, Magistratusque caeteri, post eos plurima nobilitas ibat. Circumfusa multitudo suo more turbabat pene, impediebatque pompam, submovebaturque per lictores avida conspiciendi non tam capita caetera, quam in eo agmine Cardinalem. Is, sicuti semper alias, ita etiam eo die, eoque incessu averterat in se omnium oculos. Convivium fuit eo maxime insigne, quod Helvetii, patrio more poculis assueta gens, atque certamine bibendi petere gloriam inter solennes ejusmodi epulas solita, nonnihil temperavere sibi, tamquam sobrietatis laudem agnoscerent simul cuperentque. Praesentia Cardinalis effecerat hoc: nec praesentia tantum, sed inenarrabile quiddam ex moribus, ac suavitate, eruditioneque, & dignitate, & modestia ejus, quae miscebantur omnia tunc sua sponte in unum, spectaculoque, & stupori, ac voluptati epulantibus erant. Ejus novi cibi gustus plane occu-

cupaverat animos, aversique in eum Helvetii, ganeae potionisque pene obliti videbantur. Atque epulantis in publico Episcopi videri exemplum eo die Borromaeus potuit. Refici primo una cum caeteris hilare in speciem coepit, rara, ac minuta delibans. Et rarius mox, parciusque vescebatur, absque tamen intermissione, quae notari, & pudori esse convivis posset. At posteaquam, primi calores accumbentium, primique appetitus deferbuere paulisper, obversa leniter in Gubernatorem facie, qui proximus ei sedebat, jecit vocem erudite forte unam, cui respondit Gubernator, Principum more; atque facto hoc initio loquendi, paulatimque excitatis ad respondendi, sermocinandique dulcedinem, qui Legatorum innutriti litteris, sive militariter acres promtique aderant, non explicare est repletus ille maximarum scientiarum varietate animus, quantam copiam pulcherrimarum rerum singulis pene verbis effuderit. Pronunciabantur a Cardinale cuncta dissimulanter, neque lacessendo occasionem differendi ullam, neque refugiendo, si curiositate forte cujuspiam oblata, inductaque erat, neque demum rem, aut locum pluribus eumdem ultra convivalis colloquii decorum urgendo. Breviter, & commode expediebatur res, sive quis ex vetere historia locus inciderat, sive de pace, de bello, de fortunis, & conditione Principum, de causis, atque negotiis Imperii, de naturae rebus, de Scriptorum quoque delectu, & magnitudine ingeniorum exortus forte sermo erat.

Manducabaturque interim, & bibebatur ab Helvetiis quidem, verecundia, & admiratione Cardinalis, parcius aliquanto, quam si non ille adesset: ab ipso autem largiuscule, quam pro quotidianae more sobrietatis, ne damnasse convivas, aut fastidisse videretur. Per salutem, victoriasque Regis, Germanico ritu largiore poculo simpliciter invitatus in orbem, quo potuit modo, satisfecit, aquae scilicet modico potu: quam cum esse Cardinali vinum, nec aliter umquam ipsum madere didicerunt, obstupuere haud minus, quam delitiis, & altitudine sermonum, sapientiaeque ejus. Convivio soluto, sublatisque mensis, Gubernator singulos torques aureos singulis Legatorum dedit, amicitiae simul, & Regiae liberalitatis pignus. Cardinali gratiae actae, quod illas inire epulas haud dedignatus esset. Egredientem deinde aula Gubernator ad infimas usque scalas, Legati porta tenus deduxere. Sic dies ille transactus.

## CAPUT VIII.

### *Legatos Helveticos liberaliter, & splendide excipit, eisque convivium praebet.*

POstero, Gubernator ipse, totaque legatio ad Cardinalem invitantur nihil dissimili apparatu, quam quo convivium in Regia illud pridie fuerat. Ordineque, & elegantia, & munificentissima rerum omnium liberalitate comprobatum est vetus illud, ejusdem esse recte adornare convivium, qui regere populos sciat. Mandata opportuna Oeconomo dederat Cardinalis, ne quid ad copiam, dignitatemve deesset: atque in primis fieri jusserat hoc, ut singulis Legatis singuli Clerici ex collegio Germanico adstarent, quo promtius intellectu, & consuetudine patrii sermonis unicuique ministraretur. Oratio de laudibus gentis habita super mensam ab Clerico nationis, & collegii ejusdem. Et pro torquibus aureis, quos ab Gubernatore datos fuisse retulimus, dedit, divisitque Cardinalis totidem auro circumclusas Agni coelestis effigies, quae singulae thecae particulam unam D. Caroli reliquiarum tegebant: suntque datae, & divisae in hunc modum: In fine convivii cum in argentea patera ex condicto depromtae, & allatae essent, Cardinalis haec verba Latine effatus est: *Scire ipsum, quanto semper obsequio B. Carolum inter mortales agentem Helvetiorum Respublica coluisset, & postquam ad Superos excesserit, quanta eumdem religione venerarentur. Proinde velle reliquiarum aliquid dare eis ex purissimo atque innocentissimo corpore, quod illius fuisset. Acciperent, haberentque mente eadem, qua daretur id munus.* Haec dicta: statimque flexo reverenter poplite, accedere Legati ordine atque deinceps coeperunt; collaque dabant. Et Cardinalis lineam, unde suspensa erat theca, unicuique innectebat. Gubernator ipse ante omnes efflagitaverat id sibi donum, &, positis humi genibus, exspectabat: ac suave inde certamen, cum Cardinalis adlevare ipsum conaretur, nisi surgeret, dare recusans: & ille vicissim, haud alia se accepturum conditione, asseveraret, quam si in eo habitu, & positione daretur: vicitque demum Gubernator. Ita ex convivio discessum. Vesperi rediit Gubernator ad Cardinalem cum multa gratiarum actione pene lacrymabundus: ac mittere se interim rei gestae nuncium in Hispaniam ad Regem ajebat. Legati Helvetii, quamdiu mansere in Urbe, praetulere suspensum id collo gestamen, ac deposuerant interea torques. Satis constitit, ad eam opinionem, quam de Cardinale antea habuissent, multum accessisse, postquam suavitatem ejus ita degustarant. Unde, & nomini, memoriaeque ejus honos in ea Republica plurimus hodie habetur.

## CAPUT IX.

### *Rara Cardinalis forma excolendi Principum, & Potentum amicitias.*

ECclesiae Principum, Dominationumve profanarum, sive Magistratuum, Aulicorumve Praepotentum amicitias admisit, coluitque: sed nec iisdem de causis, nec uno modo omnes. Nam si qui, vel auctoritate, nutuque suo, vel gratia sive consilio apud alios, sublevandis, ornandis, amplificandis hujus Ecclesiae rebus, momenti aliquid facere poterant, mirifica ad hos arte, sollicitudineque utebatur, ut sibi conciliaret, strictosque haberet. Quomodo Reges Principesve ipsi, Imperii potentiaeque suae causa, circumspicere, atque excubare solent ad praesidia sibi paranda haec, favoremque colligendum. & quomodo Romae praesertim, ob summam spem, quae tentatur, habeturve illic, obsequia, & merita proseminantur in longum: ita Borromaeus ad tuendum Ecclesiae suae statum, quo faciliora, & secundiora cuncta posset habere, largiebatur, blandiebaturque, & indulgebat multa Principibus, & Cardinalibus, horumve ministris. Ac si petierant ab ipso aliquid, aliquemve commendarant: annuebat sane, cum ea cautione tamen, ne quid interim praeter Ecclesiae dignitatem, decorumve fieret, cujus sola teneritudine, ac respectu commendationes etiam illae admittebantur. Pensiones quoque nonnullis annuas ultro assignare clandestinas, ac persolvere solitus fuit in eam spem, ut Ecclesiae causam in sententiis, consiliis, negotiisque omnibus, quacumque possent ratione palam, sive ex occulto tuerentur. In censoriis notis, simplicissima, atque innocentissima, scilicet, illa, in quosdam fuit, suntque hoc nomine apud Regem accusati nonnulli, quod panis, & vini dimensa ex Cardinalis domo per aliquot annos quotidie accepissent. Id erat accusare humanitatem, & mores antiquos. Namque Cardinalis aquae potor, & omnis in cibo discriminis expers, forte aliquando recordatus institutum olim fuisse Benedictini Ordinis, & purissimi panis, & generosi vini partes ex claustris illis dividerentur in nobiles amicos, tunc, nimirum, cum claustra Regum illa erant: instituerat etiam ipse hoc, mandaveratque Oeconomis, ut in singulos dies candidissimus domi panis coqueretur, cellaque referta semper vino optimo esset, ad hoc ne Regiorum Magistratuum ullis volentibus accipere negaretur. Ita cella pistrinumque patebat. Nemo cogebatur: sed invitabantur facilitate accipiendi omnes. Neque corruptela illa, sed Pastorale blandimentum erat, & ex paterna Archiepiscopi domo facetum ac liberale quiddam, cum Regum vere mensis expetendus panis, expetendumque merum exhiberetur: qualia non alibi alimenta reperiri possent, illa, scilicet, quae vates Homerus medullam hominum appellat, quae natura parens offert sua manu. Hac blanditiae Cardinalis erant ad pectora, animosque suavissime illigandos.

Ipse nihil ab ullo mortalium umquam accepit. Nullius ambitionem ad munera, Magistratusque commendavit.

davit. Si quid a primoribus Urbis, aliisve esset forte oblatum, gratia rei comiter accepta, rem ipsam gravissime remittebat. Extra Magistratus, Principesve eos, quos Ecclesiae prodesse posse intelligeret, ac velle, arbitraretur, nihil negotii sibi cum potentia cujusquam esse volebat. Ajebatque, nonnumquam magnopere placiturum esse animo suo: si, quemadmodum ipse potentium istorum nemini molestus esset: ita desinerent ipsi quoque sollicitare suam ipsius quietem, sinerentque, quod ad rei Ecclesiasticae dispensationem attineret, in otio, & pace esse, atque itineribus vadere illis, quae itinera a Spiritu Sancto monstrata sibi esse existimaret. Gratias, opesque humanas omnes, & imperia cuncta animo vere Philosophantis aestimabat, neque contemnens ullos, neque adulans: ac ne vox quidem umquam ipsius audita est, qua fortunam, magnitudinemve cujusquam admiraretur. Is fastus Apostolicus, ea magnitudo animi erat erga ea, quae mortales caeteri suspicienda, atque invidenda esse putant. Liberas aedes septingentorum aureorum nummorum pretio conductas in singulos annos Romae habebat. Ibi volebat hospitium esse pauperibus Provinciae Episcopis, quibus forte necessitas aliqua manendi ad Urbem, sive occasio incidisset. Habitavere diversis temporibus Episcopi isti illic, Camillus Berius Aquensis, Carolus Basgape Novariensis, Tullius Carretus Casalensis, Gregorius Odescalcus Alexandrinus, Stephanus Ferrerius Vercellensis. Eisque omnibus praeter domicilii commoditatem, etiam domestici

A usus instrumenta suppeditabantur: nec non & aliquid subinde pecuniae dabatur, prout eorum quemque maxime indigere subsidio, compertum Cardinali erat: dabaturque secreto, quo libentius acciperent, sed & Cardinales duo, Baronius, & Mellinus gratuitum id a Borromaeo domicilium habuere, atque habitavere ibi post alterum alter. In Baronio claritudinem studiorum ejus, innocentiamque animi: in Mellino acrem ad Ecclesiae jura defendenda animum spectarat, cum munus id eorum utrique daret. B Baronius habitaverat prior, quo mortuo, cum rediens ex Hispania Mellinus Genuam appulisset, missus ad eum ex collegio Metropolitano Hieronymus Castanus, qui in D. Caroli familia olim Praefectus cubiculi fuerat, & domicilium ei Romanum illud obtulit: & enixe rogavit, ut Mediolanum usque divertere ne gravaretur, ad visendas praecipue Divi Caroli reliquias, & mortale corpus ejus Divi, quod fuisset. Per haec, & alia Cardinalis Federicus sibi conciliabat Virum; adeo quidem approbante Pontifice Maximo, aulaque tota has Borromaei prensationes, ut nullum postea C incideret de Mediolanensi Ecclesia negotium, quin ad Cardinalem Mellinum illico rejiceretur. In conductitia illa, & hujusmodi amicorum usibus parata Romana domo reservaverat sibi Cardinalis conclave, partemve unam, in qua Procurator suus habitare posset. Nam ad res Ecclesiae agendas habuit illic assidue, aluitque Procuratorem.

## *LIBER XXII.*

# INDEX CAPITUM.



## CAPUT I.

### *Cardinalis per Abbatem Besutium de Concilio Provinciali Pontifici mentem explicat.*

ANNO MDC. Concilium Provinciale habuit, eaque Mediolanensis Provinciae septima Synodus erat: res sane pulcherrima per se, & plena majestatis: sed & nonnulla extrinsecus famam, gloriamque actioni addiderunt. Provincialium Conciliorum usum, atque consuetudinem, primis Ecclesiae temporibus, ac per aliquot deinde secutas aetates, institutam, atque retentam, demum pene intermissam, traditamque oblivioni post Tridentina decreta D. Carolus ejus Oecumenicae Synodi fere auctor longo intervallo renovaverat, habitis Provinciae Conventibus, qui sanctiorem antiquam disciplinam, & Ecclesiae statum late restituerunt: extantque volumina totius Ecclesiasticae rei fere compendium. Post D. Caroli Pontificatum nulla Mediolani concilia Episcoporum fuerant, quatuor ille celebrarat. Cardinalis Archiepiscopusque Federicus, quo primum tempore ad hujus Ecclesiae gubernacula accessit, sane in animo habuerat indicere Concilium, excire Episcopos, recognoscere Provinciam, sed distulerat rem ob nego-

D tia, & difficultates, quae ipsum excepere principio, & aliquamdiu deinde exercuerunt.

Postquam ab ejusmodi negotiis requievit animus, id quoque Provinciale negotium inter caetera, quae jam exposui, agere, & moliri coepit: nec tamen poterat exsequi statim, quia actio multiplicem deliberationem, varios apparatus, & cognitionum intervalla poscebat. Cognitis, apparatis, dispositisque omnibus, quae cognoscenda, apparanda, disponendaque fuerant, Abbati Besutio, quem ad limina Apostolorum, sicut demonstravi, salutanda miserat, mandavit inter alia etiam hoc, ut Pontifici Maximo exponeret id, quod de Con- E cilio celebrando in animo ipse habebat: simulque a Christi Vicario precaretur, ut diceret, si quid in eo Concilio fieri amplius, decernique vellet. Referam Pontificis Pauli sublime responsum, & Apostolico ore effata verba, quemadmodum Abbas ipse narravit. Namque perlecta epistola Pontifex, & Abbate audito, pene cum lacrymis: *Quin veneramur*, inquit, *etiam hoc nomine Numen, gratiasque divinae bonitati agimus, quod temporibus nostris dederit tam praeclara mente, animoque Cardinalem Archiepiscopum? vult igitur post tanta exempla edita virtutum, resque adeo laudabiliter, ac mirifice gestas, etiam actionem obire sanctam hanc, & Ecclesiae Christi gloriosam?*

 *uti-*

*utinam nos quoque adesse possemus!* Haec a Pontifice dicta. Dictis deinde talibus etiam consentanea facta adjecit, omnia quae placere Cardinali intelligeret, prolixe, benigneque concedendo.

## CAPUT II.

### *Provinciale Concilium habiturus Federicus, participe & adjutore utitur Episcopo Antonio Seneca.*

ANtonius Seneca erat provectae jam senectae Episcopus, rigidae severitatis Vir, D. Caroli alumnus, & negotia omnia, statumque Ecclesiae Mediolanensis optime edoctus jam inde ab aetate, Pontificatuque illo. Qua commendatione adsciverat Cardinalis Federicus sibi hunc, Vicariumque per aliquot annos, & pene consiliarium habuerat, donec Anagniae Episcopus ab eodem Pontifice Paulo crearetur. Hunc dari, concedique sibi magnopere optaverat Cardinalis, ut in ea Provinciali actione, participe consiliorum eo, gerendarumque rerum adjutore uteretur. Interfuerat enim quatuor Provincialibus sub D. Carolo conciliis, & optari magis, quam reperiri posse in ejusmodi rebus alium tantae experientiae virum facile apparebat. Atque Pontifex quidem annuerat concedebatque libenter. Sed intempestive seduli nonnulli subjicere, monereque instituerunt, si Mediolanum Seneca proficisceretur, posse incommodi, sive offensionis aliquid oriri, propterea quod illo controversiarum tempore notari quemdam e Regiis Ministris Apostolico interdicto per eum forte contigisset. Melius fore, si non iret. Ad ea Pontifex: *Novimus*, inquit, *& Episcopi Senecae dexteritatem, atque prudentiam, & Cardinalis Borromaei famam, auctoritatemque, apud omnes, & Imperii Catholici moderationem, atque pietatem, ut de eo, quod timendum istis esse videtur, plane securi esse possimus. Proinde eat Seneca, inserviatque Cardinali.*

Venit igitur ille Mediolanum, & quo die pervenerat, eo ipso die Fontanus Provinciae Gubernator, forte, sive de industria, venit ad salutandum humanissime Cardinalem: cumque functus eo officio fuisset, deductus a Cardinale Borromaeo ad scalas, quaesivit in digressu a nonnullis, quanam in Palatii parte Seneca habitaret. Cum ei monstraretur: *quin imus*, inquit, *ad salutandum optimum hunc senem:* atque cum eo verbo in partem illam recta tendebat. Seneca propere admonitus, egreditur obviam, & novitate confusus haud exspectatae rei, *tantumne honoris*, inquit, *seni pene emortuo?* Fuere una per horae fere spatium, & multis ultro, citroque sermonibus habitis, cum ab eo quoque digrederetur, accidit sane jucundum, ac memorabile quiddam, quod bonos laetitia, alios moerore, omnes admiratione complevit, cum alii suis ipsi oculis vidissent rem: aliis strenue percurrens urbem fama nunciavisset. Deduxerat Seneca Gubernatorem ad infimos scalarum gradus: adstabatque nolens abscedere, donec rhedam ille conscendisset. In eo certamine humanitatis, & officii, Gubernator, prehensa Episcopi dextera, traduxit hominem in rhedam, una secum, & mox impellente equos auriga, simul abiere, scilicet, id spectaculum insigne reconciliationis voluit Hispanus exhibere populo Mediolanensi, laetusque oblata occasione, hujusmodi verba pronunciabat: *Quidnam sunt hodie dicturi Mediolanenses, dum affixum Gubernatoris lateri Senecam videbunt?* Res laetissima Cardinali fuit. Laetumque pariter illud, quod, quamdiu Seneca Mediolani mansit, maximarum rerum consilia Gubernator idem cum eo communicabat, mittebatque de mensa, testificans quanti faceret senem.

## CAPUT III.

### *Cum Camillo Burghesio in Pontificem electo, Borromaeus agit de Ecclesiae suae statu, remediaque poscit.*

MOrtuo, sicuti dictum est, post Clementem, Leone, circa successoris electionem in studia partesve divisi Cardinales in Conclavi mansere dies quadraginta. Quo spatio temporis inter varias consultationes, accuratissimasque preces exacto, Spiritus Sanctus denique collegio monstravit Camillum Burghesium, virtutis, & sapientiae eximiae Cardinalem: isque novo nomine Paulus Quintus appellatur. Nocte eadem, qua electus ille, creatusque est, egit cum eo Borromaeus, ut, quoniam adscito nuper in collegium, & ex Hispania revocato Gymnasio, qui Sedis Apostolicae Nuntius ibi fuerat, mittendus alius esset, qui munere eo fungeretur, rationem habere vellet in novo Nuntio eligendo etiam Ecclesiae Mediolanensis, mitteretque aliquem, cui statum ejus Ecclesiae rerum cum fide exponenti crederet Rex, annueretque libenter. Pontifex cum rem Ambrosianam, & Cardinalis ipsius optima studia, ac merita cordi sibi fore, dixisset, haud sane cunctatus, adjecit ei consultationi animum: & cum aliquamdiu secum ipse deliberasset, accito Cardinale, dixit, se quidem cogitavisse diligenter, quisnam muneri, rebusque agendis aptissimus esse posset: sed circumspicienti cuncta neminem unum occurrere Auditore Millino potiorem. Hominem esse probum, peritum legum, qui decoro cum obsequio, & quieta libertate exponere Regi posset omnia, quae in rem forent: cumque ab judicio hoc, & mente Pontificis animus, & sententia Borromaei haud discreparet, eligitur in id munus Auditor.

Quem Cardinalis postero die accitum in aedes suas (interjecto pariete Millinus illic in proximo habitabat) & de mente Pontificis, novoque munere, & de rebus in Catholica Regia, pro Mediolanensis Ecclesiae statu, ac dignitate agendis docet. Saepiusque postea cum eo colloquutus, operam dedit, ut de controversiae totius natura, quae sibi cum Regiis Ministris esset, probe comperta omnia ab urbe afferret. Aliquantum postea temporis interjicitur, & reverso Mediolanum interim Cardinale, Sedis Apostolicae Nuntius ille proficiscebatur in Regiam. Cumque Genuae transmissionem exspectans, aliquamdiu ex itinere substitisset, Vicarium Albergatum eo misit Cardinalis, clarius adhuc exactiusque consignata litteris omnia ferentem; sed & munera is tulit, quae, & in itinere ipso, & cum in Regiam pervenisset, adspectu, usuque quotidiano, oblivisci Nuntium Ecclesiae Mediolanensis haud sinerent. Munera fuere sacrorum apparatus: intextae auro, argentoque vestes ad quingentorum aureorum summam. Ea cura Cardinali erat Ecclesiae suae tuendae, atque efficiendi, ut ad Regem cuncta sincere perferrentur, ob quae disceptatum ad eam diem tanta contentione erat.

## CAPUT IV.

### *Erga Pontificem obsequium & obedientia Cardinalis.*

AD limina Apostolorum rite salutanda tertio quoque anno mittebat, dabatve Romae negotium hominibus suis, ut eo apud Pontificem, obsequii, & obedientiae deferendae munere fungerentur, religiosissime observans decretum, quod de ea re factum jam inde antiquitus, & a Sixto V. renovatum novissime fuerat. Ad Pontificem Paulum, sicut demonstravi, creatum, misit anno M D C V I I I. Joannem Baptistam Besutium, Abbatem, cui etiam mandata de rebus gravissimis alia ea occasione dedit, inprimisque hoc, ut Vincentii Pinelli Bibliothecam, quae Patavii ab eruditissimo, & elegantis judicii sene multorum annorum studio comparata erat, quantolibet pretio emeret. Empta est quatuor millibus aureorum nummorum, & Mediolanum deinde transvecta, Bibliothecae Ambrosianae pars minima illa quidem in tanta voluminum aliorum copia, sed ob manuscriptorum codicum plane thesauros eadem haud minima pars hodie habetur. Caeterum ea res, & emptio Bibliothecae Pinellianae, superatis difficultatibus, facta feliciter, haud tanta laetitia affecerat Cardinalem, quanta per eosdem dies sollicitudine, ac moerore turbabant ipsius animum ex Apulia nuncii litteraeque allatae de soluta Monasterii cujusdam disciplina, quod Monasterium Abbatiae jure tuendum atque alendum ipse habebat.

Abbatia Sancti Angeli haec fuit, quam a Cardinale Fererio, consanguineo suo, Borromaeus acceperat, una cum caetera ejus liberalitate illustre donum, tunc

cum

cum senex, & dives magnusque vere Cardinalis ille juvenem hunc admiratione virtutis attollendum sibi ornandumque suscepisset. Nemus habet viginti millium circuitu, consitum omni arborum genere, quae sponte naturae proveniunt, quasve etiam manus humanae severe: pomiferaque simul, & glandifera ea sylva est: & exspatiantibus late campis, fruges quoque fundit alias, pecudum, hominumque nutrimenta. Habet in medio duos parvulos lacus, quorum alter in alterum influit. Ibi in vicino Monasterium est, aquarum, & nemorum, & coeli pulchritudine sedes aptissima pietati simul, & Musis, si homines illic alii habitarent. Habitabant Fratres haud quaquam ea solitudinum amoenitate digni: paulatimque coetus ille degenerabat in similitudinem faciemque pecudum, si vita, si mores eorum inspicerentur. Cardinalis, accepto nuncio de nequitiis, & intemperantia Fratrum, Abbati Besutio mandaverat, ut iret, viseretque, & emendaret. Atque ille profectus in rem praesentem, plura etiam, & tristiora reperit, quam quae Cardinali significata erant. Non poterant emendari, corrigive commodius, quam si inde ammoverentur.

Concilium sive Conventus eo tempore Capucinorum Romae forte habebatur. Inde orta occasio agendi cum Patribus, atque percunctandi si forte vellent illuc e suo Ordine mittere nonnullos, idque capessere, & habere Monasterium. Spem impetrandi fecerat, quod haud procul inde Monasterium Capucini habebant insalubri coelo, tentabanturque ibi corpora morbis, neque durare diutius ibi quisquam eorum poterat. Facile igitur accepere conditionem: & quo promtius etiam ea acciperetur, evenerat, ut in eo ipso Concilio Patrum, quod Romae habebatur, Praefectus Ordinis universi renuntiaretur Pater Castel Perettus, ob vitae sanctitatem Pontifici Paulo acceptissimus, idemque Cardinali Borromaeo adeo addictus, ut gloriosum Ordini universo duceret, si occasione ea velut in fidem ejus tutelamque venissent. Cardinalis ea mutatione laetus admodum fuit: sed volebat alimenta de suo assignare Patribus, quod ab instituto alienum esse respondebant. Pontifex de ea re consultus diremit amabilem eam litem uno verbo, cum ita dixisset: *Quia Borromaeus est, fiat, quidquid ei placitum.* Res ita convenit, ut numerus ille, qui mittebatur, alimenta a Cardinale acciperet, si numerum vellent augere Patres, corrogarent alimenta suo more, quantum praeterea opus esset. Monasterium ad Ordinis instituta, mutata totius aedificii descriptione accommodatum, refectumque est. Patres viginti non amplius degunt. Caeterum nulla Capucinorum sedes in iis regionibus pulchrior, amoeniorque facile reperiretur.

## CAPUT V.

### *Federici constantia in tuenda Religione contra Praedicantum dogmata.*

HAud multo postea Cardinali significatur, crescere in dies apud Helvetios, & Rhaetos numerum eorum, qui concionibus impuris prava dogmata proseminarent, & genus infame Praedicantum gliscere per oppida omnia, & pagos. Eo nuncio magnopere turbatus ad Henricum Verallum, qui sedis Apostolicae Nuntius in Helvetiis erat (estque Cardinalis postea creatus) scripsit, exquirens quidnam illud rei esset, & remedia malo quaenam adhiberi possent. Rescripsit Nuncius ad Cardinalem, nimium esse vera, quae de Praedicantum audacia, & temeritate, ac de sectae incrementis ille accepisset: neque aliud in praesentia levamen, quam si aliquot eximiae virtutis, ac doctrinae Theologi mitterentur, qui non modo dictis dicta confutarent, sed etiam innocentia vitae converterent animos, atque ab tenebris, & errore traducerent in salutis iter. Cardinalis cum Praeposito Oblatorum, de ea re colloquutus, Theologos elegit ex collegio quatuor, quos ad ejusmodi missionem, communicatis inter se consiliis, idoneos esse judicaverunt. Fuere autem isti: Antonius Scotus, Antonius Madius, Antonius Calvensanus, & Ferdinandus Amicius, Missionum aliarum experimentis probati omnes, & sua quisque laude nomen inter gregales, famamque adepti. Sed ille, quem ultimo loco nominavi, Amicius, deducere tantummodo caeteros, & Oeconomi velut munere fungi debebat. Huic aurei nummi attributi quingenti, itemque attributa varii generis pia munuscula, quae ad illiciendos animos opportune dividerentur. Ea fuere ad summam aureorum nummorum in praesentia tantummodo centum: sed alia subinde, atque alia mittenda erant, prout ejusmodi invitamentis flecti, moverique animos apparuisset.

Theologi Oblati, posteaquam ad Nuntium Apostolicum pervenere, dividuntur auctoritate, nutuque ejus in Rhaetorum Valles Haeresi infectas. Unus etiam in loca Archiduci subjecta concessit, ut adversus Haereticos ibi rem gereret. Deductor Oeconomusve Amicius, Cardinalis ipsius mandato substitit ad Musochium, scilicet, ut commodius inde, tum scribere ad Cardinalem de actis, & successu collegarum, tum ad collegas mittere subsidia opportuna posset. Successerat interim Verallo Uladislaus Aquinus, qui Cardinalis etiam ipse postea fuit: isque Veralli sequutus exemplum, hac Ambrosiana manu profligabat Haereticos, ac per totum legationis ejus tempus, quod quadriennii spatium fuit, illic mansere Oblati: quos munificentia Cardinalis semper interea sustentavit. Sequitur hanc alia missio Oblatorum, quae non propter Cardinalis modo liberalitatem, sed etiam ob initia, & causas, exitumque rei plausibilior fuit. Curiae Episcopum (est Curia Rhaetorum Urbs) Haeretici spoliarant, direptis a corpore vestibus adeo impudenter, ut ne tegmina quidem interiora reliquissent. Eodemque latrocinio per illius Provinciae fines usi, invaserant templa hostiliter. Sacra vasa profanarant, abstulerantque: & nullo genere contumeliarum omisso, rem Ecclesiasticam eo adduxerant, ut Parochi quoque aufugissent omnes, ac sublata penitus e terris illis Ecclesia esse videretur. Cardinalis, ubi tam indigna, & nefaria accepit, conditioni rerum illacrymasse fertur interiore sensu. Id ex alto silentio, & perturbatione vultus, qui nunciavere, conjectarant.

Caeterum, collecto statim animo, haud distulit remedia, quae in tali tempore tantis illic Ecclesiae malis admoveri potuerunt. Primum omnium habita cura Episcopi dignitatis, ut non modo necessario, sed etiam decoro amictu ille instrueretur. Veluti si Cardinalis ipse spoliatus, nudatusque fuisset, ita celerrime, atque diligentissime omnia comparantur. Episcopale vestimentum unum: pallia, exomides, & cum linteo velamine pileus, dalmaticae, planetae, pluviale, sandalia, calceique Pontificales, chirothecae, mitrae, calix argenteus, paterae argenteae, thuribula, acerra: quidquid demum corpori ornando, sacrisve faciendis, per latrocinia Haereticorum Episcopo ademtum, reponi oportuit, omnia illico parata, coempta, ad nudatum illum uti mitterentur. Simul templis quoque reponenda supellex emitur, atque apparatur. In primisque haec, calices duodeni, planetae, frontalia, vestes, linteae, candelabra, cruces, & omnia fere per duodenos expleta numeros, quae passim ad templa dividerentur, prout spoliatio, & vastitas maxima cuique templo illata esset. Haec omnia postquam in conspectu stetere: deligit ex Oblatorum numero duos, in quorum virtute atque industria plurimum spei habebat: instruit pecunia mandatisque opportunis eos, & ferre omnia in Rhaetiam jubet. Mandaverat in primis, ut de Sancta Inquisitione in eas regiones inducenda cum Nuntio Apostolico, & Curiensi Episcopo agerent: idque uti fieret, magnopere ipse contendebat. Sed obtineri non potuit, quia gens assueta libertati, salutarem eam legem, servitium jugumque appellabat. Maximos tamen, & concionibus, & vitae exemplo fecere motus animorum: & convertebantur ad veram Christi fidem quotidie plurimi: sic Nuntius, & Episcopus ipsi perscribebant. Praedicantes, quin etiam ipsi contumax superbumque genus reverebantur Oblatos, atque permagni aestimabant. Quae omnia significata Cardinali cum essent, non dici potest, quanta laetitia,

titia, & voluptate compleretur ei animus, quoties mittenda ad illos subsidia aliqua essent. Non posse pecuniam collocari commodius, ajebat.

## CAPUT VI.

### *De Concilio Provinciali VII. per Federicum habito.*

CONventum Provinciae Episcoporum, rem diu meditatam, necessarioque dilatam, indicere demum, atque peragere cum decrevisset, anno M D CIX. indixit, peregitque in hunc modum. Neque enim pigebit, actionis, negotiique ejus etiam minima dictu retulisse, quae usui olim esse poterunt, sive imitari ista Pontifices alii auctoresque Conciliorum volent: sive magnificentius etiam fortasse aliquid, sicuti fere amat cura posterior, in ipsa imitatione destinabunt. Magnificentia, consiliisque Federici cuncta sic disposita fuere: Primum omnium anno hoc M D CIX. inter Epiphaniae solennia, templi maximi Archidiaconus e suggestu alta pronunciavit voce: QUOD DEO OPT. MAX. *acceptum, Ecclesiae Mediolanensi faustum, felix, populisque salutare foret, Concilium Provinciale VII. fore celebrandum, ejusque rei initium fore ad pridie Id. Maji.* Erexerat ea denuntiatio exspectatione, & alacritate animos, tamquam rem novam visuri essent, qualia fere populus amat. Nam post Divi Caroli Pontificatum nullum Provinciale Concilium habitum fuerat: & supererant, qui meminissent, avebantque comparare, quae is fecisset, & ea, quae nunc facienda esse praeceperant animis: & magna per Urbem fama rerum ejusmodi vulgabatur. Praeter transferendas exquisitissimo apparatu, & lautissima pompa reliquias, & corpora Sanctorum, succollantibus Episcopis, transvehenda per Urbem, quae munera populo dederat etiam D. Carolus: incesserat rumor, ad veteris Graeciae similitudinem parari disputationes, & certamina scientiarum, qualia post Olympicos ludos nusquam spectata essent: immo qualibus certaminum etiam illorum gloria inveterata penitus in posterum opprimenda foret. Namque Cardinalis, cum ad excolendum, sicuti destinaverat, studiorum altitudine, elegantiaque, & varietate Clerum, Philosophiae, & Theologiae curricula, circumcisis inutilium quaestionum ambagibus, ex illo sex annorum taedio intra triennii spatium accuratissima meditatione circumscripsisset, ejusque novi inventi nobile experimentum ad manum essent delecti juvenes, quos in Collegii Ambrosiani spem inter caeteros seposuerat sibi, & praeparat, statuerat occasione hac, & celebritate Concilii exhibere Provinciae Episcopis, Cleroque Mediolanensi, & Civitati universae oblectamen, atque spectaculum admirabile illud, de quo loqui venturi etiam homines, & saecula alia possent. Propositis, atque circummissis, uti mos est, Thesium, pronunciatorum, locorumque libellis, atque delibatis ex unaquaque nobili secta sententiis, per omnia Philosophantium itinera, & vias, professi sententiae se se defensores in aula, Palatioque Archiepiscopali, circumfusa Episcoporum corona stare debebant adversus Academiarum caeterarum homines, qui disputare contra vellent, immo adversus Academias ipsas novo Philosophorum, ac Theologorum generi, per aemulationem, verecundiamque infensas. Verum certamina, disputationesque istae, sicuti oblectamen potius, & quaedam accessio Concilii, quam pars ulla rerum, futura erant: ita seorsim apud Cardinalis animum disposita in id, apparataque, & provisa cuncta fuere, tunc cum negotia fere haec in curarum aliarum mole pro solatiis acciperet.

Negotia autem ipsa Concilii, quo rectius, meliusque administrarentur, neque confusa, & implicata haererent obstreperentque invicem, excogitavit instituitque privatum quoddam, ac familiare Concilium veluti caput, originemve totidem fere conventibus, quot capita, titulique rerum erant in ipso Provinciali Concilio agendarum. Presbyteri antiquissimi Ecclesiae Ambrosianae totius, peritissimi rituum, periti vitiorum etiam, atque corruptelarum, quas velut in magno corpore diuturna quies gignere potuisset, septimo quoque die congregabantur ad Cardinalem: ac de eorum sententia fuerunt descriptae congregationes, in quibus de partium singularum statu, de necessitatibus, remediisque ageretur. Ejusmodi conventus, ad ea, quae in rem forent, exquirenda, & consultanda, suis quique diebus habendi, quatuor esse debebant. Theologorum unus. Juris Pontificii peritorum alius. Reliqui duo destinabantur, alter, in quo de sacrarum Virginum disciplina agendum erat: alter, qui ad universum Concilii apparatum, & pleraque disponenda pertineret, veluti adornanda hospitia Episcopis familiaribusque eorum: eligendos homines, qui prodirent venientibus obviam, acciperent deducerentque comiter: Concionatores quoque Concilii eligendos, litterasque conscribendas, & mittendas quocumque opus esset: & alia demum, ut in tanti moliminis actione consultanda, providenda, agenda, prout expediret. Hos statis diebus in aula coram Cardinale haberi conventus oportebat.

## CAPUT VII.

### *Synodus Provincialis per totam Dioecesim promulgatur.*

CAeterum, facta, sicuti dictum est, inter Epiphaniae solennia, promulgatione Concilii, litterisque promulgationis ejus ad templi valvas de more affixis, simul consultari omnia coepere, quae agenda essent, simul quaedam jam opportune agebantur. Mittuntur ad omnes Provinciae Episcopos delecti in id appellatique Notarii, qui Concilium eorum unicuique rite denuntiarent, neque Episcopis tantummodo ipsis, sed & Canonicis eorum in singulas Urbes, & iis, qui Urbium, Ecclesiarum, Collegiorumque singulorum nomine testes Synodales esse debebant. Notarii isti ceu Legatorum nomen dignationemque ferentes, litteras etiam ab Cardinale scriptas tulere, quas Episcopis, collegiis, testibus redderent. Inerat perscriptum auctoritate Metropolitana mandatum, ut Concilii causa sistere in Metropoli diem, adesseque deberent. Simul invitatio benigna: venirent libenter tamquam in suam quisque domum. Praeter publicas utilitates, & salutem animarum, ac Dei gloriam, quae praecipua, & unica spectaretur, privatim etiam jucunda, & fraternae gratulationis, ac benevolentiae plena ex mutuo congressu fore omnia, talemque fructum praeciperent jam nunc animis, atque exspectarent. Haec, & coram dixere Legati Notarii, & a Cardinale perscripta tulerunt. Simul Episcopis, Canonicis, testibus iisdem, in manum tradidere tabellas edicti de Concilio habendo perscriptas exemplo eodem, quo & templi Metropolitani valvis affixae erant. Reversi domum tradidere publica documenta Metropolitano Cancellario, testimoniaque actionis, & rei ejus, quemadmodum exhausissent ipsi mandata, & denuntianda denuntiassent, atque agenda peregissent. Haec ad Provinciales Episcopos missa legatio erat Quadragesima ineunte, propterea quod id tempus ob solennium jejuniorum religionem ad rerum initia maxime opportunum visum erat.

Caetera deinceps ordine aguntur. Atque ad pridie Idus Aprilis, quae dies fuit celebritati Palmarum sacra, post Euangelium litterae aliae Pastorales de suggestu recitantur, compositae a Cardinale in hanc sententiam: *Occasione Concilii, frequentiaque Episcoporum, cum veluti tota in Metropolim Provincia conventura esset, honorem haberi Sanctis oportere, quorum corpora exsuviaeque mortales per tantum aevi abditae in tenebris, & oblivione sepultae jacerent. Par esse tandem efferri coelestia pignora in lucem, monstrarique pietati simul, & provocari ita pietatem, honestiusque collocari reliquias munimenta Urbis. Proinde attollerent universi animos spe, & religione, & fide, ut & coelitum adspectu se se dignos praeberent, & exposcerent, atque exspectarent inde divinam opem.* Hae per universam Dioecesim, atque Provinciam dimissae litterae fuerunt. Simulque pompae ipsius ordo describi

bi coeptus, ut quam ſplendidiſſimo apparatu reliquiae transferrentur.

### CAPUT VIII.

*Antonius Seneca Concilio praeficitur.*

INter caetera, quae Cardinalis ad hujuſmodi rerum apparatum, atque deſcriptionem pertinere poſſe exiſtimarat, excogitaverat hoc, ut Antonius Seneca, Epiſcopus Anagniae, de quo homine alibi memoravimus, actioni toti, concilioque intereſſet. Erat hic, ſicuti demonſtratum eſt, peritiſſimus Eccleſiae rerum, & Ambroſiana cuncta, jam inde ab D. Caroli Pontificatu edoctus, optime, certiſſimeque omnium poterat, & quae eſſent acta, meminiſſe, & cernere, quid porro agi, ſancirique expediret. Is venit hoc tempore Mediolanum, eſtque a Cardinale acceptus non modo tamquam prudens, & fidelis amicus, ſed etiam veluti ſpecimen unicum antiquitatis, & veluti exemplar Divi Caroli morum, ex cujus diſciplina parvi jam ſuperſtites erant, peritia, & ſeveritate certe nullus par ei habebatur. Proceſſere venienti obviam ad templi valvas Clerici, Canonicique primores: & poſteaquam ab ſcalarum adſcenſu conclavia ſenex intrabat, Cardinalis ipſe obvius fuit, familiariſſimeque amplexatus in cubiculum ſuum, atque inde ab unius horae fere colloquio in paratum ei conclave deduxit; ſed & Melinianum uſque ad X. ab Urbe lapidem emiſſa carpenta, & quadrigae familiares veluti triumphantem Epiſcopum invexere Urbi, magna omnium admiratione, quod hunc illum eſſe meminiſſent, qui turbatis olim rebus, ob certamina cum Regiis hinc pene aufugiſſet. Campanae inſuper, & organa muſica plauſere hoſpiti, & alius ei honor omnis habitus eſt, veluti ſi Purpuratorum ampliſſimus ingrederetur. Sic Cardinalis ipſe mandarat, Eccleſiae defenſorem, D. Caroli alumnum oſtentare populo per haec volens. Hoc igitur adjutore, & participe conſiliorum omnium Epiſcopo Seneca utebatur Cardinalis, ut tota Provincialis Synodi res ordinaretur ad eam formam, qua D. Carolus Concilia ſua celebraſſet. Et quia exactis jam Quadrageſimae diebus ſuberat, appropinquabatque tempus, & dies indicta Concilio, ſupplicatio per Urbem habita eſt, Cleruſque, & populus univerſus per Dioeceſim etiam, Provinciamque totam, miſſis aliis ad Epiſcopos, & Vicarios epiſtolis, invitatus eſt ad divinam opem expoſcendam cum ea precatione, ut Concilium Provinciale Mediolanenſe VII. bene, ac feliciter eveniret. In id etiam Apoſtolicae indulgentiae pleniſſima munera proponebantur, quae Cardinalis a Pontifice Paulo impetrarat. Haec ad Concilii ſalubrem, frugiferumque exitum, humanis conſiliis, & divina ope praeparabantur.

Caetera in hunc modum, acta, diſpoſitaque ſunt. Templi maximi moles depromto, & propoſito quidquid auri, quidquid argenti, quidquid gemmarum, & pretioſae veſtis, omnis populi Mediolanenſis aetas, atque per tot annos effuſa in pios ſumtus religio Civitatis accumularat; addita inſuper ſolertia ingeniiſque artificum, & praeſertim nobilitate tabularum, ac picturae fere miraculis exculta ſic ſtetit, ut Solis vere ſimulacrum dici poſſet. Namque ſimilitudine hac, & hujuſmodi plane verbo uſum fuiſſe memini ſcriptorem etiam antiquum, dum imaginem unius domicilii repraeſentare ſplendidiſſimam vellet. Ichnographia ſubſelliorum, inter acta Concilii delineata, relataque eſt ab iis, quibus cura haec fuit, ne ad ſcamna cathedraſque deſcribendas fruſtra nunc ego abierim. Media regione templi, qua D. Caroli ſepulchrum ſumma altitudo templi illuſtrat, oſtenditque coelo, tabulatum ad theatri formam, leniter a terra altum, adſtructis ab imo gradibus ſtetit. Ibi ſedes facta Concilio, totumque ſeptum decoro velamine circumtegebatur, totidem intra opertum deſcriptis ordinibus, quot claſſes intereſſe Concilio debebant. Prima claſſis futura erat Epiſcoporum, eaque flexuoſo ſinu corona deſcripta conſeſſui Patrum fuit. Hanc claſſes caeterae, prout cuique plus minuſve dignitatis, ordine ſubſequebantur. Ad theatri caput, ſolium Archiepiſcopi poſitum eſt: & aliud pari ornatu ſolium, ſed huic ad laevam ſolium Epiſcopo Cremonae manebat, quoniam Urbis ejus Epiſcopus tunc e Cardinalium forte numero erat. Epiſcopi interim ipſi, appropinquante die, partim venerant jam, partim in procinctu ſtabant, ut venirent, prout quique prope, longiuſve ſiti, potuerunt differre iter, vel antecapere debuerunt. Cardinali in primis cordi fuerat hoc, ut ſinguli advenientes quam honorificentiſſime exciperentur.

### CAPUT IX.

*Apparatus & ordo excipiendi Epiſcopos Provinciales.*

ITaque ex antecondicto compoſita cum eis, atque inita ratio haec fuit: Profectus ab domo quiſque, nuntium, litteraſque praemitteret in Urbem, ex quibus ſciri poſſet, quonam is die, quave hora intraturus eſſet. Id ita condictum, cum ab unoquoque ſervaretur, mittebatur ex Cardinalis familia venienti Epiſcopo obviam aptae ad id urbanitatis homo, per quem in certam ſtationem ad tertium ab Urbe milliare ille deduceretur. Veniebant inde rurſus Nuntii in aulam, & Vicarius Generalis illico cum ſejuge curru, progreſſus ad eum locum, Cardinalis nomine accipiebat hoſpitem, deducebatque ad portam Urbis. In porta praeſto erat Epiſcopus Seneca multo comitatu, & agmine carrucarum, curru vectus ipſe ſplendidiore, qui majeſtatem, & opes, ſed & modeſtiam, atque gravitatem Cardinalis Heri praeferret. Eo invitatus tranſgreſſuſque provincialis per civium ora deportabatur in aulam, primumque depoſitus ad templi maximi valvas, honoris ergo, admonitus ita, rogatuſque Pontificalia jura uſurpabat, tamquam in ſua Urbe populo benedicens inter ſigna gratulationis eadem, quae, & Senecae ipſi exhibita fuiſſe narravi cum ille quoque intraſſet. Volebat namque Cardinalis intelligere, & videre omnes, quanti faceret ipſe dignitatem hanc, quae ſalutis publicae cuſtos, & vicaria Apoſtolicae poteſtatis, tantumdem eſſet ſemper officiis, & favore Principum attollenda, quantum etiam contrariis aliorum ſtudiis, & inſectatione malorum eadem aliquando afflicta eſſet. Ita ad Epiſcopos omni caritate, & honore complectendos hoc maxime tempore Cardinalis moverat animum ſuum, dederatque exemplum, unde magnitudinem ſuam ipſi quoque circumſpicerent, atque aeſtimarent. Ad primos ſcalarum gradus obvia comitate, & amplexu teſtatus, quam libenter unumquemque videret, addebat deinde ſignificationibus amoris etiam quidquid praeterea reverenter in eos fieri poſſet, ac faſtigium ipſe ſuum mediocribus Epiſcopis tanto nomine tantaque fama Purpuratus ultro ſubmittebat. In ſua quoſque conclavia, & ſingulis apparatas in Palatio domos, Palatiive partes deduxit, atque collocavit ibi ſua quodammodo manu. Capit ſane Palatium Archiepiſcopi trecenta fere cubilia, totidemque admittere hoſpites poteſt.

Caeterum, pro ea amplitudine, & laxitate, quam Cardinalis Epiſcopis, familiaribuſque eorum eſſe volebat, non ſatis id eſſe tecti, ſatiſve cubiculorum ratus, juſſerat vacuas fieri Canonicorum quoque aedes, ut ea domicilia Provincialibus eſſent. Illuc igitur Cardinale ab ipſo inducebantur: ac ſaepe poſtea ventitando ad ipſos, hoſpes quodammodo eorum fiebat. Domicilia ſingulis adeo inſtructa fuere, & ſupellectili, ornatuque omni, & praeter uniuſcujuſque familiares, atque aſſeclas, aulico quoque famulatu, & quotidiano penore, omnibuſque neceſſariis ad Pontificalis menſae dignitatem, & ſine luxu delicias, ut, cum ſplendorem, liberalitatemque Cardinalis ſine fine Epiſcopi admirarentur, tum vero multo magis intermicantem huic magnificentiae modeſtiam, ceu Apoſtolicum nobile exemplar ſpectarent aſſidue animis, demumque ſecum inter caetera auferrent, quae praeclara, & magna notare potuerunt. Praeter munificentiam vero illam, qua ſuppeditabantur unicuique ad nutum omnia, ſi qui privatim intra hoſpitia ſua cibum ſumere voluiſſent, exquiſite adornata erat aula triclinii, in quo publice omnes, prout cuique voluptas,

ptas, epularentur. Epulae erant non magis apparatu caetero, quam sermonibus, & humanitate Cardinalis ipsius nobiles, & jucundae simul. Legebantur super mensam aliquamdiu sacra Biblia, Vitae Patrum, Concilia antiqua, vel ejusmodi aliquid; ubi legendi finis factus, tunc disserendi initium a Cardinale fiebat elegantia simul, & eruditione, atque urbanitate, quae propria ejus fuit. Et amoenitate ea convivii delectatus Provinciae Gubernator, interesse, atque accumbere una concupivit. Petrus Azevedius erat, cognomento Fontes, inter Flandriae bella senex factus magna militari fama, sicut alibi demonstratum esse arbitror: idemque profundus, & asper ingenio habitus, neque expers cum Ecclesia certaminum jam inde ab eo tempore cum Seneca Vicarius Mediolani fuisset. Sub horam fere prandii die quodam ille convenientibus in triclinium Episcopis obrepsit, multaque cum hilaritate Cardinali supplex precari institit, uti admitteretur. Res fuit plena hilaritatis, & jucunde accubuere omnes. Sic dies ille transiit. Post aliquot inde dies Gubernator idem rogavit ambitiose Cardinalem, ut & prandere ipse vicissim in aula vellet, & in id convivium adduceret una secum Episcopos; quod comiter benigneque factum, commota Hispana gravitate ad Cardinalem cum reliqua Pontificali cohorte excipiendum, & plaudente populo, quod ea pignora pacis inter aulam utramque cernebantur.

## CAPUT X.

### *De forma peregrinationum Borromaei in visitanda, lustrandaque Dioecesi.*

Circumire, ac visitare Dioecesim jam inde a temporibus Apostolicis ducta, & continuata imitatione sancitum ne ille quidem umquam omisit, licet partium, regionumque singularum proprii visitatores, certique essent. At sicut in caeteris rebus, ita etiam in hac officii parte plane singularis, atque admiranda sollicitudo Pontificis fuit. Ediditque ibi exempla, qualia nec potuerant excogitare priores, & omnis deinceps Catholicae Ecclesiae aetas celebratura est. Nec dubito ego, quin novum atque nimium possit hoc videri, quod ponam, nisi res confestim ipsa veritate sua, & simplicitate se se tueretur. Quippe D. Carolum omnis disciplinae Magistrum illum atque instauratorem, & parentem coelesti munere datum, non quidem sollicitudine, & gravitate visitandi, sed quadam etiam elegantia Federicus haud dubie superavit. Idque tanto, & facilius huic fuerat olim, & pronius hodie ad fidem, credibiliusque fit, quia D. Carolus accesserat ad incomposita, & inordinata, & soluta cuncta, satisque negotii habuerat in eo, si mores, vitamque Clericorum ex magna colluvione, ac licentia in aliquem tolerabilem statum adducere potuisset: Federicum emendata ab illo, & constituta omnia excepere, ita ut ornatum, & decus, & majestatem addere rebus, cum vacaret ei, tum vero ipsum majestas eadem, & quaedam expolitio Pastoralis officii sequeretur. Templa, & sacra, Praesidesque sacrorum, & ministri minores, & succrescens Ecclesiae soboles, futurusque Clerus, & populus universus, incolae agrorum, montium, valliumque incolae, quo raro penetraret Sol, hoc adventante Sole nitescebant. Cumque nulla stata tempora visitationum Cardinali essent, & quolibet tempore anni, ille tum hieme summa, tum caloribus maximis, inter imbrium etiam, ventorumque molestias, quamvis longinqua, & aspera, & confragosa adiret, semper exspectatus, semper ante oculos veneratione, metuque erat. Ac fiebat hinc, ut pro se quisque, haud aliter, quam in Ducis Imperatorisve conspectu milites egregii, tribunique, & centuriones, tum probe instructi, & accincti ipsi apparere, tum ad eamdem formam exhibere suos, atque approbare vellent. Ita, scilicet, non sine quodam etiam certamine Praefectorum, pioque aemulatu, res Ecclesiastica Cardinali adornabatur. Cumque auctior, sive melior jam ea fieri non posset, politior, atque splendidior certe fiebat, super caeteram providentiam artesque Cardinalis, etiam assidua ista exspectatione visitationum, & rursus majore incremento postquam ipse aderat.

Porro, visitandae obeundaeque Dioecesis ratio, sive forma duplex fuit. Praecipuum, ac solenne genus erat illud, cum ab inspectione templorum Urbis haec profecta cura, suburbanum Clerum, dein proxima, mox continua, hinc longinqua ordine adibat, donec ad extrema pervenisset. Isque lentissimus cursus omittebatur interdum, & per annorum etiam intervalla repetebatur, prout otium fuerat, prout curae majores tulissent. Excursio interim erat alia, crebra, repentina, inopinata, quacumque inspici, emendari, componi aliquid oporteret, sicuti nota ipsi cuncta erant. Ad visitandam autem ita Dioecesim prodibat eo comitatu, eaque itineris modestia, & disciplina, quae ipsa quodammodo perageret censuram, atque exemplo, & imitatione ad virtutem alliceret animos, animumque cogeret venerari, qui tam manifeste in coelum e corpore emineret. Quacumque transveheretur sive subsisteret, nulla intermissio fiebat, tum officii, curaeque Pastoralis, tum studiorum, atque meditamentorum, quae postea nomen ejus, & famam supra mortale pene fastigium extulere. Ea namque, sicut alibi dictum esse arbitror, parcimonia temporis dedit librorum haud dubie molem, quos ipse reliquit. Atque id, scilicet, considerare debebunt, si qui forte mirati erunt, quomodo potuerit occupatus unus Vir tantae Urbis Pontificatu tanta, & talia, & tam multa ingenii opera absolvisse, atque edidisse. Si per loca sola, atque occursu hominum vacua iter esset, commentabatur assidue aliquid, sive scribebat, excogitata nimirum ratione, quemadmodum lecticae gestamine pugillarium usus haud impediretur. Ubi inciderat in coetus agrestium, effusaque ex pagis turba, positis humi genibus, ad famam advenientis impleverat viam, moratus paulisper, salutabat, alloquebaturque populum, & brevi conciuncula confirmabat: interrogabat etiam num Christianae Doctrinae elementa didicissent. Qui recte responderant, interrogationique satisfecerant, rosaria, icunculasque sacras his dabat: & pecuniae quoque dividebantur in eos, qui hoc potius genere liberalitatis indigere viderentur. Nihil in comitatu supervacaneum, nihilve ambitiosum, aut studiis herilibus alienum, ingenia, librique conspiciebantur. Hic erat incessus, & forma agminis haec, quotiescumque Cardinalis ad recognoscenda, & inspicienda templa peregrinaretur.

Ubi vero ad loca destinata pervenisset: tunc scilicet alta Viri mens, altus animus emicabat magis, atque sollicitudinum Apostolicarum viva, & spirantia simulacra cernebantur. Nec ipse modo sollicitudines vere eas, animosque repraesentabat: sed quoque adisset populus universus, & agrestes, viri, feminaeque, ac tenera aetas, & quidquid nobilium rura incoleret, simplicitate, & concursu, & flagrantissimo amore, & desiderio videndi, audiendique Pastoris, primam illam nascentis Ecclesiae aetatem, & tempora nondum corrupta renovabant. Submoveri turbam necesse erat: idque cum fieret, pene obtriti quidam: & irruentibus in eum cunctis, dum contingere vestem, osculari vestigia cupiunt, haud procul periculo ipse quoque interdum fuit. Inter plausus, laetosque clamores, & gaudentium quoque lacrymas, templo illatus, adorato Numine, paucis e suggestu verbis adventus sui causas, amorem erga ipsos, cupidinemque salutis eorum: monstranda itinera ad salutem, erroresque tollendos: & vitia populique ejus, si qua essent, propria, & nota perstringebantur. Sive factiones, & inimicitiae, odiaque, & aemulatio, & livor, rustica mala lacerarent gentem: sive comessationibus, & aleae populus ille deditus esset: sive contrarium huic vitium avaritia, & impermissi quaestus, & foenebre flagitium, sive demum alia grassarentur, quae, ut hominum, ita locorum, pagorumque singulorum propria vitia sunt: ad ea excutienda, ad malas hujusmodi radices exscindendas, atque exstirpandas venisse ipsum, & adesse professus monebat, praepararent animos accipiendae sementi, quae frugem meliorem datura

tura esset. Adeo celsus haec, mitisque concionabatur, ut missam e coelo vere salutem, & remedia suis malis oblata vere eo die unusquisque existimaret. Ineratque admonitioni salubre temperamentum, ne se notatos esse, sive perstrictos morosi semper, atque suspicaces ad hanc rem pagani interpretari possent. Mox consentanea omnia fiebant concioni admonitionibusque illis: & parati erant, qui confitentibus aures darent, potestate absolvendi majore, quam quanta alias permittitur. Ipse quin etiam per aliquot horas in sacro Tribunali considebat: adibaturque haud aliter, quam sicuti suarum quisque culparum veniam tacitus ab Numine exposcit. Multa, quae ad eam diem pravus confitendi pudor exitiabili silentio sepulta, & oppressa tenuerat, extorsit, ac depromere coegit melior verecundia violandae tantae majestatis tamquam inexpiabili scelere, si fraudassent Pontificem, & occasione abuterentur. Ita & mysterio hoc, quo sordibus elutis vita purior instauratur, & aliis praeterea mysteriis, quae mortalium animos Numine implent, quaeve muniunt eosdem, & firmant, renovatam, firmatamque Deo, & Ecclesiae gentem non ante relinquebat, quam si quae fuerant etiam inter eos jurgia, composuisset. Et conciliante eo animos, vinxere inter se dextras rustici nobiles, qui pertinacia inimicitiarum, atque implacabilitate famam habere volebant, ac fecerant id jam sibi nomen, tantumque profecerant, ut apud urbanos quoque sanguinarios in honore essent, ac magistri caedis ibi haberentur.

Memorabo casum unius, qui procerum Urbis quum haud sane ultimus esset, rura sibi Urbem fecerat, ac magnitudine facinorum, judicia, judicesque, & fasces ipsos, imperiumque contemnebat. Posito in extremis Provinciae finibus domicilio, solutam quamdam, ac sui juris vitam agebat, receptator exsulum, & exsul aliquamdiu ipse, postea redux, eo usque progressus, ut externi Principis uxorem, cum ad maritum sponsa deduceretur, raperet, sibique haberet, ac justo denique matrimonio jungeret: & nuptias illas innuptas celebrari nostra aetas vidit. Domus erat illa velut cruenta officina mandatorum, capite damnati servi, & capitum obtruncatores: non coquo, non aquariolo cessare licitum erat: pueris imbutae sanguine manus: & facili in Cenomanos, Bergomatesve transitu, tanto magis contumax adversus edicta, majestatemque imperii hujus familia tota erat. Herus ipse cum solum aliquando, nescio qua de causa, vertere statuisset, adeo modeste id, adeoque occultus, trepidusve fecit, ut per mediam Urbem cum suis canibus haud sine tubae etiam sonitu transveheretur, Regiaeque ipsi obequitaret, ac Regio Gubernatori dicenda convitia portae custodibus in transitu mandaret. De hoc homine fama erat, tamquam domitis etiam adversus Ecclesiae leges, & mysteria fraenis, in praecipitia penitus, ac derupta abiret. Sicut ingenia ejusmodi sunt, numquam id obiisse mysterium, ajebant, ut peccata confiteretur. Voluit iste accedere ad Cardinalem, cum haud procul terribili domicilio, visitationis ordine, incessuque constitisset. Facile, benigneque admittitur. Duas amplius horas in colloquio retentus est. Quae dicta fuerint, haud sane comperimus, quia neque Cardinalem interrogare quisquam nostrum super ea re auderet, neque alter ille quidquam est effatus. Tanta certe mutatio repente facta est animi, & vitae, morumque illius, ut mirifica, & magna, & nova res ad colloquii virtutem, & efficaciam, haud dubie referretur: opusque Cardinalis id familia tota illa gladiatorum agnosceret, ac, velut erepta sibi stipe, detestaretur.

Etiam alia per utramque Provinciam locis opportunis dispersa familia, quam truculenti nutus, & patratae, vel patrandae caedes, alebant, mansuefacto hero, ducceque, sensere damnum. Simul plerique procerum Urbis, multa, & occulta consiliorum atrocium, funestarumque rerum societate cum eo conjuncti, posteaquam ea, quae communicata, & inchoata facinora habebant, relinqui ab eo, deserique senserunt, intellexere simul, id quod erat, diversa itinera vitae ingressum, neque tantae rei, mutationisque auctorem ignoravere. Et externorum quoque Principum nonnulli, quibus particeps, & minister alicujus saepe magnae caedis ex longinquo ipse fuerat, sive, qui auxilia, & ministros ei saepe miserant, cito sensere mutationem. Sed causam anxii exquirebant, donec hanc etiam pertulit fama, & nuntiavit.

Ego, sicut augendae rei causa, nihil ex vano attulisse, velim: ita ne his quidem demere fidem debeo, quae comperta habemus. Vidi paulo post eum virum in cruda adhuc, viridique senecta, nihil ex pristina ferocia retinentem, praeter vestigia, & notas, quarum argumento natura unumquemque nostrum insiti vitii reum facit. Et has tamen ipsas recens assumta mansuetudo castigabat, scilicet, atque inflectebat, ut quasi magno verbere victam, & domitam esse naturam appareret. In regione tertia (divisit ita regionatim D. Carolus, descripsitque Dioecesim universam) acciderat hoc, qua Mediolanensem agrum attingeret Bergomensis, nisi flumen Abdua interjiceretur, quo disterminantur hae terrae simul, & junguntur. Eaque semper confinia placuere istis, qui adversus unius imperii terrorem, & minas, tamquam in sinum alterius transilire meditarentur. Est in ea regione Vallis Sancti Martini, quae dicitur receptaculum fere exsulum, quia mediis, ut dixi, sive extremis inter duo imperia terris, confinia securitatem praebent: & semper, aut ex Mediolanensi agro transfugiunt aliqui illuc, aut inde vicissim ad nos transfugere parant, excubantque illic qui in sua patria suspensam, atque vecordem inter scelera vitam degunt. In ea forte regione insignis unus latro delitescebat, ob multa latrocinia, multosque spoliatos, aut interfectos homines, celebri etiam inter latrones alios fama. Severi Praepositum appellabant, quia Clericus iste olim, postea Sacerdos, deinde titulum eum, Ecclesiaeque Praefecturam adeptus fuisset. Obsidendoque vias iste (etenim viae militari, qua Novocomum itur, templum, domusque imminet) impetum faciendo in viatores, foedeque interemtorum jumenta, & mercimonia, &, ne indicia exstarent, cadavera ipsa comportando in sepulchra, speluncamque suam, cum aliquamdiu grassatus impune esset, exitum hunc denique habuerat, ut, abominante id monstrum Cardinale, comprehensus, remigio damnaretur, ruptisque postea vinculis, nescio, ex carcere, an ex triremi ipsa profugus, in eas, quas dixi, latebras ex Bergomatum confinia se se abdiderat, occultissimo inter paucos murmure stare intentum in occasionem aliquam alloquendi Cardinalem: verbumque erat ipsius, ausurum se aliquid, de quo saecula ventura loquerentur. Haud dubie participes murmuris rumorisque ejus tale quiddam animis destinabant, & secreta aestimatione vaticinabantur, quale olim etiam in D. Carolum scelestissimus ille Farina tentarat. Nulla ejus rei cura, vel cogitatione Cardinalis, cum Paroecias Vallis, & templa circumiret, ac venisset inde Leucum, Hispanus homo, municipii ejus, arcisque Gubernator, cohortes duas armatorum misit, editis ejusmodi mandatis, ut Cardinalem, quacumque iret, & quocumque divertisset, diligentissime comitarentur interdiu, noctuque in statione essent. Id fieri Pontificis honoris causa, ajebat. Caeterum illa tacita suberat cura, ne latro desperatus irrumperet alicunde palam, sive disploderet alicunde ex occulto Cardinalem. Ipse, ubi stipatores circa se armatos vidit, causamque adventus eorum accepit honorificam illam, collaudata Gubernatoris voluntate, redire in arcem eos, jubet. Negari enimvero illi, se abire posse injussu ejus, a quo missi essent. Mittitur ad Gubernatorem Hieronymus Alferius, de cujus fide, ac virtute, & gratiae loco, quem apud Cardinalem is teneret, alibi dictum est. Huic suspicionem de latrone illo suam cum exposuisset Gubernator, essetque Cardinali renuntiatum: tanto magis ille subridens, jubebat abire milites: & abiere.

Mox accidit, quod D. Caroli casum illum, & irritum Farinae scelus, praesentia Numinis, & miraculo pene aequaret. Ad Bosisium forte ventum erat: (hoc no-

nomine pagus haud procul ab Leuco abest) Ibi Cardinalis, cum in aedibus Parochi moraretur, ex hominibus illis, qui Vallem, non tam quia patria esset, quam quod sedes opportuna flagitiis, ut demonstravi, incolebant, unus fecerat sibi consuetudinem saepius adeundi Cardinalem, atque colloquendi cum eo, tamquam ad Ecclesiae statum, & Cleri illius disciplinam pertinentia nonnulla sibi comperta afferret: isque, & facile admittebatur, & audiebatur libenter. Quinquies admissum fuisse constabat, haud toto biduo, quo Cardinalis in eo pago substitisset, finita visitatione, & Cardinale absente, nondum finem ille sermonum ejusmodi faciebat: accedere, & alloqui adhuc volebat. Cum jam erigeretur agmen in montes, & procedere familia coepisset, atque aera campana de more pulsarentur, laterique affixus ille iret pari pene gradu, decidua e sacra turri nimio forte sonitu plumbea pila ita delapsa est, ut in sinistrum ejus pedem absque alterius ullius noxa recta ferretur, gravissimoque vulnere afflictus ille, ac pene exanimatus retro collaberetur. Fit clamor atque concursus in eam undique partem, quia, tendente illac Cardinale, timuerant, ne tactus ipse forte esset. Quamquam praesentior jam res erat, & illud in vili corpore damnum ante oculos, trepidabatur tamen adhuc, atque exclamabant, ob magnitudinem periculi omnes, quid futurum fuisset, queritantes, si tantulo illo momento aberravisset ictus in caput ejus, unde salus omnium, & vita penderet. Ipse nihil ad eum casum, easque voces ultra commotus, quam, ut tolli ab humo hominem, seduloque curari, juberet, instituto itinere abibat. Dictum ita creditumque est, hominem fuisse hunc, apud quem Sevesi Praepositus latro delitesceret, atque occultaretur. Quid facturi fuerint, quidve per speciem colloquii molirentur, quamve sceleri viam struerent, incertum fuit. Ego casum eum, insecutumque rumorem omittere non debui. De tota re pro suo quisque sensu suspicabitur, aut credet.

## CAPUT XI.

### *Lustrata Dioecesi Cardinalis redit in urbem, excipiturque maxima omnium gratulatione.*

Rediit postea Cardinalis in Urbem: unde aliquanto post Leucum profectus, illuc praegressa fama conciverat ex Bergomensi Dioecesi multitudinem, quantam, nisi qui subjectam haberent oculis, credere possent. Et qui eorum longius siti fuerant, antecapto tempore, venerant biduo, triduoque citius, ne videndi Cardinalem occasio ea sibi de manibus eriperetur. Haec e pagis, municipiisque omnibus, & ex Urbe ipsa, velut ad celebre spectaculum effusa Bergomatum multitudo procubuerat totis campis, planitiemque subjectam templo, quod forte adibatur, praecipue occuparant. Attulerant cocta cibaria secum, & culcitras, velut exspectaturi, pernoctaturique si res ferret: & posuerant tentoria, quibus in promiscuo illo grege superbia haec, altiorque fastus. Cardinalis primo quidem ingressu, & adspectu, nihil aliud, quam tacitus ipse secum admiratus fuerat, undenam tot millia mortalium in iis locis, atque in ea pene solitudine essent. Postea vero templum ingressus, peracto solenni, cum iterum e superiore loco conspicaretur internitentem turbis multam quoque nobilitatem, & multa pretiosa veste collucentes campos, scire voluit, quinam ii essent. Respondetur Bergomensem esse populum, totamque fere Dioecesim videndi ipsius causa congregatam. Et ille: *Quin igitur*, inquit, *comiter accipimus hospites, benigneque tractamus?* Dixerat haec, & statim mandavit, uti populares quidem, incolaeque regionis ejus exirent templo, advenae vero in locum ipsorum inducerentur. Idque cum fieret, mirifica alacritas cerni potuit tum eorum, qui egrediebantur, tum eorum, qui velut adoptati succedebant. Velut certamine quodam urbanitatis, invicem, & cedebatur loco, & gratiae agebantur. Auxitque Cardinalis ipse nova liberalitate laetitiam, dividendo sacra munuscula in eos, qualia suis etiam dare consuevit, quocumque adesset.

Nos, talia intuentes, rem dignam esse dicebamus, cujus alicubi simulacra pingerentur, quomodo, scilicet, Romanum Imperatorem, haud dissimile quiddam in atrio libertatis, opinor, pingi jussisse, ferunt. Utinam vero ego hoc saltem nostro picturae genere aliud ejusdem diei spectaculum repraesentare possem. Inclinato ultra meridiem Sole, peractis omnibus, quae agenda ibi, obeundaque erant, statuerat Cardinalis ex eo loco proficisci, ut ad alium ejusdem Vallis pagum prima vespera perveniret; ingrediturque iter. Sequitur & multitudo universa illa composito agmine, cui grandioris formae crucem nobilis Matrona praeferebat, succedentibus invicem oneri aliis Primoribus ex eo comitatu viris, feminisque, prout cuique languor, aut vires. Per omnes montium eorum anfractus sequi statuerant. Iterum, tertioque dictum est, ut abirent domos. Et Cardinalis ipse retro conversus, benedicebat agmini Bergomatum, & subsistere, atque abire jubebat. Postquam sequi constanter perseverabant, stimulante Cardinalem cibi alicujus desiderio (etenim jejunus adhuc forte erat) aliquamdiu quidem sustinuit tormenta famis distulitque, & duravit adversus suam ipse necessitatem, existimans denique abituros. Denique cum neque discedere isti vellent & fames urgeret, accitis duobus, sub quorum custodia, commeatus aliquid erat. *Agite*, inquit, *ostendamus istis, levi, & parabili victu nos esse contentos:* insidensque mulae, sicuti constiterat, in collis vertice turundula panis aridi, & frigidae potu reficitur. Tunc enim vero tantus cum gemitu clamor exortus est, ut circumjecta nemora collesque resonarent. Turbaverant animos admiratio simul, & pudor, & dolor, & tales esse Pontifici mensas indignabantur, memores, & quemadmodum per campos, & prata nuper ipsi epulati essent, & quomodo ventrem implere domi quisque consuesset. Aberatque suspicio, quidquam esse ostentatum; quippe constante fama sic fere vesci, & sic potare Cardinalem. Id Parochi omneis ad quoscumque divertisset, Praepositive testificabantur: & nonnulli eorum erant in comitatu, agmineque eodem. Hinc admiratio major. Et simplicitas ipsa, gratiaque, & lepos, & amoenitas, qua inter ejusmodi epulas, toto inspectante populo usus fuerat, testificari possent nihil subesse ficti, vel simulati, etiam si caetera fides, notitiaque consuetudinis ejus abesset. In Vallis Sancti Martini, quae Venetae ditionis est, & imperio huic jungitur, ista acciderant.

## CAPUT. XII.

### *Apostolicae Majestatis violatores vindicat Federicus.*

At in Rhaetorum finibus, qua Montes, & Valles ei communitati subjectas haec Metropolitana Jurisdictio sibi terminum facit, simul deforme spectaculum violatae Apostolicae Majestatis oblatum Cardinali est, simul egregia occasio vindicandae ejusdem. Montanaeque calliditatis, & audaciae facinus, nescio, horribile magis, an pene ridiculum invenit pariter, ac sustulit, fueratque ejusmodi res, quae, cum ab sylvis, & antris, & rupibus inter ferarum pene cubilia nata esset, acumine, & subtilitate, & elegantia, mirabilique successu ingenia quaelibet urbana non superare modo, sed etiam eludere potuerat. Ac si parum id cuipiam fortasse videtur, aulam etiam, & Principes, & Pontifices, & Regna Regesque ludificata est. Novae arti novum nomen inditum erat.

Manciam appellabant, &, qui factitarent eam, Mancianistae dicti. Origo nominis incerta mihi nunc. Initia haec fuere: Sylvestres homines pertaesi sterile solum, & parce, ac duriter praebentem alimenta terram, coepere primum exire, ac peregrinari, quacumque sors animusve tulisset. Exibantque singuli primo, dein bini, quaternive, mox plures, postremo virorum familiae totae gregatim, egressi finibus dividebantur: & alius alio profecti coibant rursus, ea, quae adepti essent, in commune conferentes, comportantesque domum. Ac primis quidem hujus institutae con-

consuetudinis, peregrinationisque temporibus, nihil aliud, quam stipem, victumque corrogabant, solito mendicantium more, seminudi, vel in rimosa, turpique veste, quae misericordiam intuentibus stomachumve moveret. Interimque icunculas, & crepundia, quae pueris, mulierculisque darent, circumferebant: & precatiunculas quasdam, inflexa leniter voce, cantitabant, parcius, largiusve, prout accipi haec vidissent, atque commendatione hac subsidioque utentes, longius ab domo quotidie peregrinabantur, ac Romam fere commeabant. Ad limina praesertim illa mendicabant. Postea vero, cum peregrinando diu ita, & supplicando circulis hominum, & subauscultando, quae dicerentur, & in aulicorum quoque cubicula specie ministerii alicujus, intime penetrando, & speculando omnia, quae publice, privatimve fierent, ac praecipue intuendo Legatos, & Nuntios, hominesve alios, qui a Pontifice Maximo in varias partes quotidie dimitterentur, quive Romam aliunde venirent: cum per haec, & alia, quantum satis erat aulici moris, consuetudinisque communis, ipsi quoque collegissent, ad rem atrocem juxta, & facetam adjecere animos, ut Pontificias Legationes, & munera Apostolica ementiri auderent, fictisque personis, quoquo visum esset, abesse ipsi legarentur. Ejus quoque flagitii fuere quasi gradus quidam: & leviore ausu fortunam experti, postquam impune erat, ad majora accinguntur: erronesque mendici portenta dederunt superatura fidem hominum, si qui olim legere haec volent. Visitavere Provincias tamquam Pontificali auctoritate, & nutu: tamquam ab Roma missi censores: tamquam arbitri rerum, & disciplinae sanctioris magistri. Tulere composita suo Marte mandata ad Principes, ad Reges, atque his dedere muneri qualiacumque ossa, & vestes, & ligna, pro reliquiis gestaminibusve sacrorum, fragminibusve crucis ac patibuli Divini. Promulgavere coelestis indulgentiae edicta; tabulasque novas abolendis hominum culpis arbitratu suo composuerunt. Composuere anathemata, & diras: inauguravere templa: initiavere sacris: consecravere imagines: diremere lites: fundavere Paroecias: dispensavere Sacerdotia: matrimonia solverunt: & inter quos iniri ea rite non poterant, jus, facultatemque dedere: consobrinos, patrueles, & fortasse fratres, ac sorores ad connubii licentiam pretio accepto liberaverunt. Suprema Romana potestate fieri talia, dictitantes. Omnia demum alia, quae Pontifex ipse, Pontificiusve Legatus, facere, sancire, instituere, corrigere, abolere posset, fecerant etiam isti, finxerantque, & imitati erant, cum mercatum, & quaestum sibi quemdam ex ea ludificatione instituissent.

Quae hominum audacia, cum pene obstupefacere miraculo legentes possit, tum longe mirabilius hoc: fefellisse diu, neque umquam ad eam diem in eos ita esse vindicatum, ut ars indigna, & sacrilega desineretur. Caput quasi sectae unus ex his fiebat: isque eligebatur, qui inter ipsos maxime decorus adspectu, sermone, dispositque rerum aptior esset. Persona huic, habitusque, & apparatus, & mores induebantur, apta, & congruentia cuncta ad fabulae argumentum, sive ad scenam fraudis, quam excogitatam instructamque haberent. Et scena fabulaque variabatur ipsa, prout res, & tempus, locusve poposcisset. Modo Nuntius Apostolicus erat in Hispaniam Galliamve proficiscens: Patriarcha interdum, Archiepiscopusve quispiam ex Oriente peregrinabundus, fugitans injurias, violentiamque Turcarum, Romam ad Christi Vicarium cum Monasterii sui parte supplex, exsul, inops, misericordiam hominum, & alimenta vitae sibi, suisque exposcens. Et quocumque adisset miseratione permota, stipes large conferebantur. Rursus ubi Purpuram, & infulas, & majestatem imperii, titulumve aliquem obtentui sumserant, induerantve: publici occursus, lautia, dapes, aedesque liberae, & alia, quae magnifica, & honora, in quaestum etiam, utilitatemque cedebant. Accipiendo Cardinales, scilicet, etiam falsive filii Regum, aut Principum, incessere tamquam profugi, propter occulta suspicionum, vitabundi insidias, aut iras.

Miraretur quilibet, quomodo potuerint rudes artium homines in sordibus, & media egestate nati, innutriti ligonibus, aut aratro, fallere ita, & latitare, sive cum ad Principum aliquem diverterant, sive cum per Urbes irent. Ars diu meditata tuebatur eos. Flexo in vesperam die, vel obscuro noctis aderant, silentio utebantur, unico saepe verbo, seu nutu multa transigentes quasi per moerorem, & curas, & fastum. Denique, sicut antiquus etiam ille impostor, apte praeveniebant famam, sive relinquebant. Porro conficere, obsignare, dare litteras, & diplomata quarumcumque facultatum, & rerum didicerant, assueverantque, sive transcriptis alicunde formulis, & exempla nonnulla suffurati, sive generis ejus artifices, talis vitae dulcedine corruptos in comitatu habebant. Gregis, & sectae hujus homines, ab iis, quas dixi, vallibus egressi, pars subinde redibant domum, & aut abibant rursus, gregalibusque suis sese conjungebant: aut intellecta, & damnata sceleris magnitudine ad pristinae vitae egestatem, ad nativa antra revolvebantur: pars in quaestu, & vagatione, & in pessimo imposturae genere perseverabant, nihil hoc esse putantes, quod anathematum omnium vinculis alligati, & diris omnibus defixi tenerentur.

Tempore, quo venerat Cardinalis in Valles, duo omnino Mancianistae forte domi erant veluti monstra inter suos: & haud dubie monstrabantur, Cardinales, aut Episcopi nuper, & suopte ausu, Regum, Principumve sanguis: nunc sua item sponte agricolae famelici, absumto omni prioris vitae emolumento, labori, ac necessitati praesenti impares. Hi ad famam, praesentiamque Cardinalis, trepidavere paulisper, verecundia simul, & terrore majestatis, habitusque illius, in quo etiam ipsi per ludibrium olim, sacrilegiumque incessissent. Simul propria majestas, ac reverentia Cardinalis hujus turbabat animos. Et rursus ea fama confirmabantur, quae de magnanimitate, clementiaque ejus in supplices erat. Introduci ad eum cupiebant, ut consilio, atque auctoritate ipsius adjuvarentur ad veniam impetrandam tot scelerum, quae in sedem Apostolicam praecipue admisissent. Quod ubi Cardinali per familiares indicatum est, admitti eos jubet. Admissi, positis humi genibus, loqui non audebant: sed lacrymis, & silentio misericordiam implorabant. Una res, quae iram accendere posset, eadem tacitas hominum preces quodammodo adjuvabat. Quippe conspiciebantur adhuc, concisa ad poplites veste, tum purpurea, tum violacea, prout quamque personam olim eorum quisque, in ea, quam repraesentavi, scena, gessisset. Cardinalis ea ludibria conspicatus, increpuit gravissime homines, monuitque, ne ultra vagarentur. Et quibus mandatum erat, ita dimissos, ac peccata rite confessos absolverunt. Si qua in id ab Roma petenda facultas erat, petita dein, atque impetrata est. Simul idoneo vestitu sunt adjuti, ne dehonestamenta amplius illa conspicerentur.

Hujusmodi casus visitanti Dioecesim Cardinali offerebantur: neque vitia modo ille, & culpas fraudesque reperit, sed ingentia quoque merita, & virtutes reperit, simul, & in lucem, famamque produxit. Multi litterati, probique sacerdotes, quos casus aliquis, aut conditio aliqua temporum, aut ipsorum forte voluntas in obscura, & devia rura, & in edita montium, in profunda vallium detulerat, educti inde, & sacerdotiis admoti honestioribus, ut & praemia merita ipsi haberent, & eorum litteris, ac doctrina & virtute Respublica frueretur.

## CAPUT XIII.

*In obeunda Dioecesi Federicus ampliori Sacerdotio digniores ornat.*

UNius certe spiritum pene divinum, atque simillimos Angelorum puritati mores adeo admiratus est, ut, quoniam praemia cuncta ille repudiaret, nullusque ambitioni locus in eo homine esset, affecerit praemio ipsum, cui invidere arbitrio quilibet possit. Quippe caeteris ad breve tempus duravere, quae data fuerant: & finita vita oblivio sequuta est, perinde ac si nihil

accepissent. Hujus memoria tanti ingenii monumentis inclusa manet, mansuraque est, donec litterae, & homines manebunt. In asperi montis latere habitabat populi curator per nemora, & sylvas, & imposita rupibus mapalia dispersi, horridus ipse, ac pene sylvestris, non quidem animo, quo nihil cultius fuit, sed duritia, & asperitate vitae, quae proxime ad veterum Anachoretarum disciplinam accedebat. Ad hujus tugurium Cardinalis hiberno tempore cum accessisset, reperit cuncta ibi spirantia mores illos antiquos, haud aliter, quam si in Basilii, vel Gregorii celebrata litteris ipsorum antra devenisset. Veneratque Cardinalis forte illuc, neque, ut assolet, denuntiato ante, neque ordine itineris, ac descriptione, sed quia cogitanti reditum in Urbem non devium erat postero die inde proficisci: ac fuerat subito iter ita pronuntiatum, cum impedimenta, & sarcinae, apparatusque sacrorum ad destinata alia loca transveheretur.

Jam, nocte appetente, cum illuc in Parochi aedes ventum esset, non quidem fuit affluentis undique populi concursus, & velut natali regionis universae die laetissima celebritas, & sonitus campani aeris, agmina, concentusque popularium, quales semper adventanti Cardinali plausus certatim inter sylvas etiam, & nemora dabantur. Sed, instar omnium fuit mirifica in ipso aedium ingressu statim oblata species adjuta casu etiam ipso, quo jucundius amabiliusque acciperetur. Momento temporis eodem Cardinalis ad pedes e mula desiliebat: & Parochus aderat ex praecipiti per rupes, & saxa itinere rediens domum, ignarus, quem ibi hospitem in limine inveniret. Paulisper alter alterius adspectu suspensi steterunt. Nam & Parocho praestrinxerat oculos animumque splendor, & majestas oblata Pontificis: & hunc pene confuderat veluti fatiscens, & emortua in suo munere strenuitas viri, specimenque magnae virtutis in illa rupe pariter repente oblatum. Veniebat bacillo sustentatus, magnitudine laboris anhelus: & velut monile pendebant collo conserta vascula sacri liquoris, cum ad inungendum piaculari ad supremam luctam oleo moribundum unum hominem profectus, ex profunda, & longinqua valle rediisset. Cubilia familiaribus ea nocte praebuit humus: & praeterquam quod necessitas ita cogebat, etiam pudor fuisset aliter cubare, cum vigilem tota fere nocte herum, aut nonnihil in tabula quiescentem haberent. Vigilavit Cardinalis, & absumsit totam fere noctem secretis cum hospite Sacerdote colloquiis, quorum summa deinde etiam manavit, affirmante Cardinale, inter suos, quemadmodum non reperisset tantam alibi virtutem, & exponente, quae mira, & jucundissima ex eo homine accepisset. Atque delectatus veluti pulcherrimarum rerum thesauro, quem ipse invenisset, transferre velut in sua monumenta thesaurum eum, atque sylvestris Parochi, studia, & instituta, & labores, vitaeque formam in celeberrimo conventu exposuit, quum insequenti anno Synodum haberet: eaque concio exstat volumine Synodalium inclusa. Descripta ibi horrida, voluntaria, simplex, antiqua, nec tamen ullam in partem sordida paupertas, quae Pastori animarum conveniret. Nihil in domo ganeae, ventrisque causa provisum, nulli propinqui, nullaque sanguinis, & necessitudinum impedimenta. Conversa cura omnis in tutelam, ornatumque templi: nihil otiosi temporis: perpetuo in populares disciplina: id, quod superesset, precibus, studiisque datum: studia muneri apta: pervolutatio Testamenti utriusque, librorumque Divinorum. Breviter haec, & praedicata de ipso, cui aderant: & exprobrata illis, quibus deessent. Eloquentiam omnem, atque admirationem tantae repertae virtutis consumsit describendo ejus itinera, egressusque nocturnos in sylvas ob repentinos animarum casus, prout quique in ultimo discrimine invisendi, mysteriisque adjuvandi essent.

In ea descriptione Pontifex, orator, concionatorque summus videtur, ut dixi, consumere, atque explicare voluisse vim quidem eloquentiae universam, sed artem praecipue consumsit illam, qua potens erat repraesentare animis speciem, imaginemque rerum, ut in conspectu essent, haut aliter, quam ea, quae sensibus liquidissime hauriuntur. Repraesentavit, ostenditque Clero vigilem inter sua studia, precesve, & pia meditamenta Parochum, atque id requietis, & laxamenti ex divino labore habentem. Hunc repente inquietatum illato nuntio de extrema necessitate, ac discrimine alicujus, quem vitae finis illo horae momento circumveniret, alacritatem praeferre dolore mixtam: & quomodo alius ad epulas, festumve diem iret, ita accingi ipsum, atque accurrere ad munus id, hinc coeleste, & divinum, hinc triste, & funestum: animoque perinde affecto egreditur subito linteatus, ne quid, vel inter tenebras indecore faciat, utque sacra insignia, & velamenta interniteant etiam nocti: prolabitur inter saxa: aegre assurgit: prehensat cautes: ad virgulta enititur: pernox Luna, & Angeli spectatores hanc e coelo speciem admirantur. Nec absque tali etiam praesidio evadere erat, tum qua praeter ferarum cubilia eundum, tum qua torrens, & praeceps e montibus unda superanda esset. Inter hujusmodi pericula, & casus, spernens upuparum quoque clangores, & ululatus, sive hos ipsos vertens tacito secum ipse concentu in praeconia, modosque divinos pervenerat denique illuc, ubi relictura corpus anima conflictabatur, subsidiumque exspectabat. Assidendo dein, & curando, vel prosequebatur eam usque ad oras, & limina vitae alterius, vel etiam subsidiis, & alimentis, quibus corpora egent, in hac vita retinebat. Si mors acciderat, nullus ex cadavere quaestus, nullave emolumenta sepeliendi: vel certe pauperibus, & templo ea acquirebantur: pars minima Parochi erat, necessitatumve ejus.

Haec, quae vera erant, cum insuper augerentur, ornarenturve arte, qua Cardinalis oratores antiquos aequavit, tantam ei Parocho gloriam auditores inviderunt: hodieque invideat quisquis orationem eam, sicut edita est, leget. Nos, dum illustre argumentum intexere monumentis quoque nostris volumus, venia digni erimus, si laeserimus interim ingenii culpa majestatem oratoris simul, & nomen, memoriamque hominis, cui fortuna haec acciderat, ut ita laudaretur. Repertum hunc in deserta pene rupe hominem voluerat Cardinalis abducere inde, atque in ea luce collocare, ut miraculum, simul, exemplumque, & subsidium illud Respublica haberet. Abnuit ipse, precatusque est, ut in sua solitudine relinqueretur. Si quid in se diligentiae esset, posse utiliter etiam in eorum hominum salute consumi, quibus assuesset jam: inter quos factus jam pene senex, aegre domicilium, aegre rationem vitae mutaturus esset.

*LIBER XXIII.*

# INDEX CAPITUM.



## CAPUT I.

*De domo Federici Borromaei, disciplinaque domestica, & quomodo habitaverit.*

PONTIFICES, Archiepiscopique nostri, olim, cum plus opum, plusque potestatis, atque jurisdictionis, quam hodie, haberent, humilius tamen, angustiusque habitavere, nec semper uno loco, &, quoties variata sedes fuerit, in superiorum temporum historia demonstratum esse, arbitror. Qua forum hodie sedesque Metropolitana stat, depressa quaedam, antiquitus, & obscura tecta fuere, quibus Arcimboldi splendoris aliquid addere coeperunt, cum ea domus continuata perdiu successione Metropolim obtineret. Inde, ac per eos, cum partim laxata, atque amplificata, partim exculta mediocriter, & decorata fabrica domicilii ejus, incrementi aliquid sumere coepisset, multum tamen adhuc ex rudi saeculi prioris imagine conspiciebatur, multumque renovata domus ex humili, atque incondita illa vetustate retinebat, donec D. Carolus, pauperrimus ille secum, & restrictissimi moris auctor erga sensus alios deliciasque mortales, Regali in publicum magnificentia, & plane veterum Romanorum fastu circa Ecclesiae opera addidit majestatis, & elegantiae partem, qua Canonicorum aedes pulcherrimum in tota Italia opus ab illo excitatae cohaerent in Occidentem, Palatioque immiscentur. Cardinalis Federicus attollere, atque expolire caetera destinarat, aemulus Patrueli aedificator, & hac magnanimitatis parte, prout imitationis gloria stimulaverat animum, pene anteponendus. Id ipsum latus ab interiore parte, quae Palatii valvas, & latus hujus Orientale spectat, instruxit vivo lapide totum, coronideque, & fastigio, mutulisve, & amplitudine fenestrarum, ac luminum ad eam formam, quam per Insulae ambitum universum, atque in omnes coeli plagas magno sumtu circumducturus descriptam animo exaedificatamque habebat. Sed veritus sollicitusque semper, ne haec, & alia molientem, supremus dies, sicuti & evenit, occuparet, partem latusque hoc absolvere maturarat, simul apud animum suum descripti operis specimen, simul invitamentum ad successores reliqua absolvendi, prout haec crebro oculis occursatura species, verecundia etiam, aut aemulatione stimularet. Ejusque sic inchoatae spei vestigia etiam in ipsa Palatii fronte cernuntur, quae structurae prioris ordine, magnifica satis, & eleganti, sine fastigio tamen, & coronide stabat. Coronidem, & fastigium, mutulasque, sicuti in altera interiore fronte Cardinalis addidit, nihil omittere volens, quod raptim, ac subitario velut opere facere posset, tum ad exornandum in praesentia Pontificale domicilium id, tum ad alios quoque in posterum magnificentiae ejusdem studio excitandos, atque inflammandos. Porticus, & conclavia, & scalarum adscensum novo tectorio quotannis induci, ad munditias, nitoremque, & hilaritatem volebat: summaque hilaritas, & summi nitoris loco erat ei hoc, si quam plurimos pauperes, stratis ibi corporibus, apricantes, ut assolent, quiescentesque videret.

Et, cum Oeconomus forte unus, probus sane homo, ac frugi, caeterum, moleste, atque intempestive sedulus, novi compendii viam excogitavisset, proposuissetque Cardinali hanc, uti suggrundia locarentur muliercularum, institorumve turbis, quibus mos esset, gratuitam eam occupare quotidie stationem, venumdareque ibi olera, & pisciculos, & agrestium frugum omne genus: severe increpuit hominem, atque ejusmodi ingenium sua generositate adspernatus, ab omni removit aulae ministerio, vetuitque negotiis ultra immisceri. Excusantibusque nonnullis id factum, sive consilium tantummodo, & commotam astute mentem, atque pro Oeconomo deprecantibus, respondit: Non placere sibi inferri avaritiae merces in domum, quae Apostolicae simplicitatis exemplar esse deberet. Inter exempla liberalitatis referri debuerat hoc: sed non succurrerat prius, & locus admonuit.

Caeterum, haec quidem propria Pontificatus, jurisdictionisque sedes ita habebatur, excolebaturque, & ut esset Archiepiscopo aliquis etiam in ea domo, non sine solitudine simul, & amoeno prospectu secessus, supra summi tecti culmen cubiculum excitavit, quasi pergulam, seu podium, maenianumve quoddam, unde, & urbs tota sub oculis, & camporum etiam, montiumve longinqua essent, oculosque simul, & mentis aciem reficerent, quandocumque acies utraque diuturna contentione fatigata, veluti necessario pabulo hoc indigeret. Amoenissimae, atque expeditissimae rusticationis hoc genus excogitatum Cardinali erat, quo nec urbe excederet, si in urbe manendum: & villarum tamen adspectu frueretur idemtidem inter assiduos illos negotiorum, & studiorum, meditationumque labores, nemini interim ipse conspectus, & subjecta cuncta late jucundeque despectans. Villae autem, quas ab eadem corporis animique defatigatione adire solitus fuit, hae, scilicet, fuere: abdita, latitansque inter nemora, & sylvas Pobiga, quem locum pretio conductum aliquamdiu habuit: aviti juris, sed insalubris coeli piscarium quarto ab urbe lapide, ipsa quoque crebras inter populos, & frugiferas omnium generum arbores ad sylvae pene instar. Aedificatum ab ipso Gropellianum: Gregorianumque, & Senagum, emptam utramque pluris multo, quam quanti postea aestimatae fuerunt: idque cum ab non nemine ei diceretur, lenissime respondit: *Et emptas esse de pupillis, ac viduis, & convenire Episcopo hoc, ut care emeret, si quid emendum forte haberet.* Conduxerat autem, aedificaveratque, & emerat, & mutarat secessus, villasque istas, ob suam quamque caussam, neque parvi momenti singulas, neque parum probatas iis etiam qui interpretari, & carpere cuncta Principum amant.

Apud Gropellum, quia spatia ampla vinearum sunt, praecipuum Archiepiscopo subsidium ad sustentandam nominis, & personae dignitatem, eaque possessio Ecclesiae Mediolanensis antiquissima habetur: indignum visum, haec latifundia carere domicilio, quo divertere herus posset, quove mitterentur, atque deportarentur aliqui familiarium, quibus incommoda forte valetudo incidisset. Et est saluberrimum ibi coelum, in Orobiorum pene tractu: collique leviter edito imposita domus purioris aurae suavitatem, & in medio hiemis rigore tepores fere vernos, caloribusque leniendis commodissimos e montana regione flatus, & subterfluentis Abduae mur-

murmur, & subjecti, sive circumfusi nemoris opacitatem haec omnia simul excipit. Ab altera parte navigabilis fossa tumulum hunc alluit, quae commeantium assidue navium beneficio, urbem pene ipsam, certe commoda urbis admovere potest: totque intuens opportunitates D. etiam Carolus aegros illuc mittere consueverat, & mirifice convalescebant: sed domuncula tantummodo, sive tugurium, & casa agrestis fuerat, villici capax, nec ultra quidquam. Cardinalis Federicus hasce Romana structura aedes a fundamentis excitavit, Romae quoque inter caetera praeclara opera visendas, si ibi starent, antequam aedificaretur haec villa, & postea quam aedificari coepta est: interea, dum pars aliqua absolveretur, ad Pobigam ipse ibat, tum reficiendae valetudinis, tum recolligendi animi gratia, tunc praecipue, cum, priore quaque scriptione absoluta, novi operis aliquid pangeret, sive meditaretur.

Verum, & conductitia Pobiga, & recens aedificata Gropellianum longinquitate demum ipsa displicere coeperunt, sive quia viginti fere millia passuum ab Urbe utraque abest: sive quia, ubi gravescere coepit aetas, proxima quaeque magis placent. Ideo Gregorianum emit. Cumque ibi commotiunculis tentaretur, & amici causam in uligines, & humida camporum referrent, suadentibus iisdem antetulit triste nomine quidem, sed inclytum coeli amoenitate Senagum, minime sane provisa, & cogitata, sed magna tamen opportunitate, quam insecuta mala attulerunt. Nam pestilentia saeviente, quum opificia in Urbe cuncta cessassent, sobolesque pene artificum exstincta esset: Cardinalis in ea villa, domoque Typographicam officinam instituit, transtulitque prela illuc, destituta interitu operarum, & operas undique alias proposito lucro conquisitas, atque illectas aluit ibi, exercuitque, & servavit: & prodiere inde concionum volumina, quae exstant. Urbanae rusticaeque domus hae fuere Cardinali, solatia Musis eadem, & studiis, laboribusque requies, testimonia, magnificentiae simul, & animi plane Regalis haud obscura monumenta.

Sed Regius vere animus elucebat magis in domesticae disciplinae gravitate, & in rerum earum fere contemtu, quae apud Regum, & Principum tamen animos inveterata dudum vanitate primae omnium, & maximae existimantur. Nudi per haec domicilia sine peristromate ullo parietes: coriaceae sellae serico procul, & auro: praetenta ostiis aulaea, tapetesque in decorem inducti abacis e panno rubro: nihil ornatus causa quaesitum: pictae tabulae tantum, & piae imagines undique pendebant, sicuti erat herus in generis hujus intelligentia, delectuque, artificibus etiam ipsis, non par modo, sed pene magister. Cubiculo in Urbe semper eodem ab initio Pontificatus, ad usque vitae finem per triginta quatuor annos est usus, quale constantiae exemplum de Caesarum uno Scriptor vitae ejus refert. Humilis etiam ibi pauperque supellex, nisi quod praecipuae nobilitatis tabulae visebantur; tantoque nobiliores, & plures, quia talium animi oblectamentorum simul, & vitae quietis haec perpetua, vel certe creberrima sedes Cardinali erat. Ea ipsa tamen eximiae artis, & ingentis pretii opera, veluti per transitum tantummodo, atque ad brevissimi temporis usuram ibi habebantur. Quippe in Bibliothecae Ambrosianae musaeum, conquisita, & empta, subinde mittebantur illuc: moxque comparabantur alia studio, avaritiaque eadem congerendi, atque accumulandi in eam sedem, quidquid uspiam elegantis, & pretiosi inveniri posset, quidquid ex veterum in eo genere miraculis residuum, & post tot saecula superstes maneret: quidquid etiam deterioris aetatis artifices longo intervallo proximi illis, ab eorum tamen imitatione, & disciplina haustum antiqua veluti renovantes miracula peperissent: libri quoque non jam proprii in cubiculo, sed illi erant quos ex Bibliotheca eadem, prout inciderat usus, quotidie accersebat. Namque, sicut in Bibliothecae ipsius Historia demonstratum est, quoscumque habuisset (& fuerat ingens, ac lectissima copia) addixerat ei universos, idque primum ad magnitudinem coepti operis incrementum fuit.

A Lectulo cubavit duriore, plumas tabem esse corporis, animique, dictitans. Mixtamque tomento lanam cubile fuisse melioris, ac simplicissimi aevi, ex Homeri carminibus repetens ejus rei argumenta, ajebat. Ejusmodi culcitra imposita fulcro apud angulum cubiculi obscurum vili conopaeo tegebatur: neque demota umquam ex eo angulo est, nisi per morbum, ex quo non convaluit, tunc, scilicet, cum, urente introrsus febri, levamen, aegrorum more sperans, ex mutatione loci, poposcit, ut frui posset spiritu liberiore, & contra ostium potius, uti se se collocarent. Parva fortasse, vel potius minima dictu res videri cuipiam potest: sed judicio notabilis eadem fuit. Ex lautissima, & pretiosa supellectili, quam ad fortunae Principalis instar initio habuerat, alia quidem etiam nonnulla retinuere Ministri, cum in pauperum necessitates durissimo illo famis, & pestilentiae tempore cuncta venumdarentur: caeterum in quotidiano mensae instrumento, & perdiu ante tempus illud, & postea semper argentea comparuere tantummodo haec: salinum, & candelabrum, ligulaque, & scutellae tres, quatuorve parvulae, ac pene pueriles, quas ipse sibi dimensus conflari jusserat. Inde mensae frugalitatem etiam, parcimoniamque facile conjectaveris. Jusculum, obsonium, pulmenti aliquid, & poma, & flosculi, frondesque, praeterea nihil: interimque super mensam ab initio ad extremum usque sacra Biblia legebantur. Id gratissimum Cardinali pabulum erat: eaque mente pariter, & ore aversus libabat potius apposita, quam edebat, ac saepe intacta cuncta transmisit.

Familiarium numerus initio, cum ab Roma venisset, centum fere summam expleverat. Et fuerant in eo numero, non litteris tantum, atque eruditione, sed genere nobilissimi, relicto apud Urbem cursu ambitionis, spem hanc sequuti novam, admiseratque Cardinalis in ministeria aulae tales viros, solita Principum gloria, ut instrumenta servitutis habeant Principes quoque ipsos. Itaque, & Scribae intimi, separati linguis, discreti Provinciis, & Pincerna, & cubiculi Praefectus, & aulae, stabulique Magister, & alia magnis domibus reperta vocabula sumtuum, otiique, & ambitionis, Comites, Marchiones, Dynastae, quive originem ab istis ducere, se gloriarentur, cingebant latera Cardinali, proprioque etiam ipsi servorum grege implebant aulam. Haec autem familia capitum ad viginti laute, & copiose alebatur ab hero sobrio quidem semper, sed sibi sobrio, non aliis: dicereque ipse solebat: *In omni bene morata domo caput esse, bene pascere: servum male pastum, aut contumacem fieri, aut, quod pejus esset, infidum.* Numerus postea ille minui paulatim; & simul opulentia mensae aulicorum castigari coepta est. Intra necessaria ministeria multitudo demum steterat haec: alimentaque redacta ad eam formam, ut nemo servorum illorum alterius, qui in aliena domo viveret, conditionem tamen secum vellet esse mutatam. Si quis in morbum inciderat, hunc necesse erat oblivisci suae conditionis, si humillimus omnium infimusque esset: si primae notae primique ordinis quispiam aegrotus ille erat, is quoque suae domus obliviscebatur. Adeo benigne, & large, accurateque tractabantur: pharmaca, medici, servi, consolationes, & hortamenta in promtu erant: ipseque herus, aut visere ibat: aut mittebat, qui inviserent suo nomine, & solarentur. Mitis veluti pater, materve sollicita filiis adsidet: ita Cardinalis, anxiusque, & sollicitus erat, ne quid aegrotantium familiarium ulli deesset. Verboque uno, ut expediam, liberalius, fidelius, attentius, hospitio in isto, quam in sua quisque domo, curabatur: atque totum id exemplo etiam uno notasse, haud alienum fuerit.

Novimus nos, & familiariter usi sumus homine, isque hodie inter templi maximi Canonicos homo nobilis, robore juventae, & liberalitate Cardinalis, & nobilitate sua floridus adhuc durat, qui factus in hac domo forte herniosus, cum, & propriam in urbe domum maternam, fratresque, & servos, & commoda omnia haberet: antetulit laribus avitis aliena haec tecta, & sub herilis curae tutela facilius, meliusque, quam in complexu

plexu & sinu matris, convalescere se posse existimavit: convaluitque. Quodque vel admirari, vel etiam indignari magis quispiam possit, in longa illa, & foeda aegritudine, nihil prorsus umquam, aut submisit filio mater, aut ipse petivit. Et rursus hanc, vel admirationem, vel indignationem poterat augere res pene ridicula, quod, scilicet, salutationes, & verborum officia in singulas horas, ab aegroto filio ad matrem, ab sollicita matre ad filium ex vicino commeabant. Neque potiuncula umquam interim una, fomentive aliquid, fasciaeve ullae venerunt. Sicuti remedia majora, & ministerium omne curationis, ita minima etiam haec, & levissima quaeque Cardinalis sumtu suppeditabantur. Et securitas ista quidem, atque confidentia nobilioribus aulicis erat, cuncta ex domo hac sumendi, atque habendi, sine exprobratione, sine dilatione, sine pudore etiam ullo, propterea, quod & mandaverat ita herus, ut alii aliorum exemplo confirmarentur. Inferiores vero servi ubi in morbum inciderant, non modo curabantur, habebanturque liberalitate eadem: sed uxoribus etiam, filiisque eorum alimenta, sive dimensa dabantur ea, quae affixus lectulo maritus, paterve occupare, & mandere non posset.

Salaria procedebant interim, atque ante diem etiam benigne repraesentabantur. Tabidus morbosusque ille, si convaluerat, aliquamdiu per otium, aut levia munia domi habebatur, donec vires, corpusque recepisset. Postea vero per speciem negotii alicujus, & quasi rusticae legationis obtentu mittebatur ad villam, purgandis veluti areolis, serendisque floribus, atque ad tondendas myrtos, decacuminandamve cedrum, ut neque tumesceret arrogantia servilis animus, si tam carum se esse Domino sentiret: & coeli beneficio tamen illic frueretur. Quod si post longas ejusmodi curationes, atque tentata amabiliter omnia, aegroto acciderat mors; uxor ejus, liberique, sive propinqui, apud Cardinalem herum in jura tantae charitatis fere succedebant: educandique, & alendi, & maritandi cura suscipiebatur. Erga laborantes, mortuosque familiares benevolentia, comitasve Cardinalis per haec, & alia similia his exempla spectata est. Saturitate autem, & nequitia, qui fere servilis est morbus, si qui forte abire, dominumque, & domum mutare voluerant, hos benigne ad se vocatos castigabat, monebatque: quonam abire vellent: quo ruerent praecipites? agnoscereque amentiam cogebat, & ultro retinebantur. Abiereque nonnulli, & cum postea senes inutilesque facti rediissent, recepti sustentatique sunt, & muneribus addicti, quae sustinere extrema jam, & impar servituti aetas posset. Satelles profecto unus, qui per quadraginta annos in odioso illo munere simpliciter, atque innoxie egisse ferebatur, inhabili jam senecta tamquam modestiae exemplum alebatur ex domo eadem, filiaeque ipsius etiam, mortuo patre, stipem inde quotidianam acceperunt. Alexandro Trecato Parmensi, Baptistae Cantono, Hieronymo Ponzono, aliisque rerum infimarum, & cubiculi ministris, quia laici erant, nec munificentiae Ecclesiasticae capaces, tum congiaria saepe ampla dedit, tum pensiones e suo patrimonio decrevit, numquam benefaciendo suis satiatus, & magis laetus semper hac munificentiae parte, quam cum in sacerdotia pensiones imponeret, sacerdotiave ipsa dispensaret. Clementiae porro, & liberalitati Cardinalis in suos, par severitas fuit, ubi indigni reperti erant. Domum suam honestatis, & pudicitiae exemplum esse volebat, ejecturus quoque nonnullos hac destinatione, si convaluisset ex morbo, qui ei ultimus fuit.

## CAPUT II.

### *Familiaris Medici testimonium de sobrietate Cardinalis: aliaque nonnulla.*

Sobrietatem, abstinentiamque Cardinalis, quae ab initio Ecclesiae hujus Pontificatu ad usque vitae finem perpetuo tenore servata est, incredibilem fore plerisque, arbitror, ex eo, quod nostra quoque laboraret fides, nisi spectatores ipsi tam admirandae, certe inusitatae rei fuissemus. Ac possem ego quidem, etiam nullo alio teste referre, quae vidi: sed juvat Medici Mongilardi testimonium afferre insuper, qui Cardinalis valetudines curare solitus fuit in familia nobiscum, & scripsit quosdam de ejus vita commentarios; nec verba Medici, sed pondus, sententiamque verborum ponam. Patinas, & obsonia Principis refert unciolam fere carnis unam, unumve ovum: id prandii coenaeque caput. Ac minuta nimium fortasse diligentia Scriptor idem describendo omnem mensae illius apparatum, inter hortensia brassicam, & betam, modico oleo, & sale conditas admisisse Cardinalem, narrat: ablegasse autem, & interdixisse sibi carduum fruticesve caeteros, & commendatas insito calore radices, quas lascivia mortalium inter irritamenta gulae adscivit. Cinnama, piper, & aromata omnia procul, & increpuit aliquando gravissime coquum, ideo, quia pullum forte perdicis in faciem quotidianae carnis assimularat, submiseratque. Haec, & alia de frugalitate, seu potius horrore mensae contulit in commentarios suos Medicus, qui & inspiciebat quotidie esuriales illas epulas, & de tanto rigore remitti, laxarique nonnihil, auctoritate, supercilioque artis, frustra contendebat.

Sed & alia consentanea arti, scientiaeque ipsius referam, ex commentariis iisdem, prout notata, atque animadversa reperi. Compositus ex contemplatione naturae rerum, & scribendi studio vir sane curiosus, de Cardinalis habitu, & constitutione corporis ibi philosophatus est in hunc modum. Comitissam matrem, editis uno, alteroque partu, sterilescere visam. Inde medicamenta varii generis adhiberi coepta, quae tertium hoc puerperium dederint, affecerintque simul: atque ita infantis Federici corpus ea tenuitate primo, & languore exstitisse, ut vix vitale futurum credi, sperarive posset. Urens praecordia fervor, & sanguinis e capite fluxus, aliaque tristia signa notabantur. Nec res magis alia, quam pietas, precesque, & muliebriter suscepta vota matris, avertisse exitium, & infantem servasse credita est. Puer deinde ipse, & postea adolescens, mox juvenis, perpetuae temperantiae lege, sibi medicinam fecit. Vini praesertim abstinentia, potusque frigidae restinxit noxios illos calores: instituitque vivere ita, non quasi cupidine lucis remedia conquirens, sed amore virtutis, & imitatione patrum, ac D. Caroli praesertim, cujus omnia instituta, ceu domesticum monumentum, & vitae exemplar jam inde a prima aetate sibi proposuerat. Hinc illa etiam incredibilia dictu, nisi apud eos, qui ministri tantae asperitatis fuere, quive occasione forte aliqua propius admissi rimari talia potuere. Vestis numquam mutata per septennium, calcei singulares, iidemque interpolati saepius, donec usu nimio solverentur. Interimque deformitas nulla cernebatur supprimente nitore, & elegantia viri temporis quoque vitium, & labem. Lectulus in obscuro angulo. Culcitra e tomento pervili ad extremum usque retenta: quam in ultimae valetudinis necessitate dividi conduplicarique jussit, quo mollius cubaret, aggravante morbo. In summis doloribus patientia celebris antiquorum exemplis par: tantumque robur animi, ut, cum in apopletici stuporis periculo medicorum inventis pene carnificaretur, tacitus, immotusque vulnera illa exciperet, venasque novacula concidendas praeberet hilari vultu.

Formam habitumque corporis ejus, aliqua ex parte descripsi: sed Medici quoque diligentiam subtilitatemque repraesentabo per meditamenta, & vocabula artis, quibus ille meditamentis, & vocabulis descriptionem hujusmodi absolvit. Caput magnum potius, quam parvum absolutae ferme rotunditatis, quae conformatio humani culminis optima, & praestantissima censetur. Suturae omnes, & ea praesertim, quae sagittalis nuncupata est, crassae firmiterque compactae, munimenta adversus hunc aera, spiritumque circumfusum, qui permeat capita infirma, & laedit. Frons, oculi, genae, supercilia cum dignitate quadam, orisque praecipue dignitas eminebat, apta omnia permovendis ad venerationem animis, atque ex amabilitate simul, & ter-

rore temperata. Surditas, & rugae, oculorumque hebetudo, notae praerogativae senectutis procul ab sene hoc, qui innocentia fere infantis, florem, roburque aetatis exegisset. Modica barba, flavoque, & leviter crispante capillo fuerat in juventa. Canities praematura supervenit, addiditque decus. Subrutilum, crispumque illud, ceu naturae injuriam, infringere digitis conabatur, corrigebatque ultro, & vellebat sibi crinem. Sine labe ulla, sine detrimento dentes: & grande quiddam voci inerat latitudini pectoris congruens, implensque totam templ maximi molem, populo avidissime exspectatum, cum dies concionum aderant: sed minima pars eloquentiae ejus. Huic pulchritudini, dignitatique corporis non commoda dictu res insidiata est, ab calore, opinor, illo, qui utero matris elatus, temperantia, & rigore vitae mitigatus, egerat tamen intra viscera radices, & jecerat in longum semina, quae suo tempore mortiferam, ut sero animadvertere medici, labem darent. Ulcus in occulto unum fuit, quod ad extremum usque ipse dissimularat, & non nisi necessitate ultima significatum, insanabile repertum est. Tanta modestia viro, tantus usque ad perniciem suam pudor.

Ac de constitutione quidem, & habitu corporis, hactenus observata prudenter haec, & notata ab medico, retuli, sed & fide, testimonioque ejus peragam facta, & dicta, moresque nonnullos, & instituta Cardinalis, quae minus animadversa, & comperta nobis melius ille certiusque cognoverat, sectatus per itinera omnia herum, assiduus in aula per septennium, &, sicut antea dixi, aulico civilique ingenio curiosus.

Posteaquam ex Gregoriana villa Cardinalis dubia spe vitae devectus erat in Urbem, cum non desinerent hortari fideles amici multumque suadere, uti D. Stephani Sacerdotium Abbatiamque nobilem Comiti Federico, Comitis Julii Caesaris filio tradere, Abbatemque suo loco hunc Apostolica auctoritate renuntiare vellet: in re, negotioque isto, quo familiae dignitas, & fortuna domus nitebatur, ita se gessit. Hortamenta ejusmodi, vocesque amicorum audivit aliquamdiu, deinde repressit, monuitque ipsos, uti de ea re loqui amplius, & sermonem inferre supersederent. Atque ita per aliquot ab confirmata valetudine menses, de renuntiatione silentium in aula erat. Annus fere intercesserat, cum etiam Theologi graves, & facile Principes Ecclesiae hujus, communicato inter se consilio, negotium, & actionem ultro suscepere hanc, uti religionem Cardinali injicerent, si summae spei adolescentem subsidio, & robore hoc ad summa quaeque iturum inutili rigore moraretur, atque impediret. Profecere isti in tantum, ut Cardinalis juberet amplius de ea re consultare, ac deliberare ipsos, aliosque praeterea nominaret summae asperitatis homines, qui ad consultationem ejusmodi adhibendi essent. Ubi consensu pronuntiavere omnes: placere Deo, ut summa virtute, summa pietate, ingenioque summo adolescens ab limine potissimum isto ingrederetur Ecclesiae honorum iter: ambigere tamen ipse adhuc, multumque pendere animo, donec sacrae Virgines una, & altera, de quarum pietate, & gratia apud Deum haud dubitabat, consulte, fusis accuratissime precibus, congruentia responderunt. Tunc enim vero Abbatia traditur, ut e septem fere millibus tantummodo centum aurei nummi procederent Abbati novo: caetera sibi Cardinalis ad solitos sumtus, ad pietatis, & munificentiae opera ampla reservabat. Par ei difficultas, & lentitudo semper, ubi de re aliqua ad suos pertinente ageretur.

In communi consuetudine, alloquiisque quotidianis rarissimum illud assecutus erat, ut neque facilitas auctoritatem, neque auctoritas amorem ei diminueret. Asperiora verba si forte importunitas, & culpa alicujus extorsisset, paterna mox lenitate mitigabat: fervoremque naturae adversus irritamenta hujusmodi, ut in potestate haberet, anxius, intentusque erat. De virginitate ejus affirmare Medicus haud dubitavit: atque in re illa impenetrabili, semper, & ancipiti, qua potuit argumentorum vi, testimoniorumve fide nititur, praecipueque fidem petiit ab auctoritate artis, quae jure suo corporis humani arcana exquirit. Medici verbum hujus est: *Jurare se posse de Cardinale sanctissimum jusjurandum, quod, scilicet, florem illibatum ad extremum usque conservasset.* Titulos, & inania honorum, atque etiam his addita gloriae utilitatumque momenta, quam parvi penderit, satis quidem illustri documento testatum fuit tunc, cum Pontificatum Ecclesiae Mediolanensis repudiare perseveravit, donec Apostolicae auctoritatis nutu, & obedientiae lege coactus cederet: ac de ea re inter operis principia ego collocavi.

Caeterum, & recepta Angleria, Marchionis titulum a Rege Catholico oblatum reverenter, uti decebat, nec sine gratiarum actione, recusavit. Et Hostensis Ecclesiae praerogativam, quae Cardinalium antiquissimo ipsi obvenerat, pari recusatione abdicavit. Pontificatus Maximus si ad eum forte delatus fuisset, quid facturus fuerit, haud equidem ego dixerim: sed non obscuras significationes ab eo quoque fastigio refugientis animi dedere nonnulla, quae dixit ipse, & fecit, quaeve etiam facere supersedit. Nam ultimis temporibus, cum ad comitia proficisceretur, eligebat e familiarium numero simplicissimos duos, imperitissimosque homines, quos ad necessaria ministeria in Conclave secum duceret, ne moliri quidquam, molientibusve implicari hi possent, quali semper vanitate callidissimi aulicorum illic frustra nectunt, implicantque artes, ut Hero fortunam struxisse videri possint. Sicut ipse privati negotii quidquam in Conclavi suscepisse, vel agitasse profanum censebat: ita sacrosanctam eam rem adversus servilia ingenia munierat hoc ipso, quod rudes, atque somniculosos, & pene absurdos quotidianae vitae ministros illuc induxerat secum. Patrum vero nonnullos, in sua studia volentes pertrahere ipsum, ita alloquebatur: *Opto, ut eum eligatis, qui optimus, & hoc munere dignissimus sit. Quemcumque elegeritis, hunc adorabo; optoque, ut quamprimum fiat, quo redire protinus in senectutis, & quietis meae sedem possim.* At Cardinalis Burghesius ob proximi Pontificatus factionem, & opes, arbiter, & dominus fere comitiorum, cum die quodam summo mane Borromaei cubiculum ingressus, propensa in ipsum studia, voluntatesque Patrum inclinaturas, significare voluisset, hujusmodi responsum accepit: *A Deo precor, ut vitae potius meae finem imponat: neque favoris, inclinationisve hujus gratiam cuiquam habiturus sum.* Atque hoc ita, sicuti retuli, retulerat statim ad fautores caeteros: hique favorem alio transtulerunt.

## CAPUT III.

### *De liberalitate ejus erga pauperes.*

SIcuti dividitur in omnes venas hic, quo vivimus, vigemusque, sanguis: ita per omnem vitam Pontificatumque Cardinalis diffusa fuit propria illa, & nativa virtus ipsius, ut miseriis hominum, & egestati subvenire vellet. Ac proinde etiam in toto hoc opere, magna, atque admiranda exempla liberalitatis ejusmodi memorata esse arbitror. Haud tamen fuerit alienum, repeti nonnulla eorum hoc loco, darique omnia simul in conspectum, vel, ut ad sui memoriam illustriora sic fiant, vel, ut gloriam, stimulosque magis addantiis, qui, & imitari poterunt ista, & volent. Alioqui cum caeteris virtutibus, caeteraque Pontificis gloria permixtae hae liberalitates, ad pompam famamque Pontificatus momenti plurimum afferre potuerunt, eaedem, & obscuriores ipsae, & in permovendo suae pulcritudinis amore segniores, quam erunt discretae nunc, & omni alio remoto fulgore, tum velut in sua sede micantes, tum narratae, ac monstratae separatim.

Anno MDCX. cum Romam D. Caroli inaugurationis causa proficisceretur, velut indicto pauperibus cunctis, ut ad subsidia petenda adessent, ita undique adfluebant, obsidebantque vias, & sternebant suo more corpora humi, qua ibat jam ille, quave postero die iturum sciebant. Nec illa tantum arrogans, atque impudens multitudo mendicorum, supplice manu, & flebili quiritatione poscebat stipem: sed Monasteria sexus utriusque, coetusve piorum, & piarum, quibus annona,

na, & cultus, & omnis vitae securitas in professione paupertatis, per emissarios suos aderant, libellique porrigebantur. Venire misericordem, venire largitorem, haeredemque superioris Borromaei Cardinalem, turba haec omnis laeta conclamabat, invicemque hortabantur, ne occasioni deessent. Haud irritae eae spes: & toto, quantum itinere spatium est, per municipia, per urbes, & pagos benigne omnibus fiebat, donec Cardinalem admonuere dispensatores, exhauriri viaticum, & novam pecuniae summam alicunde sumendam esse, nisi ab domo quamprimum ea accerseretur: sicuti, & fiebat, mandataque statim opportuna in id dabantur. Romam, ubi ventum est, miraretur quis, quomodo potuerit Cardinalis unius fortuna sufficere tantae pauperum multitudini, largitionibusque tantis, & sane, quo propiores nos, quove magis, & fortunae modum noveramus, & ea, quae fiebant, intuebamur, admiraremur, nisi duo quaedam itidem optime, atque maxime omnium considerare possemus: nempe, Borromaeae Domus veterem longam opulentiam, atque vectigalia avita subsidium ingens, & magnitudinem aeris alieni, quae tamen interim sumendo haec a foeneratoribus subsidia, contrahebatur. Sed & alia res erat haud minor, quae nos vetaret tantopere admirari. Quippe, providentia viri, vulgaris, & modica semper mensa Principis: & parcimonia in victu, cultuque vix ad privati sacerdotis modum: moderatio sumtuum aliorum, in omnibus rebus, quae ad ipsum proprie pertinerent: parva dictu forsitan haec apud aliquos, caeterum ejus aestimatione, ac judicio, qui Aristotelis, aut Xenophontis Oeconomica percalluerit, domesticarum utilitatum, haud parva momenta sustinere potuerunt tantae munificentiae partem, atque efficere, si nihil aliud, certe, ne majora illa pauperum alimenta deliciis absumerentur, neve alendae simul etiam istae essent, sive Cardinalis in publicum egrederetur: sive alicunde rediret domum: sive domi sederet: Romanae famelicae plebes, veluti debitam sibi stipem exigebant, accipiebantque. Et invitati facilitate, atque occasione aderant alii, quos non fames, necessitasve ulla, sed dulcedo mendicandi tantum, & nequitia huic esurientium turbae immiscebat: omnibusque pariter absque discrimine dimensa dabantur. Sed & nobiles pauperes, quos pudor tacitam in occulto premere, ac vorare egestatem cogebat, arcano aliquo indicio monstratos sibi juvit ultro, hortaminaque, & cibos, & pecunias occulte submisit, tanta ad rem celandam adhibita arte, ut falleret intimos quoque ministros: & vix odore aliquo suspicionum, inter se exquirentes, pervenire potuerunt ad cubilia, quo ista mitterentur. Toto trimestri (trium enim fere mensium ea Romana mansio fuit) pia munificentia Cardinalis ita exercebatur in Urbe, quae novos quotidie mendicos admittit.

Nec in reditu cessatum: diversaque, & nova turba per Flaminiam eunti quodammodo alenda fuit, delectabili, & jucunda interim specie pauperum ejus Regionis, cum seminudi Oratores, braccati Poetae occursarent, ac Musarum professi se se cultores, quasi suo jure peterent subsidia aliqua ab alumno simul, & praeside earum. Namque mirum dictu, ut sint agricolae illic ad similitudinem Arcadiae veteris degentiumque per nemora illa inclyta pastorum, imbuti studio quodam, & facilitate ludendi carminibus, numerosque fundendi, luduntque, & fundunt, & inter se certant, patrio sermone modulantes nunc lenia jurgia, & rixas, amatoriosve cavillos, nunc etiam altius, graviusve aliquid prout egit impetus animos, qualia Virgilii carminibus ludicra continentur. Ex eo sylvestrium Poetarum genere unus ad Cardinalem accessit, praebuitque spectaculum tum Cardinali ipsi, tum comitatui universo in ea itineris molestia, haud sane injucundum. Arator vere iste erat grandi jam natu, probusque, & pius, & quod ad carminum vim indolemque Poeticam attineret, plane dignus, qui in ea fortuna nasceretur, ut studia, & litterae id ingenium excolere potuissent. Absque litteris, & eruditione ulla, naturae tantummodo munere pervenerat in eam famam, ut Magnus Etruriae Dux tali delectatus ingenio alimenta ei decerneret, accerseretque saepe in aulam, & saepe hominem alloqui vellet. Sed in eo accersendo, & alendo homine fecerat Medicaeus venuste hoc, atque eleganter, ut nativae simplicitati relinqueret ipsum, nec mutari quidquam de pristina ejus conditione pateretur. Tantummodo provisum, ne posset esurire homo, quem placido lumine Musae nascentem ita adspexissent. Adeoque destinatum Duci id, & adeo comiter in eum cum natura ipsa colludere voluerat, ut in decernendis, attribuendisque alimentis, non tritici, sed hordei, miliique modios, nec vini, sed vapae vasa quotannis danda perscriberet, atque assignaret. Nec ista sine sudore agricola adipiscebatur. Sed certis anni temporibus veniendum in aulam ei pensaque carminum afferenda erant, si ea, quae dixi, alimenta accipere vellet. Ibatque sublata in humeros indita sacco Poemata gestans, monstratus Urbe tota, Principi aulicisque exspectatus, nihil minus ipse cogitans, quam id quod erat, ridere interea homines, & voluptate affici, fruique spectaculo, & suspicere, atque admirari. Et quo magis riderent, atque admirarentur, habitus ipse efficiebat ligoni, & aratro conveniens, unde veniebat: praeterea obsitum illuvie corpus: aeternaeque sordes: & denique vates arator carminum sarcinam portans e sylvis in aulam plenam ingeniorum, atque per ingenii opera illa pabulum petens. Hoc ille habitu non sine carminum praecipue pera ad Cardinalem ex devio alto, quod incolebat, nemore, accessit: ac venire se Magni sui Ducis jussu, idque ex aula mandatum repente accepisse, ajebat. Inter caetera hospitalia, quae munificentia plane Regali per diversoria cuncta positionesque singulas exhibuerat Medicaeus, facere voluerat hoc, etiam, ut naturae fere miraculum inchoatam in rudi capite divinam artem, neque calores illos, & concitationes tantummodo mentis copiamque rerum, sed caeterum omnem apparatum ejus artis, ornamenta, & pompam inexperti litterarum agricolae spectanda Cardinali offerret, meliora omnia fortasse aliquanto, quam sicuti apud istos, qui didicere, exercentur. Laetissima res fuit, non solum eo, quia depromsit ille carmina, & recitavit, quae natum vere Poetam affirmarent: sed quia recedebant haec a nequitiis, & vanitate caeterorum, qui profiteri libidines, & animi sui flagitia per numeros amant. Plena omnia pietatis erant; hymni laudesque Sanctorum, & inclusae carminibus preces facesve divini amoris, & alterius vitae meditamenta; prout innixus aratro sive stratus in umbra scripserat antiquus, innocens, & Numine plenus vates. Vesperi venerat in hospitium ad Cardinalem: atque ad multam noctem non auditus modo, sed etiam humanissime instructus monitis, quae ipsum sequi argumenta, quos in versu vitare locos oporteret, cum postero die mane dimitteretur, pecuniae numero large donatus est. Insuetumque argento esse hominem, si antea nesciretur, declarari potuit haud illepido casu, quem spectavere Cardinalis familiares, & risere, dignamque rem etiam censuere, quam Hero, sicuti erat facta, narrarent. Cum enim acceptum a dispensatore argentum in peram ille demisisset, ac salutata familia, quae ipsa partim conscendebat jam equos, partim stabat in procinctu, abiret, quinque sexve passibus confectis, id argentum omne per imprudentiam humi proseminarat. Monitusque ab iis, qui viderant, incuriose relegit, ne minimo quidem ad eam rem motu, quod nummi excidissent, quodque donativum pene perdidisset.

Ingenia hujusmodi, atque innoxias egestates hominum, quos ars aliqua honesta studiumve liberale commendaret, sicuti nactus erat, forte Cardinalis non solita modo erga pauperes omneis liberalitate prosequebatur atque sublevabat: sed adjecto ad eam etiam favore in studia, artesque illas, suae quodammodo tutelae esse ducebat: atque hos praecipue pauperes, ubicumque fuere, paterna cura amplecti ad extremum usque perseveravit. Aluit in studio litterarum, atque suo nutrivit aere multos etiam alienigenas. Aliis praebuit alimenta domi: & inde tamquam ab domo laribusque suis, publica gymnasia frequentando isti, scientiarum apicem attigere,

gere, lauream que reportaverunt, hoc ipso postea clari magnique, quod ibi didicissent. Alii vero cum alibi curricula eadem confecissent, essentque in suo genere excellentes, jacebant, sive errabant, ignobiles, inglorii, destituti, famelici, non sine pudore litterarum, & suo, nisi in hanc recepti domum, & subsidia vitae, ibi & famam gloriamque nominis adipiscerentur. Gloriaque major Domini simul, & domus, quod non ut otium sermonibus oblectarent, non admiratione ingeniorum, neque in ullos ipsorum litteraturae usus, quippe non infra herum modo, sed infra familiares quoque caeteros universi, sed misericordia tantum, & erga bonas artes liberalitate assumebantur. Ac novi ego, poteramque nominare, si vellem, homines, qui ad triclinium, hospitiumque hoc, vitata fame prius, deinde vero etiam nomen paulatim, auctoritatemque consecuti, opinione hominum, & arte sua eo processerunt, ut apud Principes alios haberentur Principes ipsi quodammodo litterarum, & muneribus amplissimis sub eo nomine admoverentur. Litterati pauperes, his, aliisque modis a Cardinale adjuti fuerunt: ac tanto largior in eos misericordia fuit, quia super Euangelii mandatum, auctoritatemque divinam, etiam lege humanitatis, atque insito erga liberalia studia favore commendabantur.

Ille singularis favor adhuc, & commendatio magis pene insita animo ipsius fuit, qua delapsos ad paupertatem nobiles homines, & alterum praecipue sexum, domosve universas alere, sustentare, eximere probris necessitatibusque peccandi tanta illi cura fuit, quanto odio probra ipsa, & dehonestamenta aversabatur. Quo illustrior domus, quanto clarius familiae nomen: tanto promtior, imo, & occultior benignitas erat. Quidam, & palam, aulaque tota familias hominesque noscitante, accipiebant, id ipsum in gloria ponentes, quod digni habiti essent, quibus ita subveniretur. Nec magnis domibus rubor, si qui suae stirpis prodigentia opum casuve aliquo afflicti, nudatique, velut ejectamenta ipsarum agnoscerentur. Nos tamen adhuc, ut familiae istae sileantur, nihilominus arbitramur, posse rerum monumenta componi, nullumque historiae vitium in eo, si quaedam nomina praetermissa erunt. Vidimus, novimusque ipsi exactae jam aetatis, & ultimae senectae Equitem Mediolanensem, cui pensio annua Cardinalis jussu persolvebatur, nullum aliud ob meritum, nisi quia ditissimae fuerat, & antiquissimae stirpis, adesisque bonis omnibus nihil sibi reliqui fecerat, quo vitam tolerare posset. Veniebatque in singulos menses iste in aulam, adeo notus omnibus ipse causaque adventus ejus, ut primo statim adspectu pecunia depromeretur, dareturque ei in manum. Et talis notae plerique alii statis temporibus aderant, ad petendam, exigendamque pecuniam veluti sibi debitam, ideo quia ex magna fortuna exciderant, abundaverantque olim, & pudenda nunc egestate conflictabantur.

Femina una fuit, quae sicuti conflictata ipsa fuerat atroci quodam, atque horrendo, & rursus admirabili alio, divinoque casu, eratque magnis interim domibus adnexa ob atavi fortunam, quam ipsa dehonestasse videbatur: ita singulari sustentabatur arte per occultum: ac nescivit aliquamdiu etiam ipsa, undenam ea sibi alimenta venirent. Sane nihil aliud quam officia misericordiae Cardinalis erga pauperes in hac parte operis ego exsequi statueram: caputque etiam ipsum ita inscriptum esse memini. Caeterum hujus feminae casus, quam multiplices, & varii, quam foedi, atque atroces, & dein, facta divinitus conversione, quam coelestes, ac praedicandi fuerunt: in totidem species digeri virtus potest, quam Cardinalis in ea veluti procella, & tempestate pudicitiae explicavit. Non enim unius libido lapsa est, sed lapsus iste traxit etiam alias. Nec honestatis modo, sed corporum quoque clades fuit: & ex clade laus, gloriaque ingens, sanctitatisque proventus, & in miraculum evecta scena tragici sceleris: expiatum pietate majore scelus infandum: magnoque operi adjutrix, & socia pietas, ac munificentia Cardinalis, tamquam ipse peccasset. Puellaribus annis adolescentula, sicuti tunc ferebatur, virgo, sanguisque Principum in Monasterium acta fuerat, non tam sua sponte, sicuti eventu declaratum est, quam avaritiae stimulis, & nota potentiorum etiam sollicitudine, dum ita maritare filias, elegans, & grande suae fortunae emolumentum putant. Monasterium, cui calamitas haec obtigit, extra Urbem est in municipio antiquo sane, & nobili, adeo quidem, ut ad formam, dignationemve Urbis alicujus nihil pene praeter nomen ei desit: idque municipium jure beneficiario domui ipsi, unde virgo haec fuit, assignaverat Regia liberalitas, cum eam forte domum ob nescio quaedam merita ab mediocri fortuna excitare atque attollere coepisset. Intra claustra illa nova vestalis aliquamdiu quidem nihil movebat: incedebatque secundus rumor, & prospera fama tamquam sodalibus, & Monasterio toti praesidio simul & ornamento ipsa esset. Gregales vulgo Dominam appellabant; nec fere alio a caeteris nomine distinguebatur. Modestiam, innocentiamque ejus, & virtutes alias, imaginesve virtutum, quas inter principia praetulit, non alio melius exemplo notaverim, quam ea re, quod nobilium aliarum Virginum, quae educationis causa in Monasterio alebantur, praefecta, & magistra facta erat. Verum ea ipsa res initium, & origo malorum omnium, quomodo minime quis divinare posset, fuit. Continuae Monasterio aedes fuerunt, & quarum abdita, & portica parte despectus in atriolum, ubi sodales eae statis horis animi gratia meridiabantur, & ludebant. Dominus aedium, & juvenis, & dives otioque abundans despectando saepe illuc, adjecit uni forte oculos, & amatorie colloquebantur. Mox ista, sicuti jam forte matura viro erat, ex Monasterio abducitur a suis, & datur alicui nuptum. Amator hoc sibi pabulo oculorum, oblectamineque otii erepto transtulit in magistram, quidquid illud amoris, & libidinis conceptum ex discipulae consuetudine habebat. Nec mora. Flagitio viam facile invenerunt, ad quod ab sensibus, & colloquiis ejusmodi proxime itur. Per aliquot annos occulta res fuit: atque perfosso pariete, & patefacto in Dominae cubiculum aditu conjugali plane licentia egerunt: liberique suscepti. Nec intra unum corpus unumve sacrilegium libido se se continuit. Virgines aliae duae erant ad ministeria, dignitatemque vitae attributae Principi contubernales quodammodo ejus. Hae quoque constupratae veluti additamentum, & accessio sacrilegii Principalis ut essent. Ancilla Monasterii una, quae, orto forte jurgio, projecerat, scire se aliquid, & in tempore patefacturam, impacto in occiput scabello intra eamdem scelerum omnium officinam, hoc est in Dominae conclavi exanimatur, & corpore occultato, datur, vulgaturque fama, tamquam silentio noctis ipsa aufugisset. Idque, quo credibilius etiam fieret, parietem, quo cingitur hortus, ultro perforavere, illac evasisse memorantes. Sed & probi duo homines, qui artem uterque suam, aromatariam quidem alter, alter vero ferrariam ibi in vicino factitabant, cum apposita ad os manu mussitassent forte nonnihil, & porro apertius in dies, dolentiusque significarent, intra municipii sui moenia, intra claustra Monasterii unius admitti, committi, fieri horrenda, atrocia, foedissima quaedam: ob ejusmodi sermones atque susurros interemti sunt, mortuique reperti. Inhorruerat municipium omne suspicionibus, & murmure occulto: ac primi quique prudentiae suae lege, tamquam in re incerta humillimi metu hiscere non audebant. At intra Monasterii septa tanto magis inhorruerant sorores, quanto gravioribus illic indiciis ex proximo conclave fumabat. Ac sicuti dubia res erat adhuc, & inter attonitas Virgines coeca suspicio: ita certissimum illud: sublatam ex Principis contubernio disciplinam: solutasque ibi leges, Ordinis habitum, & victum, & sermones, & sensus intimos, discrepantia omnia a pudicitia, & honestate: ipsamque honestatem non posse diutius in eo domicilio habitare, nisi jam universa emigrasset. Perferebantur ista ad Cardinalem, sed trepide, atque haesitanter & perplexe, uti & divulgata erant: Archipresbyterque loci, vir probus, & vigilans, multum explorato, & inquisito nihil amplius referre potuit. Adeo mulierculae gustata voluptate simul hauserant astum,

astum, & calliditatem, artesque fallendi, semper quidem insitas ingenio muliebri, sed in eo coetu efficaciores hoc ipso, quia simul assumere potuerunt terriculamenta, & minas, saevitiamque ad coercenda indicia, quae per omnes Monasterii angulos manabant.

Cardinalis, ubi haec, sicuti erant, relata accepit, magnopere conturbatus, offensusque etiam, quod tamdiu distulissent ista referre homines, quorum ea cura fuerat, nihil ipse cunctatus in id municipium, tamquam visitandi causa, proficiscitur: & solito visitationum ritu cuncta statim illic fiebant. Monasteria caetera municipii adeundo, ne directo hanc petisse videretur, nonnullas subinde alias oblata, vel capta occasione aliqua alloquebatur, solabaturque, sive erudiebat, prout res, aut locus, tempusve daret opportunitatem imaginemve negotii aliquam. Alloquitur denique hanc, cujus causa simulata cum caeteris colloquia erant obtentuique sumta. Captoque leniter ambitu ad id quod agendum erat, tentat feminae animum, versatque in omneis partes, ut eliceret potius confessionem culpae, si qua subesset, quam ut exprobraret ipse quippam, argueretque. Monet, ut memor generis, natalumque suorum, memor etiam munerum, quae essent ipsi data divinitus, pietate, & modestia, & virtutum omnium exemplo Principem vere agat, non sorores modo virginesque incolas Monasterii ejus, sed municipii quoque populum universum stare intentum, & obversa tenere ora illuc, ubi ipsa habitet: observare, atque introspicere, quantum possint non malignitate livoreve ullo, sed quia Principum omnium conditio vere sic ferat. Satis credere ipsum, & innoxia ad eam diem, integraque, & inculpata omnia fuisse: & reliqua in posterum sanctitate vitae confutatum iri, si qui forte minus commodi sermones, opinionesve aliquorum fuissent. Haec aliaque dicta. Exitus colloquio is fuit, ut & femina magis, quam antea fuerat, suspecta relinqueretur, & Cardinalis ipse magis sollicitus, atque anxius, quam venerat, inde abiret. Facile intelligeres, ex corpore, & ore, animoque illo, una cum virginitate, verecundiam quoque excidisse omnem: nec Virginem jam esse ipsam, nec dignam, quae in coetu Virginum diutius haberetur. Ausa namque est dicere: *Non rite neque ordine sacris illis se esse initiatam: compulsam in Monasterium invitam a suis: non legitimam sibi aetatem fuisse cum ingrederetur: non satis annorum habuisse ad solennia professionis: non denique potuisse profiteri.* Et irritata spiritibus suis, contumaciaeque magnitudine jecit verbum proprie hoc: *Se esse maritandam, eumque dandum, quem jam ipsa elegisset.* Quatridui inde spatium fuit: & dispositis a Cardinale rebus, quae disponendae, atque agendae erant, eximitur Monasterio mulier, inditaque vehiculo cum idoneo comitatu, deportatur in Urbem, & in Monasterio alio collocatur. Delecta nox ad rem gerendam, ne concurreret suo more populus ad spectaculum. Circumdata equitum turma vehiculo, ne qua fortasse vis, impetusve fieret. Additae lateri Matronae duae honestatis causa: Sacerdotesque senes una vehebantur. Equites, qui praesidio esse debebant, extra oppidi moenia subsistere, atque exspectare jussi, ne strepitu, fremituque municipes excitarentur. Voluerat Cardinalis ipsum quoque comprehendere sacrilegii auctorem, stupratoremque Virginis, immo, quod postea compertum est, contubernii stupratorem, atque in id mandata opportuna dederat. Quippe indicia erumpebant: & praesentior quotidie erat res, ac veluti reductis velis tota paulatim scena flagitii patescebat. Sed ille vel conscientia stimulante, vel indiciorum metu, quae subinde aperiebant scelus, aufugerat jam: clausaque, & vacua domus reperta est. Omnia deinde in eo negotio praecipitia, ad ignominiam dedecusque, & cladem fuere, ut infelix, turpissimusque corruptor exitum etiam haberet infelicem, & turpem: mulieres vero corruptae, post infaustos illos turpesque casus exitu nobilitarentur, qui ipse nobilitare saeculum id posset. Et ea quidem, quae, sicuti Princeps ad flagitium fuerat, ita prima deinde ad sanctimoniae gloriam fuit, multum sane tumultuata est, saeviitque multum statim, ubi, scilicet, libidinum suarum avulsa, & exturbata regno inclusam se esse vidit, sensitque illuc, ubi alios mores, alia itinera vitae, novae sodales, nova domus, atque tot in unam intenti oculi, & demum necessitas ipsa postularet. Rupit vincula, custodiamque, & arrepto alicunde gladio, armata, minitabunda furens ipsa effringere claustra valvasque tentavit, comprehensaque rursus, & ex fuga retracta abstinuit cibo, tamquam vellet ultro finire vitam: illisit parieti caput: & nisi exarmaretur, attineretur que manibus, voluntarios in sua viscera ictus dirigebat. Nec minima pars furoris, insaniaeque ejus rabies intestina, & capitale odium in Cardinalem, & impiae voces, qualia etiam a phanaticis convitia in Superos jactantur. Ipsa postea de se confessa est, quemadmodum crederet, inimicitias omnes, & odia, quae inter mortales alios exercentur, ludum esse prae acerbitate malevolentiae ejus, qua liberatorem suum inter eos furores ipsa detestaretur. Hoc namque nomine Cardinalem appellare solita fuit, & verba haec fuere mulieris, tunc, cum depulsa coecitate, & errore mentis beneficium acceptum veris pretiis aestimare coepisset: & ubi grati animi sensus atque pietas admiranda quaedam erga flagitii vindicem in locum odii successit.

Verum haec aliquanto post facta sunt: & ut fieri possent, nova casuum atrocitate opus fuit, quae statim in promtu: eique novorum scelerum atrocitati materiem jam ante patrata scelera praebuere. Namque stuprator idem, cum ad prima indicia sacrilegii patefacti per metum simul, fraudemque, desertis aedibus, unde sibi Monasterium, quemadmodum demonstravi, perforarat, in vicino nemore delitesceret, intentus ad omnia, quam deinceps morerentur, ac fierent, ubi mulierem abductam, & in claustra alia traditam esse, atque desperatam cognovit, desperatione etiam ipse, rabieque, ac furore amens per foramina consueta conclave intrat, residuasque duas illas intempesta nocte abducit secum. Sicuti postea compertum est, recusaverant primo sequi atque abire, dictitantes, satius esse sibi cruciari ibi, ac perire, quam id fugae dedecus, ac periculum, ignominiamque suscipere, atque committere supra malum, hoc etiam, ut in novi flagitii professione exstinguerentur. Sed ille partim hortando, & blandiendo, partim minitando ipsas sua manu se jugulaturum, pervicit denique, ut sequerentur: & abiere. Amnis nomine Lamber, ex vetere Eupyli fluens non parva mole vehit undas partemque itineris sui per arrecta, per plana emensus, ubi moenia municipii subit, intrat: summaque fluminis violentia, & altitudo illic, post eum, quem memorabo, casum, in publica admiratione notata est. In ripa fluminis ejus ibant profugae ab sacris Monasterii claustris in sacro velamine mulieres, raptorque, & ductor, & violator, & mox futurus earum carnifex latro armatus, agmen horribile, miserabile, turpe, nocturnum, & simile nocti, imo cujus incessum, atque conspectum nox ipsa abominaretur. Dum ita irent, ob admissa pariter, & admittenda scelera anhelantes, ibat simul una cum ipsis in vicino coeleste miraculum, & destinatis supremis traducendi feminas ab limine mortis, & Orci faucibus, ignominiaque, & dedecore ultimo ad vitae simul, & poenitentiae spatia, gloriaeque, & salutis. Raptor, & violator, & ductor ille infidus, stricto repente pugione repetitis ictibus confodit earum alteram, exanimemque ratus dejicit in flumen: cum, superstite altera, pergit ire, qua provisas latebras, & tuta amplexibus domicilia referta deliciis stare ajebat. Re vera, secretoque, & insano provisu ducebat illuc, ubi vivam cum ipsis vestimentis, incautamque sepeliret. Ventum erat in apertam undique planitiem (& sunt omnia campi circa municipium) qua profundum, & veterem, & squalentem absque humore ullo puteum densa obsita virgulta tegebant, eratque caverna fere ignota aliis, notissima carnifici; quippe qui ad cadavera sua occultanda, non tunc primum eo sepulchro uteretur. Per tenebras inductam eo mulierem impellit, praecipitatque, & voragini tradit: atque elisam, & quassatam hanc quoque existimans, abit inde, quo vecors ipsum animus, & tot scelerum conscientia rapiebat.

Hic mihi adesse velim eos, qui potentiam, magnitudi-

dinemque Numinis otiari circa coeli cardines, vel certe summae tantummodo rerum intentam contemnere, atque transmittere minima haec putant.

Hae duae mulieres, quia supremo decreto, & arcana in eas inclinatione Numinis ab omni, sicuti credere fas est, aeternitate manebant destinatae coelo, & saluti, altera recepto saepius in jugulum & in viscera ferro, dein tradita undis: altera dejecta in tantum altitudinis, ut ab ipso praecipitii terrore recipere mortem potuisset, utraque superstes divinitus neci suae fuit. Alteram placida aquarum illuvies detulit ad templi valvas: quod appositum flumini est: ibique reperta, & curata, post aliquanto convaluit, alteram tenuissimi ejulatus indicio pervestigavere agricolae, deinde extraxere, par priori miraculum: & ambae postea sanctitate vitae fuere longe admirabiliores.

Interim vero etiam illa Princeps, & causa malorum omnium, municipii, Monasteriique Princeps olim, nunc decore honestateque omissa, generis, & familiae suae opprobrium, ab Monasterio suo exsul, hospes, & inquilina aedium alienarum, captiva, extorris, infamis, desperata, amens, contumaciae, Furiarumque plena, monstrum verius omnino, quam mulier haec, accepta intra carcerem fama sacrilegiorum, atque parricidiorum, & latrocinii tanti, cujus initia, & causas ipsa peperisset, attonita, perculsa, confusa, repente mutatur in alios mores, aliumque animum, & in aliud pene corpus. Tanta conscientiae vis fuit: & quidquid illud generosi spiritus ab stirpe insitum, pravitate, otioque sopitum fuerat, emersit subito, atque omnes animi partes ad deflenda, & detestanda, quae admisisset, pio dolore accendit. Satis apparere posset, exempla renovaturam hanc ingentium animarum, quae humano errore prolapsae assurrexere coelesti impetu, ac pervenere illuc, ubi meritis, & gratia apud Deum aequarent pectora intacta culpis, capita nescia mali, gloriaeque cumulus esset hoc ipsum, quod aliquando peccassent. Ea statim vitae forma, ea indoles poenitentiae erat: hospitesque ipsae, quibus tradita erat in custodiam, tantam illius animi mutationem intuentes, neque ignorabant unde esset, & tamen admirari non desinebant, propterea quod, scilicet, omnia in ea muliere humanae admirationis repente excesserant modum. Nec minus admiranda statim signa perculsi divinitus, atque mutati in melius animi dederant illae ipsae, quarum ob casum, perculsa sic, & mutata haec erat. Abscondi se se protinus, atque abstrudi, & ablegari aliquo postulavere, ubi neque adspicerentur amplius ab ullo mortalium, neque amplius adspicerent ipsae lucem, qua unusquisque mortalium frueretur. Ad Cardinalem uno pene nuntio, & una significatione litterarum haec omnia perferebantur. Nova irruptio Furiae illius in septa Monasterii, nova dehonestamenta, nova furta muliebrium Religionum: pene patrata raptarum caedes: miracula irritae caedis: & miraculum pene majus ex tanta rerum colluvione subducti in coelum animi: vel certe dilapsum in illa pectora Numen, spiritusque divinus. Unde, & varietati huic, magnitudinique rerum par in Cardinalis animo varietas, molesque curarum erat: misericordia, dolor, ira, solatiumque nonnullum, si perditis ita rebus divina tamen clementia subveniret. Accingitur deinde ipse ad remedia omnia molienda quaecumque opis, auxiliique humani forent. Et primum omnium raptarum illarum habita cura, ne diutius in privato haberentur illic, scilicet, quo deportari post infortunium afflicta, & lacerata corpora subita necessitas coegisset. Statim ubi virium aliquid fuit, & ubi jactationem in via nonnullam ferre potuerunt, in Monasterium ejusdem municipii aliud utraque, post alteram altera, deportantur, quod opibus, ac nobilitate nequaquam par priori erat: sanctitate disciplinae munita magis ibi omnia, rectiusque constituta erant. Ibi collocatae seorsim, & Cardinalis fere sumtu nutritae reliquam aetatem ita egerunt, ut obedientiae legibus inhiberi ipsas, fraenaque injici rigori, & asperitati humanitatis quandoque interesset. Abstrusae, clausaeque, & tam prope semper a sepultis, quam a mortuis antea fuerant, non cibum, nisi coactae, & jussae sumebant; non cogi poterant, ut adspicerent lucem; non vox ulla, nisi quae peccata detestaretur, audita est. Suspiria lacrymaeque abundabant. Dum psallerent, aut precarentur, gemitus ab imo pectore ductos audires: & qualia veterum Anachoretarum simulacra tabulae pictae ostendunt, talis adspectus, & forma earum erat. Atilla natalium sorte simul, & magnitudine flagitii, dein conversionis, ac poenitentiae gloria Princeps, inter exempla alia, quae plurima, & maxima edidit, fecit hoc, ut assidue fleret, nec siccis umquam oculis adspiceretur. Ac, sicuti silentium, & verecundia lucis communia ei cum caeteris duabus fuere, lacrymaeque etiam inter ipsas commune donum: ita hoc ipso lacrymarum haud dubie coelesti munere, singularique praerogativa antecessit, altiusque post lapsum evecta est. In Monasterium traducta jam erat, quod receptaculum verius dici par fuerit abductarum a turpi quaestu mulierum, sive satietas taediumve talis vitae, castigationesque mulierum compulere illuc, sive quae tactae impulsu vere divino, e sordibus coenoque emerserunt, atque pudicitiam, & castitatem indutae meretrices mirificum in eo coetu spectaculum exhibuere. Cum eo transferretur, primum omnium pro munere gratissimo acceperat hoc, non alio, quam famosarum contubernio dignam se esse habitam, ibique in probro, ac dedecore domicilii illius exspectaturam probrosae etiam vitae finem, ac posse id inter piacula referri. Et piaculo tamquam alio, magnopere laetata in luctu est, quod primo statim ingressu collocabatur in parte Monasterii deserta semper alias ob taedia odoris, qui illuc alicunde manabat: neque, ut in conclavia commodiora transiret, perpelli postea potuit. In silentio pariter, & fuga lucis alloquiive cujuslibet ad extremum usque perstabat, nisi ob arcana nonnulla pectoris sui, & ob quasdam objectas animo religiones, scrupulosve, Cardinalem ipsum alloqui flagrantissime cuperet. Namque, sicut antea dictum est, statim ubi liberatus caligine animus cernere potuit, ex quanta rerum foeditate emersisset, senserat simul cujus beneficio potissimum, & opera, ea sibi contigisset salus: versaque in venerationem, ac pietatem rabie, in parentis eum loco, tacito secum ipsa sensu ducebat: virtutis, & sapientiae magnitudine eumdem supra mortale fastigium esse, arbitrabatur. Cum pergeret ambitiosis precibus efflagitare a Praefecta sodalitii, sodalibus universis, ne se voti irritam exstingui, ac decedere paterentur, monebat hoc ipso, quod ruperat ea tantummodo voce silentium; alioqui in luctus, & meditationum suarum altitudinem condita non secus, ac si deesset lingua, jacebat. Quae cum viderent, audirentque sodales, ratio tandem inter ipsas inita est, ut Cardinali significaretur, quemadmodum ad salutem hospitis magnopere pertineret, venire ipsum, & alloqui, & praebere paulisper aures, & audire, quae dictura esset. Non ille statim ivit, primum notitia, & contemtu muliebrium deliramentorum, deinde vero etiam, haud sane credens ingenio hujus, nec aliarum satis esse sana postulata recordatus. Postquam fatigabant saepius petendo eadem, nunc per codicillos, nunc per Sacerdotem ipsum, cui animarum illarum regimen, & cura concredita erat, inductus est demum, ut iret, atque experiretur. Sed, qua cunctatione usus in eundo erat, eamdem in fide adhibenda dictis habuit, addiditque rigorem, & severa verba, quo acrius animum exploraret. Scilicet, exorsa mulier divinum, ad quemdam admirabilemque sermonem, sed quo altior, admirabiliorque erat, eo magis quoque suspectum, coeperat trepide etiam ipsa, atque haesitanter, & non ficto, sed vero timore exponere, quemadmodum, & moveri se divinitus sentiret, & divina quaedam etiam videret, atque haud dubie ad motus, agitationesque ibat, quae fieri solent, cum a societate corporis abducitur animus, erigiturque contemplatione in coelum. Obversatam sibi coelestium speciem, & saepe auditas majores humano sono voces, aliaque subnectebat similia istis, vera quidem, sed ipsi quoque suspecta, tamquam ludibria, & artes, fallaciaeque Daemonum essent. Sicuti sibi acciderent, exponere voluisse, ut liberaret religione animum:

mum: poscebatque veniam, nec ultra quidquam effata est.

Cardinalis profunditate Theologiae, & commentatione diuturna solertissimus ad hujusmodi judicia erat, sicuti declarant ipsius de toto hoc genere volumina, quae exstant scripta sane subtiliter, atque divinitus ad notandum omne veri, falsique discrimen, erroresque tollendos, & ludibria mentium humanarum, quae vel vanitas insita ipsis, vel iisdem semper infensa malitia Daemonum facit. Cum attente audiendo omnia, quae a muliere dicebantur, conferendoque, & ea inter se, & cum his ipsis caetera de moribus, ac nova vitae forma ejus statuisset ipse secum, haud vana afferri, dissimulavit, nihilominus assentiri, sive credere, vel probare quidquam, & suspenso adductoque vultu, monuit, uti meminisset, prius videndum, cogitandumque esse ipsi, quomodo culpas expiasset admissas, quam quomodo coelestia munera assequeretur. Haec fere mulieri dixerat. Secreta animi aestimatione reputabat divinae clementiae magnitudinem, quae mortalium culpis adeo promte, liberaliterque placaretur, ut, si vera poenitentia adesset, panderet etiam repente coelum, atque emersas e sordibus animas inenarrabiliter jungeret sibi, & ubertate gratiae compleret. Dat ejusmodi deinde mandata, ut & tota illius vita diligentius, attentiusque observaretur, & certior fieret ipse de omnibus rebus; in primis jusserat ad se referri, quoties opus esse sibi colloquio eodem ipsa significaret, idque impatientius forte efflagitarat. Nam, sicuti dixi, commotus magnopere erat, atque perculsus magnitudine rerum, ac divinitate, quas mulier illa, ceu nova sua crimina exposuerat, & culpam in eo vere suam fore videbat, si tantae huic gloriae, virtutique nascenti tamquam obstetricari destitisset. Ibat postea saepe, nunc efflagitatione mulierum ipsarum, & rogatu, prout efflagitaverat illa, & rogarat: nunc ultro, stimulante, videlicet, animum admiratione, curaque suscepta, tum ut gratiae opera majora in dies, & plura etiam ipse cognosceret, tum vero ne inter admirabilium ejusmodi operum rudimenta Rector, & Magister muliebri animo deesset. Atque ita eo demum adducta res est, ut crebris, magnisque experimentis facta apud Cardinalis animum fide veracis, praesentisque divinitatis, coelique ad conversionem ejus animae plaudentis, & manifeste commoti, plauderet etiam ipse, conversionique, & exemplo honorem habere vellet. Habitaverat, sicuti dictum est, in obscuro tetroque angulo Monasterii, ibique prima omnium posuerat ipsa cubile, cum ob tenebras foeditatemque aliam, velut indigna humano cultu pars ea negligeretur. Inde migrare jussa est in cubiculum, cui pars utique lucis, & sine horrore limen, quale, scilicet, domicilium purissimum jam, & coelo gratissimum, menti magis aliquanto convenire aliquis dixisset. Ad reliquam disciplinam, & instituta vitae, quod attineret, relinquitur silentio, & abstinentiae, & rigori, severitatique pristinae, scilicet, ut arbitratu suo pergeret difficile illud coeleste iter. Honori tamen, & admirationi tantae sanctitatis datum, ut sumtus in ejus alimenta Monasterio suppeditaretur, haud aliter, quam si magnifice, ac opipare alenda esset: eumque sumtum Cardinalis ipse suppeditabat alienata adhuc domo, infensisque proximorum animis, ne honoris hujus gloriam agnoscere atque amplecti vellent. Et mulierum quidem violatarum hic exitus fuit; quarum priores duae in ipso fervore poenitentiae jam exstinctae erant: sanctior haec, scribentibus ista nobis, adhuc superstes erat curvae proceritatis anus, torrida, macilenta, veneranda, quam pulchram, & impudicam aliquando esse potuisse, ex adspectu vix fides.

Caeterum, & latronis ipsius, per quem haec illata pudicitiae clades furto, exitum explicabo, ut in utramque partem exempla exstent, tum benignitatis, & clementiae, tum irarum, judiciique divini, quod etiam in hac vita persequitur impios: & raro antecedentem scelestum pede licet claudo poena deseruit comes. Vagatus iste Furiis agitantibus, quacumque illum pedes rapiebant, & aurae, mutando saepe vestem, & tegumenta capitis, nomenque, & vitae genus, cum famam, & iras, indignationemque communem aliquamdiu fefellisset, & jam haud dubie pro mortuo haberetur, tali denique fine deprehensus exceptusque est. Noctuabundus, trepidus, tectus humeros lacerna, & cucullo venerat in veteris amici domum, ea tempestate notissimam Urbe tota, propter opes, & honores, quos illuc intra breve tempus indulgentia fortunae cumularat. Hodie, finitis honoribus, opulentia eadem divisa in haeredes manet. Pro amicitia rogat, ut ad breve tantummodo tempus in latebra aliqua occultetur: idque facile impetratum: & aliquamdiu delitescebat ibi simul, & alebatur hospes. Mox comparuit in rostris divisum illud a corpore caput, sive metu, quod receptus latro domi esset; sive ut gratia per ejusmodi caedem aliqua iniretur: sive ad extremum indignitate flagitiorum odioque receptator ipse per suos obtruncarat: & formam quoque caedis ejusmodi fuisse manavit. Securum, incautumque, & nihil in ea domo metuentem in subterraneam cellam, quibus mandatum erat, veluti per lasciviam, ludumque silentio noctis, induxere. Illic vincla injecta: & Presbyter, cui peccata confiteri posset, ad manum erat: factumque humaniter hoc, ut, antequam percuterent, hortarentur, atque evincerent, ne occasioni ultimae deesset. Tum fracto occipitio exanimatur, sectaeque cervices. Senatus aequavit solo aedes, intra quas tantum sceleris, flagitiique conceptum fuisset: & posita columna est monumento ad posteros: hodieque id monumentum cum detestatione, & horrore adspicitur.

## CAPUT IV.

*Dona oblata repudiavit semper, neque rebus alienis umquam se immiscuit.*

Veluti premere nudo pede anguem, aut contrectare manu, vel in sinum demittere quispiam horreret: ita Cardinali nativus, atque insitus, & perpetuus ad extremum usque fuit horror adversus illecebras, & blandimenta munerum, quibus magnanimitas etiam, prudentiaque humana tantopere delectatur. Ex Romano itinere, cum Florentiae apud Medicaeos, Principum eorum invitatu pro amicitia, & vetere consanguinitate substitisset: voluit adamantem rarae magnitudinis ei donare Christierna Lotharingia, Magnorum Ducum Ferdinandi uxor, Cosmi mater, femina pietatis eximiae, caque virtutum suarum parte respiciens assidue virtutes, animumque Cardinalis. Volebat haec pretiosissimae indicaturae gemmam hospiti tanto donare, non tam opum suarum, quam venerationis erga ipsum illustre specimen. Sed haud ignara contemtionis, fastidiique ejus adversus accipiendi dulcedinem, excogitaverat dolum, per quem accipere suum illud munus utcumque cogeretur. Et fuit hujusmodi largitricis dolus: Sciebat Deiparae Virginis effigie, propter quam Florentiae visitur coelesti ad eam nuntio dicata aedes, immo propter cujus picturae excellentiam, Florentia etiam ipsa visitur, mirifice delectatum fuisse Cardinalem. Quanto intelligentior artis ille esset, & quanto tenerior illi erga divina mysteria sensus, animusque erectior in coelum: tanto plus temporis circa imaginem eam, nunc orando, nunc etiam oculis cuncta perlustrando consumsisse. Sic aulae illius Proceres, Herili jussu Cardinalem ad templum Annuntiatae affectati renuntiarant, Dominaeque narrarant. Utitur igitur occasione hac Christierna Princeps, traditaque eburnea arcula uni e familiaribus, jubet eam offerre Cardinali, verbaque suo nomine addere haec: *Icunculam inesse Divae, cujus adspectu nuper ipse satiari non potuisset. Haberet saltem, auferretque exemplar: & quotiescumque suis precibus ea simulacra adoraret, meminisset etiam commendare Domum, quae jam inde a D. Carolo esset in tutela Borromaeae pietatis, & quae veteris tutelae jura continuata cum ipso Patruele ejus per pignus hoc coeleste renovaret.*

Hactenus laeto, serenoque vultu Federicus audiverat, responderatque magnifice de sacro munusculo, modeste de precibus suis: arculamque reserabat. Qua aperta, ubi ostendit cum imagine gemmam, statim intellecta fraude veluti pavefactus, accersito e suis Abbate Besutio,

tio, qui familiarium antiquissimus aderat, *Vos*, inquit, *pro ea*, *qua mecum estis antiqua servitute conjuncti*, *jurate sanctissimum jusjurandum*, *ut si quidquam umquam ab ullo mortalium*, *quod muneri datum esset*, *accipere nos vidistis*, *istud quoque receperimus ea lege*, *quae repudiari munera Regum vetat*. Cum haud dubia res esset, audiretque circumfusa Principis aula, inviolabile per omne tempus institutum hoc manere Cardinali, munera nulla, parva, sive magna, accipiendi silentium fuit, neque uti acciperet, ultra fatigabant. Sic arcula quidem retenta est cum coelesti simulacro quod includebat: adamas vero relatus in aulam, obstupescentibus ibi cunctis, admiratione viri, spernentis, abdicantisque ista, quae Cardinalium fortasse quilibet alius non accepisset modo, sed etiam data esse gloriaretur: xeniaque relata haec pars vitae, & gloriae ejus fierent. Noster rejiciendo, atque recusando talia semper, haud tamen potuerat efficere, quin pergerent hoc genere honoris, prosequi velle ipsum Principes, populique toti, Collegia, Communitates, multique privatim etiam, ut cuique aditus, & facultas offerendi, donandique aliquid, omnes ita testari volebant insitam animo reverentiam erga virtutes inclytas, omnibusque, gratia tantummodo rei accepta, munera ipsa remittebantur.

Ad Lauretanam aedem, in re quidem aliquanto minore, caeterum majore frequentia, plausuque hominum, spectata par animi magnitudo est. Rediens ab D. Caroli inauguratione substiterat illic: & nos quoque tunc forte in comitatu eramus. Vidi igitur, & videre familiares caeteri comportata ad Cardinalam, & oblata ei ex universo illo tractu omnia, quae mensis expetuntur, vini cados, saccari sportas, venationis, & aucupii genus omne, genus omne pomorum, quae in hiemem asservantur (etenim Decembri mense redibamus) genus omne bellariorum; & patriae suae quodammodo opes, sive libamina opum obtulere Cardinali, tamquam futuro olim Pontifici dona commendatura Provinciam. Etenim spes, & opinio haec hominum, licet in exitu non vera incesserat, parari rerum humanarum id caput. Demtoque etiam more hoc, sive necessitate hominum adulandi futuras dominationes, fortunamque praeparandi, nomen famamque Borromaei hujus Provincia illa venerabatur. Ob id struxere quamdam ejusmodi pompam, agmenque ferentium dona, quae praepararant: Bini quaternive procedebant in ordinem, cum suo quique pondere, prout graviora, sive leviora, in singulos onera descripta, & divisa fuerunt. Haec sic composita paria longo ducentes ordine Decuriones ad Cardinalem accessere, &, meditata oratione, precati sunt, ut devotae sibi terrae devotaeque urbis animalia illa, & fructus, muneraque alia incolarum accipere ne gravaretur. Minima esse quidem: sed animos aestimaret, pietatemque regionis: mereri homines, terramque ipsam simplicitate, & amore, cultuque erga Borromaeorum nomen, uti ante alios, plerosque haberentur, nec, sicuti caeteris, daretur repulsa munusculo, quod offerrent. Legatio dixerat haec, & simul procedere coeperunt, qui sportas, cados, & apros, ac reliqua sine fine portabant. Per Lauretanae aedis aulam ingressi transibant ante Cardinalem, exibantque postliminio per horae spatium. Tanta ea multitudo fuit. Cardinalis, inspecto libenter agmine ferculorum, & laudata municipum in se benevolentia, dixit, *Collocari posse cuncta melius*, *atque utilius*, *si Deiparae ipsi*, *in cujus vere agro nata essent*, *hoc est*, *pauperibus*, *hospitibusque ejus fruenda relinquerentur:* atque sicuti imperarat, ita factum est.

Ad consecrandum Cardinalem Odoardum Farnesium, Parmam ivit invitatu ipsius anno supra vigesimum altero. Namque praeter eam necessitudinem, quae Domui Farnesiorum cum Borromaea Domo ob Comitis Renati, cum Hersilia, Ducis Alexandri filia, Odoardi ipsius, & Rainutii sorore matrimonium erat, etiam sua privatim vincla caritatis inter ipsos habebant hi Cardinales; semperque conjuncti societate studiorum fuere. Qua conjunctione animorum, & in primis Borromaei virtutum admiratione Farnesius inductus, cum sacris initiari cuperet, haberetque in id ipsum disposita omnia, & praeparata, Borromaeum elegit, a quo potissimum initiaretur. Profectus itaque Parmam, cum sua familia, alioque honestissimo comitatu Cardinalis, & initiavit rite Farnesium, & nonnullos praeterea dies, de gravissimis rebus, ut cum eo colloqueretur, magno utriusque fructu consumsit. Advenientem exceperat aula illa non modo sueta erga magnos Principes liberalitate, quae nulli Regum in hospites effusior fuit: sed gratulatione, & obsequio, paratuque, & plausu, quanto si Reges ipsi adessent. Tantamque viri majestatem, ceu solatium, & decus domui ingens multis verisque precibus ultra peragendae, mox peractae rei tempus detinere conabantur. In discessu, honoris ejus causa excogitavere hoc, ut, quoniam inaccessa muneribus altitudo illa animi esset: at certe servis ejus, familiaeque toti munera darentur. Ut cuique dignitas, & gratiae locus apud Cardinalem: sic dona data sunt, torques aurei, baccata monilia gemmis, gemmae, tum purae, singulaeque singulis, tum in coronas, & rosaria consertae, quo securius, velut socia pietate pretia tanta rerum acciperentur, accipive possent. Tabulae quoque pictae artificum eximiorum in ea largitione fuerunt inclusae auro; & rursus mysteria effigiesque Sanctorum, ex metallo eodem expressae anaglyptico opere: pyxides, calicesque aurei, & omnis reliqua pretiosa supellex, quae inter caeremonias, & solennia consecrationis adhibita fuerat, & ministris caeremoniae ejus, qui fuerant ex Cardinalis nostri domo omnes, inter ipsos dividenda relinquebatur. Haec ille dona data familiaribus suis ubi rescivit, simpliciterque accepisse ipsos, quam lenissime mandavit, ad se cuncta deferrent, & collata obedienter omnia statim, pulvino subjecit. Totum hoc acciderat ejus horae momento, quo discessurus aula, lecticamque conscensurus ipse erat. In egressu cum pedem ab limine cubiculi efferret, locutus in aurem homini, qui Farnesiorum aulae praefectus erat, locum indicavit, ubi reposita dona jacerent, jussitque, tolleret, ac restitueret omnia Principi, non sine gratiarum actione pro tanta liberalitate in suos, singulis deinde eorum donavit ipse tantumdem, quantum ea restitutione unicuique deperisset.

Ea erat magnanimitas Cardinalis, ut ne suos quidem accipere quidquam ab alienis vellet: ac ne se se interea fraudatos esse conqueri possent, de suo potius largiebatur. Sed, & maximarum opum, divitiarumque amplissimarum arbitrium sive dispensatio, cum ad ipsum delata esset, abnuit magnanimitate eadem, negotiumque repudiavit, saepe quidem etiam alias, verum in Petri Carcani consultatione quadam, illustri in primis, & memorabili exemplo. Negotiatorum iste ditissimus erat, censu praeditus aureorum millium amplius quadraginta, senex idem, & absque ulla liberorum successione decessurus. Adiit itaque Cardinalem, ac de opibus, & orbitate sua praefatus, dixit, indigum se se consilii circa fortunarum suarum dispensationem, petere ab eo, ut decerneret, ac statuere ipse vellet: quidquid consilii dedisset, id sequi decretum atque deliberatum sibi esse. Cardinalis, petito ad deliberandum spatio, cum rediisset ille, responsum ei hoc dedit: In omni vita semper tenuisse, ac servasse hoc, ne rebus alienis sese immisceret: ab eo tot annorum suo instituto nolle discedere nunc. Proinde cogitaret ipse de re sua, statueretque.

## CAPUT V.

### *Vicarii Constantii testimonium de Cardinalis actis, pestilentiae tempore.*

SOllicitudinem, munificentiamque Cardinalis erga pauperes, & praeclara exempla, quae tristissimo hoc famis, & pestilentiae tempore edidit, nusquam certius, & fide majore repraesentari posse, arbitror, quam Blasii Constantii testimonio, qui Pontificatus etiam hodierni Vicarius tunc cuncta fere administrabat, & Cardinalis ipsius nomine, rerum omnium mandata dedit. Ab eo perscriptam rerum ejusmodi narrationem in haec verba accepimus: *Adventante pestilentia cum fames in Urbe esset*, *languerentque per vias quotidie multi*,

*multi, & miserrime exstinguerentur, Cardinalis instituit omnia haec, & fecit, tenuitque quamdiu id malum. Incedebant per compita Sacerdotes ab eo delecti, tum robore animi, tum caritate insignes, ac per alia olim experimenta spectati utrimque, & probati. Hos bajuli cum vini amphoris, panem insuper, & ova, & pulmenta ferentes sequebantur. Ut quosque repererant, vel jam in ultimo discrimine vitae destitutos, agentesque animam, vel etiam minus periculose affectos, jacentesque tamen, & languoris, atque esuriei manifestos, impertiebant singulis mysteria divina, vestem, fomenta, cibos, prout humana subsidia, sive remedia vitae alterius praevertenda esse res monebat. Ea quotidiana, & assidua per Urbem circuitio Sacerdotum fuit. Sed, & pecuniae subsidia hi ferebant secum, non solum ut dividerent in praesentia ipsis, & pro cujusque egestate largirentur, sed etiam, ut attribuerent aliis, qui alendos eos, curandosque suscepissent. Namque praeter subitariam illam, primamque curationem mandaverat Cardinalis, ut, in quacumque reperti essent vicinia morbosi, egentesque isti, exorarentur incolae, seu Domini aedium finitimarum, ut acciperent hospitio eos, & in angulo collocari aliquo finerent: libenterque sane accipiebantur, ubi ventum erat ad locupletes forte aliquos, & velut a Cardinale commendati, benigne habebantur. Caeteris ne oneri essent, pretia nutritionis, & hospitii opportuna dabantur: ibantque deinde visere quotidie Sacerdotes iidem, ac ne quid eorum ulli deesset, solliciti inprimis, attentique erant. Collecti hac cura, & collocati plurimi cum essent, petiit Cardinalis, atque impetravit a Concilio Decurionum, ut intra Lazareti septa hos quoque reciperent, ubi ingens alia famelica multitudo publico sumtu alebatur. Et fami quidem urbanae pro sua parte providerat ita Cardinalis, quantum misericordia potuerat, opesque, quae ei adfuere. Ad municipia vero, & pagos, & longinqua vallium, sive inaccessa, & aspera montium, pergebat mittere non solum orizae modios, sed copiam quoque salis, quo vertuntur in cibos etiam prata, corticesque arborum, idque jam alimenti genus familiare agrestibus inopia frugum fecerat. Mox cum socia famis clades altera incedere coepisset, & suspecta dudum jam palam pestilentia grassaretur, haud minore sollicitudine Pastor egit, ut adversus insanabilia humanis remediis contagia coelestes opes, thesaurosque clementiae divinae dispensaret. Nec tamen interim etiam corporibus quoque refovendis jam exposita cura aberat, dum migrantes inde animas in transitu illo horribili, veluti praesens, & periclitans una ipse prosequeretur. Jam primum omnium a Pontifice Maximo impetrarat jus, facultatemque absolvendi eos etiam, quorum Tartarea vincula reservata sedi Apostolicae essent, scilicet, ne quos in tantis humanae licentiae flagitiis illigatos diris deprehenderet Satanas, repenteque auferret. Haec Apostolica potestas facta Parochis erat, Parochosque ipsos, haud secus, quam suos quilibet pater familiae filios, ut adversus pestilentiae tela, salvi, tecti, muniti in discrimen irent, paterno plane sensu munierat praeceptis, atque armarat. Nam si haec sibi soboles, & copia Parochorum intercepta foret, videbat haud facile in tali tempore fore supplementum, neque quidquam aliud magis timuisse visus est. Exstant litterae ejus amplexae consilia omnia, & monita generis hujus, in quibus litteris, nescias, prudentiamne magis, an caritatem, admirere Pastoris. Exquisita ibi, praescripta, notata quaecumque adversus haec pericula tabis cavere, ac prospicere peritissimi medicorum possent. Quarum sane litterarum capita, & summam hoc loco posuisse haud inutile fuerit, ut usui esse possint, si quando alias homines consiliis ejusmodi indigebunt. Caeterum inter eximia haec, atque admiranda, nihil magis mirum fuit, quam quod adeo attentus, & sollicitus iste pro salute suorum abdicaverat omnem circa se curam, quae distinere, atque impedire ullam Pastoralis officii partem posset. Non objectabat temere se se periclis, quasi vel desperatione, ac taedio lacesseret ultro finem, vel inter praecipitia laudem quaereret, sicuti magnos etiam viros aliquando fecisse accepimus. Sed ne pericula quidem umquam ulla vitavit, quae juste, ac legitime tunc adeunda essent. Adire Lazaretum, invisere aegros, alloqui, cognoscere necessitates, conditionemque singulorum, dein subvenire, prout res ferebat: accersere saepe Parochos, hortari, monere, vacare quotidie alloquiis, & supplicum audire preces: etiam incedere per deserta jam, & solitaria compita urbis, & prout e fenestris quique supplicassent, dare mandata in posterum, sive in praesentia stipem. Atque existimans, posse ita accidere, ut vis morbi corriperet ipsum provisu, ac suspicione periculi imminentis edixerat, mandaveratque suis, ut, si incideret, nusquam inferrent cubiculo pedem, sed limine ab ipso porrigerent, seu intromitterent impositos palae, seu asseri cibos, exitiumque ita vitarent.*

Hisce fere verbis expositum a Vicario Constantio, testatumque est, quomodo Cardinalis in illo pestilentiae tempore, se se gesserit circa suam, aliorumque salutem, & quomodo hanc quidem providentissime, atque accuratissime tutatus fuerit, illam vero fortissime, neque tamen, ut plerique, per ambitionem spreverit. Exsequendo inde caetera Vicarius idem prodidit sua manu ita scriptum, sicuti, nihil ipsius verba invertendo, referre pergam: "Mittebar ego, inquit, quotidie ad „Praesidem publicae valetudinis, ibamque rogatum, ut „diceret, si quid esset, quod pertineret ad curam, offi„ciumque Cardinalis, quodve ab eo amplius praestari „posse Magistratus censerent. Insuper jussus eram ex„quirere a Praeside, Tribunalique eodem, quantus „numerus esset uno quoque die mortuorum: & volebat „hoc quotidie sibi renuntiari Cardinalis, cumque mille „quingentos, aut paulo minus aliquando decessisse au„diret, tunc enim vero mens Apostolica, & paterna vi„ri cernebatur inhorruisse caritatis, & misericordiae „sensu, silentiumque, & moeror, & stupor pro lacry„mis erat, quas nota gravitas ejus, & fortitudo insita in„hibebat. Sicut autem volebat a Magistratibus ipse mo„neri, quae suae partes in tanta patriae clade essent, quid„ve amplius ab ipso desideraretur, ut omnes officii sui „numeros expleset: ita Magistratibus vicissim nonnulla „subinde significabat, quae publica auctoritate provi„deri, agique oporteret: ac vespillonum praecipue „monstravit incuriam in tollendis, asportandisve cada„veribus, quorum sanie, contactu, odore, tum augeri „malum, tum increscere mali horror poterat. Sacerdo„tibus suis, quorum caritas, virtusque enituisset, ea prae„mia dedit, ut fortunae conditionique eorum invidere „multi possent. Nam aut ad Sacerdotia ampliora tradu„cti erant: aut consanguinei ipsorum adolescentes com„mode honesteque collocati, ut gratis in studio littera„rum alerentur, & capaces hi quoque Sacerdotiorum fie„rent. Cumque ob crebras mortes, & funera praedivi„tum Presbyterorum, opima beneficia quotidie vacua „relinquerentur, irritae fuere Principum, Cardinali„umve commendationes, qui amicis, familiaribusque „suis nonnulla quaesiverunt, aut certe pensionem inde „aliquam petiere hominibus, quos de suo remunerari, „haud perinde commodum erat. Respondebat, Eccle„siae Mediolanensis hoc esse patrimonium, non posse „alios in loca vacua cooptari, quam qui meritis essent „haeredes, atque successores facti mortuorum: Sacer„dotia autem onerare pensionibus, easque in homines „transfdere alienos, perinde religiosum fore sibi, atque „si Sacerdotia ipsa alienasset. In tanto morientium quo„tidie Sacerdotum numero, Lazaretum instituit, ubi „seorsim a caeteris haberentur praecipue Parochi, qui „in morbum incidissent, & primores Cleri viros huic „praeesse Lazareto jussit. Cumque sexaginta intra pau„cos dies Parochi decessissent, accepit e Monasteriis ido„neos homines, qui Parochorum munere fungerentur „Urbe in ipsa, sive Lazaretum ingressi, sive etiam ad „municipia pagosve profecti, prout cuique loco, Pa„storibus absumtis, squalor, & orbitas maxima inces„serat. Ad Monasteria vero ipsa, propter navatam ab „hisce operam, subinde mittebat cibaria, vini copiam, „pecuniasque, ut labor, & vigilantia pietasque pauco„rum ad universos quotidie redundaret. Mirumque di„ctu, Sacerdotes, hominesque isti, cum simul, at„que iterum saeva bubonum vi percussi fuissent, nihilo„minus in suo munere ad finem usque perseveraverunt. „Accersebat in aulam subinde aliquos ex Lazareti maxi„mi ministerio, ut de statu rerum ab his probe cogno„sceret, ac renuntiari jubebat istis praecipue, qui vul„nerati repetitis ictibus, a pestilentia in mortem, ste-

„terant immoto gradu, non dubitare se, quin beato-„rum numero adscripti jam essent, proprieque beatos ap-„pellabat, quibus inauditum hoc, & admirabile conti-„gisset, ut & vitam in suo munere ponerent, & vita „nihilominus eis nutu divino redonaretur. His caeteris-„que omnibus, quorum in tali tempore virtus enitue-„rat, cum praemia pro cujusque captu ampla divisisset, „describi nomina singulorum jussit, additis, quae quis-„que laudabiliter, & egregie fecisset, sive alacritas, & „constantia fuerat in periculis adeundis, sive Sacerdo-„tum eorum aliqua munificentia in pauperes, cujus Apo-„stolicae generositatis exempla haud minus, quam for-„titudinis, & constantiae virtutumque caeterarum spe-„ctata erant. Haec merita Sacerdotum distincta perso-„nis, & nominibus, notata temporibus, & locis, in „celeberrimo Cleri totius conventu recitari voluit: sunt-„que recitata praesente etiam ipso; ita ut non solum glo-„riae fructum Sacerdotes optimi ferrent, sed etiam pu-„dor, & confusio oriretur apud nonnullos, qui aut vi-„tasse callide pericula, aut rem illiberaliter, & avare „gessisse comperti delatique erant. Sed & Coetibus, „Monasteriisque Virginum sacrarum remedia, ac mu-„nimenta circumdedit ad pestem procul habendam, „vel ad corpora, & animas ibi quoque curandas, si tabes „in sacrata septa penetrasset. Quo infirmior sexus, in-„nocentiorque est, eo plus sollicitudinis, & curae adhi-„bitum. Dati custodes, parati ministri, provisa subsi-„dia, haud aliter, quam si tot dispersa per Urbem, „Dioecesimque Monasteria, una aliqua domus essent.

## CAPUT VI.

### *Dicta, & sententiae Cardinalis, & Archiepiscopi Federici de peste.*

CUm ego haec omnia, sicuti vidi, accepique, scripsissem, porroque pergerem indagare, & colligere undique plura, quo plenior memoria cladis hujus ad posteros, in terrorem, & exemplum, disciplinamque perveniret, nactus sum Cardinalis quoque Federici Commentarios, in quos suo more contulerat, quidquid foecunda illa, & semper ad philosophandum intenta mens, etiam e tantis Patriae calamitatibus elicere salutaris, & pulchri amoenique potuisset. Non fraudabo, neque ipsum hac quoque gloriae parte, neque ingenia, & vitam, utilitatis, & elegantiae fructu: juvatque transferre in monumenta haec nostra, pulcherrima, & tristissima multa, quae spectator exitii Pontifex de funesto illo tempore, tum notata reliquit, tum vero etiam in familiari sermone dicere, ac narrare consueverat. Quomodo dicta memorabilia Socratis, ejusque sapientiae altitudinem Scriptores alii custodierunt: ita nobis etiam hae commentationes, & dicta Federici de peste custodientur. Primum omnium ille cladem Urbis Mediolani hanc antiquis Hierosolymae cladibus quadam judicii, clementiaeque divinae similitudine aequabat, repetendo ex Machabaeorum libris memoriam temporis ejus, cum Rex Antiochus irae Numinis minister, cuncta ruinis illic excidiisque dedisset. Iras eas fuisse misericordiae, benignitatisque coelestis: neque divinitus aliud actum, quam ut populus ille modestior fieret. Sic, & populo Mediolanensi accidisse. Dixerat Cardinalis, scripseratque hoc: simulque adnectebat: *intuentem opera se se, pietatemque Civitatis, numquam adeo gravia exempla coelestium irarum in eam fuisse exspectaturum. Sed arcana divina exquirere, sive interpretari homini illicitum.* Quae sublimi ore effata vox, & solatii semper, & testimonii loco esse Metropoli debebit.

Exsequendo inde caetera Cardinalis idem, suam de pestilentiae origine sententiam exponebat altitudine sapientiae, quae mixta ex litterarum, & rerum omnium usu ei adfuit. *Et divinitus repente ita immissam, & profectam ab humanis quoque causis, & datam simul utrimque tabem potuisse esse*, ajebat. Testeque, & auctore usus Homero eodem, quo gravissimi Philosophorum, & sanctissimi Patrum utuntur, demonstrabat vibrantem pestilentiae tela Phoebum haud temere a Vate fuisse inductum. Ita Numinis vim ad coercendos hoc etiam telo mortales esse ab illo declaratam, sed & rerum argumentis intelligi volebat, nostram hanc pestem opus fuisse divinum. Argumenta ex eo, quod exercitus idem ille, cohortesque Germanorum, quae pestem intulere Urbi, intactae fere peste mansissent. Quoque Catholicus exercitus in Subalpinis ad Casalem acciperet quotidie cibaria hinc, pestilentia grassante quotidie a nostris, neque commercio tamen eo pollueretur haud occulta Numinis vi, cui sic placitum. Loca quidem alia, & homines alios hoc purgari pestilentiae remedio: alibi vero differri remedium id, & mala potius alia reservari iisdem, quos clades ista levissime attigisset. Etiam intra septa Lazareti, nocte ea, quae propter eluvionem aquarum suprema inclusis esse potuerat, nullos esse violentia tempestatis absumtos, quos tamen pestis absumserit postea fere omnes. Ita nempe destinatum, ut non solum perirent hi mortales, sed etiam ut peste perirent. Hanc divinitus pesti causam, atque initia e coelo haec fuisse, disserebat. Caetera humanitus in hunc modum, haud sane multum abhorrentia illis, quae & a nobis perscripta sunt. *Orta est*, ajebat, *ex fame pestis. Famem sterilitas agrorum, sed & injuriae militares dedere, violentiaque gentium externarum illata terrae huic. Namque Longobardorum genus delicatum idem, & forte est. Fortitudo indomitos ad bella laboresque fecit, quemadmodum historiae testantur. Sed rursus superbia, fastidioque, & mollitie ingeniorum incommoda adspernantur, pessimeque oderunt. Inde malorum acrior sensus desperatioque, & taedium, & facilius recepta per impatientiam tabes.*

Haec de origine mali sententia Cardinalis fuit, quatenus immissum esse divinitus potuit, quatenusve etiam ad causas, & principia humana referri id posset. Principum, Regumve externorum artificia, & dolos, atque conspirationes capiendae, ita per vastationem, Urbis, nullas fuisse censuit. De venenato ad spargendam pestem unctu, virulentisque mixturis, atque veneficiis, fuerintne aliqua, an finxerit vere talia vanitas, timorque hominum, haud definiebat: ejusque rei sententiam in suspenso reliquit. Huc tamen inclinare visus est, ut famae assentiretur circa id, quod dictum, creditumque est, tamquam perditi, & insani nonnulli, meditatione, & spe rapinarum id ungendi scelus excogitavissent: horumque vecordiam amentiae nonnullarum artium aequiparabat. Quid non sperare Alchimistas, Astrologosve comminisci? sic & unctores fortasse despondisse sibi praedam ingentem, mutationemque fortunae, si exhaustae familiae, destitutae domus forent. Verum incerta haec, & in sinu nondum exploratae veritatis abdita. Certum, manifestumque illud: providentia, altoque consilio Numinis illatam Urbi pestem adolevisse vecordia mortalium, ut mortales ipsi coercerentur, fierentque meliores. Quod autem circumacto per tot clades pestilentiae tempore, plus licentiae, plusque libidinum apud pauperes juxta, & divites cerneretur, quam quantum ante pestem fuerat, rationem perversitatis corruptelaeque hujus variam, atque multiplicem esse potuisse, in primisque illam: *Insolescere efferrique homines post pestilentiae tempora gaudio immodico, & inepto, tamquam de morte triumpharint, fuerintque ipsi in communi calamitate singulari suo fato, & sorte felices. Velut, qui cibo, potuque caruerunt, ubi data potestas, explentur, ingurgitanturque affatim: sic istos in genus omne voluptatum, quibus se putant fraudatos fuisse, demergi: rapere vitia cuncta avidius, debaccharique, & lascivire exsultim.* Haec, sicuti hactenus exposita sunt, totidem fere verbis scripta reperi a Cardinale in Commentariis, quos de peste raptim ille conficiebat, inchoatosque reliquit.

Caetera ibi erant eadem cura collecta, & notata sapienter: de artibus proseminandae pestis, & origine artium earum: de monstris: de horribili facie pestilentiae: de poenitentia civium, & frequentatione mysteriorum: de ministris: de remediis inanibus ad pestem evitandam vulgo adhibitis: de remediis quoque salutaribus, quae ad refovendam ex tanta clade civitatem, artesque restituendas adhiberi possent: & alia hujusmodi, quae ex Commentariis nunc repetita iisdem, tanto plus auctoritatis habebunt, quanto plus dignitatis, & sanctimoniae auctori fuit, ad quem cum cuncta subinde referebantur, & cuncta ipse prudentissime considerantur

derabat. In capite de peſtiferis artibus ita ſcribit: *Mendacio veritas, & falſa veris facile, libenterque miſcentur. Sic, & de peſte manufacta, pleraque dicta ſunt, quae tum facile credas, tum promte refutaveris: noſque, ſicuti admittimus nonnulla eorum: ita fidem aliis abrogari poſſe cenſemus.* Illud pro certo affirmare non dubitem, fuiſſe multos, qui, velut abſolvi ſe ſe negligentiae crimine exiſtimarent, ſi peſtem, quam contactu, vel halitu contraxerant, ungentium dolo impoſitam ſibi fuiſſe divulgarent. Ungendique artes vere, an falſo hae ferebantur. Vagari per Urbem, & circumire nonnullos, chartaſque circumferre venenatas, quae per ſupplicum libellorum ſpeciem oblatae incautis, contaminarent, perimerentque accipientes. Telluri frugibus, eduliis, nummulis etiam, qui dividerentur in pauperes, adſperſa, ſeu indita haec alimenta peſtis: peſſulos, obiceſque portarum, & vaſa ipſa aquae luſtralis, omnia demum, quae contingere manu unctores poſſent, polluta venenis, tabeque eadem. Altiora perticis, follibuſque petita: & tantam hanc fuiſſe rabiem conſpirationemque ungendi, ut conjuratorum, ſeu emiſſariorum unus potuerit admitti in Monaſterium, atque admiſſus intulerit ſub larva ſanctimoniae peſtem, gregaleſque miſeros inunxerit ibi ad unum omnes, non prius detecta fraude, quam & periere fere cuncti. Haec, & alia, quae multum fuerunt in ore famae, neque temere vulgata fuiſſe cenſemus. Caeterum, de eo ungentium furore ſcribere pergit hiſce fere verbis: *Intra Lazaretum unctor unus publice confeſſus eſt, initum ſibi cum Daemone foedus: monſtravitque locum, ubi arculas, & vaſa referta venenis abdidiſſet, ac deinde ſtatim ab ea confeſſione, & indicio efflavit animam. Is, antequam exſpiraret, ſtimulante deſperatione, ac rabie, ferrum in remedia quaeſiverat: quo ſubtracto ſive negato, tentavit, ſi acie nummi fauces incidere ſibi poſſet. Mulier una confeſſa ultro flagitium filiam edidit participem ſibi, & miniſtram. Comprehenſa ſtatim, & cum vaſculis, caeteroque ungendi inſtrumento reperta eſt. Rapiebatur quidam ejuſdem flagitii manifeſtus ad ſupplicium, carroque impoſitus effuſa ad ſpectaculum multitudine, candenti per totum iter ferro ſubinde a carnifice, brachia lacertoſque nudus perſtringebatur, prout ſupplicii forma dicta, & irrogata erat. Monſtravit hic e ſpectatoribus unum, dixitque ſatellitio: comprehenderent: reum eſſe culpae ejuſdem; ſeque hoc ſocio, & miniſtro ſparſiſſe venena, tabefeciſſe quamplurimos.* Tales, & alii caſus a Cardinale collecti, memoratique ſunt, e quibus pauca haec, ceu ſpecimen, atque exemplum inſaniae artificum illorum relata ſunt.

Sed, quia quaeſtio haec multiplici torſit ambage dubitantes, fuerintne vere venena haec, & aliqua ungendi ars, an vanus abſque re ulla timor, qualia ſaepe in extremis malis deliramenta animos occupare conſueverunt: pro ſententia, & quaeſtionis fine ponam Cardinalis ipſius quoque de ea re dubitationem, quae in partem utramque diſſeruerit, repetendo in hunc modum: *Jam primum omnium illud conſtat: non unicam, neque primam hanc eſſe peſtem, quae fraude, flagitioque mortalium conflata dicatur. Nam extra Italiam, & intra, furores ejuſmodi non ſemel exſtitere, liberque de peſte manufacta exſtat, haud dubium argumentum, alias quoque ſaeviſſe mortales in vitam, ſalutemque communem, & tela divina ſceleratis inventis quodammodo eſſe imitatos, ſceluſque proceſſiſſe. Neque enim res ejuſmodi eſt, quae fieri quidem poſſit, ſed difficultates habeat plurimas, atque incredibiles, ſicuti de Alchimiſtarum arte fertur, quae metalla ſane excoquere in naturas, coloreſque alios audet, verum arduo inexplicabilique fere conatu laborat, circa id ipſum, conſumiturque, & ſeneſcit. Altera haec ubi virulenta tantummodo invenerit medicamenta, quae nimium etiam facilia inventu ſunt, contenta ſcelere ſuo, & inſtrumento hoc, ſine magna mole peragit rem, expediteque graſſatur. Accidit ad perdita mortalium ingenia, majeſtatemque naturae paſſim etiam venena exhibentis, natura quoque, & potentia Daemonum, ſemper inimica hominum generi, ſtimulatrix, & miniſtra, immo, & magiſtra flagitio, per quod mortales in mutuam perniciem implicantur, praedaque gratiſſima corporum ſimul, & animarum paratur hoſti. Confirmant iſta famam, quae de unguentis, & venenis increbuit. At in diverſum illa ſuccurrunt. Non potuere privatis ſumtibus haec portenta patrari. Regum, Principumve nullus opes, auctoritatemque commodavit. Ne caput quidem, auctorve quiſpiam unctorum iſtorum, furiarumque reperitur. Et haud parva conjectura vanitatis eſt, quod ſua ſponte evanuit ſcelus, duraturum, haud dubie uſque in extrema, ſi vi aliqua conſilioque certo niteretur. Media inter ambages dubiae hiſtoriae iter: homines militares violentos eoſdem, & laſciviae aſſuetos, partim quidem externos, partim vero e noſtris, poſteaquam conditione temporum, ſtipendii anguſtias, duritiam laboris, famemque pertaeſi fuere, coepiſſe agitare inter ſe, & moliri, quinam ſuis malis calamitatibuſque finis foret. Adjuvante Daemone, faceſque admovente flagrantibus ita animis, artem ungendi excogitaviſſe hanc, cujus fortaſſe etiam elementa, & rudimenta artis e locis attulerant iiſdem, unde & peſtilentia ipſa gradum huc feciſſet. Neque novum hoc, ut calamitatibus incommodiſque fugiendis ſcelerati homines ad ſcelera ipſa confugiant: ſed omni ſemper aevo tales aliqui exſtiterunt, quos & fortunae animorumque ſimilitudo conſociavit: ſicuti praeſertim de Catilinae conjuratis Romana monumenta prodiderunt. Deterrimos autem, ſive teterrimos omnium mortalium hos fuiſſe unctores, vel ex fine eorum, ac genere mortis in articulo extremo apparebat. Nam myſteria, & invitamenta ſalutis aeternae adſpernati, juxta laqueum ipſum torvi, contumaceſque manebant, & poſt multos irritos conatus, atque hortamenta adhibita nequidquam, velut capita addicta Orco ſtrangulabantur. Unus eorum in ipſo flagitio ungendi deprehenſus, & captus, cum puniendus illico, ſtrangulanduſque duceretur, conſpecto carro, quo mixti cadaveribus Monati vehebantur, capto impetu proripuit ſe ſe ducentibus, tranſiliitque in mediam illam mortualem peſtilentemque turbam, velut tutiſſimo perfugio inter bubones, & ſaniem, ſanieque diffluentes, qua manum porrigere nemo auſurus eſſet. Petitus undique telis, & ſaxis multa illic vulnera accepit, eſtque carro eodem evectus ad foſſam.*

Hactenus prudentia, ſtyloque Cardinalis, ſed uberius aliquanto, & ſubtilius, more pene philoſophantis tractata quaeſtio eſt de venenis & unguentis, ad faciendam, alendam, proſeminandamque peſtem, ut inter aegra ſic, aut mortua corpora unctores rapiendi, agendique, & ferendi cuncta locum haberent. Morientium vero caſus, & ſpectacula abominanda, miſeranda narravit, poſuitque haec: Adoleſcentula nobilis fuit, cui adeo intumuerat lingua intra fauces, obſtruxeratque ſepta dentium, ut per octo dies cibi nihil ſumere poſſet. Secto dein ulcere, indita in os fiſtula, vitales ſuccos parentes inſtillare coeperunt, quibus recreata pauliſper, recrudeſcente aliquanto poſt morbo, periit. Monachorum uni par linguae tumor, cibum, vitamque abſtulit, ita ut decem dierum ſpatio, exſerta duorum digitorum longitudine lingua, in ſummis doloribus, foediore tamen ſpectaculo, quam tormento moreretur. Mulier intra Lazaretum per quinque dies nuſquam teneri potuit, quin perpetua curſitatione emetiretur omne id ſpatium, iretque viam, & rediret, vi ſcilicet morbi acta in furorem. Conſcindebat ſibi veſtem, nudabatque corpus, & vincula injecta rumpebat, qualia ſpectacula peſtilentiae Athenienſium, inſanoſque nuditatis illic etiam amores, refert Scriptor, per quem clades ea nobilitata eſt. Ex eadem Lazareti turba quidam alienato ſtomacho a cibis, octiduo toto plane jejunus, & ſine voce velut elinguis pro mortuo habebatur. Nono die vadit ad ſtabula Monatorum, arreptoque illic indomito equo, nocturnus ad auroram uſque nuſquam intermiſſo curſu per prata fatigavit adeo beſtiam, ut dirupta concideret, ipſeque curſor una exanimaretur. Fuit, qui corroſo, & ambeſo utroque crure, vivus relinqueretur. Fuit, qui lacerato ſtomacho praecordia horrendo hiatu palpitantia, & aperta praeberet. Dejectus e mentis poteſtate Monachus juvenis, agitante peſtilentia hominem, ejecerat e clauſtris ſe ſe: vagabatur, dictitans ipſum eſſe Pontificem: pedum oſcula poſcebat: quae, quia dabat nemo, moeſtus abſtinentiam cibi conjunxerat, decreveratque mori. Remedio fuit obſequii ſimulatio: atque adoratus pro Pontifice a nonnullis in ſpeciem, annuit, ut ſibi alimenta porrigerentur, morbumque, & inſaniam depulit. Inſania nihilo-

hilominus ridenda simul, & miseranda, fuit alterius, qui stagno demersus, ad fauces usque pertingente aqua, per triduum expers cibi, cantitabat id sibi tutissimum esse perfugium adversus satellites: erepta sibi furto decem millia nummûm aureorum, quod a Caesare donum accepisset. Estque hoc etiam Atheniensis illius pestilentiae pene germanum, quod ibi quoque morituri puteos, aquasque sectabantur, sicuti Thucidides refert. Jam foedum illud in primis, dirumque visu erat, quod saniem, sanguinemque fundentes naribus, aut ore aegri, vel integri, validique concidebant illico, & exspirabant. Excussit capitis dolor nonnullis oculos: & ridentes alii, nesciosque pestis se se dictitando, efflabant animam: dejecere se se praecipites alii e fenestris: & fuere, qui concurrerent inter se fustibus, usque ad necem: hique concisi verberibus simul, & absumti peste procubuere loco eodem, ubi concurrerant, atque dimicarant ita per furorem. Gravidae abortivos foetus excludebant. Tempestivi editi partus deligebantur alendi capris, quae ipsis in maternam hanc vicem paratae per Lazareti prata errabant, praebebantque mammas materno etiam sensu. Adnotatumque est, pecudum earum unam, adeo adamasse infantem, qui semel admotus forte erat, ut nullum alium ad ubera admittere vellet. Hunc ipsum amores, deliciasque capellae, cum experimenti causa occultassent, quibus ea curiositas fuit, impatiens desiderii bestiola, & balatu, & fastidio pabuli dolorem testabatur, ac reddi sibi alumnum quodammodo poscebat, ita ut intelligeretur. Mox prolato infante, motus inconditos edebat, argumenta laetitiae gestientis. Et miseriarum quidem humanarum ultima exempla haec: illud vero clementiae divinae singulare plane munus fuit, quod in tanta colluvione rerum, tantisque miseriis, sceleratissimi quidam, qui per viginti annos numquam peccata rite confessi fuerant, ac si quando Ecclesiae legibus id mysterium obire coacti fuissent, fraude doloque impio polluerant sacra, seque ipsos: hi ipsi intra Lazaretum tacti coelesti repente spiritu contumaciam exuerant, reliquerantque morientes eam de se opinionem, quasi recta in coelum ivissent. Favitque nonnullis adeo coelum, ut in excessu, articuloque ultimo vitae mirifica visa viderint, Superûm nempe species, ac Deiparae praesertim faciem, quam, & monstravere circumstantibus, hique de ea re testimonia perhibuerunt.

## CAPUT VII.

### *De supremo tempore vitae Cardinalis, ac de obitu ejus.*

Jam pestilentia ex Urbe abierat, jam defuncta tanto malo Civitas, laetior, atque floridior, velut ab nova origine resurgebat: jam Cardinalis, omnia, quae in tali tempore posset, velut aegro adhuc, & languenti populo remedia, & fomenta, atque etiam paterno quodam more blandimenta admovebat, quo promtius, ac libentius resumerent Clerici disciplinam, civilia studia cives, cuncti pietatis opera, cultusque divinos. Interimque talia agitanti supremus vitae dies aderat: & vel iniqua sorte, vel miseranda conditione mortalitatis, in maximarum adhuc rerum limine, medioque immortalium operum cursu, Vir erat ille exstinguendus, quo amisso, damna quidem publice intelligerentur, sed sarciri nullo modo possent. Atque praesagiens etiam ipse animo vicinum interitum, & appropinquans illud necessitatis ultimae tempus, tanto attentior erat, ne quid velut in sua domo paterfamilias incompositi, atque inordinati relinquere cogeretur. Et quoniam pestilentia eam in Ecclesia solitudinem fecisset, ut, dum in vacua Sacerdotum loca qualescumque alii cooptantur, pene confusus, atque sublatus ordo ille esset, cui gradus, & discrimina virtutum interlucent, quemve ordinem Ecclesia Mediolanensis per tot saecula fere proprium, perpetuumque conservarat: ea maxime cura sollicitabat, angebatque Cardinalem, ne vomica post se ista, neve labes in Ecclesia remaneret, cui constituendae atque expoliendae insumsisset aevum. Nam plane miraretur quis, sive etiam ingemisceret intuendo monstra, quae per solitudinem, atque necessitatem eam invecta rebus Ambrosianis forent. Deducti in Urbem Parochi Clericive agrestes in templa, & munera, quae summis antea Theologis, Philosophisque tenebantur. Rursus ex Urbe Clerici, nec litteris, nec aetate adulti, missi ad municipia, populosque regendos, qui regendis urbibus aptos antea sacrorum praesides habuere, quive ipsi habentur urbium instar. Urbanorum vero Parochorum infimi, partim indignante, partim obstupescente populo translati in Basilicas religionum, dignitatumque antiquissimarum: & Daduchi facti, quos populus idem Agyrtas aegre admisisset. Quodque in tanta rerum perturbatione, maxime turbulentum fuerat, nullo dato studiorum, litterarumve experimento producebantur. Et transiliendo media, summa imis continvauere nonnulli indigno quidem spectaculo, ubicumque tandem id fieret, sed indigniore, quia Mediolani accidebat, ex qua Urbe circa delectum probationemque Sacerdotum, exempla severitatis, ac rigoris in alias quoque Civitates orta, & deducta manarunt.

Cumque solenne illud in Ecclesia Mediolanensi semper fuisset, ut quotiescumque in demortui Sacerdotis locum suffici alium oporteret: petentibus, ambientibusque multis super cujusque meritis & vita, concilia, judicia, quaestiones per dierum intervalla haberentur, demumque praeferretur ille, qui super caeteram virtutis, & innocentiae commendationem, etiam in litterarum certamine antestaret, superiorque reperiretur: hunc pulcherrimum ordinem, & adeo utile discrimen a D. Carolo institutum, ab ipso Federico retentum, & auctum sustulerat publica clades; Regnaque mortis violentiora, quam aliae res omnes haec portenta dederunt. Hisce malis, necessitatique huic remedia per Cardinalem aliqua subinde excogitabantur, admovebanturque. Et factus ipse novo Clero veluti magister, atque institutor quidam, nunc singulos seorsim, nunc simul plures in aulam accersendo, vias, & compendia disciplinarum eis etiam monstrabat, per quae non segniter agendo pervenire ad aliquam ipsi quoque eruditionem possent. Simul collegia, & Seminaria, quae ad veteris Lycaei formam, plena nuper Philosophantium juvenum fuerant, nunc deserta, & inania squalebant, erantque mera nunc solitudo, & horror, frequentare conabatur, assequebaturque id, gratuita alimenta offerendo, quorum indiga juventus ex tota Dioecesi affluebat. Qui non indigebant, hi tamen auctoritatem, & nutum, magnitudinemque Cardinalis sequebantur, atque aderant, & paulatim ita restituebatur res.

Agentem talia Cardinalem, neque immatura, neque tamen exspectata assequitur mors, cum annum agens fere sexagesimum septimum, incessu, vultuque, & corpore toto praeferret integras vires, atque aetatis mediae si minus florem, & robur, certe speciem, ac dignitatem. Decessit anno aetatis suae, quem dixi: Pontificatus trigesimo quarto: Purpurae acceptae quadragesimo sexto: depulsae pestis, Urbisque liberatae altero: salutis humanae MDCXXXI. ad X. Cal. Octobris, ipso D. Matthaei die sub vesperam, cum nondum plane contenebrasset: signumque Angelicae salutationis exspirante illo dabatur: & mox campanae omnes lugubrem sonitum edidere.

Sed de genere quoque mortis tradam quae vidi ipse, quaeve ab iis accepi, qui momenta omnia deficientis observare potuerunt. Ineunte Septembri, cum calores adhuc in Urbe maximi essent, cumque ob latentes morbi causas, calore introrsus, sicuti credibile est, majore ipse agitaretur, in Gregorianum suum ire concupivit. Id fesso levamen: ea commentandi, & lucubrandi gratissima sedes, & secedere illuc fere solitus erat, quotiescumque novum aliquod opus ordiri destinaret: & Sanctorum vitas selectiores hoc tempore in manibus habebat. Summo mane profectus est arctiore, quam alias, comitatu, cum praeter quatuor omnino servos a pedibus, & a manu Sacerdotem, & duos quotidiani victus administros, caeteram in Urbe familiam reliquisset. Eo die, & dictavit, scripsitque nonnulla, & legit, sive legenti amanuensi praebuit aures. Ambulavit hilare etiam, & arborum nonnullarum cacumina, quae prospectui officiebant, incidi jussit: & rursus vacavit accedentium alloquiis, ac de rebus gravissimis mandata dedit. Postero die pertaesus ventos, qui frigidi, & violenti orti repente erant, rediit vesperi in Urbem, noctemque habuit inquietam. Haud dubie febricula fuerat,

rat, quam sive non sensit ipse, sive dissimulavit. Inter somnum, & vigilias, exacta majore parte noctis, excito cubiculi custode, sicut ei solitum lectulo insidens, parietique acclivis, ad lucem usque per duas fere horas strenue perseveravit, nullam sibi partem lucubrationum antelucanarum perire volens. Luce orta, si qui alloqui voluere, admitti jussit, ne intermisso quidem deductionum officio, prout cuique dignitas, & honor. Dixit amicis, se nonnihil ea nocte esse inquietatum, sed jam paulo commodius habere, & credere salubria esse cuncta. Recitavit matutinas preces, & rei divinae interfuit, quo minus de more litaret ipse, religione impeditus, quia frigida os forte colluerat.

Circa meridiem cum cibum sumsisset, sicuti sedebat humili sella meditabundus, animo repente linquitur. Accurrunt animadverso symptomate familiares, atque exceptum inter manus herum trepidi erexere primo, deinde in lectulo collocavere. Per viginti postea dies, & morbi genere, & Medicorum sententiis varie conflictatur. Dolores, & tormenta corporis palam: initia causaeque aegritudinis, & arcana viscerum in occulto erant. Spuriam, nomen invenere febri, cujus accessus, & momenta, vimque deprehendere non potuerunt: idque non tam morbi vocabulum, quam excusatio fallacissimae artis fuit. Unam opem, quae artificum istorum fuit, fideliter, ac strenue obtulerunt, adesse mortem, & desperata cuncta denuntiantes. Domesticus medicamentarius, partes eas monendi, denuntiandique susceperat. Hujus prehensa manu Cardinalis gratias ei egit, atque laudavit hominis fidem. Ecclesiae dein mysteria poposcit, estque singulis rite expiatus, Eucharistiae sacramentum Archipresbyter obtulit. Canonici Metropolitani simul adfuere: cunctique collacrymabantur. Ipse coelesti refectus dape, sicuti compositus, atque erectus in cubitum accubuerat, haec ad circumfusum lectulo collegium omne sublimi ore dicta dedit: *Si quanta mihi satietas domicilii vitaeque hujus; tanta vobis nostri quoque satietas est: tempestive, ut arbitror, atque opportune, hinc discedam. Per triginta quatuor annos satis invicem experti, invicem molesti fuimus, ego, & vos. Ponite jurgia, si quae animos occupavere: sumite pacem, contenti estote conditione statuque vestro, hoc ipsum saepe cogitantes, quod gradum, qui in patriae vestrae Ecclesia summus amplissimusque erat, adepti fuistis. Sed meis quoque culpis ignoscite. Invenietis aliquem, qui melius providentiusque cuncta administret.* Haec ipsa verba circumstantibus auxere lacrymas, & dolorem. Ipse dein fatigata membra rejecit. Monuere, num aliquas Divi Caroli reliquias afferri vellet? *Sane*, inquit, *non differendae mortis, sed uti veneremur, osculemurque ipsas.* Et allata exomide, quae Sancti Pontificis fuerat, dedit oscula sacro gestamini, & rursus composuit tranquillissime caput.

Mortuo Cardinale, quantus horror, & luctus, desperatioque incesserit Urbi, non facile ego explicaverim: sed ne concipere quidem animis facile poterunt, nisi qui oculis subjecta ista habuere. In re difficillima dictu pariter, atque incredibili, compendio, argumentoque hoc utar: Gemitus, & moerores, lacrymaeque publicae praesagium fuere rerum earum, quae populo simul, & Ecclesiae Mediolanensi accidere debebant: & res vicissim ipsae lacrymas ejusmodi comprobaverunt. Elatus est tertio die postquam exspiravit. Duxit funus universa fere Civitas. Caeteri e fenestris, tectisque prospectavere, vocibus altis, Pastorem, & Patronum, Parentemque complorantes: & haec proprie vocabula audiebantur. Dux Feriae feretrum sequebatur, pullo inter Borromaeos Comites amictu: voxque ejus saepe audita est affirmantis: *morte Cardinalis, Archiepiscopique hujus, plus damni factum esse, quam pestilentia nuper, populari que morbo. Leve id malum: hanc vere, & proprie cladem esse appellandam. Regi quoque suo nuntium fore molestum, atque acerbum.* His congruentia caeteri disserebant. Diesque funeris ille Principum famae formidabundus, ac totius fere vitae censor pro laudatore huic fuit. Orsi a primis pueritiae, sive adolescentiae annis, quorum, aut meminerant plerique adhuc, aut ab iis, qui meminissent, acceperant, extollebant admirabili tenore conservatam ejus aetatis per omnes gradus ad ultimum usque puritatem. Sub Divi Caroli custodia & tutela florem illibatum mansisse, donec robustis viribus firmata sanctitas hujus quoque viri fieret ipsa custos rari decoris, atque mundo, & Satana triumphato felicissime eximeretur in coelum. Jam quanta mansuetudo, clementiaque, & comitas in omnes, & mitis, uti pater, fuisset. Expressa, & testata omnia fuisse dignitate vultus, Angelicique oris. Naturae quodammodo ipsi cordi fuisse, ut, quae intus munera ipsa collocavisset, foris quoque spectarentur, & animus in corpore emineret. Haec fere mulierum, hominumve simplicium per totum funeris iter colloquia, sive meditamenta erant. At quibus altior intellectus, etiam altiora disserebant. Constitutam Ecclesiam simul, & publicorum operum magnificentia expolitam: defensa jura sacrorum; & casus interim ancipites: semperque in rerum exitu victoriam, & pacem, & amica cum Regiis omnia: gratiam simul auctoritatemque retentam. Ac fuere, qui hunc Federici Pontificatum cum D. Caroli Pontificatu, & ipsos inter se patrueles comparare auderent. Plus severitatis, & rigoris in altero: plus in altero cultus, & litterarum: nec tamen in isto minus acrimoniae ad exsequendum, etiam si asperitas abfuisset. Et populus quidem talia de Pontifice, parenteque amisso praedicabat lugens, vocibus interruptis, & dejecto in terram vultu, etiam si qui, vel firmiores adversus publica damna, vel erga viventem minus benevole adfecti fuissent. Sed & laudator ei alius contigit, in quo pene divinitus omnia congruerunt quasi post tot saecula dies mundo renovaretur ille, quo die magnum Scriptorem Metropolitamque Basilium, summus Scriptor Gregorius, idemque parvae Urbis Pontifex, & totius Orbis Pontificatu dignus, in funere acerbissimo laudarat. Paulus Aresius Episcopus Derthonae hic fuit, Praesidis Julii frater, de quo Oratore, & de qua Domo plura dixisse injuria tantorum fratrum fuerit. Ita exorsus est, atque ita peroravit, ut sensus magis, quam verba ipsa audirentur. Quippe lymphata, & spiritibus obsessa impuris capita muliercularum obstrepebant, ita ut excitum ab sedibus suis Orcum tumultuari diceres, sive invidia erga magnam sanctitatem, magnasque virtutes, sive horror, ex purissimi corporis praesentia, atque adspectu stimulabat infernas animas. Oratio tamen exstat, hinc Viri eloquentis, hinc perfecti Pontificatus simulacrum, si quis videre volet.

Exanime corpus in domestico Sacello, per triduum, totidemque noctes ostentui steterat sectum odoribusque confertum, ut assolet, odore inani, solennique erga Principes viros, quamvis, ne secaretur, ipse mandasset. Eo triduo perque noctes interjectas tanti concursus in Palatium fuere, ut, nisi valvae occluderentur, nisi turba submoveretur, periculum aliquod ab populari tumultu timeri potuerit. Irrumpere, contingere, admovere feminae partus suos, aliquid auferre volebant. Praesidio stetere milites, ut sepultura quieta foret, conclaviaque, & atria, & scalae illae populi domicilia diebus, noctibusque fuere: vacuae per Urbem aedes relinquebantur. Sacrae Virgines, quaeve aliae Monasteriis attinerentur, serta calathosque florum plenos subinde mittebant, velut proposito certamine, corpus item virginale coronantes. Situs est in templo maximo contra Deiparae Virginis effigiem, cui ardentium perpetuo luminum opposita fabrefacta arbor cognomen, famamque dedit. Sic ipse mandarat lapidique inscriptum ita fuit: FEDERICUS BORROMAEUS, CARDINALIS, ET ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANI, SUB PRAESIDIO BEATAE MARIAE VIRGINIS HIC QUIESCIT IN PACE. Quem sibi titulum, inscriptionemque sepulcralem, vigesimo quinto anno, antequam exstingueretur, ipse composuerat: & in scrinio interiore ejus reperta schedula est, quae ipsa praeferret meditamenta, & praesagia, faciemque mortis. Bibulae chartae plagula erat, sive elegerat ultro ita eam, sive forte ad manum fuit.

Quae ad mortem, sepulturamque Cardinalis pertinerent, haec ita retuli. Caetera diurnis Ecclesiae actis perscripta consignata exstant: qua caeremonia, quove ordine pompae, & quali templorum apparatu sit elatus: quae lugentium insignia: quanta luminum vis, quae deinde continuis aliquot diebus agmina per Urbem incesserint, aliave cura, & diligentia aedituorum solita custodiri in memoriam, & exemplum. Nunc exsequi incipiam, peracta statim sepultura, luctuque etiam, sicuti lacrymarum, & hominum natura est, finito, novas lugendi causas, dissidia cum Regiis, Ecclesiae

clesiae solitudinem, & squalorem, sublata pignora salutis, & sacrorum quodammodo funus, Ecclesiamque tridui spatio pene sepultam, sine fine interpontificium, & mox dato, dein repudiato Archiepiscopo, jurgia rursus, perpetuasque lites, atque inter ejusmodi portenta solutum, amissumve, quidquid dignitatis, & disciplinae tam longo Pontificatu fundatum erat.

Initium autem turbandi, commovendique omnia ortum ex eo est, quod, mortuo, sicuti narravimus, Archiepiscopo, vacuae Ecclesiae fructus, pars utraque, Regii, nimirum, & Ecclesiastici, administrari ab se aequum censebant. Pars utraque ei negotium dederat, apposueratque Oeconomum: cui vocabulo Graeca interpretatione, cura quaedam, & diligentia inest, domesticae administrationi non absimilis: indeque Oeconomatus etiam corrupta in Latinum vox, jurgiorum, ac litium titulus esse coepit. Utriusque partis haud parva cura in eo fuerat, ut homines huic negotio praeficerent, vel robore animi, vel crescendi studio impavidos ad pericula, stolideque feroces, aut fideliter ac pie strenuos, hinc Regis hinc Capituli Ecclesiae hujus causa, tamquam scilicet umquam ista separarentur, & non connexa inter se invicemque colligata essent. Hominibus vero Oeconomisque istis interjecti fuere partis utriusque capita, Vicarius, & Gubernator, sicuti genere, ac fortuna, natalibusque diversis, ita ne consiliis quidem, & animorum conditione comparandi, nisi quod par utrique pudor, si in eo certamine vincerentur. Forte autem ita inciderat, ne duo violenta ingenia inter se confligerent, atque committerentur in id certamen. Sed quam promtus in derupta, atque extrema Vicarius erat, & quam solerter ex ejus violentiae simulatione, sive ex violentia ipsa sibi gratiam, & incrementa fortunae quaerebat. Irritatio prima animorum inter Gubernatorem, & Vicarium, atque inter Ecclesiasticos, Regiosque Ministros fuit ex negotio ipso, atque ex jurisdictione Oeconomatus. Nam mortuo Cardinale cum pars utraque statim, uti dictum est, Oeconomum Ecclesiae fructibus apposuisset, ejusque muneris collegam, atque participem etiam ab Ecclesia datum Regii fortasse paterentur, Ecclesiastici non nisi ab se dari administratorem exactoremve eum oportere censerent: Regius Oeconomus Vicarii jussu in vincla repente conjicitur, atque interrogatur, & dimittitur statim, cum nonnulla prudenter, quaedam absurde respondisset. Hinc dolor, & pudor, & ira Gubernatori: quos, & varios inter se, & natura connexos animi motus effundere sine mora, Principum more volens, lictorem Ecclesiasticum, a quo fuerat Oeconomus ille comprehensus, comprehendi vicissim jubet, atque in eam rem mandata opportuna dat. Et quia provisu periculi, ac metu, ille e sacro solo fere non efferebat pedem, adornati solerter instructique fuere, & submissi, qui ab suggrundiis, & Palatii limine, quo se se ille continebat, impetu facto dejicerent hominem, & ita dejectum coorti ex angulis momento eodem satellites alii manibus injectis trahunt in latumias, vario inspectantium rumore, sermonibusque diversis, cum pars furcam, & securim, plerique proscriptionem tantummodo, & virgas, remigiumve paratas satelliti poenas autumarent. Equuleo contenta in ipso fervore irae modestia, sive segnities, ac lentitudo, sive circumspectio Gubernatoris fuit. Religatis post terga manibus lictor in ludibrium simul, & tormentum erigitur, dimittiturque, & fune ita suspensus aliquamdiu pependit, ridente scilicet, ac plaudente, multumque sibilante populo, quod opulentus, & pinguis, veterrimusque satelles, amores omnium, & libidines, & adulteria occulta rimari, ac patefacere solitus, spectacula nunc de se illa praeberet. Fuere tamen etiam, qui miserarentur. Redditae vices erant: egregieque, & opportune duo capita, hinc Oeconomus, hinc satelles, excepisse, ac luisse videbantur, quidquid malorum, ab ira, & impetu praesidentium immineret, si umquam irae, impetusque isti stare loco possent, ac non semper certamine, & cupiditate vincendi ad ulteriora stimularentur.

Stimulatus, irritatusque Vicarius satellitis sui ignominia, eamque in suam diminutionem accipiens, illico ad extrema descendit. Claudi templa jubet: foedumque, ac horribile dictu, Populus Mediolanensis unius horae momento mille & quingentorum annorum possessione turbatur. Ex Urbe, quae Roma altera antiquitus dicta est, quaeve nominis ejus honorem, non tam ex magnificentia, & sumtu publicorum operum, quam ex cultu, ac religione sacrorum invenit, sublata sacra erant, & in faciem diversam redacti Cives, nisi quod moeror animorum, & comploratio publica, & diu, noctuque, flexis ad valvas, & templorum limina genibus viri feminaeque, veluti vox, & professio Catholicae Religionis erant. Inciderant etiam alias populo, Cleroque, & civitati huic quaedam ejusmodi tempora, & calamitates; ut bonam cum Pontifice Maximo, & cum Apostolica sede pacem, & gratiam optare potius, quam invenire possent, aliudque semper ex alio malum, quo discordiae alerentur eae, nectebatur. Verum ea clades, ut temporum diuturnitate gravior, ita elevabatur hoc ipso, quod graves quoque causas habebat, ac momenta sive necessitates, & arcana dominationis, impios esse cogebant. Vile obsequium, & irrisui pietas habebatur, quae damnosa Imperio esset. Magnae Urbes, Provinciae universae, Principes, Reges, Pontifices ipsi, dignitas horum, salusque, & vita, & ea, quae saluti, ac vitae anteponuntur, initia secessionis Metropoli fuere. Schismatis labem, tristemque notam ita sustinuere majores nostri, quomodo tempestates, aut injuriae coeli bellaque ipsa sustinentur. Nunc in unius vilissimi capitis gratiam exsulavimus a templis, a sacris, a Numine pene ipso: atque tantae Urbis populus per triduum illud vota fecit, ut satelles contentus hac poena esset, satisfactionemque acciperet. Atque mansuetudo quidem haec, & pietas populi Mediolanensis fuerat.

Desperatione autem, & rabie, & instinctu populus idem interdum eo inclinabat, ut remedium huic malo sumeret ipsa mala, & quoquo modo vindictam, sive finem damnis, atque ignominiae huic inveniret. Agitavere, num effringerent ultro ipsi templorum valvas, correptumve Vicarium aperire cogerent: aliaque atrociora agitata esse feruntur, quae quidem ego minime credo: sed & reputans idem vetera popularium consternationum exempla, credo etiam plura, quam scribo. Cohibiti sunt recordatione veterum hujus Ecclesiae casuum, & metu, ne tempora illa redirent. Sed nihil tam fraenabat, continebatve animos, quam ille per intervalla recrudescens, atque pectora infringens ex orbitate dolor, & verecundia mitissimi semper, ac placidissimi Parentis, quem, & lugebant mortuum, & veluti praesentem intuebantur. Ad ejus quoque mirificam opem, & praesentem e coelo tutelam, retulere, quod flexisset opportune animum, annuissetque Vicarius; ut aedes sacrae aperirentur.

Et mox evidentiora quotidie signa inter Superos receptae mentis, turbato quamquam adhuc Reipublicae statu, solamen afflictis civium animis erant simul, & pacis olim futurae pignus, nisi per peccata eadem staret, quae Numinis iras ita lacessissent. Nec simplicium modo, & piorum, quorum promta credulitas, ea fiducia erat: sed torvitas etiam, & contumacia politicorum hominum, admiratione, ac pietate, infringebatur, animamque Federici rebus interesse praedicabant. Praecipue confirmavit animos una sacra Virgo, quae Medicorum sententiis, ac denuntiatione destinata, & proxima morti, eodem pene momento, quo Federicum invocarat, in gregalium repente coetu valens, & robusta comparuit: & inhorruere primo tamquam cadaveris adspectu, deinde miraculum, miraculique auctorem agnovere, sine fine celebrantes: resque testato consignata exstat.

J O-

# JOSEPHI RIPAMONTII

*CANONICI SCALENSIS*

ET

*CHRONISTÆ URBIS MEDIOLANI*

# HISTORIAE PATRIAE CONTINUATIO,

*COMPREHENSA OCTO LIBRIS;*

In quibus res, quas gessit

## PHILIPPUS II.

tam Mediolani, cum in ejus ditionem redigeretur, quam alibi, exponuntur.

# ILLUSTRISSIMIS VIRIS,
# JOSEPHO CRUCEIO,
# URBIS PRAEFECTO
## ET LX. GENERALIS CONSILII
# DECURIONIBUS,

*STEPHANUS SCLATTER felicitatem.*

MOvebar, non inclinatione tantum genioque meo, verum etiam auctoritate vestra, Illustrissimi Viri, ut curam hanc libenter admitterem, quae nunc edendis operibus Josephi Ripamontii impenditur: utque assentirer non huic labori solum, sed studium illud amplecterer etiam recognoscendi percurrendique scripta, antequam ederentur. Quocirca non simpliciter id, sed accurate etiam & subtiliter facerem, formamque gerendae rei sequerer illam, quae mihi praescriberetur a vobis, cum ego de hac cura interpellarer, aut quae praescripta jam esset, postquam inter decreta patriae sententia stetisset sancitumque illud, ut scripta, quae reliquisset Auctor, nec illa quidem absoluta, interitu excessuque suo, ederentur omnino, pretiaque exsequendae rei erogarentur de publico, sicuti de publico etiam constituta mercede condita fuissent monumenta: atque decreti hujus publica auctoritas Decurioni Legnano traderetur, qui, propriis monumentis clarus, quae evolverentur ab aliis, nunc evolveret aliena, aut evolvenda mandaret, cui placuisset hanc dividi curam. Explorarem igitur, & attentissime quaererem non exemplaria tantum, quae incuriose nec fideliter ex autographo describi solerent, sed singulos quoque apices & litteras notarem, quae facile levitate sua effugerent, exciderentque sollicite etiam investigantibus, aut transmitterentur saepe, non tam simplicitate, quam legentium incuria: minutae quidem parvaeque res, sed quarum levitate contempta Historica narratio variari mutarique soleat. Quo meo privato studio & attenta pervolutatione assequerer, ut Historica Volumina haec, quorum editio molienda esset, nativae puritati atque tenori suo relinquerentur, nullaque sui parte ab autographo diversa prodirent. Quod sane non tam ad Typographicae rei gloriam laudemque absoluti laboris, quam pertineret ad Historiae fidem, ac tanto magis pertinere videretur ad utrumque, quanto magis posthuma haec extremique conatus multa hominum aviditate, multaque exspectatione traherentur. Ac proinde in eo diligentissime laborarem, ut, si quid inesse deprehenderetur, quod dissentiret ab Auctore, tolleretur illico, atque redderetur Historia puritati suae. Ubi si nihil aliud, quo delectaret Historia, certe illud, quo nos integritate ac simplicitate sua delectaret; tum praeterea, ut, si cui, postquam monumenta haec essent edita, curiose adspicerentur, & solita legentium subtilitate explorantium vitia tantum mendaque litterarum (quae quidem vitia mendaque litterarum saepe vertuntur etiam in Auctoris ludibrium; cum verius propria & solità sint operarum, cum calore suo conserunt stipantque notas quas prelo subjiciant) curiosa subtilitas eluderetur, quae talia reperisset omnino, qualia ab Historico homine prodiissent. Quae quidem omnium fere librorum calamitas est, ut severos aestimatores & minime benevolos lectores habeant; sed major haec calamitas Historiarum est, quae severitate etiam majore censeantur; ut, si nihil mali deprehendatur in ipsis, dicatur tamen aliquid inesse falsi. Porro, calamitates alias & detrimenta pati Historiae consueverunt, si minus recognoscentium quam cudentium vitio, certe aliqua simul partis utriusque culpa: hodieque etiam pretiosae notae volumina legimus cum ignominia eorum, qui aut illa ediderunt, aut certe curarunt ut ederentur: parsque dedecoris illius etiam Auctori manet. Neque movebar inductione mea solum, placitisque vestris, sed nutu etiam & efflagitatione Hieronymi Legnani: qui pro injuncta editionis exsequendae cura sollicitus anxiusque, non hoc solum, sed illa quoque contraria cura editionis non exsequendae prius, quam scripta essent recognita; de his omnibus instabat mihi, simulque petebat, ut accepta cura rerum, quibus tantopere angeretur, non de cura magis edendae quam recognoscendae Historiae sollicitus essem. Jamque ego, a quo talia requirerentur, non facilitate illa solum, qua inclinationem geniumque meum, sed viri quoque sequerer auctoritatem & nutum, cujus ego auctoritatem & nutum respexissem semper porroque respicere vellem, etiamsi mihi libera nec ab alio pendens cura haec esset. Neque hujus auctoritatem tantum, sed & conjunctam auctoritati amabilitatem, qua me leniter hortaretur, admoverique vellet ad id, quod provide destinaret, inclinabar statim, remque exsequebar ex praescripta mihi ab eo forma, cujus arbitrio tota deinceps cura regenda esset. Et sane non spernenda erat mihi tam opportuna occasio, qua de tanto Viro, deque patria hac, bene mereri possem, vereque injuria quaedam fuisset repudiati a me laboris, ac tanto major injuria, quia & labori huic assuevissem jam, egissemque per hujusmodi studia & oblectamenta vitam, delectatus, scilicet, grata volutatione Historiarum, non quae ultimae tantum vetustatis, sed quae recentiores & fere hujus aetatis essent, quarum ego aut forte mea vidissem auctores, aut videre cuperem, non tam studio videndi, quam dulcedine contemplandi illustrium virorum ora, de quibus tam ingens fama nomenque circum ferretur. Non secus ac instituta mihi cum Auctore consuetudine & amicitia, cujus opera a me nunc eduntur, intueri potui tanti viri dignitatem & vultum. Inclinabar praeterea non facilitate ista solum,


Pag. 1091.
PHILIPPVS II. PRVDENS.
Quam tibi fronte liber præfert sine nomine formam
Hæc est Austriaci Regia forma Viri.
Erubuit Pictor nomen præferre Philippi
Fecit id Arte sua Pictor, ut Acta legas.
Sclatter.

solum, & quadam obsequendi consuetudine, qua multorum jam annorum familiaritate placitis hujus assuevissem, nihilque detrectare didicissem umquam, quod in re litteraria praesertim mandaretur mihi, sed quadam etiam utilitate proposita, quam labori huic inesse animadvertissem; non illa quidem, quae quaestum & ambitionem spectaret, quae procul ab Ecclesiastico homine sacraque toga abesse debet, sed nobiliore altera & meis studiis consentanea magis quae honestate sua blandiretur mihi, speque illa mulceret animum, posse aliquid istac cura & Historica pervolutatione mea studia juvari, proficique tantum, quantum ad Historicae facultatis vim quamdam assequendam sufficeret; sicuti profecisse aliquid fatendum est, videorque non sterilem & vanum laborem impendisse, postquam licuit me in hoc munere & cura versari. Atque movebar utilitate quidem proposita mihi, speque illa, quae repraesentaretur plena utilitatis & fructus, sed quodam magis gratificandi studio patriae civibusque tantis, in quorum ego gratiam, non leviora tantum ferendo haec, quae mandarentur, sed vorandis incommodis quoque aliis, quae mandari possent, exhiberer, ultroque etiam offerrem operam studiumque meum, quod exorari nollem, non tam pudore exorati obsequii, quam gloria & aviditate antevertendi jussa patriae. Propterea puduisset etiam, non antevertisse postulata Viri, cujus capere consilia minime potuissem, propria hujus profunditate illa, quae falleret etiam prudentiorum conjecturas, si divinare animum mentemque vellent. Motus igitur publica vestra, atque Viri auctoritate, coeperam statim esse sollicitus, & de negotii summa, deque forma exsequendae rei cogitare: non illa quidem auctoritate motus, quae horrida & severa esset, sed quae mixta ex gravi & jucundo, & illiciendis animis apte temperata, qualis Reipublicae Moderatoribus adesse debet, & qualem adesse vobis etiam alienigenae fatentur, qui praeter caetera, quae magnifica visuntur in urbe hac, & passim occurrunt peregrinis hominibus, mirantur etiam moderationem hanc vestram, & temperamentum, quo patria regatur, tanta cum laude & fama nominis vestri, tanta cum admiratione virtutis, ut simillima Romanae felicitati tempora Mediolanensium haec videantur ipsis, similitudine plane eadem, qua externo homini, Praeceptori Caesarum patria haec Roma altera visa est. Neque auctoritate solum isthac, sed & utilitate lucroque meo, quod ostenderetur, motus, posse ac debere videbar laborem hunc subire. Atqui lente adhuc procedebat labor, & remisse agebatur a me, quem tamen honestae, atque utiles alioqui causae moverent; & fortasse diligentiam quoque morabatur illud, quia nec ego divisissem curam, nec quaedam descriptio muneris fuisset. At describenda sane erat prius atque eligenda mihi ratio, assignandumque quidpiam, quo dirigerem studium laboremque meum, ne res non cogitatione, ac fine suo informata, aut non perduci posset ad exitum, aut perduceretur imprudenter. postquam vero spectata forma, quam ego sequerer, fixumque erat illud, quod ad initia laboris elegissem, statim intendebar animo, imminensque patrii decreti exsecutioni, cujus ego moram minime pati possem, moliebar illud, ut, si qua parte defedisset Historia, aperissetque lacunam aliquam, expleretur illico hiatus ille, atque obstrueretur lacuna, quo veluti divisum, atque dissectum Historiae corpus conjungeretur. Qualis hiatus, & lacuna saepe, posthuma legentibus occurrit: ubi & interjungendum est, multumque laborandum, ut suppleatur aliquid, quod non tam loci deformitatem deleat, quam non abhorreat ab Historia. Atque illud erat, quod timebatur a me magis, ne facerem id absque imitatione & similitudine illa, quae veluti obducendo calcem perite apteque paginarum rimis, tegeret artem, nexumque conderet. Utcumque tamen id feci; nec perperam fecisse videor declaratione, & testificatione illa, qua meis conatibus plausistis. Sic postquam evolvere coepissem BORROMAEORUM vitam, unde mihi auspicandus erat labor, non illam quidem, quae, quia recudenda esset, noscenda tantummodo, atque simpliciter percurrenda, sed alteram, quae, quia nondum esset edita, atque ob id ardentius & avidius exspectata, non tam cupiditate illa, ut Historia complexa vitam gestaque FEDERICI pertractari posset, quam cupiditate etiam altera videndi, qua fide, atque innocentia traderetur, solertia & cura majore edenda erat, supplenda fuere nonnulla, quae deesse comperiebantur. Atque mihi praetexenda fuit operi praefatio, quam aut distulisse in aliud tempus, aut non praetexuisse Auctor censendus est, incertis nominibus eorum, quibus non tam Historiae pars haec, quam opus ipsum inscriberetur, quae edita a me postea, vestris nominibus inscripta est, ac praecipue in Petri Georgii Burri nomine apparuit, qui tunc tam integre sancteque Praefecturam urbis gerebat, ut dignus postea videri potuerit, cui nova decora decernerentur, non postquam, ipse fessus patriae curis, otium & spatia labori dedisset, sed vix circumacto spatio, quo Praefecturae munus implevisset, sicuti rerum capitalium Judex in Praetorio statim electus est. Non minor interea cura adhibebatur recognoscendis disponendisque scriptis etiam aliis, quae supplerentur, atque ederentur statim, postquam FEDERICI vita ad exitum perducta esset. Atque supplevissem jam, edidissemque haec, nisi edenda atque supplenda fuisset prius PHILIPPI SECUNDI vita, quae tunc forte exhibebatur a cive, qui eam perite occultaverat, sicuti pretiosissima terrae visceribus sinuque occultantur, abdideratque in exspectationem & spem, ut, postquam sepulta diu, atque occulta jacuisset, depromeret inde, atque evulgaret, solatio & voluptate majore, cum periisse crederetur. Quo eventu sane laetari patria haec visa est, haud minus, quam cum scripta etiam alia ab Auctore relicta, quae urbe tota conquirebantur, pene ultro oblata essent, atque subjecta. Sed magnopere laetari visus est Legnanus, qui omnibus id semper votis expetiverat, decreveratque scriptis etiam in aulam litteris efficere, ut Historicum opus remitteretur, quod custodiri, atque servari ibi fama esset. Tradita igitur, & accepta, hac, quam dixi, forma evolvebatur statim PHILIPPI vita: cumque repraesentaretur illa mihi varia, nec solita specie, qua nuper repraesentatae fuissent duorum Cardinalium vitae, passimque dissecto margine, atque distincta notis occurreret, quae locis nobilioribus appositae erant, talium opportunitate non diminuta mihi, sed aucta cupiditas est, reliqua perfe-

sequendi ad eamdem formam, perducendique notas, quae prioribus tantum libris continerentur. Sicuti perductae statim, atque opportune suis affixae locis. Neque tantum notas, sed subtilitate & solertia majore singula singulis libris compendia & epitomas apposui; quo facilitate hac & lucro aucta & ditata Historia curiosis incuriosisque pariter probaretur. Atque illud est, quod modo in publicum educitur a nobis, liberalitate non minore, majore tamen pompa, quam qua tanti occultator operis eduxisset. Et sane in id tempus tanti editio operis rejicienda fuit, quo praeter consueta decora nominum etiam JOSEPHI CRUCEI nomine nobilitaretur, qui Vicaria dignitate tanta cum aequitate fungeretur, ut plane iniquum foret, ni justitiae simulacrum, quod in PHILIPPO SECUNDO, ex instituto Pii IV. in foro publice expressum est, sisteretur illi, qui alioqui, non tam justitiae, quam virtutum omnium exemplar, sistendus esset. Quae non rara felicitas est Crucejae Gentis, ut, aut ipsa in specimen & exemplum proponatur, aut vicissim Gentium aliarum virtutes proponantur ipsi. Interim, cum editionem alteram publice exspectari sciam a vobis, privatimque plures etiam a me requirant, ut id promte expediteque faciam, profecto, cum privatis amicorum votis, tum publicae exspectationi occurram, colligendo, scilicet, atque expediendo Historias etiam alias, quae collectae atque expeditae edantur statim; quae partes verius, atque fragmenta operum erunt, quo nomine item prodibunt.

I M P R I M A T U R.

*Fr. Basilius, Commissarius S. Officii Mediolani.*

*Jo. Paulus Mazuchellus pro Eminentissimo D. Cardinale Archiepiscopo.*

*J.B.Bonettus Senator Del.s*

*Comes Majoragius pro Excellentissimo Senatu.*

# HISTORIARUM A PHILIPPO II. REGNANTE

## *EPITOMA AD LIBRUM PRIMUM.*

*AUstriacae Gentis nomen & origo ex Germania, donec in Hispaniam delata nativum cognomentum reliquit. Philippus, Maximiliani Caesaris filius, Austriacum nomen extra Patriam ferens, jungitur cum Joanna Ferdinandi & Isabellae filia; & hinc Regna & Catholici Regis cognomentum accipit. Ex Joanna Philippus Carolum Quintum suscipit. Carolus Philippum Secundum relinquit, regnaturum Patris artibus, nisi regnare debuisset suis. Huic a Caesare patre Imperii summa destinatur. Hac destinatione evocatur in Belgium; Hispania fere tota Regnique rebus bene constitutis. Interea dum adornatur iter, dum praevia disponuntur, Vallisoleti nuptiae celebrantur inter Mariam Sororem, & Patruelem Maximilianum. Inde Philippus, mutans ad celeritatem jumenta, ad Caesarem defertur. Ad Montem Acutum obvia tempestate subsistit. Accepta morte Garziae Toletani turbatur Princeps, turbantur omnes qui Principem comitantur, praeter Albae Ducem, Garziae patrem, cujus animus constans visus ad usque notam artemque ambitiosae dissimulationis. Ab Monte Acuto ad Egualadam venit per Tarraconis fines. Inde digressus Montem Serratum subit, non tam visendi studio nobilium Anachoretarum dispersa tuguria rupibus inedita, quam tactus religione loci, ut aedem Deiparae sacram jugo Montis impositam Regius veneraretur Hospes. Neapolitanis triremibus impositus, Barchinonem devehitur, effundentem sese in Principis occursum: exceptusque componendis rebus tridui spatio moratur. Inde ad recognoscendam classem ad Rosas procedit, plaudente majoribus & minoribus bombis classe. Re cognita navigationis diem indicit. Decretae navigationi orta tempestas interjicitur. Philippus, dum mare exsaeviat, Barchinonem redit, quem Stephania Requesema, clarissimae nobilitatis femina, aedium suarum splendore excipit. Reddita serenitate, navigatio instituitur. Ad Colibras provecta classe, nuntium de suscepta navigatione ad Caesarem mittitur. Ad Aquas Mortuas subsistentem Philippum (nullum ab Arce ictum displodente*

*dente Gallo) Legatus adit, a quo Regis Henrici nomine, si quid ex portu in classem opus sit, asportandum exhibetur. Legatus, magni ponderis aureo torque donatus, dimittitur. Principis ad Aquas Mortuas aliquot dierum mora suspecta Gallis, propterea, metu intendente custodias, miles in procinctu stabat. Deinde ad Pomegas navigatio; ubi Legatio eadem, quae ad Aquas Mortuas, praemiaque legationis majora, quam pro pretio rerum quas advexerat. Apud Stechadas, contrahente sese annona, insecuta classem Rostrata per Ficeroam missa, admovet necessaria satietati, quam avaritia magis, quam cibi necessitas vetabat, acrius hoc ipso stimulante famem quod prohiberetur. Praetervecta classis Galliae oram Niceam tenet, obvia rerum omnium copia, quas Sabaudus insita munificentia instrui jusserat. Nec dispar ad Savonam Benedictae Spinulae apparatus, privatum modum etiam excedente femina. Respublica Genuensis per Legatos Principi gratulatur. Legatione audita Genuam iter est. Classe subeunte portum, qua Genuensis laterna alte porrecta face appellentibus monstratur, Neapolitana Leaena in syrtim impacta, dissiliente in partes alveo, pro omine accipitur inauguratae navigationis. Bipartita classe ordine & militari disciplina vectus Regia quinquereme Princeps dum portum subit, Urbs tota ardere visa conceptis ignibus, qui tormentis admovebantur, reddente etiam classe non minores ictus, veluti si terra & mare de obsequiis erga Principem certarent. Auria in suas aedes divertentem Hispanum accipit, apparatu, & sumtu Regias opes aequante. A Pontifice Genuam missus cum mandatis Archiepiscopus Materae legatione fungitur; paulo post Pontifice eodem submittente machaeram & pileum, solenni precatione consecrata. Veneta deinde Legatio per Principes ex Senatu Viros, Florentina per Franciscum Ducis filium, Senensis per Proceres suos, Ferariensis & Mantuana per Duces ipsos obita; veluti si adhuc haerentem Farnesium abrupta cunctatione in obsequii vicem vocarent. Sabaudus, quamquam imminente Gallo, ab officio legationis non distinetur. Legati quoque Neapolitani, & Siculi, illi cum pecuniae summa, hi cum stragula veste insignia regni praeferente, sistuntur Principi. Legationibus auditis, non ingrata vice redditur ab Hispano Pontifici legatio, missis quoque Venetias ad Senatum legatis, qui suo nomine salva & tuta omnia optarent Reipublicae. Interea Civitas, orta populari seditione turbatur. Itur ad arma, tamquam si domi hostis esset. Sedatur tumultus, re per Auriam & urbis Proceres ad quietem adducta. Philippus prodit ad visendos Urbis apparatus. Relicta Genua, Mediolani fines intrat. Ingressum Alexandriam, quae prima sane urbium, per quas Provincia Mediolanensis initur, Joannes Burguaeus adit, a Bruxellis missus ab Eleonora, & Margarita, illa Galliae, hac Pannoniae Regina, utraque pro salute Principis muliebriter sollicita. Ab Alexandria Vogheram, inde Ticinum itur: ubi Alciatus commento brevi Patris & Majorum gesta complexus, quorum adhuc in illa terra reliquiae viserentur, laudem hanc dicendi tulit, Regiis auribus numquam displicuisse, nisi cum desisset. Brevi hinc ad Carthusium templum mora. Binaschum, ex eo pago Mediolanum venit. Urbis apparatus sumtuosissimus, qualis aurum prodigentem urbem referret, a Ticinensi porta ad Regiam excurrente pompa semper eadem, sublata passim porticu, arcuque ad compita fastigiato. Senatus Magistratusque, & praecipuae nobilitatis Viri obviam egressi, Principem in templum maximum, inde in Regiam deducunt. Instituti per aliquot dies ludi, & equestria certamina exhibita, non tam ad voluptatem & gratiam dexteritatis, quam ad victoriae famam. Interea ab Alphonso Aquilario Patris mandatum accipit de maturando in Germaniam adventu. Princeps ex duabus, quae Tridentum ferunt, delecta breviore via, quae per Mantuae fines in Germaniam iter aperit, Melinianum proficiscitur; nobile nec infrequens oppidum, Jacobo Medicaeo jure beneficiario attributum a Patre. Ad Laudem inde Pompejam & Cremonam sistitur, hujus praecipue miro delectatus invento, quae duabus armatorum Civium centuriis in occursum sibi more militari exiverit. Primo ab Cremona profectionis die ad Canetum in Mantuanum agrum defertur commoda satis tempestate. Insequenti Mantuam usque protrahitur, excurrente & recurrente Cardinale Gonzaga Patruo Reguli, quo lautius augustiusque Princeps acciperetur. Posito tantisper itinere, cujus jacturam postea redimeret festinandi ardore, ad Villam, quae viae apposita est, quatridui mora subsistit, multa Gonzagae Gentis prece vincente festinationem. Iterum progrediendi alacritatem stimulante verecundia morae, quam etiam paterni mandati recordatio lacessebat, media gaudia interrumpens enecansque voluptates, quas jucunda venatio exhiberet, iter repetit. Ingredienti Venetorum fines ad Villam Francam offerunt sese Legati cum donis, quae plaustris imposita advexerant. Ab Villa Franca Grosolengum, ex eo loco trans Athesim ad Dulcium prompto fluminis trajectu, per spatia Veronensis agri in Madruciorum fines descendit, jamjam Tridentinis terris affuturus. Mox Tridentum ingreditur, occurrentibus Pacieco, Augustano & Tridentino Cardinalibus, & cum his etiam Episcopis, qui ad Concilii celebritatem advenerant. Ab Tridento Bolzanum agri Tirolensis venit. Per ignobiles postea pagos & obscuri nominis loca Oenipontem venit. In ipso Regiae vestibulo stantes adultae Virgines, Ferdinandi filiae, patrio more amplexatae Patruelem, in Palatium inducunt. Mox Bavariae Dux Albertus cum Hernesto Patruo Archiepiscopo Salisburgi adveniunt, non tam visuri, quam per suas terras Principem deducturi. Oeniponte digressus ad Sebethim usque, grata venatione corripiente viam. Hinc Monachum in Bavari aedes succedit, certamine non amicitiae solum, sed affinitatis, utraque tamen inter hospites juvante laetitiam. In digressu Princeps rarae magnitudinis gemmas, & inclytos unionibus anulos largitus Annae Patrueli suae Jacobaeque & Mathildi, quarum, illa socrus Annae, haec Viri soror erat. Ab Augusta Vindelicorum, biduo Ulmam venit. Ab Ulma Spiram contendit, Ulmensium Procerum agmen trahens, cum provisu eorum, quorum necessitatem & usum parum amica terra & infoecunda regio peregrinantibus afferret. Trinis stativis ad Sarmucium pervenitur, levique spatio decurso, & trajecto Mosela flumine Lucemburgum attingitur. Inde trinis castris Namurium itur. Progressis Namurium usque in amplexum Principis Adulpho Danimarchi Regis fratre, & Emmanuele Philiberto Sabaudiae Ducis filio, Pannoniae Regina Principis Amita Wram tenente ad IV. Apr. Bruxellarum Urbem intrat, non equitatu Bruxellensium obstrepente solum, sed universo peditatu eorum, qui Regem subsequerentur, aut subsequi certarent.*

# JOSEPHI RIPAMONTII
## CANONICI SCALENSIS CHRONISTAE URBIS MEDIOLANI
# HISTORIARUM
## A
# PHILIPPO II. REGNANTE,
## LIBER I.

CATHOLICUM Imperium, & Hispana res non steterat olim ea mole, quae nunc in unum Austriacae potentiae corpus redacta continetur finibus, intra quos oritur Sol, caditque, & prae altero Orbe magnitudineque Indiarum, minimam ejus Imperii partem hic videmus.

Austriaca Domus antea late per Germaniam imperitabat; ibique fama vetus, & origo Genti. Philippus, Maximiliani Caesaris filius, id nomen in Hispaniam tulit, qui, ducta in matrimonium Joanna, Ferdinandi, & Isabellae filia, nuptiarum illarum jure tenuit Regna, & cognomentum, cui tutela Catholicae Religionis inest. Huic Philippo breve vitae spatium fuit. Is Carolum Quintum creat, Carolus Philippum Secundum, hic Tertium reliquit. Quae successiones, & tempora magnos humanarum rerum eventus habuere, ut centum anni quatuor Reges, una domus aequare vicissitudines, & discrimina multarum humani generis aetatum possint.

Sed Caroli Caesaris bella, pacemque, & omne superius Hispaniarum aevum alii Scriptores memoravere. Ego statui scribere Philippi Secundi Regnum ab eo tempore, quo Princeps a Caesare Patre evocatus in Belgas, Imperii partem accepit; idque cum fide a me ac simpliciter fiet. Nam sacrae sortis eram, & vita mihi procul agebatur a partium studio, procul etiam ab omni privata cura, quae flectere a vero scribentis animum possit. Sed antequam destinata peragam, explicabo, qui status Hispaniae rerum esset, quae Principum aliorum mens, quomodo fortuna domus haberetur, tunc, cum fessus curis, & propera senecta Caesar partem rerum in filium inclinare statuisset.

Hispania tota, praeter Lusitaniae Regnum, in potestate erat, divisa tot Regnis antiquitus, discors ipsa secum, rara cum externis pace, neque umquam antea subjecta uni. Proceres erga id Imperium quietos habebant animos, aut nihil a quietis differebant. Haereditas justa Caesaris, magnitudo, spes, & fama de successore tranquilla cuncta praestabant, attonitis adhuc eorum animis, quorum majores olim tumultuati fuerant, cum juvenis Caesar Imperium accepisset.

Mores nationis ad priscam securitatem accedebant. Luxus, & delitiae procul, quas una cum gentium externarum victoriis tulere domum Hispani, aut suis ipsi opibus invenerunt. Nihil in corporis cultu nimium: arma, atque equi conspiciebantur. Et camporum spatia cultores suos habebant; nec ad bella deerat miles. Robustae sobolis incrementa ipse alebat labor; ingensque corporibus firmamentum, quod ante trigesimum aetatis annum justo thoro nemo fere fiebat pater. Feminae viginti quinque annorum in matrimonium eligebantur, quae nunc effoetarum, ac prope senescentium matrum est aetas. Sic instituerant avi, perseverabant nepotes; eratque pudor haereditarius utrique sexui, ne maturius ad nuptias adspirarent. Leves, & parabiles cibi pudorem hunc tuebantur, quem Indorum aromata molliores que mensae fere dissolverunt. Reverens erat erga majores juventus; nec parva senibus cura, ut vitae dignitate id mererentur. Clausae domi virgines exercebantur lana, & acu, puellaribusque studiis; & cum matrimonii tempus advenerat, decuplo minorem dotem, quam quantam hodie accipiunt, extra penates efferebant. Simpliciter habitabatur: pretiose ornabantur templa: & summum erat in omni familia decus, si suae prolis partem divino cultui consecratam haberent. Vigebant litterarum studia, quibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur, neque Latinus hic sermo Principibus erat pudori. Hic habitus Hispaniarum erat, haec ibi rerum, & morum forma, cum adulto jam Principi Philippo patrium imperium destinaretur.

Inferioris Germaniae Provinciae, quas Maria, Maximiliani Caesaris uxor, avia Caroli, sui patris haeres in domum intulerat, qualecumque retinebant obsequium, necdum ibi rebellium agmina, quae postea surrexere, apparebant. Caeterum, & Gallicis armis lacessebantur, & semina defectionis gliscebant in occulto.

In Italia fusi toties Galli: compositi Neapolitanorum motus; regna illic, statusque rerum in tranquilla pace, nisi quod urbem illam Mediolanum, & sociam votis Neapolim obliquis oculis Gallia contuebatur.

Apud Indos foeda nostratium animorum spectacula, dimicantes inter se Regii Magistratus praebuerant abditis ibi pene sub terram mortalibus, eoque certamine summam rerum in discrimen adduxerant. Mox, punitis rebellibus, quieta etiam novi Orbis Regna nuntiabantur. Reges, & Reguli, populique externi, quos negotio aliquo finibusque Hispanus attingit, suis quisque causis hoc tempore varie affecti.

Rex Galliae, praeter antiqua diffidia, novis etiam, & quotidianis inter potentiae aemulos irritamentis, quae frequentia, & continuatione naturam alteram efficiunt, infensus agebat. Utrimque sollicitati perduelles, & facta magnorum rebellium hinc inde transfugia: quaesitus ad invadendum Neapolim Solimanus, & vicissim toti Galliae minitatus Caesar, cernebanturque adhuc circa praeliorum loca albentes ossibus campi. Captivi Regis memoria, post captivitatem infida pax, tot mutuae clades, provinciarum confinia bellatores animos, spe, & ira, & dulcedine malorum stimulabant.

Cum Lusitaniae Rege contermino, ac prope in visceribus haerente desierant spectaculo esse solita inter accolas certamina, vinclaque affinitatum sanctius culta, quam inter Reges, concordem utramque domum tenebant.

Romanae res, etsi cum Pontificum vita mutantur in hanc, illamve partem, atque ob eas vicissitudines, instabile fere ad Principum negotia momentum habentur; erant tamen hoc tempore suspectae Hispanis, nota civilium ingeniorum subtilitate semper introspiciendi, quo vergat Pontificatus, ad Hispanum ne, an ad Gallum, & quid in alterutra parte Romanus paret. Treis utique sacrorum Principes, toto suo Imperio cum Caesar ante Farnesii Pontificatum emensus esset, ipseque Farnesius praecipiti jam senecta vergeret ad finem, de ejus voluntate pessime interpretabantur, quasi coqueret implacabiles iras ob filii necem. Ajebant, fervido ingenio Leonem primis mensibus infensum Caesari, mox vertisse retro ad Gallum odia, fidemque foederis transtulisse. Secutum Adrianum, etiam si non deberet alumno Caesari Pontificatum, ad partes Hispanas ultro fuisse inclinaturum. Malam utique cum Clemente gratiam; tristeque illud

illud exemplum, ut inter belli tumultus cum sua Roma captivus Pontifex spectaretur, fuisse calamitatem Hispanorum; sed ejusdem postea Pontificis manu Caesarem esse coronatum. At Farnesium hunc, exulcerato suspicionibus ob filii casum animo, profecto aliquid parturire; quae conjectura incerta propter Pontificis mortem, secuti postea Pontificatus quasi praesagium fuit, excipiente scilicet Paulo Quarto meditamenta & iras, quibus explendis tertio huic defuerat vita.

Genuenses, & Veneti, disparibus olim animis, nunc haud dubie factio Catholici nominis erant.

Florentina res libertatis suae temporibus obnoxia, & addicta Gallo, cesserat jam in unius familiae dominatum, quae familia Caesari fortunam eam deberet.

Senenses ambigua Gallum inter & Hispanum fide jam nutabant, ut propediem ex antiquo statu in Caesaris potestatem venirent.

Mantuano fuerat nuper cum Caesare affinitas, dirempta Ducis morte.

Ferrariensem traxerat ejus familiae Cardinalis ad Gallum. Sabaudus, & Parmensis nulla alia re conferendi, simillima nunc conditione erant in eo, ut fortunae suae exemplis ostenderent aliis hominibus, quanti facerent affinitatum vincula terrarum Domini, & quam leve impedimentum sit ea res ad peragenda quaecumque dominationis arcanis sibi destinant. Quippe Sabaudum avunculum suum Rex Galliae pene dispoliatum, exsutumque imperio habebat. Parmensis recenti patris nece perhorrescebat residuas soceri Caesaris iras; reddebanturque vices, ut pro Parmense Gallus pararet arma; Sabaudus ab Hispano tegeretur; atque affinitas hic tamen valebat.

Germaniae Proceres ob Religionis crimen a Caesare petiti bello, & subacti, tumebant haud minus dolore ob clades acceptas, quam ira propter salutem, quae victoris haud dubie munus publice noscitabatur. Reliqua ibi Principum manus erant Austriaci sanguinis, aut his adnexi, queis laeta fortuna Domus; alieni illi redintegrabant bellum.

Solimanus Turcarum Imperator, quasi parum materiae forent ad bella, Catholicum nomen, & nomen inane Mahometis, politicas etiam armorum causas habebat, & bellum inexplicabile minitabatur.

Haec rerum animorumque forma fuit, cum Philippus in Belgium ad primas Imperii spes evocatus ivit. Sed ipsum quoque narrari Belgicum iter atque peregrinationem, pertinet ad consilia secuti Principatus, notitiamque rerum, & hominum, qui saepe postea nobis in partem operis redibunt.

Postquam Caesar, recepta Gheldria, capto Saxoniae Duce, Lantgravio in deditionem accepto, pacatis Germaniis, constituta, sicut ipse arbitrabatur, Religione, redierat in Belgas, statuit accersere ad se hunc Philippum, quem ex Isabella Lusitana unicum habebat. Juvenis erat, adulto aetatis flore pubescens, cui regnandi artes traditae patris cura, & suffectura in eam partem indoles, etiam si non didicisset, decorum ei corpus, quaeve alia nisi naturae sponte contingant, frustra sibi quaelibet potentia Regum optet. Non tamen abfuere quae in magna fortuna juveniliter peccantur.

Primum ei matrimonium fuerat cum Maria Lusitaniae Regis filia, unde natus est Carolus, qui magnam postea regnanti necessitatem imposuit; neque puerperio superstes mater. Caeteros Principis casus, fortunamque qua in administrando Regno est usus, historia deinceps procedente exsequemur.

Nunc, cum Caesar eum, relicta Hispania, in Belgium ad se ire, jussisset, promta fuit hominum interpretatio, quibus cordi est introspicere, quamvis abditos, Regum sensus. Vulgavere enim, evocandi Principis consilium ex eo natum fuisse, quia ille bella omnia geri per patrem: se vero inglorium jacere domi crebris querimoniis expostularet; ac rursus, quia fervidam aetatem illic implicari amoribus, & matrimonium sperari dispar appositi talium rerum custodes ad Caesarem detulissent.

Fuit autem re vera consilium Caesaris, idque prudentiores intellexere, ut ostenderet famae Principem, & Inferioris Germaniae Provincias adigeret in ejus verba, sisteretque per terras, quas ipse victoriis peragrasset, ac, sicuti dictum est, ingravescente jam aetate, rebus admoveret. Itaque scripserat ei, ut, celebratis primo quoque tempore nuptiis, inter Mariam sororem, & patruelem Maximilianum, hunc quidem relinqueret Praesidem Hispaniae rebus, ipse vero ad se proficisceretur.

Vallisoleti Regia tunc Sedes erat, quam postea coeli temperies amoenior ad Madritum evocavit. Ibi nuptiae sunt factae, majestate, & apparatu, quem pro matrimonii magnitudine concipere animis licet. Inde Philippus vigesimo post die capessit iter, mutans ad celeritatem jumenta, ne in mare hibernum incideret. Jam enim October aderat.

Decurrebant in equis una cum Principe, cingentes latera Legatus Apostolicus, & Cardinalis Tridentinus, Dux Sinuessae, Dux Albae, Comecius Ficeroa, Joannes Benavides, Antonius Toletanus, aliique pauci, quos gratia, splendorve suus in cursus ejus societatem ex reliqua Procerum multitudine segregarat. Caeteri, vel antecesserant cum Regalis ministerii mole, vel sequebantur. Sub foedis imbribus, vento etiam ferente imbres in ora, Princeps ad Montem Acutum pervenit, qui limes Castellam ab Tarracone dirimit. Ibi nuntius acceptus de morte Garsiae Toletani turbavit moerore omneis, praeter ipsum Albae Ducem, qui, filio amisso, stetit in constantiae suae gradu; & nimis ambitiose dissimulasse animi aegritudinem is videbatur.

Ab Monte Acuto, per Tarraconis fines ad Egualadam ventum est, unde breve diverticulum ad Deiparae Virginis aedem, ob quam Mons Serratus celebre per gentes nomen invenit. Inclytae religionis est locus, gratissima peregrinantibus ad Compostellam quies. Aedem ipsam in medio montis adscensu tuentur Patres Ordinis Benedictini: dispersa montis anfractu stant tuguria nobilium Anachoretarum, qui, post militarem fere vitam, illuc ad contemplanda extrema se se contulerunt; suntque singula mapalia levi desuper tegete discreta inter se binum millium intervallo, quo minus animi avocentur. Adeo militares animos contemplatio sui finis mansuefecit.

Princeps, tactus religione loci, excurrere illuc concupivit; assumptisque secum paucis, adit Montem. Processere obviam Monachi sub Crucis vexillo velati suis insignibus, & hospitem in augusta templa laeti Patres deduxere. Ibi primo fusae ad Sanctam Dei Matrem preces, & procuratus mysteriis animus: deinde, inspecta tuguria, squalidique vultus Eremitarum; quorum aliquos fama fuit, constanter temperavisse sibi, ne averterent oculos, neve tollerent humo genua, in quo forte habitu deprehensi a Principe erant. Inde Regii Quaestores pecuniae summam ad templi cultum, & peregrinantium hospitia Monachis attribuerunt.

Quae dum in Monte fierent, supervenere Ferdinandus Avalus, & Garsias Toletanus, qui cum Neapolitanis triremibus ad deducendum Principem advenerant: auctoque comitatu, Barchinonem viginti millia passuum inde distantem urbem itur. Haec Civitas ad famam advenientis agminis late per viam effusa jucundum spectaculum praebuit Principi, quia non tam Magistratuum jussu, quam sua sponte motam esse multitudinem, apparebat. Fuit ibi tridui mora, disponendis in omnia consiliis: postea Princeps ad recognoscendam classem, inspiciendumque mare ad Rosas processit. Imminet mari is locus insignis portu, quo non fere alium Hispania capaciorem habet, & ab crepidine altera Caesar adjecerat arcem, quae multis muralibus tormentis armata portum eum tuetur.

Cum ego varietates Hispanas, & Philippi Secundi Regnum memorare posteris agitarem, nihil minus habueram in animo, quam ut spectaculorum inania consectarer, ac traderem. Sed fraudasse videbor tempora, ac superbe egisse, si non dignam litteris judicavero pompam,

pam, ad quam aetas illa consurrexit. Non enim fortasse alias tam splendida classis per mare incessit; & quacumque ivit Hispanus, humanarum opum certamen editum est, excipiendo tot Regnorum haeredi.

Quamobrem petam ab illis, in quorum manus haec nostra cura pervenerit, ut innoxia haec & incruenta ferre parumper velint. Quippe, rerum aliarum, quas ipsi inter se mortales ad mutuum exitium machinantur, abunde mox erit, nec longe abest, cum bella, & caedes, & profunda Regum consilia, fortasse etiam ad terrorem usque legentium miscere nostri Annales incipient. Nunc describenda pompa erat, ac gestiebat pene animus usurpare vanae artis ritum, optando, ne fatiscat historia ad navium ordinem, & nomina, & duces, & tantam humani fastus molem. Stabant accipiendo Principi dispositae in praelii faciem rostratae, Hispanae, Genuenses, Cantabricae, Siculae, Belgicae, Lusitanae, Neapolitanae, Catalonae, in universum duodesexaginta, numerus exiguus, si caeterarum diversi generis navium circumfusa his multitudo inspiceretur. Quindecim Hispanas regebat Joannes Mendotius, quem Bernardinus pater, sui muneris vicarium duxit. Garsias Toletanus, & Auria junior Neapolitanis tredecim imperitabant. Siculae decem Berenguelo Requesemo parere jussae. Andreas Auria decem & novem ductabat.

Patria Genuensis hic erat Auria, non ad suae nationis ingenia solers opum; caeterum, liberalitate Caesaris, & reliqua fortuna omnem inter suos opulentiam facile supergressus. Ingens animus viro; acta per bella, & undas vita, magnum ubique nomen, & quantus quantus erat, fecerat eum Caesar. Gratia vero cum Caesare tanta ei, ut pater, & filius invicem appellarentur. Scilicet, ille tot bellorum Victor, atque tot gentium Dominus, hoc extremo munere nobilitare senis Auriae fidem voluerat, & assuefecerat ipsum, ut aetatis jure major adversus minorem uteretur, tantumque vocabulum homo Genuensis auderet.

Is ad instruendam classem, quae deductura Caesaris filium esset, contulerat quidquid artis post longa experimenta, casusque in illo navali genere habebat; nec ut valida solum, & probe munita, sed etiam ut specie, ac majestate digna tanto vectore esset, adlaborarat. Regiam vero quinqueremem ornaverat sumtu suo, & remigium omne serica veste induerat aemulo maris ipsius colore. Ubi adventare Principem accepit, exscendit in littus cum nobilium Genuensium corona; estque a Juvene comiter acceptus haud sine laeta Procerum gratulatione, quia paternos amicos agnoscere Princeps videbatur.

Conscensae inde cymbae; & dum ad classem provehuntur, displosis undique tormentis laetitia celebrata est; & praetenti toto littore fistulatores plausere minoribus bombis, conticescente fragore, atque successere tibiarum, atque tympanorum alternantes chori. Mare interea tutum videbatur; & cum, decreta jam navigatione, onera coepta imponi in naves essent, subito tranquillitas insidiosa cessit in procellam atrocem, ac tanta vis aquae dejecta est, ut per aliquot passuum millia facies eadem terris, quae pelago esset.

Ita Barchinonem reditum est, ibique, dum mare exsaeviret, per duodecim dies exspectatum. Hospitium fuere Principi Stephaniae Requesemae aedes, quae mulier, si credimus famae, natales suos animi honestate aequavit, & corpori nihil simile tunc ferebatur.

Postquam coelo, marique pax rediit, haud ultra dubitatum; & solenni Sanctorum omnium die, rebus divinis rite peractis, a Castellone ad Rosas navigaturum cum Principe agmen stetit.

Conscendere una cum Principe quinqueremi Gomecius Ficeroa, Ferdinandus Toletanus, Guttierez Padilla, Joannes Benavides, Aluysii duo Zunica, & Avila, Antonius Rogias, Antonius Toletus, Gonzalus Perezius, Franciscus Henriquez, Raimondus Tassus, Didacus Haro, Garsias Murielus, Joannes Ortegas, & valetudines Principis observare solitus Morenus.

Caeterae triremes fuerunt attributae binis, trinis, quinisve Procerum, cum quibus alios postea propinquus sanguis, aut necessitudo alia congregavit, ut singulae propemodum naves Principum agmen portarint. Singulas autem in suum, & amicorum usum habuere, quorum honori id datum, quive ut haberent, praecipue ipsi tetenderunt.

Nam omnes fere Proceres Hispaniae, aut ivere ipsi, aut quos publica cura, seniumve domi tenuerat, pro se filios destinavere, ut apud regnaturum juvenem id sibi gratiae principium aequales inchoarent.

Quaedam etiam familiae, praeter id quod sexu, vel aetate inhabile esset, venere totae, grandaevus cum sua prole pater, vel sine patre bini ternive fratres, ibi spem, ibi compendia rati esse, ubi Princeps foret. Et splendor universi comitatus erat ille, ut cum excita suis pene sedibus Hispania certare diei unius conatu, grave quamvis opulentis Regibus populisve esset. Severitatem, & antiqui moris reliquias, de quibus initio dicebam, reliquerant domi, ut inter externos cum admiratione spectarentur.

Principis familia supellexque, & Regalis opulentiae apparatus apud singularum partium praefectos in triremibus onerariisve erat. Omne Sacrificale instrumentum, atque ministerium sub Antonio Bravo: sub Dominico Orbeo Regia pecunia: sub Francisco Hispano Regius commeatus, sub Hernando Migrolla Regii pueri, quos magnae dominatrices familiae contulerant in famulatu Principis educandos, tradito antiquitus more ad spem gratiae, & securitatem rerum. Recipiebantur in naves onera, hominesque, haud aliter, quam ex Francisci Duarsis syngrapha, penes quem ea praefectura fuit.

Haec summa Regii comitatus fuit non toto exacta numero, sed coacta sic in angustum ex illa multitudine, quae pene debuit inundare aequor, quippe cum Caesaris filius per fines etiam alienos, & per incerta maris iret.

Fuere in eo Principis comitatu, praeter militare praesidium, & magna Procerum nomina, etiam nihil agentes litterati, & in eo numero quidam ornamenta aetatis illius inter se se vocitabantur. Sed eminebant illi, quos Princeps ad aliquem usum delectos habuit.

Petrus Castrius Episcopus Salmanticae Regiorum Sacrorum Antistes, diuturna coelestium rerum affectatione terminos humanae mentis egressus putabatur.

Par fama Constantino, atque etiam in naturae obscuritate majus nomen; idemque tonare, ac permiscere suis concionibus Hispaniam dictus.

Scuderus hauserat ex juris, & antiquitatis notitia, ut consilio quoque bonus esset; quodque rarum in politico supercilio, mitis idem piusque habebatur.

Michael Terza, & Franciscus Minciacca aestimandis hominum culpis in illo sanguinario genere palmam adepti.

Perezius scribendis epistolis unice aptus imitari torvitatem Regum.

Medicos Aquilam & Morenum fallacissimae artis experimenta nobilitarant.

Aderant etiam ad leviorum artium oblectamenta Cabezonus auloedus, cui negata lux ab vitae primordio compensabatur inusitato inter mortales cantu; Seragiusque, & Arrius; ille machinali scientia, hic pictura consecuti summum artium apicem, ut in Regiam ea commendatione assumerentur. Et florem tantummodo virorum nominamus.

Anno salutis millesimo quingentesimo quadragesimo octavo ad IV. Nonas Novembris solvit classis ex Rosano portu. Eo die Cadaques portum tenuere. Postero, & secutis aliquot diebus, cum mare rursus exasperaretur, ad Perpinianum substitit Princeps, inspectaque urbe, & arce diem unum moratus, ad Colibras, unde illuc venerat, rediit adito sub moenia Elmae urbis discrimine. Nam cum Elmenses festo tormentorum reboatu exciperent atque prosequerentur agmen, abruptus lapis e muri pinna percussit humerum eorum uni, qui Principi circum pedes ibant; & subierat horror animos reputantium, quam levi momento periculum illud ab vili capite in Regium etiam inclinare caput potuisset.

A Co-

A Colibris misso ad Caesarem Nuntio de navigatione instituta, cum nihil pacati mare ostenderet, sententiae, dicebantur a nonnullis, ut meliora signa exspectarentur. Sed Princeps ajebat, exspectando rem fieri deteriorem una cum anni tempore, quod quotidie magis, Novembri jam praecipitante, inhorrescebat. Ita navigatio est repetita.

Damnavere postea Principis juvenile consilium Proceres alii, & spiritus nimios adversus pericula, cum furente pelago regiam quinqueremem adeo infesti fluctus circumvenissent, ut firmari latera ternis utrimque rostratis necesse fuerit, ne obrueretur. Aegre cum ea difficultate littus legentes, dierum aliquot remigio, portum qui dicitur ad Aquas mortuas, iniere.

Nulla ibi tormenta in gratulationem displosere Galli; caeterum ad Principem venere qui dicerent; si quid ex eo loco in classem opus esset, promta, & parata fore omnia; id se ab Rege Henrico mandatum habere. Princeps, collaudata Regis voluntate, gratiisque actis, torquem aureum legato magni ponderis dedit.

Animadversum est, cum in eo loco dies aliquot propter navigandi difficultatem commorarentur, Gallos eos, qui praesidium ibi agitabant, intendisse custodias, numero etiam aliquid accessisse. Vicissim Princeps vetuit a navibus discedere, nisi quibus ejus rei potestas ab Auria facta nominatim esset.

Coeperat interea vereri Princeps, ne maris inconstantia, res tam plena periculorum atque varietatum, eluderet etiam ea, quae praefecti in longum providissent. Ideo missus terrestri itinere nuntius ad Ficeroam, qui Genuae Legatus Caesaris erat, ut nautico pane omnique alio commeatu pressa rostrata classi obviam veniret.

Expeditiore dein cursu Pomegas apud Massiliam appulere. Ibi legatio fuit eadem, quae ad Aquas mortuas fuerat; & cum legatione Regius praefectus adduxit secum obtulitque Principi lautissimam copiam omnium rerum, quae veluti terram ipsam classi admoventes, gratissimae navigantibus forent. Cum verborum comitate paria egit Princeps; pro rebus ipsis data munera, quae secum auferentes Galli, commeatum illum auro fuisse repensum ajebant.

Ventum inde ad Sthoecadas est. Ibi conflictata classis, primum turbine ac proluvie aquarum e coelo, deinde angustiis, & incommoditate portus, tum vero etiam annona se se contrahente illic ob moram bidui, & sterile insularum solum, voracemque multitudinem, cui nihil satis umquam abundaret. Subsidio fuit missa obviam rostrata per Ficeroam Legatum, simul effulserat ex turbido tranquillus dies; ac prospera velificatione praetervecti Galliae oram amiciora jam littora conspiciebant; factaque ex omnibus castellis salutatione mare circumsonabat.

Ad Nicaeam ut appropinquavere, praesto fuit ab Sabaudiae Duce genus omne venatus, & aucupii, & quidquid praeterea luxus urbanus delectabile cibis invenit. In medias hinc delicias, mediaque adulationis & opum humanarum certamina ibatur, & una ad Savonam mulier privato cultu Regum etiam aequasse opes visa est. Ea fuit Benedicta Spinula, quae invitare cum suo comitatu ausa Principem, injecerat finitimis curam, ne, aut victi essent ab femina, aut vincerentur.

Est ad tertium ab urbe Savona lapidem Deiparae Virginis aedes, inclyta miraculis & donis, quae vicissim mortales ipsi monumenta coelestium beneficiorum posuere. Ad eam aedem, Princeps postridie, quam apud Spinulam coenatum erat, accessit, Deumque pie veneratus, quod se, post ancipites casus, incolumem sisteret terris, ad pridianum hospitium rediit, ubi matronae splendor, & magnificentia se se ultra privatum modum extendebat.

Venere illuc ab Genua Legati gratulantes Principi sospitem in Italiam adventum, & orantes Reipublicae nomine, ut, si quid placeret, imperaret tamquam in suo Regno; pertinere ad salutem, & dignitatem Senatus populique Genuensis, ut intelligerent omnes, esse Rempublicam illam in Catholici nominis potestate, & manu. Respondit Princeps; facere Senatum populumque Genuensem, sicuti probos, & fideles amicos oporteret. Patrem quoque suum ei Reipublicae semper plurimum tribuisse; & se memorem, tum paterni judicii de ipsis, tum praesentis eorum officii, nulli rei defuturum, in qua gratificari tam bene meritis posset. Si quid ipse vellet, modeste pro amicitia rogaturum.

Legatione sic audita dimissaque dirigitur cursus ab Savona ad Urbem Genuam; & forte sacer D. Catharinae dies erat, qui dies ob naufragia suspectus apud nauticos, & sinistri semper ominis habetur. Sed nitida toto coelo serenitas immotique fluctus invitarant; nec alium pari tranquillitate diem habuere. Radentibus littora voluptati erant praedivitum Genuensium horti multa cedro, & olea, sumtuosisque aedificiis cum aemulatione luxuriantes.

Ultimo illo navigationis die classis hoc ordine incessit, cum antea fluctus magis & venti, quam ulla certa descriptio, & disciplina ordinem dedisset. Neapolitanae rostratae in alas divisae fuere: primum agmen Siculae sequebantur: in acie media regiam quinqueremem rostratae Genuenses deducebant. Bernardinus Mendotius in agmine postremo rostratas Hispanienses regebat.

Hoc ordine subierant, qua laterna Genuensis alte collucet, cum repente Neapolitana leaena in syrtim impacta vasto hiatu dissiliit in duas partes; ac, nisi propere subventum esset, hauriebantur pelago magnarum domorum haeredes, qui ea vehebantur.

Nemo tam juxta exitium fuit, quam Aluysius Cerda, qui ad primum dehiscentis alvei infortunium in mare delapsus, luctando cum fluctibus nandi arte superior fuit, donec reciperetur in scapham, quae ad viri periculum opportune accurrerat. Pretiosae supellectilis id tantummodo naufragium fuit; homines ipsi, alius alia via in tutum evasere. Navis lacera, & quassata remulis Genuam usque tracta est. Sic ominosum illum D. Catharinae diem non potuisse abire sine suo casu ajebant, gratulantes interea, quod salvis capitibus, vili rerum aliarum damno defuncta classis esset.

Cum jam Genuae portum caperent, admoti tormentis ignes, ex collibus, qui circa sunt, cum numeroso remugitu late circumfulsere, redditaque ex classe par salutatio fulguribus & imagine tonantis coeli fumoque cuncta complevit.

Auriae domus, in quam Hispano divertendum erat, est extra urbem in vico qui Fasciolus dicitur; neque civis unius id tectum, aut Principis in libero populo, sed Regum esse sedem dicet qui peregrinus accesserit. Stabant ad aedium earum radices consertae longo ordine, & constratae naves in pontis modum, adstructis a mari gradibus, cum amoeno plantarum, & florum vestitu. Gradus ipsos hastati ducenti ad latus utrumque tuebantur. Directa, & lata per totam pontis longitudinem via excurrebat. Serico peristromate fulgebat solum. Ad hujus viae caput dispositi stabant quatuor & viginti militarium copiarum duces, quos Respublica illa perpetuis stipendiis alit, in pace decus, ad bellorum subita tutamen.

Post eos ducenti nobiles in tunicis ex holoserico villoso. Dux inde, & Senatus, & universum Reipublicae nomen, & Pontificis Maximi Legatus, Legati Principum, Legati Cardinalium, Cardinalis Auria, Cardinalis Cibo Principem exspectabant. Ab scalarum fastigio, quae sunt ante aedes, exstruxerat Auria temporariam porticum in portae triumphalis formam. Ea longo tractu ad vestibulum usque pertinebat; emblemataque ibi, & inscriptiones historiam Austriacarum rerum exhibebant.

Uxor Auriae cum Principum feminarum choro prope vestibulum constiterat ad laevam; & creditur muliebris formae palma esse sub eo coelo.

Hispanus ex regia quinqueremi descendit in scapham, indeque per gradus in pontem evasit medius inter Cardinalem Tridentinum, & Curiensem; Pontifices, & Principes alii deinceps sequebantur.

Dixere ibi pauca Dux Senatusque Genuensis de suo erga Principem obsequio; ac de mutua erga illos volun-

tate Princeps ipse respondit. Legatis aliis, qui se se reverenter ostenderant, in illa brevi transitus mora, oculis, & vultu benigne satisfactum. Cum hac frequentia Princeps in Auriae domicilium pervenit, & tota illuc ad spectaculum effusa Civitas accurrebat.

Inerat animis cura videndi Caesarum nepotem, Caesaris filium, Catholici nominis haeredem, & auxerant famam ea, quae propria decora ipsius ferebantur.

At Auria, qui tantum domi hospitem haberet, Regum ipsorum in eo excipiendo majestatem apparatusque superavit; atque illa suarum tantummodo rerum admiratrix natio habuit tamen in illa domo quod admiraretur.

Adeo Genuensis aurum, & argentum, gaudia illa mortalium, & vota, vile negotium duxit; &, cum ea servitiis potius ac jumentis proterve circumdedisset, vasa, & instrumenta ex gemmis Principi apposuit. Familiares vero ipsius in separato quemque conclavi, per quindecim dies (grande spatium in tam profuso sumtu) sic accepit, ut Regalibus etiam assueti mensis, ad eum modum epulari, immodestum putarent.

Nec interea defuere circa aedes varia missilium flammarum ingenia, ludique, & saltationes armatae, quaeve alia oblectamenta magnis artificum inventis, & immanibus Auriae pecuniis potuere parari. Praecipue tenuit oculos quoddam hujusmodi machinamentum. Pila erat ingens in Mundi speciem globata, quam aureum diadema coronabat. Hanc introrsus ita sulphureo pulvere temperaverant, ut ovales pilae identidem in sublime emicarent; mox eaedem artificio mirabili figurarentur in minutas arces, & hae rursus formae desinerent in imagines alias, ac pleraque talia oculorum ludibria adversus humani animi taedium, ut semper quotidie novi aliquid occurreret, parabantur.

Vacabat interea Princeps legationum alloquiis, quae super alias aliae aderant, gratulationis, & officii nomen in speciem praeferentes; caeterum nihil dubitatum est, quin callidae etiam imperitantium artes in parte legationum earum essent, vel ad explorandum animum juvenis, ad quem arbitrium Italicarum rerum propediem esse venturum apparebat, vel ad gratiae aditum spemque tentandam. Ac suberant ex praeteritis imminentibusve negotiis ingentes causae manifestae, vel occultae, cur ob suam quisque rem anxius, & sollicitus apud regnaturum Principem officio illo defungi festinaret.

Pontificem Romanum (is tunc erat Paulus, ex Farnesia gente) stimulaverant antiquae cum Caesare suspiciones ob filii necem; praesens in nepote metus; quietis amor seni; vel dissimulatio animi volventis iras: tristia Gallicorum foederum exempla: recens adhuc memoria direptae urbis. Haec igitur, aliaque fortasse incomperta nobis, moverant Romano animum, ut apud Juvenem, in quem omnia vergerent, perageret imitamenta pacis, & amicitiae.

Miserat Genuam Archiepiscopum Materae cum mandatis, quae non emanavere; sed conjectaverunt illi qui tunc in aula versabantur homines, fuisse pro calliditate senis, & pro magnitudine rerum, quas apud eum in occulto agitari suspicabantur.

Idem postea Pontifex, testificando magis, ac magis quam placatum gereret animum erga res Hispanas, misit ad Principem dona, machaeram, & pileum solenni precatione consecrata, addiditque litteras Apostolica brevitate complexas ejus doni mysteria, & honores.

Veneti cupiebant oblitterari vetera, stabilemque cum Hispano gratiam firmari. Miserant ideo sui Senatus Principes, atque legationem eam quam splendidissime ornarant.

Dux Florentiae, beneficio Caesaris evectus in id nomen, & unde Principatum acceperat, inde munimenta Principatus quaerens Franciscum filium misit. Venere cum eo Civitatis etiam Legati, ne, libertate amissa, inutiles servare iras crederentur.

Senenses ambigua semper Gallum inter, & Hispanum fide, nunc una cum caeteris Principem colere operae pretium putarant.

Sabaudus, insectante Gallo, haud alibi spem habebat, & donec ipse occurreret, miserat Legatos.

Venere Ferrariensis, & Mantuanus, ne legasse superbum foret.

Octavium Farnesium Avi consilia regebant; & dum suspecta omnia inter Hispanos habet, cunctabatur.

Ex Purpuratis adfuere, quoscumque, praeter collegii dignitatem, ab stirpe tangeret aliqua magnarum rerum cura, Toletanus, Farnesius, Carpensis, Ravennatensis, Gambara, Cornarus, aliique impliciti suis, in praesentia, vel in posterum meditamentis.

Attulere etiam tamquam ad Regem suum dona Legati Neapolitani, & Legati Siculi; illi pecuniae summam, hi stragulam vestem ex auro cum gemmarum contextu, quae Regiis insignibus conserta insignia Regni praeferebant.

Hae legationes Genuae adierant Principem, &, ut ab quoque venerant, honos habitus singulis, ac pro aulica solertia, quae cuncta interpretatur, & nihil occultum sinit, nota erant etiam arcana, quae ab domo quisque abstulisset.

Hilare omnibus responsum est; miscuitque Princeps Regiam Majestatem cum juvenili comitate magno temperamento, & incertum reliquit in aestimantium animis, utra parte magis omnes perculisset. Si quis negotia, & statum rerum; praeterita, vel futura attigerat, unica fuit responsio; Caesarem Patrem, animo esse justo & clementi, nec se defuturum postulatis; & ferebatur salutaria consilia nonnullis dedisse quae domum referrent.

Sic fere Legati cum bona spe sunt dimissi. Vicissim ipse Legatos officii causa Romam ad Pontificem Paulum, Venetias ad Senatum misit. Postridie quam Genuam appulerat, Raimundum Taxum Bruxellas ad Caesarem destinarat. Mox Caesaris missu ad Principis praesidium ducenti fistulatores adfuere.

Tam laetas res turbavit subito tumultus ingens, cujus initium juxta & finis fuit; apparuitque tumultu illo si umquam alias, nullam satis fidam esse gratiam, tutamve Majestatem, ubi suspicio, vel ira multitudinem concitavit.

Genuae, Nonis Decembris, cum Princeps audiendis legationibus intentus esset, Civitas vero perficiendis instaret operibus, quae ad egressum Principis (nondum enim prodierat) parabantur, subito ad arma contra Hispanos itum est. De ea re, sicuti accepi, paucis expediam.

Classiarii Hispani fere quinquaginta, contracta ex nocturno occursu rixa cum Genuensium juvenum globo, interfecerant quemdam eorum, ac deinde se se in hospitium abdiderant. Insecuti juvenes, effringere claustra, per vim irrumpere conantur. Urbana lascivia plures illuc in singula momenta conciebat; inclusi vix impetum sustinebant.

Cum jam prope obsidionis formam res esset, defertur intempesta nocte nuntius ad Minciaccam, quem inter Hispanos capitalium rerum arbitrum fuisse memoravi. Is mittit e suis, qui jurgium inspiciant, atque rem adducant ad quietem. Viso Hispano, vociferari Genuensium turba, queri necem indignam, deposcere ad supplicium eos, qui civem suum interfecissent. Qui missi fuerant Hispani, ajebant, spatium fore cognoscendi aequa, & iniqua; interim solvi obsidionem, & abscedi ab aedibus oportere. Aegre impetratum; apertisque januis, cum de nece quaereretur, nova armatorum manus advenit. Accessus Urbis erat cum satellitio suo; qua conspecta e fenestris cohorte, classiarii voluerant erumpere prius quam iterum obsiderentur. Sed admoniti amicos esse, & subsidio venire ipsis, quievere. Multis inde ultro citroque verbis factis, tumultus ille est sedatus, & cum bona pace classiarii traducti in naves.

Postero die, dedita per urbem fama sollicitaverat animos civium, & promtissimus quisque cum Hispano, non jam, ut inter pacatos, agebat. Indignabantur, manifestae reos caedis, ex hospitibus hostes, in aliena urbe liberaque Republica tamquam in suo imperio velle dominari. Hanc hospitio gratiam reddi, ut sui cives no-

ćturnis

cturnis insidiis opprimantur, & ad quos pertineat id facinus, ne dicto quidem ullo coerceri.

Irritatos ita frementesque Genuenses novus forte casus accendit vehementiore ira, & flagrantibus jam animis veluti faces admovit. Antonius erat quidam Arcaeus, Vallisoleti capitis damnatus, propterea quod fratris filium octennem in domestica scaturigine demersisset, ut fortunas infantis ipse haberet. Hunc mulieris habitu profugum comprehenderat Minciacca, Genuensique Magistratui tradiderat in custodiam, donec Vallisoletum ad ejus flagitii poenam reportaretur.

Vadit Minciacca Principis jussu in Praetorium, ut captivum repetat; fistulatoresque secum Hispanos ducebat quatuordecim, ne forte elabi via aliqua reus posset. Nullus ad extima Palatii limina tumultus fuit: custodiae interiores, ubi armatum conspexere Hispanum, tollunt clamores, expediunt tela, unaque vox audiebatur, jubentium interficere, ac semet hortatibus mutuis ad necem hospitum invitabant. Hispani duo sunt interfecti. Minciaccam ipsum in magno versantem discrimine Senatorum unus, qui strepitu audito prodierat, subduxit in tutum, caeterique Patres ab sedibus exciti suis, uti Senatum ingrederetur, rogavere, neque ultra ibi tumultuatum.

Sed tota interim Civitas ad arma ibat, & undique vociferabatur, prodiret armatus quisquis salvam esse patriam vellet. Coerciti sunt Senatus edicto, & auctoritate Auriae, qui rogitans ibat; ubi modestia esset, ubi obsequium, & fides erga Caesaris filium, quem in Urbe haberent?

Sedato hoc etiam tumultu, Principem adiere quatuor Senatores, & Reipublicae nomine petiere, ut quidquid illud populari licentia turbatum esset, vellet condonare moribus insanae multitudinis, cujus talia flagitia semper fuissent. Princeps, collaudata Reipublicae Genuensis benevolentia erga se, & fide, errori multitudinis ignovit; ac die, qui fuit Conceptioni Deiparae Virginis sacer, prodiit ad visendos Urbis apparatus magna civium laetitia, qui crediderant eum condidisse alte iras, & Regum more implacabilem manere.

Parabat inde Princeps, relicta Genua, Mediolanum versus intendere iter, ac pridie quam discederet, rogante Senatu, uti Rempublicam illam tueri atque commendatam habere vellet, dixit in magna Procerum corona; bonos socios, & fideles Caesari amicos semper fuisse Genuenses, ac se itinera Patris ingredientem memorem fore, non solum perpetuae erga illum fidelitatis, sed etiam eorum, quae nuper erga se ipsum benigne atque amanter fecissent.

Eo die, & antegressis aliquot diebus, nobilitas universa Genuensis ad salutandum Principem ibat; vicissimque ipse feminas illustres ivit salutatum, quarum majores meruerant id decus; ac donavit nonnullis earum gemmas, ob quas capita neptium adhuc monstrantur.

His ita peractis, ad V. Idus Decembris disceditur ex Urbe Genua, Mediolanum versus, commoda primo quidem tempestate, deinde vero foeda & adversa, viaeque iniquitas accedebat. Prolabentes equi per crepidines lubricas, atque salebrosas, pedibus ingredi Principem coegerunt, & tetra luctatio erat in tabe liquescentis nivis, hominesque aliquot, & jumenta periculum adierunt. Sed ubi ad hospitia perventum erat, adeo large, & accurate parata omnia per Genuensium fines ipsorum munificentia reperiebantur, ut etiam praeterita incommoda pars deliciarum essent. Sic ad Burgum primo, deinde ad Gabios (ea sunt locorum nomina) substitere.

Alexandria, vile quondam nacta palearum cognomentum, nunc ob munimenta similior nomini, prima est urbium, per quas ab Genua venienti Provincia Mediolanensis intratur. In ea urbe Principem adiit Joannes Berguaeus, quem a Bruxellis miserant duae illius amitae, Eleonora, & Maria, illa Galliae Regina, haec Pannoniae, quae tunc Belgio pro Caesare fratre praesidebat. Miserant autem muliebriter sollicite de Juvene ad salutandum eum, ut certa omnia de ejus salute Legatus referret.

Ab Alexandria Vogheram; ex eo loco Ticinum itur, perque suos fines vadenti jam Principi, non modo Civitatum studia, sed etiam vestigia paternarum rerum occurrebant.

Ticini in arce erant tormenta majoris formae, spes olim & robur Saxoniae Duci, nunc monumenta cladis, quae capto Saxone Caesar in eam arcem ex Germania miserat. Ea Princeps inspexit perite disserens apud suos, qui proximi stabant, de longitudine ac diametro singulorum, de metalli temperatura, & oris hiatu, & quantos quaeque globos paterentur. Incisas etiam litterarum notas, quia propter aeruginem ac vetustatem confusae non facile explicabantur, tum sedulo tergeri jussit, tum admota cera enotari; ac ferebatur interea, de Germanici belli consiliis, & tota illa rebellium conspiratione arcana quaedam, & ad eam diem occulta patefecisse.

In Academia Ticinensi tunc versabatur Alciatus peritia legum inter primos, aut sane primus aevi; neque id optimum ejus viri fuit; sed interiores litteras in barbariem illam invexerat pene ad formam antiquitatis; poteratque loqui de Regum negotiis, & ob vitae auctoritatem etiam alloqui Reges. Ei datum est negotium, ut publico nomine peroraret apud Principem, quod fecit ille Romani Oratoris ritu, Princepsque ipse celerius multo quam vellet, evolasse orationem illam, ajebat.

Summa haec fuit: Hilaratam esse terram Insubriam adspectu Juvenis, quem Superûm favor, & Patris arma, & ipsius virtus Regiae magnitudinis exemplum pararent. Urbem, in qua tunc esset maximi Patris magna proles, ambitu quidem, & specie, minimam esse imperii illius partem, obsequio & fide, ac si quid illud etiam ad rem attineret, antiquitate sua nulli urbium aliarum concedere. Habitasse ibi Reges olim, & gessisse bella, nec procul a moenibus esse locum, in quo Rex Galliae captus terribile Gallicis exercitibus Hispanum Austriacumque nomen fecerit. In ea Urbe quotidie nuncupari vota pro Catholicae Domus incolumitate, & postquam ipse profectus ab domo sit, nullo non die, publice ibi petitum esse a Superis, uti sospes rediret. Petere nunc ab ipso, ut, cum in Regna tam multa, & tam longinqua dividet curas, etiam meminisse fidei Ticinensium velit. Haec ferme ab Alciato perorata.

Princeps inde Mediolanum ibat; cumque ad quintum ab Urbe Ticino lapidem monstraretur ei septum, intra quod inclusi cum Rege suo Galli, potiundae Italiae spem, atque cupidinem, captivitate Regis, & internecione sua luissent, incessit animo cupiditas locum eum intrandi. Spectavit agri partem, in qua concurrisse acies dicebantur; sylvam, ex qua prodierant ad Gallorum perniciem insidiae; parietinas, qua subruti dolabris muri aditum Hispanis dedissent; fossam denique ipsam, in quam Rex, effuso super ipsum equo, prolapsus erat. Ea vestigia recentis victoriae Princeps inspexit commoto simul animo ob sortem humanorum casuum, cum tanti Regis ignominia, & periculum ante oculos obversaretur. Eadem imago mixtum dolore gaudium aliorum etiam pectoribus intulerat, nec alia sermonibus materies brevi hinc ad Carthusiense templum via. Posuere templum illud Vicecomites, tempore, quo rem Mediolanensem haud procul ab magnitudine Regii nominis obtinebant. Et miretur hodie quilibet Regum, opus quidem etiam ipsum, sed multo magis attributas Monachis opes, queis domus illa sufficit gentium hospitio, nec in Principum adventu moveri ibi quidquam attinebit. Hispanus, adorato ad templum Numine, Binascum, ex eo pago postero die Mediolanum venit.

Civitas magna, & opulenta, Caesaris rerum admiratrix, & propter admirationem unica semper erga id Imperium fide, prodiga eadem & contemptrix auri, cedere nesciam alens nobilitatem, ingeniorum foecunda, connixa est, ut agnosceret Princeps Insubriae metropolim, & memoriam secum auferret duraturam ultra fluxam in Regum animis talium obsequiorum gratiam atque recordationem. Jam primum statuerant tota passim Urbe simulacra Caesaris victoriarum eminentibus figuris ex gypso, vel fusili aere, vel pictura, cui artifi-

cum nomina pretium forent. Cernebatur fugiens ex Germania Solimanus cum illo tot millium equitatu, quem a Caesare dissipatum etiam pinxisse arduum videretur. Sexaginta millia Turcarum equitum caesa cadebant ante oculos; captae de Turcis urbes; purgata latrociniis maria; triremes hostium captae, aut demersae; restituta Genuensibus libertas; trajectus Albis; Indiae patefactae; Saxonis immane corpus oneratum ferro, caeteraque rebellium Germanorum capita, promissis in pectora barbis grandique capillo sub jugum ibant. Haec omnia, veluti tunc fierent, advenienti Principi Mediolanenses ad spectaculum simul & exemplum proposuere. Urbem vero suam sex hostium exercitibus fusis, toties a Caesare conservatam tanto splendidius fecerant, quanto major est unicuique genti circa rerum suarum memoriam ambitio, & cura.

Et ea quidem Annalium instar fuere, sive potius Annales ipsi versi, atque commutati in hominum ora, & vultus; genus erat aliud, quod per veteris historiae symbola hosce Caesaris eventus, atque res bello gestas includebat, simul admonebant ambages variae Principis juvenis animum, quae post Patris finem publica fama, & exspectatio ipsum maneret. Haec mysteria fuere in Arcu, qui stetit ad templi maximi valvas aemulus pene aedis ipsius majestati. Rutilo crine puer David, strato ad pedes Gigante Goliath: Josue sistens imperio cursum solis: cum Olophernis capite Judith: & pascens inter jumenta Nebucadnetsar, imagines, & simulacra residuarum expeditionum. Ad introitum Regiae sedebat in pegmate celsissimo colossaeus Caesar, quem Princeps ipse venerabundus adiret; effigies eadem alibi armata erat, alibi pacis cultu.

Excultam ita ornatamque Urbem inclinato in vesperam die Princeps intravit, antegrediente varii generis equitatu, & armatura, quae propria fuerat Regii agminis, quaeve ex provinciali copia extra ordinem accesserat. Sclopetarii cataphracti, velites, suis quaeque turmae ordinibus tendebant. Tegumina, & ornamenta turmis fuere ad Regiae familiae colorem, & formam, sive ex ducum suorum ingenio. Duces ipsi vestem auream in peregrinum habitum assimularant, quo magis conspicui forent. Hos armiger quemque suus anteibat. Albae Ducis pueri vicenaria turma succedebant. Senatus inde Mediolanensis, Magistratusque, & praecipua urbis nobilitas processere. Mox aulae Principes Hispani, aliique gentium aliarum secuti aulam, & summo quisque studio meditati, ne splendor alienus obscuraret suum. Regiae cohortes hastatae in Germanicum, & Hispaniense genus ad viarum latera discriminabantur. His proximi vadebant, quinque & viginti nobiles ab juventutis flore delecti, ab gratia quoque corporum, & venustate formae; candida cohors, & inaurata sarissis, & amictu, ducebantur ab Mucio Sfortia, cujus pater ob vitiati sanguinis infortunium exciderat Imperii Mediolanensis jure. Post juvenes incessere, Comecius Ficeroa, Demarchus Inarimes, Demarchus Astorgae, Dux Sinuessae; & Castellae Almirarchus Ferdinandi Gonzaghae filius adolescens cum aequalibus quatuordecim in conchyliata tunica Principem antecedebat. Dux Albae suo loco subsequebatur; vexillum hinc Regium, & Legati Regulorum aut Civitatum & quatuor vexilla cataphractorum suo, & equorum ornatu splendorem pompae augebant. Sed super omnia civium ornatus fuit.

Princeps ad templi maximi valvas exceptus ab Sacerdotum collegio, atque in templum introductus salutato Numine, in Regiam, quae contermina est, divertit. Ibi per aliquot dies equestria certamina sunt exhibita, quorum arte Mediolanenses expressere confessionem Hispano, si tales in acie forent, esse robur militiae penes ipsos.

Opportune congruerat, ut Principis adventus incideret in nuptias, queis Fabricio Columnae jungebatur Hippolyta Gonzaga, filia Ferdinandi, qui tunc impositus a Caesare regebat Urbem. Ea res laeta Juveni fuit ob solitam talium rerum hilaritatem; & nuptias ipse decorarat, haud dedignatus invisere sponsam, festis interesse dapibus, & modico saltatu choreas inire, quaeve alia celebrando matrimonio instructa erant. Laetitiam auxit adventus Alphonsi Aquilarii, qui missus a Caesare ad Principem, prospera de eo, & salva omnia nuntiarat, attuleratque mandatum, uti mutaretur iter. Hoc allato nuntio Cardinalis Tridentinus praecessit domum ad paranda omnia, quae per eos fines ituro Principi grata esse possent.

Duae sunt ab Urbe Mediolano Tridentum viae; per Mantuae fines una, per Cenomanos altera; utque compendii brevioris haec; sic illa per Imperii sui fines secutura longius Hispanum erat. Princeps delecta priore via, ad VIII. Idus Januarii, Melinianum proficiscitur, qui locus abest ab Urbe decem millia passuum, & Jacobo Medicaeo beneficiario jure attribuerat eum Caesar.

Novae originis homo, & ante dominantem in Italia Caesarem, ob promtum ad facinora animum quaesitus Duci suo minister occultae caedis, deinde propter formidinem ausus hostilia in ipsum, invenerat per abrupta magni bellatoris nomen; hinc opes, & postea Caesari fidus fuit. Poterat jam ipse stare inter Principes, & hospitium illud, non magnifice modo, sed etiam erudite portis, & emblematis adornatum Hispani advenientes invenere.

Ad Laudem Pompejam, & Cremonam honesta aemulatio mox delectavit: militari etiam praeter caetera magnifica Cremonensium invento, namque homines nobiles ad ducentos queis vivida more gentis ora, paresque corporum habitus, processere obviam armati lucidissimis deauratisque thoracibus pectora, & humeros hastis, purpurea reliqua veste, quasi poscentes ea specie, ut Princeps mitteret ad bella, virtutem experiretur. In eam Urbem venere Placentinorum Legati, & Principi donum obtulere, simulacrum Urbis suae; moenia, & fossae, & arces, templaque Divûm, & Procerum tecta conspiciebantur, qua starent magnitudine & forma.

Primus ab Cremona dies itineris Canetum in Mantuanum agrum detulit Principem; insequenti die Mantuam pervenit, excurrente & recurrente Cardinale Gonzaga patruo Reguli, quo lautius augustiusque cuncta appararentur. Avidi occasionis hujus Gonzaghae cunctis fortunae suae conatibus excepere Hispanum, & hospita litteratorum aula, Graeculique, & acuti homines ab Roma secuti Cardinalem, haud minus pecuniarum in illo apparatu exhausere Mantuano suis commentis, quam caeteri deliciarum artifices in populi calamitatem & desperationem nati. Ad portam Urbis, quae Perdella dicitur, locata erant in arcu aenea haec simulacra: Princeps ipse Philippus ex instabili rota diripiens fortunam, injectaque in capillum manu resupinans inane numen & nectens vincula, queis religata ad columnam staret. In hac aenea fabulositate, primo statim adspectu noscitabatur Principis ipsius vultus, quomodo praesentem eum homines intuebantur. Erat ab altero arcus latere statua doloris ex eadem materia, tetricum efferatumque caput: Hispanae cohortes fustibus insectabantur, & procul ab Regio limine monstrum illud abigebant. Securitas innixa columnae tenebat hastam. Bifrons Janus, Janique templum claudens Mercurius paratam sub Philippo Principe Christiani Orbis pacem indicabant; nec deinde modus in hoc genere sumtibus, & vanitati. In arcu, qui ad arcem fuit, eminebat fictus item ex aere Caesar, concedens Genti Gonzagarum stemmata & Ducis nomen, & Montisferrati Dominatum, earumque rerum tabulae conficiebantur expressa simulacris actione, & caeremonia, per quam fatebatur Gonzaga Caesaris id munus. Introduxere sub umbella Principem, Dux & Cardinalis populusque Mantuanus, eum fere pompae ordinem imitati, qui Mediolani servatus erat; caeteraque ibi ad eamdem formam exhibebantur. Sed incesserat festinatio, quae subsistere diutius vetaret.

Non potuit negari quatridui mora ad Villam, quae viae apposita est. Mantuae Ducum extrema ea luxuries censetur. Vagantes ibi per inclusa hortis nemora varii generis ferae invitavere Principem, ut venationi etiam in-

indulgeret; cumque longius forte a caeteris evecto ei inusitatae magnitudinis aper occurrisset, sensit non cicurum bestiarum ea septa esse. Nam directe in apri guttur venabulo quia cuspis parum alte penetrarat assultavit fera, correptumque dentibus hastile quatiebat, donec cum Regis dextera luctantem aprum obvius ab diverso tramite gregarius miles ab latere vulneravit. Eo auxilio Princeps receperat animum, iteratoque statim ictu tam diversae sortis venatores pari gloria feram unam interfecere. Post quatridui spatium, quod in ea Villa Mantuano datum fuerat, abiit inde Philippus tendensque per Venetorum fines, Ducem illum cum Cardinale ejus patruo, Ferrariensem quoque & aliam Italicorum Principum manum, qui illuc usque prosecuti erant, humanissime ab se dimisit. Neque enim assentior famae, aemulae potentiae quae falso vulgavit, animum & nutum fuisse Principis Philippi, ut Italici Principes, qui eum affectabantur, haud aliter, quam flexo poplite, & positis humi genibus alloqui ipsum instituerent. Eum ita dicere solitum esse; plus venerationis deberi sibi, qui Caesare Patre natus esset, quam Caesari ipsi, cujus Patrem uxor ad Regnum extulisset. Ita Mantuanum & Ferrariensem, Sabaudum quoque & Florentinum humilitate hac in comitatu Principis fuisse. Id falso vulgato affirmant, qui superstites ex eo comitatu nostram ad aetatem duravere.

Ingredienti Venetorum fines, ad Villam Francam obtulere sese legati Reipublicae ejus, & postquam Senatus verbis enixe rogaverunt, ut in illo itinere, sic Reipublicae rebus uteretur ut suis, cum omni apparatu & honore deduxere agmen, quacumque ipsorum terrae viam attingebant. Etiam missa dona sunt ab Senatu pro rerum copia, queis Urbs Venetiarum ob Orientale commercium & vernacula scitamenta affluit ad lenocinia palati. Ea onera nonaginta plaustrorum fuere, suntque direpta inter agminis Proceres, quos habere sibi omnia Princeps jussit.

Jam ab Villa Franca Grossolengum, ex eo loco trans Athesim ad Dulcium apparatissimo fluminis trajectu per spatia Veronensis agri ventum erat, cum Veneta Legatio discessit, Princepsque, remisso Mediolanum milite, descendit in Madruciorum fines, ad Halam Tridenti appropinquans, quae ab Dulcio decem millia passuum distat. Ea regio fere est late exspatiantis campi, quem Cardinalis ad ornandum iter antegressus compleverat multis armatorum millibus, ut imaginem praelii in illa planitie exhiberent. Ipse cum Germaniae Procerum comitatu, equitibus fere quadringentis ad ea prata Principi obvius fuit; ac totis deinde campis ludicro certamine dimicavere acies, erecto Principis animo ad intuendum Germanicae militiae ordinem & robur, quod etiam imaginario illo conflictu spectari posset. Nam adversis modo frontibus inter sese concurrebant vano scloporum & hastilium usu Martem invicem eludentes; modo circuire aciem, in cornua mutare pugnam, rumpere viam cuneo, & repente coortis insidiis, expedire ferrum; haec & alia dimicantium ingenia variantes imitabantur, donec ad Halam Hispanus est deductus. Et regebat id militare ludicrum, Nicolaus Madrucius, Cardinalis frater, vir ad seria quoque bella spectatae virtutis, & ea commendatione gratus Caesari.

Nova hinc studia Principem excepere mixta ex Germanica hilaritate simul & elegantiore gentium aliarum cultu, quem nobilitas illa, ubi ex Procerum Italicorum, Hispanorumque contubernio retulit domum, fit haud inurbana simplicitas pari gravitate conjuncta. Contingere Principi dextram, & cum eo bibere suo more in orbem avebant, nec ille patrios ritus adspernabatur, jamque ad Rotaretum limina Tirolis ingredientem grata recordatio majorum subibat.

Tridentini, per id tempus, Concilium inchoabatur, cujus auctoritate postea constitutus Ecclesiae status sempiternum ac venerabile nomen Urbis illius fecit; adfuereque Conventui, Christiani Orbis capita, quisquis uspiam sapientia inter caeteros & dignitate magnum momentum haberetur. Et praecipuus Concilii stimulator Caesar miserat e suis Regnis Principes omnis doctrinae viros Episcopos aut Cardinales, aut proximos ei spei, spemve omnem humanam adspernantes aliquos. Ea celebritas tunc in Principem est aversa omnis, & omissa interim consultatione de summis Ecclesiae rebus, Hispano sese circumfudere Patres. Egressi extra Urbem ad duo passuum millia intravere cum eo praeter caeteros Paciecus, Augustanus, Tridentinusque, Cardinales, & Mauritius Elector cum splendida popularium manu. Hi, cum ad primum congressum descendere voluissent ex equis, inhibuit Princeps: & prout advenerant, miscuere dextras. Obtulerat ei pretiose instratum asturconem Nicolaus Madrucius, Cardinalis frater: in id jumentum hilare transgressus invehitur in urbem, quam Germani homines Romanis artibus adornarant.

In campo, qui praejacet arci, trajecto per forum medium fune suspenderant globum ingentem, qui convexitate & magnitudine sua terrarum orbem referebat. Circumluens terras Oceanus, & mare nostrum, provinciaeque & montes, & flumina, quae in pelagus evomunt sese, conspiciebantur. Globo huic incubabat Aquila praegrandes expandens alas; imminebat capiti diadema Caesarum solenne, subdita pedibus rota erat imitata Solis orbem; hirtae ac tumidae ventorum facies aequalibus intervallis circumdatae globo erant. Machina tota sic praeparata tormentarii pulveris modulo, ut crebros ignes jaceret in sublime ad similitudinem Aethnae montis, socio fragore, qualem audimus cum turbato coelo franguntur nubes. Haud longe inde flumen Athesis colossaea vastitate & figura stabat undarum eluviem fundens, inscriptumque erat aureis litteris, ut contingeret eas lymphas digito Princeps, equumve saltem illac admitteret, cujus ungula contingerentur lymphae. Hoc imaginum & inscriptionum genere blanda in Principem & venerabunda Urbs fuit, toto quantum spatio ab Sanctae Crucis porta ad arcem patet; ac praecipue placuit in primo qui se se obtulit arcu ferens columnas suas Hercules, immanique pondere nihil gravatus Heros. Excitaverunt etiam in planitie subjecta arci temporariam arcem, quae oppugnata & defensa militari more spectaculum praeberet. Ficta Gygantum atque Centaurorum corpora in parte dimicationis ejus fuere.

Splendidiora erant, quae privatim apud Cardinalem apparabantur. Ibi, cum mensa strata Principi, apposito Regali solio alte supra Procerum mensam emineret, jussit eam ipse deferri in planum, atque ad caeterae modum altitudinis exaequari & jungi; qua comitate firmabat sibi Germanorum animos. Ab Tridento Bolzanum agri Tirolensis venit. Ejus regionis homines praegrandem argenteum nummum, qui justum esset valentissimi muli onus, obtulere dono. Ab una parte, Principis effigiem, ab altera stemma Regium, & insignia Tirolensis Dynastiae incisa habebat; ipsi Tallerum nummum vocant.

Per ignobiles postea pagos, & obscuri nominis loca Oenipontem in Ferdinandi sedem revenere, progresso obviam exercitu, curulibusque tormentis eductis in campum, quo majoris gaudii species fieret. Ad ipsum Regiae vestibulum occurrere Principi adultae virgines Ferdinandi filiae, quae patrio more amplexatae Patruelem, amabiliter ipsum in Palatium induxere. Mox Albertus Bavariae Dux, cum Hernesto patruo Archiepiscopo Salspurgi aderat, provisis per Imperii sui fines ad hospitii splendorem omnibus, iereque una, ut honori pretium adderent. Ad Sebatim usque venatio simul & iter fuit: ab Sebato flumen enavigavere, quem nunc Inim dicunt; saeculum vetus Enum appellavit, inde ad Monachum in Bavari aedes delati. Erat Bavaro cum Principe, non amicitia solum, sed affinitas etiam, quod Annam Austriacam Philippi patruelem ipse in matrimonio habebat. Charitatis vincula laetitiam inter hospites auxere, & ob eam necessitudinem apparatus rerum in ea domo augustior visus; in digressu Princeps rarae magnitudinis gemmas & alia dona dedit Annae patrueli suae, Jacobaeque & Matildi, quarum, illa socrus Annae, haec viri soror erat.

 Brevi

Brevi ab Monacho itinere distat Augusta Vindelicorum, quae Civitas libera est, & per II-Viros ad Reipublicae formam regitur. Privata erga Principem officia peregit ibi Cardinalis ipse Augustanus. Commune Civitatis, & Canonici templi maximi, separatim attulere dona, pyxides aureas, refertas aureis nummis, vile munus apud auriferae terrae dominum, nisi ad testificandum obsequium daretur. Antonii Fuccheri aedes electae domicilio, quia laxitate & amplitudine sua meruerant id decus, nec alio divertere Caesar ipse consueverat, quotiescumque illac iter incidisset.

Ulmam hinc biduo cum ventum esset, praesto fuere duae equitum turmae, quas Caesar, subacta Germania, per Castella Vittembergae praesidii causa divisas habebat. His mandatum erat, ut Principem ab Ulma Spiram usque prosequerentur. Est Ulma Sueviae caput, quam Danubius interfluit: ejusque fluminis alveo, qua fenestrae Palatii in flumen versae decurrentes undas alte despectant, navale certamen cum amoeno navium & hominum ornatu editum est, ingrata omnia Catholico, quia Lutherana colluvies habebat Urbem. Paucos, qui ibi erant, Catholicos varie cohortatus, ut in officio permanerent, attributis etiam ad sacra instauranda pecuniis, abiit, prosequente Ulmensium Concilio & Magistratu, cum rerum omnium copia, magis quia repudiari non potuerat hospitalitas, quam quod ulla satis aequo animo Lutheranorum officia sustinerentur. Sic deinde grave commercium erat, & invisa deductio ob suspectae religionis loca, per quae ibatur, donec ad Faighenum summus Theutonici Ordinis Magister cum equitibus suis obtulit sese gratior jam comitatus. Sub Deiparae Virginis auspiciis & augustissimo nomine is Ordo est institutus, Tutelaremque suam nobiles equites professione pietatis colunt. Sacrata haec ala Spiram usque deduxit Principem, insigni per spatium illud munificentia & gratulatione Comitis & Electoris Palatini, cum quo nupta erat Dorothea, filia Regis Danimarchae, Principis consobrina.

Habet Spira vetustae religionis templum, quod visitur propter sita ibi octo Caesarum corpora cum uxoribus suis, magno spectaculo ad mortalitatem admonendam; stantque cum inscriptionibus cenotaphia miserabiles reliquiae tantarum rerum. In eo templo Princeps rei divinae operam dedit, faciente ad aram Philippo Episcopo Flersciense, ac peracto sacro legit mortuorum Caesarum titulos, & gloriae mortalium finem, adnotantibus proximis in legentis ore motum animi, ob sepultam ea in sede memoriam ingentium animarum, & redactos in pulverem tot conatus. Venerat in eam Urbem Moguntinus Elector ad salutandum Principem, & colloquendum cum eo de rebus arcanis. Audito Electore, & collaudata civitate, ob ea, quae amica & honora fecissent cum novis equitum turmis, quas Caesar ex Belgio miserat, vetere dimisso equitatu, ab urbe Spira iter est repetitum.

Trinis stativis ad Sarbrucum pervenere, qui locus erat Comitum Nassaorum ditionis, ex qua postea domo Belgicae rei pestes & incendia sunt orta; tunc agebat praecipua erga Caesarem fide, Comitesque Nassavi in Catholico exercitu Ordines ductabant. Sarbruci cum Electore Trevirensi colloquium fuit. Is quoque, sicuti Moguntinus antea per officii speciem, sua cum Principe negotia acturus venerat.

Modicum adhuc spatii restabat ad primos Belgii fines, quo spatio decurso, & trajecto Mosela flumine, Lucemburgum, inde trinis castris Namurium itur, quae terrae Principes olim suos habuerant: postea externos nactae, ac traditae per manus, ad Philippum denique Atavum Caesaris transgressae jam Caesari ipsi obediebant. Afflictae belli casibus & vastatae laeta tamen omnia & larga ostendere in Principis ingressu; ac Namurii praesertim eximia omnia ad ejus diei celebritatem fuere. Viri bellatores ad octingentos cum Urbis Praefecto (Mansfelti Comes erat) collucentes armis & vexillis extra urbem processerant. Ad portam Urbis exspectavere Canonici cum ardentibus taedis: nobilitas caetera discriminato per viam agmine faces item suas gerebat; id solenne genti est in Principum adventu; peregrina fronde praeter anni tempus straverant atque contexerant viam.

Postero die, vel oblectando Principi, vel hilaritati publicae significandae quemdam hujusmodi lusere ludum, haud scio an tunc primum excogitata arte. Delecti centum, queis procera & robusta corpora, grallarum insuper adminiculo & statumine sese extenderant in giganteam pene vastitatem. Pars lignea contegebatur ad imum usque togis, ut solidorum corporum species efficeretur. Duo diversa agmina prodierunt utrimque quinquageni: alteris puniceae cruces, alteris aquilae erant insignia; & primo quidem trini cum trinis arduo incedentes gradu gigantum more concurrebant, deinde vero totae inter se acies impressiones fecere. Nutabant immania corpora ictibus alternis, & aut assurgebant, cum cecidisse viderentur, aut sternebantur in assurgendo, flexileque lignum, poplitis instar ludo inserviebat. Civile rebatur Princeps misceri voluptatibus vulgi, spectavitque comiter id ludicrum, & dona, quae civitates offerebant, accepit.

Interim ad Namurium, ac deinceps in itineris citeriora effundebatur a Bruxellarum Urbe quidquid fere Principum ex toto Belgio caeterisque terris convenerat in Caesaris Regiam, & obscurior jam pene turba circa Caesarem ipsum stabat. Adulphus, Danimarchae Regis frater, & Emmanuel Philibertus, Sabaudiae Ducis filius, Namurium usque sunt progressi. Pannoniae Regina, Principis Amita, Wram octo millia passuum a Bruxellis venit. Alteram Amitam Galliae Reginam incensam eodem studio, & volentem exire una cum sorore tenuerat subita vis morbi. Nobiles Bruxellenses ad sexcentos in equis exiere: Urbem ipsam Princeps ad IV. Nonas Aprilis intravit, pompa & gratulatione, quam describi nihil attinet. Nam, & terminus ille itineris erat, & spectatorem Caesarem habebant; pudetque tamdiu per inania volumen exegisse, quod seriis destinavi.

# EPITOMA

## Ad librum secundum.

*Consilium, & causa Caesaris, cur Principem ad se exciverit, non alia fuit, quam ut filio traderetur imperium, quod effoeta jam senecta Pater ferre nequiret. Pergit exsequi destinata Pater. Germaniae Inferioris Provincias, quas Maria Caroli Audacis haeres Maximiliano Caesari detulit in dotem, Philippus, & Caesar adeunt. Certatur obsequiis, eminente etiam ore erga futurum Regem reverentia. Concilia, & Proceres Provinciarum jurant in verba Philippi. Adita Inferiore Germania, fideque accepta, adversa Caesari, dein prospera eveniunt, solito rerum ludo, & mutante vices fortuna. Romanum a Caesare Imperium Philippo destinatur, manente fixa in animo Religionis tuendae sententia. Conditione Ferdinandi petentis sibi tradi Mediolanensem Provinciam in amissi Imperii solatium, & vicem, de Philippi successione coepta consultatio opprimitur. Hispanum Indicumque Imperium tradit Philippo Caesar, deinde Ducem Mediolani filium appellat, praecisa spe Ferdinando, & Maximiliano, tantae fortu-*

*fortunae imminentibus. Diploma traditionis Bruxellis conficitur, praeferens armis receptam esse Provinciam. Haud dissimilia verba praefatur Caesar, tradens Principi Provinciam. Interea Joannes Lusitaniae Regis filius Joannam Philippi sororem ducit, re per Philippum feliciter transacta. Deinde Philippo Angliae Regina in matrimonium eligenda proponitur, blandiente Caesare Juveni repugnanti ob imparem Reginae aetatem, nubiles annos egressam. Maria Henrici VIII. filia, soror Eduardi, consobrina Principis, haeres a Patre relicta, firmandi regni causa inclinatur ad nuptias. Lalainaeus, & Egmontius Principes ex Belgio Viri, & Dynasta Corrierensis mittuntur a Caesare ad transigendum cum Regina matrimonii destinati negotium. Ad matrimonii famam varie affecti Angli hinc studio, illinc indignatione eminente. Gallus criminando, & falsa jaciendo in Hispanum, matrimonium disturbare conatur. Roma excitus Reginaldus Polus Cardinalis urget nuptias Reginae cum Hispano, diluente adventus suspicionem celeritate, & agendi ardore. Missi ab Regina Frisuaterius, & Privis elus, nuptiales tabulas rite obsignandas ad Philippum deferunt. Sistuntur Principi, obsignantur tabulae. Matrimonii conditiones utrimque acceptae, remota quacumque non amica interpretatione, quae tam laetae rei initia exitumque distineret. Conjurant adversus Reginam Petrus Carrus, Thomas Ubietus, & Dux Suffulchi. Conjuratio detegitur. Plectuntur capita conjurationis. Sollicitus interea Princeps, cui regimen Hispaniarum, se absente, committeret. Moderandis Hispaniae rebus Joanna Principis soror apponitur, congruente in id tempus recenti conjugis Lusitaniae Regis orbitate. Sorore recte de administratione regni edocta, secretis cum fratre colloquiis, tradita forma de educatione Caroli Infantis coeptum iter a Principe Toletum. Sistitur ad Compostellanam Ædem, ubi non Regio animo religio dispar, & pietas sane Austriaco Viro digna. Ex Brigantino portu summa totius regiminis ad Joannam perscribitur, relatis in membranas capitibus, quibus attineatur soror relicta praeses. Per Petrum Avilam feruntur dona digna largitore Philippo: digna, quae vicissim ab Angliae Regina acciperentur. Princeps in Angliam defertur. Anconae subsistit monitus ne ultra progrediatur. Mora suspecta Principi. In Anglos causa suspicionis rejicitur. Diluitur suspicio. Ad Reginam Vincestre venit. Episcopus Vincestrensis Regii matrimonii solennia peragit. Princeps, & Regina miscent dextras, & matrimonio junguntur. Praeconis voce matrimonium declaratur. Probatur ab Anglis, sublatis alte vocibus, & resonante templo:* fiat, fiat. *Epulae deinde nuptiales instruuntur ea pompa, quae Majestatem utramque deceret. Novum Angliae Regem de reconciliando cum Pontifice Regno negotium excipit. Intervenit destinato negotio nova sollicitudo ob Pauli IV. Pontificatum. Hispano milite Caesari restituto pergit reconciliare Regnum. Inclinant Angli ad Religionem, Barptholomaeus Carantia ex Ordine Dominicano hortator operis. De restituenda Religione Rex Angliae Proceres alloquitur. Placet Oratio Regis, unaque Regni sententia, recipiendum esse Pontificis Legatum, & in Ecclesiae auctoritate manendum. Cardinalis Polus a Pontifice Maximo ad Principem, & Reginam Legatus venit. Anglia reconciliatur, absolvitur, plaudente Regno laetitia majore, quam qua nuper Reginae nuptiis plauserat. Emendato Regno, Catholica res constituitur, auctis ad securitatem, & perennitatem munimentis. Angliae reconciliatae nunciis acceptis Pontifex, & Caesar laetantur, erumpente gaudio, quod ad illam diem alienati Regni intercluserat dolor. Regni pacem meditantem, & pericula pacis timentem Principem Isabella Mariae soror, Regno imminens, quae, scilicet, Catholicum nomen aversaretur, anxium, & suspensum tenet. De optima Isabellae educatione varie consultatur. Mariae consilium de mittenda in Hispaniam sorore. Abnuit Reginae Princeps, ne spem alteram Regni eripi lamentaretur Anglia. Princeps, & Regina poenas, & praemia pro cujusque merito decernunt, apta illiciendis animis forma, vel spe, vel metu. Interiore sensu longinqua Regni sui negotia Principi respectanti ingratae veluti precarii Regni vices. Accedit criminantium malignitas, dolorem juvante etiam verecundia fortunae, quam in peregrina terra invenisset. Ab Regina tentatur spes pacis cum Galliae Rege. Negotium pacis irritum, pactis in quinque annos induciis. Caesar filio cessurus Imperium, ad se Principem accersit. Super hac re varie disseritur, suspecta etiam re Ferdinando, & Maximiliano, qui animos in id intenderant. Haud ignarus Princeps ortae jam suspicionis, Aluysium Ficeroam Legatum in Germaniam mittit. Congrua legationi Ferdinandus respondet. Separatim inde apud Maximilianum, & Mariam idem Ficeroa obit legationem alteram, cui a Maximiliano respondetur, rem Patris arbitrio relinqui. Vulgatur opinio de legatione Principis, ad Ferdinandum, & Maximilianum missa, studio vel odio rem in diversa trahente. Caesar Principi tradit Germaniae Inferioris Provincias, usus verbis iis, quibus ulterioris jam curae impotentem animum testaretur. Subjiciuntur a Principe haud dissentientia ab his verba, quibus facti necessitatem amplecteretur. Concepta traditionis verba ab intimo scriba Francisco Eraso publice pronunciantur. Tradita Inferiore Germania, paulo post adjiciuntur Castellae, & Arragoniae, & Novi Orbis Regna; Didaco Vargas traditionis tabulas obsignante. Urbs quoque Senarum in tot Provinciarum corpus contribuitur, olim Caesaris armis per Jacobum Medicaeum vindicata. Initia regnantis Philippi, non ingrata vice, haud dissimilia Patri; nihil audente novi, aut immutante quidquam modestiae, & reverentiae socia auctoritate. Paulus IV. totus aversus in consilia, & spem Gallici foederis subtrahit Regi novo subsidia decumarum, revocato Caesari jure in Ecclesiae bona concesso. Martinus Velascus, & Virbiesca Pontificis Pauli sententiam rejiciunt, adductis rationibus, & parum prosperae recordationis exemplis repetitis. Imperii vicem gerente Philippo, non satis constans in Hispania Feminae regnantis visa forma moderandi Regni, parum apte seriis negotiis muliebri pietate accommodata. In subjectas Provincias, Regnaque litterae dimittuntur, praeferentes Philippi nomen, titulumque Regis. Genuensem Rempublicam, quam Caesar in tutelam, & fidem acceperat, pari cura complectitur, & magnifica appellatione Reipublicae Caput nuncupatur. Rex Philippus munera Magistratusque disponit, habito insignium Virorum delectu, qui munera illa Magistratusque obire possent.*

# JOSEPHI RIPAMONTII
## *CANONICI SCALENSIS CHRONISTAE URBIS MEDIOLANI*
# HISTORIARUM
## A
## PHILIPPO II. REGNANTE,
### *LIBER II.*

POSTQUAM Princeps Philippus Bruxellas ad Caesarem Patrem, quemadmodum narravi, pervenerat, prima fuit cura Caesari, primumque consilium, ut Inferioris Germaniae populis ille admoveretur, Provinciaeque septemdecim proprium eum, & ab avita stirpe nativum sibi Regem agnoscerent, atque in illius verba adigerentur. Namque Provincias, ut memoravi, eas, Maria Caroli Audacis haeres Maximiliano Caesari detulerat, dignam tanto matrimonio dotem: & ob turbida illic ingenia, conterminosque dominatus, quamprimum devinciendae sacramento erant. Nec alia tam intima causa Caesari cur Principem ad se exciret. Ita, post aliquot a Principis adventu dies, Provincias adiere istas pater & filius ingenti spectaculo & laeta admodum specie, cum certarent obsequiis erga monstratum sibi Regem etiam qui postea rebellionem coeptavere; initiaque tunc fortasse magni motus animis coquebant. Juravere Concilia Proceresque Provinciarum, innoxia illic, & subjecta, & fida omnia fore Principi Philippo, Imperiumque ejus accepturos, quandocumque Caesar ipse supremum diem explevisset.

Nisi ego Philippi II. Regnum a caetera rerum Hispanarum varietate seposuissem, magnum jam hinc historiae campum aperiebant ultima Caesaris tempora immixta Philippi initiis, spatiumque illud, quod ab exacto in Principis verba Belgicae sacramento ad universae successionis primordia medium fuit.

Namque post juratam Principi Philippo Provinciarum fidem, ambiguae per Italiam res, adversae in Germania superiore Caesarem exercuerunt. Et, erumpebant ea, quae initio operis demonstravi, hinc rebellium Haereticorum post accepta beneficia furor, hinc semper atrox Solimanus; simul Farnesius inimici soceri invisus gener, ac foederata his omnibus Gallica arma. Archipirata Dragutus etiam occupata Africa Urbe, quae tertiae terrarum parti nomen facit, nostra littora latrociniis infestabat, haud parvo in Caesarem dehonestamento, cui tamquam liberatori suo plauserant maria. Et Tunetanus Amidas, pulso per scelus patre, regnans, atque ob id a Caesare petitus armis aliquamdiu pugnabat aequo Marte. Simul terra, simul mari bellum aderat ex Gallia, ruptaque induciarum fide Rex aemulus, & Parmam, & Senarum urbem, receptator idem instinctorque rebellium, invaserat. Salernitano item Principi perfugium in ea aula; atque injuria mox graviore, Gallica classis speculata navigantem in Hispaniam ad Mariae nuptias Maximilianum generum Caesaris, excipere tentaverat, irrito quidem, sed extremae hostilitatis conatu. Hedinum, & Metzium oppugnata nequidquam multo cum Hispanorum sanguine, velut monumenta testantia vinci posse Caesarem, Gallus idem ostentabat. Et ad ludibrium humanae gloriae, patrator ille tantarum rerum fugienti similis abierat ex Germania, cum rebelles ipsum tamquam in media pace agentem circumvenire voluissent.

Rursus, improspera haec, solita rerum bellicarum vicissitudine compensabantur. Erepta latroni urbs Africa, latroque ipse actus in fugam. Impositum Amidae tributum, stipendiariusque Tunetanus. Tota vi ingruens in Galliam Caesar, & circumlato per Germaniam terrore, strati vel perculsi, qui paulo antea terruerant. Concessa rebellibus iterum salus, & captivo Saxoni ultro libertas data, cum rupta custodia effugere ipse frustra tentasset; caeteraque moles rerum suffectura proprio volumini si nobis esset haec cura.

Cum Germaniae Inferioris Provinciae Principi Philippo sacramentum dixissent, proxima Caesarem cura habebat, uti Rex Romanorum ille etiam crearetur, privatarum quoque rerum respectu, sicut arbitror, sed Religionis praecipue causa, pro qua sub armis, & inter tela vitam egisset. Nam si recideret Imperium ad Ferdinandum, qui jam designatus erat, non satis ibi virium videbat fore ad resistendum terribili jam Othomano, crescereque ferociam huic, & capita infida nomini Catholico spiritus assumere novos, peritus talium animorum Caesar arbitrabatur. In haerede suo si retineretur imperium, ab Catholica parte omnia fore validiora.

Quae causae Caesarem moverant, ut huic negotio animum adjiceret, eaedem in parte altera inexorabiles animos dabant. Ajebant enim Haeretici, aeternum accipi jugum, & inimicam suae Religioni potentiam immensum extolli, si duo continui Caesares, pater & filius regnarent, Hispanisque opibus, quas nullae satis caperent terrae, tantum insuper fastigium adjiceretur. Injuriam quoque Ferdinandi praetexebant. Ejus diminutione Philippum extolli non debere. Ferdinandus ipse fluctuabat. Et vera esse, quae dicebantur, & gratificari Caesari grande rerum suarum emolumentum videns, ex diverso, incerta pro praesentibus, ac summi honoris irreparabile damnum intuebatur aeger. Demum, in eam sententiam inclinavit animum, tradere praerogativam Imperii, si sibi vicissim ad jacturae solatium res tota Mediolanensis traderetur; qua conditione Caesar audita, negotium illud omne oppressit. Auctorem habeo, consilium fuisse Caesari, nulla interposita mora, summam rerum in filium exonerare; sed obstitisse Reginam Mariam, verentem, ne in illo rerum transitu, Provinciis, quibus cum summa potestate praesidebat, ipsa amoveretur. Id mihi parum credibile visum; aut valuisse ulla mulieris dicta vel artes apud Caesarem, aut desperasse Amitam eumdem sub fratris filio gradum honoris, quem a fratre demandatum obtineret. Non tamen omittere debui rem traditam a scriptore, qui tunc inter Regiae primores fuit.

Caeterum, cum dimitteret ab se Philippum Caesar, jussit eum rem Hispanam, Indicamque tenere eodem imperii jure ac si jam regnaret; bella pacemque & inducias arbitrio suo absque ulla exceptione moderari. Non multo deinde postea Mediolani Ducem ipsum appellavit eo consilio, sicuti creditum est, ut spes tota praecideretur Ferdinando, & Maximiliano, quos Provinciae illius cupiditas, quamvis omissa negociatione, inquietabat. Simul inquieta circa cupidinem eamdem Gallia facto hoc admonita erat, ut alia consilia, spesque alias agitaret.

Rem Mediolanensem Caesares antiquitus tenuere, donec Vicecomitum gens clarissimae per Italiam nobilitatis, licentia temporum insurrexit. Hinc haeres femina

na transtulit fortunam, neque ultra nonam successionem in Sfortiarum domo totale imperium mansit.

Sfortiam Aluysius XII. Rex Galliae per vim exturbat, ac ne parum tuta sibi per Maximilianum Caesarem ea possessio foret, voluit despondere filiam suam Claudiam nepoti Caesaris Carolo, idque securitatis pignus quaesivit. Res ita convenerat, ut quandocumque infantes adolevissent, nisi daretur Claudia Carolo, Caesar hunc Mediolani Ducem appellaret, atque uteretur jure, quo res Mediolanensis Imperii Romani possessio semper habita esset. Claudia deinde datur Francisco, qui post Aluysium regnavit. Ob eam rem, exsul Sfortia, pulso Gallo, restituitur a Caesare in paternas opes, & Sfortiam Gallus ipse rursus pellit. Abrupto postea Sfortiarum domui successionis jure ob vitiatos natales; Carolus Caesar veterem injuriam Imperii Romani vindicavit armis, & Provinciam Mediolanum asseruit sibi, totiesque pro ea dimicatum, donec Franciscum Galliae Regem agentem implacabili propter eam rem animo, captivitas ad Ticinum, ac deinde finita vita, rerum omnium quies oppressit.

Caesar hoc tempore, cum illius Provinciae dominatum traderet filio, juberetque perscribi auctoritatem, ita in diplomate est praefatus: *Tradere se PHILIPPO filio Provinciam MEDIOLANUM, quae esset recepta suis armis, quam vetusto Caesarum jure possideret.* Id satis visum ad coercendas linguas super eo negotio mussitantes, & qui ex Gallia praecipue fremitus audiebantur. Diploma confectum est in Bruxellarum Urbe, cum jam Vallisoleti Philippus ad moderanda Hispaniarum Regna constitisset.

Equidem haud scio ego, quo possit ore quisquam umquam priscos narrare casus, quandoquidem in tam recenti memoria variant annales; neque tamen magni momenti res erat, sed volui semper notasse calamitatem Historiae, quae tam brevi aevo corrumpi possit & infuscari haud ulla re magis quam scribentium incuriositate. Namque Capellonus homo Gallus in tradendo Principis reditu cum Maximiliano patruele suo rediisse ipsum, refert. Alphonsus Ulloa rerum Caroli scriptor itinera illa sejungit, & alterum altero fuisse posterius mavult; Regii Chronographi temporum eorum aequales & participes rerum, tradunt Maximilianum evocatum a Ferdinando Patre, ut consultarent una de abdicando in Caesaris gratiam titulo, ac vocabulo Regis Romanorum, excurrisse compositum in sui dissimulationem, ne officia morarentur iter. Ab eo deinde paterno colloquio, sicuti venerat, deceptis hominum judiciis, pari arte ignotum remeasse, ut Mariam uxorem publice deportaret. Ea sub Principis reditum uterum ferens maturo jam partu gravis erat, & Aluysius Ficeroa, cui tota tunc Ferdinandi Domus innitebatur, venerat ab Rege suo cum ejusmodi mandatis, ut, statim atque Regina partum edidisset, nulla navigationis mora fieret. Simul ad Genuam stabant Caesaris jussu Principes viri, qui conjuges Oenipontem usque prosequerentur. Maria peperit Annam, que postea feliciter adolevit, ut in Avunculi Regis matrimonio daret suo tempore, Catholico nomini caput. Dein ex puerperio confirmata incolumis in Soceri Regiam cum magno Principum comitatu, & provinciarum gratulatione pervenit.

Sub idem tempus Lusitaniae Rex, Joanni filio suo, Joannam aliam Caesaris filiam in matrimonium expetivit, eaeque nuptiae transactae sunt a Philippo, & deductae, interposita Summi Pontificis auctoritate ob vincula, quae sanguinem miscere consobrinos vetabant.

Paulo postea etiam ipse Philippus Angliae Reginam duxit, haud sane expetitam sibi propter impares annos, sed ad Patris consilia in eo negotio se se Princeps attemperaverat.

Inseram hujus matrimonii negotiationem, consilia, & difficultates, atque conditiones, irrita quidem omnia ob properam Reginae mortem; caeterum, haud omittenda in opere, quo mihi propositum est, omne Regis Philippi aevum, casusque ejus, & meditamenta exsequi.

Maria erat Henrici VIII. filia, soror Eduardi, consobrina Principis ipsius, ad quam testamento Patris, Angliae Regni haereditas pertinebat. Haec prope jam egressa virgo nubiles annos, nondum tamen extra spem partus, Catholicae Religionis fidem in illa suorum insania, & calamitate retinebat: & simul atque Regnum adepta est, habuerat in animo reliquam eodem tenore vitam agere, nec ullis matrimonii necessitatibus implicari. Sed postquam publicae preces, & firmandi Regni consilia proponebantur, flexit animum, ut novam super ea re deliberationem admitteret. Ante omnia veniebat in dubium, quinam foret ille, quem ipsa sibi consociaret in matrimonium Regnumque. Non Dynasta Cortinaeus, non alii Regiae stirpi adnexi Principes imminentes ei spei satis placebant.

Caesar magnas causas habebat, cur id Principi suo matrimonium destinaret; confinia provinciarum, & opportunitates, & obicem sive telum adversus consilia Regis Galliae, qui matrimonii puerilis instrumento Scotiae Regnum trahebat. Praeterea si duceretur consobrina, nihil novum in penatibus, & spectata Reginae indoles inter compendia talium nuptiarum habebatur. Ac tradidere quidam, nulla privatim Imperii, vel suae Domus emolumenta spectantem Caesarem, tantum, ut collapsam in eo Regno rem Catholicam restitueret, Anglicum hoc matrimonium expetivisse. His ut assentiar ego, moveor, intuens tot bella gesta pro Religione, curamque semper hanc unicam Caesaris, & propter eam neglecta etiam Regna. Nam alioqui reputans tremendas Regum artes conatusque semper occultos, non consilium illud, sed, ut pleraque alia, consilii fuisse simulationem arbitrarer. Crediderim autem potius, haec omnia simul agitata esse in Caesaris animo, cum Mariam sibi nurum optavit, ita ut humana divinis momenta jungerentur, quo promtius huc inclinaret.

Postquam stetit sententia, legati super ea re Lalainaeus, & Egmontius Principes ex Belgio viri, & Dynasta Corierensis in Angliam mittuntur. Ibi non simplex animorum habitus erat. Timebant Haeretici Catholicum nomen, Hispanas opes, excidium sectae, si Philippus Regni simul & Reginae arbiter eo pedem inferret. Catholica pars illum videre diem gestiebant, quo die Philippus & Maria sacrosancto nuptiali foedere consociarentur. Utraque factio suos politicos habebat, per quos disserebantur apta inclinandae rei, tamquam solennis illa tantummodo ratio status, omni alia cura abscissa, proposita esset. Superfundi Regno gentem Hispanam, Hispano milite praesidia, & arces impleri; neque dubitandum, quin seu nasceretur haeres, seu sterile connubium foret, externum illud jugum inevitabile pararetur Angliae Regno. Haec aliaque dicebantur jactata semper, & pervulgata, quotiescumque Hispanae increpantur opes. At Gallorum arte penetraverant etiam occulta quaedam & arcana; captum esse Principem Matronae Hispaniensis amore: huic obstrictam esse fidem, nec posse rite matrimonium aliud iniri. Dicebatur contra; laceratum factionibus esse Regnum, nec posse componi praeterquam viribus tantis, quantas Austriacus illaturus esset. Imminere Gallum ex contermina Scotia, qui si divisam studiis, aut infirmam per se Angliam videret, profecto moliturum aliquid: & hunc, & quemlibet alium accito Hispano mirifice cohiberi. Esse inania, quae de amoribus aliis jactarentur. Et inter hos quidem aliqua ratione conveniebat, quibus Regina erat Maria, quive de conditione tantum ambigentes utique maritandam esse Reginam consentiebant. Atrociores erant alii qui licet in testamenti verba jurassent, quo testamento Rex Henricus post Regem Odoardum hanc Mariam in spem secundam assumsisset, feminae tamen imperium, uti rem exsecrandam, in totum abdicabant, volebantque produci aliquem ex Regia stirpe sexus virilis, atque ibi regnum esse; servitium Insulae, Domus excidium, atrocia inter ipsos bella proponebant: sive maneret innupta: sive maritus ei indigena vel externus daretur.

Reginaldus Polus, Cardinalis erat animo excelso, & in medio aetatis robore corpus faciemque nactus rara maje-

jestate, vir utique talis, quales paucos Ordo sacer, aut profana sceptra per omne tempus dedere. Reginam ipsam propinqua cognatione attingebat; & Regiae fortunae magnitudinem intuentes multi credebant, vilem ei Purpuram fore, si transire inde ad tale matrimonium posset; eaque per gentes fama Cardinalem habebat. Ipse magnis Ecclesiae negotiis intentus, arbiter pacis inter Hispanum & Gallum, nihil tale cogitabat, anxiusque Patriae malis remedium esse unicum arbitrabatur, si consobrina jungeretur Hispano, & forte illa cum tali viro colloqui de statu rerum suarum cupiens, petierat ab eo per litteras & legatos, ut in Angliam veniret. Fama, quae de Cardinale, & profectio illa suspicionem attulere, quasi negotii sui causa proficisceretur, neque dissimulaverim quemdam temporum eorum sermonem, qui magni secreti more inter paucos manavit. Cum enim Cardinalis ex itinere Bruxellis aliquamdiu substitisset, injectam a Caesare moram fuisse interpretabantur, ne illius adventu deteriora omnia apud Reginam fierent. Sed, aut iste hominum sermo, aut falsa suspicio Caesaris fuit. Quippe, satis constitit, Cardinalem, ubi in Regiam pervenisset, damnata cunctatione rationibusque demonstratis, effecisse, ut Regina flagrantissime expeteret Philippum, suasoresque alios repudiaret. Ita res convenit, missique ab Regina in Hispaniam legati Frisuaterius & Priviselus, qui nuptiales Principi Philippo tabulas rite confirmandas offerrent. Tabulae conditiones hasce habuerunt:

*Princeps Philippus, ubi cum Angliae Regina justo ac puro pioque matrimonio conjunctus erit, pari cum ea jure Regnum administrato. Suprema tamen auctoritas, & dispensatio rerum penes Reginam esto.*

*Diplomata & Litterae communiter utriusque nomine conficientur. Si quid Regina privatim subsignaverit, jus ratumque esto.*

*Caesar Principem Philippum Neapolis Regem appellato.*

*Angliae Regni jura & privilegia omnia salva, & intacta conservanto.*

*Si Reginam Principi superstitem esse continget, vectigal annuum ei pendunto Hispaniae Regna, quod sexaginta millium aureorum nummûm summam explebit. Ex ea summa quadraginta millia pondo Castillae Regnum pendet, reliquum ex Flandriae provinciis exigetur ad eam formam, quae servata est in Margarita Angla, cum Dux Burgundiae Carolus viduam eam reliquisset.*

*Liberi, qui nascentur ex matrimonio, vetustis Angliae legibus domi suae haeredes erunt. Femina si tantum nascetur, ea succedet in Germaniae Inferioris provincias, si quidem ex auctoritate Caroli fratris nupserit homini Belgae vel Anglo: si secus faxit, exciderit eo penitus jure.*

*Si Carolus Philippi filius absque ulla liberûm stirpe decesserit, Regna illa devolventur ad eum, qui stirpis hujus maximus erit, idque servabitur etiam in altero sexu, si mares defecerint. Atque id ubi contingat, manebit in eo foedere Regina, quod Vincestre primo, deinde Utrechti proxime ictum fuit.*

*Princeps, antequam solennia matrimonii hujus celebrentur, ex Anglica nobilitate familiam suam instituet.*

*Reginam ipsam non movebit extra Regni fines, nisi Regni Proceres cognoverint causam & probarint.*

*Non item ille quidquam ex Regni Thesauris exportabit.*

*Ac si Regina decesserit absque prole, discedet ex Anglia Princeps, vacuum successori Regnum relinquens.*

*Quae porro duella, & lites sunt eruntve Caesari cum Galliae Rege, eis se duellis & litibus Regina non immiscebit. Si Princeps volet ad ea bella suppetias ferre Patri, Regnorum suorum viribus utetur, eoque milite rem geret.*

Has conditiones in Angliae Procerum conventu agitatas atque perscriptas detulere legati, cumque Caesari omnia satis probarentur, Principem jubet esse in procinctu, ut primo quoque tempore in Insulam trajiciat.

Dum opportuna dantur mandata, adornaturque Principis iter, consternati sunt ad arma, qui Catholici nominis odio non poterant id concoquere matrimonium, quive spes sibi de manibus elapsas ingentium rerum fremebant. Capita conjurationis fuere Petrus Carrus, Thomas Ubietus, & Dux Suffulchi, qui Joannae filiae desponderat Regnum.

Hi, divisis inter se provinciis, statuerant uno tempore concire populares ad arma, & gerendae rei tempus elegerant, cum Philippus ipse ad matrimonii solennia in Insulam exscendisset. Tunc, scilicet, externi Regis adspectu, & peregrinae gentis invidia promtas fore iras; ipsi tantummodo summa ope comprimerent rem, ne ante tempus erumperet; caetera peracturum esse populi furorem, ubi cum inviso Rege invisa sacra & ritus moresque alienos in suas terras esse exoneratos viderent.

Ad ea, quae interim parari necesse erat, sumsere obtentui Reginae ipsius defensionem, & subitos motus, si qui forte in tali tempore orirentur. Res tota, non sicuti simulabatur, sed sicuti erat, facile ad Reginam emanavit; insidiaeque reciderunt in conjuratorum capita, qui fere conjurationibus finis. Et Carrus quidem juveniliter ferox, impatiens secreti, vitando exitio, quam tegendo consilio callidior, ad primas indicii suspiciones, vitata aula, profugit in Galliam; caeteri vero, alius alio infortunio oppressi, miserabile populis exemplum praebuere.

Thomas Ubietus ipsa desperatione post Carri fugam raptus in praecipitia, primo steterat armis inter ultimi exitii, & summae fortunae confinium, mox adversa praeposuere. Suffulcho simile initium audendi ultima, nec dissimilis aliquamdiu fortuna fuerat. Demum, urgentibus Regiis redactus in angustum, sub rusticani hominis fide in cavam arborem turpi latebra cum se abdidisset, proditus a rustico non effugit vincula, deinde necem. Supplicium de eo sumtum est conspectius aliquanto quam de caeteris; quia plus irarum, & misericordiae minus meruerat. Namque prima captivitate dimissus ab Regina propter adversam valetudinem, interposita fide, post tale beneficium rebellarat. Infensos etiam habebat animos humilitas animi indignitasque, quia dominante fame progressus e caverna, in qua ab agresti illo cibum aliquamdiu frustra exspectarat, eaque necessitate delatus in potestatem inimici cujusdam sui, prociderat ad pedes illius, & prece degenere turpi cum ejulatu petierat, uti conservare se miserum vellet. Datum generi tamen & nomini, ne laqueo frangeretur gula, caesaeque cervices, ut ritu Nobilium periret. Thomas Ubietus e furca pependit, & postquam injecto pede carnifex expresserat animam, corpus in quatuor partes lancinatum. Joanna Suffulchi filia, quae vocibus irritis Regina appellata erat, cum conjuge suo cervices dedit. Hunc exitum in Anglia tentamenta rebellium habuere, dum Hispanus exspectatur.

Ille interea magnopere sollicitus fuerat, cuinam Hispaniae Regna, dum abesset ipse, committerentur; eaque consultatio Caesarem etiam haud parum anxia cura distinuerat. Nam externi hominis regimine populus ille Principum haud sane acquiesceret. Indigenam imponere anceps, ob certamina potentum, & aemulationem inter eos qui pares imperitanti essent, sive haberi vellent. Tanto minus expediebat in id fastigium extolli, si quis ab natalium stirpe minor, virtutibus tantummodo suis emineret. Necdum exoleverat memoria temporis illius, cum Ferdinando V. mortuo, aegrotante Joanna, Carolo absente, Cardinalis Ximenez, moderandis appositus rebus plenam litium atque controversiarum praefecturam egisset.

Forte per eos dies obierat diem suum Joannes, Lusitaniae Regis filius, cum quo nupta erat Joanna, Principis soror, enixa Sebastianum, qui postea sub Regis Avi mortem trimulus regnavit exitu, quem in tempore narraturus sum. Nunc is luctus hanc opportunitatem attulerat, quod Joanna vidua posse videbatur ad gubernanda interim Regna commode exciri. Itaque peractis officiis, quae moeror ob damnum, & pietas erga mortuum postulabat, missus est a Caesare in Lusitaniam Aluysius Ficeroa, qui peteret a Joanne Rege defuncti juvenis patre, ut, quoniam ita visum Numini esset, ex vitae statione devocare Principem, maturius tanto quam ipsi pro mortali sensu voluissent, annueret, ut cum bona

na ipsius gratia rediret Vidua in patrios penates. Id aegre impetratum; & Joannam utriusque Regiae Principes deduxere Vallisoletum, ac Philippus ipse Turobricam usque obviam processit.

Dies inde aliquot consumti secretis cum sorore colloquiis, ut de animorum habitu, rerum forma, negotiisque publicis aut occultis erudiretur, & quinam ipsam quoque in ea re administranda decerent mores. Infantis etiam Caroli habita cura est, ut puerilis Regia, qua par esset majestate, ac disciplina constitueretur. Datus formandis moribus, & regendae aetati Antonius Rogias, Aluysius Vives, litterarum Doctor; ad cubiculi splendorem, atque ministeria Comes Lermae, Demarchus Taborae, Aluysius Portocarrerus, aliique, quorum interesset quam fidelissime Puerum educari.

His ita dispositis, coeptum iter, & propitiato ad Toletanam aedem Numine, retulit Princeps priorum Regum speciem, qui omnium magnarum rerum initia ducebant ab illius religione templi, & bella gesturis Aquilae ibi vexillaque consecrabantur. Ad Compostellanam item aedem obiit altaris mysteria, & tumulum Apostoli Jacobi reliquiis inclytum pie est veneratus, eminente inter adorationem ea religione, quae propria Principis hujus fuit. Namque, rejecta culcitra posuit genua nuda in humo, & novos Apostolo exquirens honores, mandavit Aedituis, ne loculum ultra aperirent, praefatus, non fas esse contrectari coeleste pignus mortalium oculis, ipseque admoto reverenter ore sustinuit, ne daret oscula, quae vulgo adorantes ibi usurpant.

Ad Brigantinum portum stabat classis sub Bernardino Mendotio, qui nobis in priori navigatione cum suo munere memoratus fuit. Ibi Princeps, dum necessaria expediuntur, intendit animum negotiis, quae residua erant. Et aliis quidem alia mandata dedit ex eo portu; ad Sororem vero misit consignata litteris capita, quae summa, & norma totius regiminis forent. Ejus institutionis exemplar in Regio tabulario sanctiore Principis manu repertum est his fere verbis:

*Serenissima nostra soror JOANNA sancte integreque imperium administrabit. Non hominem precesve ullas respiciet, quae ab recto, & aequo animum abducant. Regii Concilii decreta de unaquaque re sic accipiet, ut se deliberaturam esse dicat. Incidunt enim saepe multa, quae, nisi spatio interposito, recte constitui non possint. Seorsim inde cum Praeside Concilii, & cum Joanne Vasquez intimo Scriba consultabit. Singulis hebdomadis bini conventus erunt. Circa finium custodiam erit attentissima cura sorori, ut quaenam ibi habeantur praesidia, sedulo cognoscat; equitatus, & rei maritimae cogitationem habebit, ut pars ea per Praefectos probe instructa, & armata conservetur. Serenissima soror publice quotidie rei divinae intererit, atque certas horas proponet; quibus horis ad eam alloquendam aditus patebunt. Si quis aliquid petet, ejus rei cognitionem delegabit; communia, & brevia, & benigna responsa supplicibus dabit. Regalis Concilii sedem atque majorum Magistratuum Tribunalia placet intra Regiam haberi. Sacerdotiis, muneribusque demandandis adhiberi cum Praeside Velascum, & Otoloram Consilii generalis arbitrio mutari, si quid in Regia mutandum erit.*

Haec fuit Principis ad sororem Joannam institutio, de qua quidem institutione scriptores alii nonnulla secus retulere; sed ego repertum inter Regia monumenta autographum exemplar iisdem fere verbis descripsi.

Solverat ex Brigantino portu paulo antea Petrus Avila, ferens ad Sponsam pretiosa dona, in quibus adamantem octoginta millium aureorum nummûm aestimatione. Legatus ille cum donis haec ad Reginam verborum officia deferebat: Jucundissimum nuntium accidisse Principi, quod attulisset Egmontii Comes de futuris cum ipsa nuptiis, & praesenti ejus salute. Ac sicuti magnopere displiceat, quod antea non potuerit ad Sponsam suam Reginam venire subsidio in rebus molestis, ita nunc maturare, ut quamprimum Londini se sistat, ne diutius differatur mutuae consuetudinis fructus. Principi esse in animo, venire cum domestico tantum comitatu; sicuti ad celeritatem congressus, & ad familiaritatis jura pertineret. Non tam dona grata fuere, quibus gaudent Reginarum etiam animi, quam grata fuit significatio festinantis ad nuptias; adnotatumque est, timuisse Reginam, ne matrimonii ejus fortuna sibi de manibus elaberetur. Legatio missa haec, litteraeque scriptae Principis manu, dubitationem exemere. Et cum Regina quidem haec egit Avila; cum Insulae Proceribus, non ut cuique dignitas aut merita, sed opportune ad rerum initia cum omnibus est locutus, & pura folia, quae attulerat ad ea, quae unicuique diceret, accommodavit. Summa sermonum fuit: Scire Principem, quae benevole in se atque amice fecissent; ipsos visuros esse propediem, quemadmodum nullius beneficii gratia perire apud Hispanum possit, & rursus, quemadmodum possit ille, vel Religionis Christianae praeceptis, vel civilium varietatum peritia, & Regii animi magnitudine conterere liberali oblivione, si quid in matrimonio forte turbatum esset. Id additum scilicet, ne dissimulata offensio in majus crederetur.

Ad IV. Nonas Quinctilis soluta classis ab Brigantino portu, septimo navigationis die in Antonae portum deferebatur. Octoginta naves longae erant, quadraginta minores: his mox aggregatae aliae quadraginta, quas Regina circum littora vagari jusserat, ut tutum Principi trajectum praestarent. Opes, & nobilitas, & armatura in utraque parte specimen Regnorum; luxuria, quae Regiarum nuptiarum pompam deceret. Sponsa miserat obviam Principi legatos deferentes Ordinis Georgiani insignia sinistri cruris fasciam summi inter Anglos honoris, ibatque cum ea legatione pretiose caelata navis, in qua Regale solium eminebat. Eo Princeps invitatus transscendit: ita portum invecti. Ex portu in terram exscendere cum Principe Dux Albae, Ruygometius Sylva, Antonius Toletus, & Petrus Lopez; caeteri deinde per triduum egrediebantur. Affluebant ex universa Insula Proceres deducturi Principem. Regina ad Vincestre constiterat, certabantque sponsus, & sponsa muneribus invicem mittendis.

Ab Antona decem millia passuum abest Vincestre. Foedo imbribus die proficiscentem eo Principem missus ab Regina nuntius adit concitato cursu, & rogat, ne tam turbido coelo ulterius progredi velit. Ea res injecerat Hispano curam, ne conscia motus alicujus Regina nuntium eum misisset, ac se se circumspiciens prope solum in aliena terra, & rebellium suppliciis cruenta, Princeps haud sane liber a sollicitudine erat. Nam antegrediente, & subsequente Anglorum equitatu, quantum adesse novo Regi par fuerat, jusserat ipse manere suum militem in navibus, iterque ab Antona illud ingrediens, duodecim haud ferme amplius Hispanos assumserat secum, quo plus securitatis praeferret. Aulae quoque ministeria jam Anglici generis erant ex antecondicto. Nihil cunctatus vocat ad se dissimulanter Albae Ducem, & Caesaris legatum, qui simul ibant, & confert cum utroque suspicionem suam. Ea non fefellit Anglos, qui proximi ibant, accedentesque nonnulli, docere etiam atque etiam institerunt, & cum jerejurando confirmare, tuta & fida esse omnia; Reginam, inspecta coeli turbulentia, simpliciter anxiam pro Principis commodo, legationem eam misisse. His habita fides, ac, repudiata paulatim suspicione Vincestre itum, cum tota Reginae familia sese Principi circumfudisset; eique in porta urbis octo e primoribus Regni sacramentum dixere. Prope Regiam parata alia majestate etiam ampliore Regia Principi separatim fuit. Ibi deposito viatorio habitu, veste alia sumta protinus ad templum maximum egreditur. Excepere Clerici cum Pontifice suo laudantes Deum solenni carmine. In eodem postea templo, die, qui D. Jacobo Hispaniarum Patrono, sacer fuit, Hispanus & Angla sacro nuptiarum ritu miscuere dextras.

Nemini ingratam fore curam, arbitror, si tanti matrimonii caeremoniam etiam tradidero. Pegma excelsum stabat appositis gradibus a primo valvarum aditu, via per mediam templi longitudinem in id ferente. Duo Regalia solia, Reginae unum, alterum Principi in pegmate erant, ad dextram illud, hoc ad sinistram, & ante solium

lium utrumque ara attollebatur. Princeps primo, deinde Regina processere in suam sedem. Legati Regum, & Rerumpublicarum suis quique locis ordine constitere: simul aderant, quos Caesar, quosve Regina suo nomine interesse voluerat. Reliqua Principum turba, paucis exceptis, extra cancellos mansere. Deinde ingreditur Ficeroa Legatus, & Episcopo Vincestrensi, qui solennia peracturus erat, offert diploma, quo Caesar pater Philippum filium Neapolis esse Regem jubebat, ipseque omni se abdicabat jure, ac titulo, quo Regnum illud habuisset.

Id diploma clara voce, ut ab omnibus exaudiretur, Episcopus recitavit, & quia Latine scriptum fuerat, Anglo sermone sententiam est interpretatus, postea haec peregit verbis: Regem Philippum, & Reginam Mariam consensisse invicem, ut maritus, & uxor essent, ejusque Regii matrimonii conditiones esse, hinc Anglicani Concilii, hinc Caesaris auctoritate confirmatas, & contineri tabulis, quas ipse manibus teneret. Tenens inde codicem manu petiit ab Rege Philippo, & ab Regina seorsim, ut vellent rursus declarare, quemadmodum conditiones eas ratas ipsi haberent. Tetigere codicem manu, & rata habuere, quae pepigissent.

Tum rursus Episcopus ille sic infit: Matrimonia rem esse sacrosanctam, & augustissimae Religionis, quam ab ullo mortalium violari sit nefas; proinde si quis aliquid afferret, cur non posset id recte matrimonium iniri, profiteretur; Regum enim ipsorum hanc esse mentem. Acclamavere, *matrimonium esse justum*, & ex tota concione voces audiebantur: *fiat, fiat.* Tunc Episcopus conceptis verbis ita Regem interrogavit: *Visne Rex, PHILIPPE, Reginam MARIAM ducere in matrimonium; tradere tuum corpus ei, & corpus vicissim ejus, quacumque est, eritve conditione, habere, ac tueri?* Cum ille, *velle*, dixisset, Regina iisdem verbis interrogata, respondit, sustulitque manu permistos argenteis aureos nummos, quos Rex in Sacro codice deposuerat mutuae fidei, & amoris pignus. Inserti deinde digitis annuli, & res divina facta per Episcopum eumdem cum quinque aliorum Pontificum ministerio, magno apud Catholicos animorum motu propter caeremoniae majestatem, quam Regum Majestas augebat, socia ritibus divinis, & ad singula sacrificii momenta sese submittens. Praecipue autem erecti sunt animi, tunc cum Euangelio recitato, caeteris, ut assolet, ad Christianae charitatis imaginem inter se conferentibus capita, Rex etiam ipse prodiit ad Reginam, & osculum ei pacis dedit.

Sacrificio peracto, prodiere quatuor tubicines, & per unum eorum hujusmodi carmen alta voce recitatum est: PHILIPPUS. ET. MARIA. DIVINO. MUNERE. REX. ET. REGINA. ANGLIAE. HIERUSALEM. HIBERNIAE. PRINCIPES. HISPANIAE. DUCES. MEDIOLANI. caeteraque terrarum longa serie effata impleverant animos admiratione tanti futuri dominatus. Nuptiale deinde epulum fuit, cujus apud Sponsos valde minuebat hilaritatem ea res, quod pleraque Regni illius adhuc ab Ecclesiae auctoritate sejuncta post Henrici VIII. defectionem manebant, & Haeretici nonnulli inter ministeria conspiciebantur. Caeterum, quia non desperabat Hispanus malum illud eamque secessionis ignominiam auferri Regno, jamque satis inclinatos ad obsequium animos videbat, Ferdinando Davalo, cum eum ad capessendam Neapolitani Regni possessionem mitteret, negotium dedit, ut super reconciliatione Angliae cum Pontifice Maximo ageret, Apostolicaeque potestatis opportuna in id mandata impetraret.

Habebat in animo Philippus quamprimum illud transigere de reconcilianda Anglia negotium, ut constituto Regno, & firmata Religione transiret in Belgium, ad suppetias Caesari Patri ferendas, quem hostium undique arma circumstabant. Conjurati Rex Gallus, Mauritiusque Elector & Albertus, & in Etruria Senenses cupidine, metu, ira, causisque diversis ciebant bellum, sed praecipua violentia Gallus agebat, collata in id bellum grandi pecuniae summa, tamquam opprimi illis posse opibus rem Hispanam sperarent. Et affecta aetas Caesaris aegro insuper corpore fatigabatur, nulla virtute superabile malum. Vividam Philippi juventam, & parem animum, ne statim pro senecta Patris adversus rebelles armaretur, Anglica haec, & necessaria commoratio, officia novi matrimonii, & sanandae illic religionis suscepta cura attinebat.

Intervenit deinde hisce curis nova sollicitudo, quod, mortuo Julio III. sacrorum Principe, atque post septem & quinquaginta dierum interpontificium, exstincto intra mensem Marcello, Petrus Carafa creatur, & infausto rebus Hispanis nomine Paulum IV. se appellat. Patria Neapolitanus hic erat Carafa, quodque fidei vinculum potuerat esse cum patriae suae Rege, id ipsum, alienato jampridem animo suggerebat odia, & iras. Nec tamen ei homini probi piique mores aberant; sed plena aula praepotentum exsulum ex eodem Regno: consanguinei treis Apostolici Imperii summam trahebant: & interiore apud senem gratia Carolus Carafa erat, quasi vitiis, & Hispani nominis odio quaesitus Pontifici, Caesaris desertor, ad Gallum transfuga, sanguinarius, turbulentus, avidus rerum novarum, & in ea ferocia cupidines aliae, quae solent esse molliorum hominum, habitabant. Hunc Paulus jusserat suo loco esse Cardinalem, cum ipse ex eo collegio ad summum rerum humanarum fastigium assumeretur, ac deinde statim arbitrium, & arcana Pontificatus huc vergebant. Pontifex ipse in magna severitatis, & innocentiae commendatione, facili confinio torvus etiam & asper, inquietusque erat; & in minore quoque fortuna tumultuari non destiterat inter consilia Pontificum, ut Neapolitani Regni causa arma adversus Caesarem sumerentur. Quia talium rerum aeterna memoria est apud Reges, & quia talem Pontificem, nec suo, nec suorum ingenio quieturum esse Caesar videbat, omni tetenderat ope, ne suffragia in eum irent. Scilicet, in eo negotio, quod totum divinae dispensationis est, terrarum domini suas artes immiscuere semper, & immiscebunt, humanumque illum errorem inter instrumenta magni secreti vult sibi Deus esse. Dum hunc Carafam excludunt Hispanae factionis Cardinales, tenduntque ad alios, alii discordes inter sese viam aperuere Gallis, ut, quem volebant, illi Pontificem haberent. Sed neque Galliae Regi successurum erat hoc Pontificatu id, quod ille destinarat, & Pontificis in Hispanum alienatio irrita parabatur, ac denique ille tantopere quaesitus honos deforme Carafarum domui exitium struxit, strangulato in tenebris Cardinale, caeteris publice obtruncatis, quae tragica exempla haud aliena rebus Hispanis suo loco exsequemur.

Pontifex igitur Paulus inter adversa numerabatur Hispano, & in tantarum rerum concursu Philippus aegre continebatur intra Insulam. Missis in Belgium quatuor millibus Hispanorum, quos classe secum advexerat, sollicitus agebat instaurandae Religioni, ut quamprimum ipse exire posset. Jam indigenarum animi, sicuti dictum est, ei negotio faciles ostendebantur, non tam sua sponte, sicuti quidem ego arbitror, quam necessitate imminente ob admissum Regem, in cujus cognomento terror Haereticorum erat. Et antiquum notumque est illud; in Principum instituta populos abire semper, resque tam liberae voluntatis Religio, perinde ac caetera, nutu ac voluntate Regum constat.

Adjuvabat hanc Angliae populorum sive propensionem, sive necessitatem, mite Imperium, quo regebantur ab Rege simul & Regina, come alloquium, faciles accessus, larga in praemiis omnia, Regni leges intactae. Accessere versa ferme in prodigium incendia, cum solis radiis accensa arva conflagrarent, stagna, fontesque exsiccarentur, & torridae passim arbores vi sideris ictae honores suos amisissent. Ea fieri divinitus arbitrabantur ob Religionis crimen, circumibatque concionabundus urbes & procerum tecta Barptolemaeus Carantia Dominicani Ordinis, & monebat, ne clariora adhuc signa irati Numinis exspectarent. His permoti paruere Regio edicto, quo pridie Idus Novembris ad con-

consultandum de restituenda religione adesse jubebantur. Convenere per Magistratus aut per Legatos Provinciae, Civitates, Municipia, Archiepiscopique & Episcopi, prout in Urbes, Pontificesque ab Henrico I. descriptum suffragii jus erat.

Insignis mihi visa est forma orationis, quam in eo conventu ab Rege Philippo habitam descripsere totidem verbis, & fideli memoria custodivere homines, quibus in Regia tunc id otii fuit: *Majores vestri*, inquit, *cum sapientes viri potentesque essent, vivebant, & moriebantur in obsequio Catholicae Ecclesiae, quae fraterne, pieque congregata corpus unum efficit ex omnibus populis, & a Parente Christo constituta nomen hoc profitetur. Haec nostra fides & Religio est, sancita Fundatoris sanguine, propagata per Apostolos, diffusa per omnes terras, inclyta mysteriis, bonis improbisque mater duratura, donec terra, & homines manebunt, gubernata per eum, quem Spiritus Sanctus elegit. Is Pontifex Maximus est Apostoli Petri successor, Christi Vicarius, propter excellentiam suam regnans inter mortales, quomodo Regum nutu Provinciae a Praefectis administrantur. Nam, sicut in Ecclesia triumphante coelestes chori Numini mentis aeternae subjecti in sempiterno illo aevo mirabiliter degunt; ita in militante hac Ecclesia, quae simulacrum est illius augustissimi coetus atque supremi concilii, debet esse Princeps unus, dignitate ac potestate simillimus Numini, cujus arbitrio, & nutu inferiora haec regantur. Hic Princeps, atque Pontifex Maximus semper est ille, cui successores Apostolorum Cardinales id nomen atque fastigium detulere; custos Religionis, divini cultus auctor, interpres Divinitatis, magister caeremoniarum ac rituum, quorum externa species interiore motu nostrum animum ad Deum vertit. Non capit humana potestas tam excelsa munera; Regesque terrarum satis habemus, si relicta Pontifici divinarum rerum dispensatione, profanum hoc civile munus recte administrare contingat. Neque continget aliter, quam si Pontificis Romani, qui Dei Vicarius est, consilia, & auctoritatem sequemur. Rex vester Henricus fuerat Catholicae religionis, & Romanae potestatis antea propugnator acerrimus; neque solum regiae fortunae opibus, & armis, quae communia illi cum multis aliis erant, sed rara ingenii sorte litterarum monumentis insana Haereticorum dogmata confutarat. Postea pravis consiliis & dulcedine peccandi redactus est ad eam vecordiam, ut ipse Catholicae Ecclesiae desertor fieret, mutatusque religione Rempublicam hanc pene evertit. Vos nunc divina benignitas vocat ad salutem, atque redire in Ecclesiae gremium, & caeteris aggregari fidelibus jubet. Et quoniam lex est ab eodem Henrico Rege primum lata, dein ab Odoardo confirmata, qua lege, Sedis Apostolicae Legati & Ministri Regni finibus arceantur, primum omnium hanc tolli legem oportet, ita ut Cardinalem Polum Summi Pontificis Legatum, Insulae hujus civem, atque alumnum cum Apostolica potestate venientem, intra Insulam admittatis. Postquam admissus erit, ei deferetis obsequium, sicuti Ecclesiae filios decet, & sicuti Reginae vestrae facturos esse promisistis. Ego precor a Deo Optimo Maximo, ut immittat animis vestris sui luminis radios, quo promtius ea, quae facienda sunt, exsequamini. Quod si mihi contingat, ut diem illum videam, cum Anglicana res ad Ecclesiae auctoritatem adjuncta, tranquilla pace perfruatur, tunc ego talem Insulae statum in majore mihi ponam gloria, & felicitate, quam hoc ipsum, quod una cum Regina vestra Rex in tanto Regno sim constitutus.*

Haec ferme ab Rege dicta sunt. Magistratus, & legati Provinciarum, & Civitatum, Archiepiscopique duo, Eboracensis, & Cantuariensis, & Episcopi viginti, qui erant in eo conventu, silentio quidem etiam ipso, & animorum attentione declarant, placere sibi, quae dicerentur; sed multo magis id ipsum postea declaraverunt affirmatione suffragiorum. Nam cum essent in concilio quadringenti homines, & quadraginta, duo tantum suffragia defuere; caeterorum una fuit sententia, recipiendum esse Legatum, & in Ecclesiae auctoritate placere Insulam, Regnumque contineri.

Legatus interea Polus ad Insulam appropinquabat ea modestia, ut nulla usurparet insignia personae, nisi prius cum Rege, & Regina collocutus esset. Obviam misere Legatos cum publica auctoritate patentibus consignata litteris, ut venire sese Patriae toti carum, & expetitum sciret, subiitque Regiam ille, celerius aliquanto quam fieri posse creditum erat. Nam alioqui Rex, & Regina honoris ipsius causa prodire extra Londinum parabant. Post mutuae salutationis officia, prolato diplomate, Legatus Apostolicus disponere cum Regibus ordinem, & consilia gerendarum rerum instituit. Ante omnia putavere faciendum, ut Episcopus Vincestrensis, quem Magnum Cancellarium appellabant, indicto iterum Conventu demonstraret divini beneficii magnitudinem, adventum Legati, Regis & Reginae studium, magna animis hortamenta, ne cunctarentur pandere sinum oblatae saluti.

Promtis, ut apparebat, omnibus, statuitur Angliae reconciliandae dies, qui D. Andreae sacer erat. Apostoli Pauli Basilica congruere celebritati conversionique Gentis est visa. Magna species ejus celebritatis fuit; cui decorandae, & augendae, Hispanus, & Angla contulere, quidquid splendidi, & augusti habebant. Spectata sunt eo die solennia Velleris Aurei; Georgianusque Ordo, & Ordo alter Anglicanus, summa decora Regni, majestatis, & pompae certamen exhibebant. Vestiti gemmis equites intererant rei divinae cum tanto populo, quantum illius templi moles capiebat. Cardinalis Legatus medio Regem inter, & Reginam solio consedit, Angliaeque Regnum secessionis culpa liberatum absolvit aeternis vinculis. Dimisso conventu, Proceribus in Regia convivium fuit hilaritate festa, atque epulae demum hae nuptiales habitae; ut illis, qui diem utrumque considerassent, matrimonii pompa cum hujus diei gratulatione collata funebre fuisse negotium videretur. Adeo serenaverat animos Regum Catholica pax, reddita Insulae; ac tunc denique in suo Regno sedere ipsos apparebat.

Aversae inde curae sunt ad tollenda vitia & corruptelas, quae Religionem adulteratam individuae comites sequuntur, imo, quarum dulcedine saepe Religio ipsa adulteratur. Expiata templa, renovati ritus, instaurata sacrorum disciplina, repetita in Ecclesiae corpus bona, sexus utriusque monasteria reddita veteri cultori, & qui sese votis exsolverant viri, feminaeque, quando nullum in praeterita remedium esset, pristinae castitatis jure donabantur. Demum institutae divinarum litterarum scholae, Catholicae Religionis firmamentum; & qui sacram Academiam obtinerent, inclytae in eo genere subtilitatis homines, ex familia Principis dati.

Tam laetarum rerum nuntios, qua par erat gratulatione, Catholici Principes acceperunt, & Caesar ante alios haec primordia dari filii rebus in novo Regno lubens audivit, eaque laetitia nonnullum affectae valetudini tulisse levamen ferebatur. Romae, Pontifex Paulus, accepto nuntio, diviserat ingenitam animo suo pietatem ab ea cura, qua nollet quidquam Hispano prospere successisse; atque ita, pastorali sensu, quo facile quemlibet Pontificum aequavit, discors ab naturali in Austriacum alienatione, haud aliter motus est eo successu, quam si ipse rem tantam gessisset. Foecundam olim sanctarum animarum Insulam Regnumque florentissimum, unius Regis libidine, & ira abruptum ab Ecclesiae Catholicae corpore, nunc alterius Regis sapientia, & virtute esse restitutum intime laetabatur. Tantamne igitur in Austriaco Juvene esse vim animi, felicitatemque, ut, quo primum tempore pedem in Anglia fixerit, dederit Regno Catholica instituta, potueritque tot mortalium animis imperare, cum etiam unius vertere animum aegre contingat. Profecto opus id censeri majus debere, quam si multa simul Regna subacta per eum fuissent. Dicitur Pontifex ille, re comperta, sublatis in Coelum manibus ita precatus esse: PATER NOSTER QUI ES IN COELIS SANCTIFICETUR NOMEN TUUM. Eaque verba manantibus prae gaudio lacrymis pronuntiasse. Frequenti dein Senatu, Patribus impertiit gaudia, & rem divinam solenni ritu in Vaticano ad D. Petri aram fecit; cumque inde in collem alterum rediret, argentei nummi jactati in plebem sunt.

Vectigalis fuerat antiquitus Anglia Pontifici Maximo, pependeratque singulos ostiatim Esterlinos (monetae id genus est) & D. Petri nummus fuerat ei tributo nomen, conferebaturque a singulis obedienter, donec Henricus VIII. obsequium omne exsuit. Initia varie traduntur. Sunt, qui Regem Inam, velint exactionem eam instituisse, cum Apostolicae Sedi stipendiarius ultro fieret. Regem praeterea Joannem eodem sese obligasse jure cum toto Regno. Regem Edelphum ob Thomae Cantuariensis necem ea piacula dixisse sibi. Quaecumque origo fuisset, ea stipendiaria ratio Pontifici laetitiam augebat.

Caeterum, Hispanus Anglia reconciliata, traductoque a Calvini lustris ad Catholica dogmata Regno, cum rerum statum in posterum ordinare pergeret, ne qua semina turbarum manerent, domestico uno malo praecipue angebatur. Isabella erat soror Mariae, nondum illa quidem egressa puellares annos, sed profundo jam tunc pectore alens ea monstra, quae postea ad Regni perniciem erupere; Catholicarum rerum adspernatrix, eadem & inimica cum tacito irrisu, ultra captum aetatis impudica dissimulatione vitiorum horribili Regni spem agitans, nusquam nisi cum Haereticis sincere agens. Id ingenium sororis odorata Regina puellam in custodia detinebat.

Rex tentari beneficiis animum satius putavit; & cum Regina censeret, ut in Hispaniam saltem educanda mitteretur, abnuit ille, ne spem alteram Regiae sobolis ablegari, atque exstingui Proceres interpretarentur. Sic Isabella domi retenta est, coeptaque liberalius haberi, spes unica Gallo turbandis rebus, & futura olim Angliae calamitas, ut in eo uno male consuluisse Regno videatur Hispanus, quod furiam illam facemque aluerit indulgentia sua, contra quam Reginae consilium fuit. In caeteros, unde mali aliquid timebatur, postquam remedia irrita erant, mature animadversum; Episcopique duo furiose contumaces igne cremati.

Et, ut in partem utramque memorabilia exempla essent arcendis procul ab Catholica religione sceleribus, producti ad honores & ampla munera, quos numquam desciviss̄e compertum fuit, ab omni rerum administratione rupudiati, quorum ancipitem in posterum animum ostendebat ex praeterito conjectura.

Haec agentem publice in Anglia Philippum, interior & occulta quaedam animi sollicitudo male contentum habebat; & proximi postea suo more arcanum vulgavere. Nam, licet ab ea necessitudine, & familiaritate genialique convictu, qui fere separati nihil inter conjuges sinit, arbiter Angliae rerum esset Philippus, & Regina fastigium ei suum ultro submitteret, reputans tamen secum ipse matrimonii conditiones, meminerat in alieno se Regno esse; & erant quotidie agenda nonnulla quae id ipsum exprobrare viderentur. Facile quilibet alius Regum eam concoquere molestiam posset, minusque indignari, quod uxorium Regnum haberet. Hispano huic merito irritari debuit animus contemtu peregrinitatis, & in se ipsum ira, quoties meminisset deesse Patri saepe suo, quos mitteret ad longe majora Regna gubernanda, se interim velut precarium in ea Insula Regnum obtinere.

Manavit etiam fama, quemadmodum indicatum Philippo esset; in circulis, conventibusque Principum, maritum Reginae ipsum appellari non Regem; id vocabulum increbuisse livore nonnullorum, qui erecto olim ad spem illius matrimonii animo, posteaquam Regni simul & Reginae potiri externum viderent, elevando sic alienam fortunam, animi sui dolorem lenirent. Et ipse quoque Caesar aluerat hanc filii indignationem exercendo adhuc imperium in ea loca, quae jam ex pacto matrimonii tradidisset. Neque fas Juveni repetere a Patre, vel cum eo quidquam expostulare. Statuerat occasione quaesita in Hispaniam redire, patrium avitumque Regnum ibi concesso antea jure administraturus. Id Regina suspicata nonnullis argumentis muliebri arte moras injiciebat, cum se gravidam esse affirmaret; qua fama divulgata per Insulam, spe successionis, apud bonos caritas increscebat Regi.

Tentata interim ab Regina spes pacis erat inter Caesarem, & Henricum Galliae Regem abscisso statim exitu, quia legati ob eam rem ad Cales ex Gallia missi praeter caetera odiosa jactavere in conditionibus, ut provincia Mediolanum traderetur. Induciae in quinque annos pactae, quae tamen, non Sabaudica negotia, vel Indica, non exsules Neapolitanos, Brandeburgive Demarchum attingebant. Ea omnia posita fuere extra induciarum fidem.

Quinquagesimus quintus annus hic erat Caesari prosperarum ambiguarumque rerum, quas hominum vita, quasve conditio imperandi affert, nondum quidem ille terminus brevis aevi mortalium, si justum exigere cursum plenis annorum spatiis liceret, sed maturaverant senectam labores & curae delicata corporis constitutio laboribus impar, animi vigor assidue curas accersens, unde nunc ingruerant morbi; & super caetera non ferre erat insanos articulorum dolores. Itaque privatae vitae quietem ob mortalitatis extrema meditabatur, antea quoque versis huc consiliis, quae tardaverat ambitio proximorum & metus in plerisque, ne Caesaris otium sibi quoque causa foret otii, quod male patiuntur minores animae, semel inescatae praefecturarum illecebra. Nunc, abrupta cunctatione, Caesar statuerat decedere rebus, considerans aptam & abunde sufficientem aetatem filii; & fortasse moverant animum haud ignotae Juvenis irae in nuda Regnorum nomina, atque in fines Insulae, queis ille attineretur. Itaque, missis in Angliam litteris accersit Principem, haud ignarum antea paterni consilii, & aperte monitum, ut summae rerum accinctus veniret.

Erant inter Austriacos occultae suspiciones, atque sollicitudines circa consilium hoc Caesaris, quo consilio ille deponere summam rerum agitabat. Nam, cum ea depositione veniret Romanum Imperium ad Ferdinandum Romanorum Regem, Caesaris ipsius fratrem, angebatur Maximilianus Ferdinandi filius, si Philippus potius, quam ipse successurus esset in id nomen, ut Romanorum Rex appellaretur. Id autem putabat fore propter tantas opes, quantas ille habiturus erat; atque huc pertinere consilia Caesaris suspicabatur; ideo Imperium abdicari, ut eo jam translato prehensandum Philippo maneret nomen, cui successionis praerogativa inest. Non fallebat Philippum, quanam ipse apud Patruum, & Patruelem opinione distraheretur; simul offensos esse illic animos haud falso conjectabat ob Mariam sororem, cui nihil adhuc, neque dotis, neque patrimonii nomine datum esset.

Has tollere offensiones, atque disjicere suspicionum obscura cupiens antequam ex Anglia proficisceretur, Aluysium Ficeroam legavit, qui Bruxellis cum Caesare collocutus, & opportunis ab eo mandatis instructus ad VI. Nonas Octobris in Ferdinandi Regiam pervenit. Sermones fuere, quales utrimque meditati, & semper apud Reges esse parati, atque compositi solent.

Dixit Ficeroa, Regem Philippum eo esse animo in Ferdinandum, & Maximilianum, ut alterum veneratione, ac pietate filii, alterum fraterno sensu amplecteretur. Potius ex ea fortuna, in quam natus ipse esset, remissurum ultro, quod accederet Patruo, vel Patrueli, quam ex ipsorum fortuna quidquam in sese derivaturum. Dotem, & emolumenta, quae non essent ad eam diem data sorori, ventura cumulate: eam inter ipsos esse necessitudinem conciliatam prius a natura, mutua dein voluntate comprobatam, ut Rex Philippus arbitraretur unam esse domum; nec aliter sentire atque praecipere Caesarem Patrem. Quod uni domui quaeratur, id alteri esse quaesitum: id modo circumspici oportere quid communiter utrique parti magis conducat.

Ferdinandus ad ea, praefatus pauca de suo vicissim erga Caesarem fratrem, & erga fratris filium, Angliae Regem, animo, dixit; libentissime se esse facturum, ut videndi utriusque causa Bruxellas usque contenderet; sed urgeri Solimani postulatis, quibus primo quoque tempore respondendum necessario esset, neque responderi aliter placere, quam ex Procerum sententia, cui ex-

exquirendae conventus esset indictus. Hanc esse causam, cur non ipse Bruxellas iret. De negotiis, nihil se aliud dicere, quam Reges suos propediem esse intellecturos rerum ipsarum eventu id, quod verborum officiis male ostenderetur. Ac nisi Germania tota tam recenti bellorum memoria staret adhuc infecta caedibus, & irata victori, nihil se cunctaturum, quo minus jam aggrederetur illud, cujus alioqui maturitatem exspectandam censeret. Reginam Mariam, pro paternae fortunae magnitudine potuisse copiosius, largiusque tractari: Caesarem fratrem commode esse facturum, si ex tanta pecunia, quanta redundaret ex tot Regnis ad homines etiam alienos, filiae suae esse provisum vellet. Ad id caput, pronunciante legato, trecenta millia nummûm aureorum, prout in mandatis habebat, annuit Ferdinandus, dummodo praestarentur sumtus itinerum, & quidquid aeris alieni Reginae nomine contractum esset, antequam matrimonium iniretur.

Haec acta cum Ferdinando; separatim inde cum Maximiliano, & Maria legatus idem egit, quae propria ad ipsos mandata erant de accipiendis in familiam Hispani generis hominibus, qui ab Caesare, & Philippo nominati essent, aliaque, tum agitata priore legatione per Petrum Lassum Castellanum, tum excogitata posterioribus curis. Non omnia Regibus probabantur: sed utique omnibus assensere. Caput unum, quod ad Imperii successionem pertinebat, relinquere se Ferdinandi Patris arbitrio, Maximilianus respondit; addiditque, Oeniponte futurum se propediem cum uxore Regina, inde ad Caesarem ituros, ut salutarent Patrem, atque cum eo de communibus rebus colloquerentur.

Ea colloquiorum summa fuit, nec plura ad curiosos manavere: sed addidere more suo, id quod ipsi callidis ingeniis inter sese commentantes excogitare potuerunt. Nempe, Philippum ea legatione quaesivisse nihil aliud, quam ut propinquo summae rei discrimine ob Regis Romanorum titulum, competitori Maximiliano securitatem injiceret, quae deinde negligentiam crearet; Maximilianum autem intellecta, sed dissimulata arte, dilationem quaesivisse negotio, ne comitia creando Romanorum Regi haberentur, nisi cum inclusus Insula Rex Philippus, aut minorem, aut minus occultam ex longinquo vim ipsis adhibere comitiis posset. Ajebant alii nullam in patruelis absentia spem esse Maximiliano, sed adnixurum, uti res extraheretur, donec ille consilium ejus rei omne abjecisset.

Egressus interea Rex Philippus ab Londino, & prospero cursu mare, terrasque emensus sese obtulit Patri haud mediocriter laeto, cum aetate jam confirmata haeredem, atque tantarum jam rerum spectatum experimentis in conspectu haberet. Postquam ille adfuit, Provinciae septemdecim excitae Bruxellas in Regiam venere per Magistratus, quorum frequenti concilio Caesar brevitate sua in hanc sententiam est locutus: Inhabilem sibi valetudinem esse, nec regimini terrarum ultra aptam. Ut commodiore imperio regerentur, filium se velle substituere, quem studio recti viribusque idoneis pacem, ac securitatem praestaturum esse subjectis speraret. Optare, ut quemadmodum ipse nulla umquam nisi coactus arma tractavisset, ita vaderet itineribus iisdem haeres, & paterni instituti memor non gereret alia bella, quam quae justa, & necessaria essent. Quadraginta annos esse sibi exactos sub illo pondere rerum humanarum, modica per totum id aevum quiete, ut tranquilla, & imperturbata omnia relinquere posset. Nunc contrariis finitimorum studiis impediri. Caeterum, esse animo suo magnam spem divinae opis, & auxilii circa filii sui successionem, cum ipse vicissim Catholicae Religionis causa vitam suam, & Regna omnia pro nihilo semper duxisset.

Ad ea Philippus dixit, invitum se succedere oneri, cui Caesaris Patris prudentiam, atque tot annorum usum esse aptiorem sciret. Nisi tam propera successio pertineret ad illius quietem, & salutem, utique se esse recusaturum. Subire igitur cum ea mente, ut ex paternae virtutis imitatione, quantumcumque posset, assequeretur. Acta res est Nonis Octobris anno salutis MDLVI. cum Eleonora, & Maria, duae Caesaris sorores, & Carolus Sabaudiae Dux intimum Caesari consilium adessent. Haud alienum, arbitror, inserere verba, quae Caesar ipse dictavit, ut formula traditionis ejus, quam aptissime ad animi sui sensum explicaretur. Verba fuerunt hujusmodi, eaque verba Franciscus Erasus, Scriba intimus, publice recitavit.

*Ego, CAROLUS CAESAR, ita profiteor apud eos, qui nunc sunt homines, & qui post erunt, me, cum propter aetatem valetudinemque affectam infirmior esse coepissem ad sustinenda itinerum incommoda, caeterarumque rerum labores, quos semper antea Catholicae Religionis, & Regnorum meorum causa pertulissem, consilium cepisse hoc, ut ex Belgio in Hispaniam reverterer, atque ibi reliquos vitae dies in contemplatione mortis, & in sempiterni aevi cura libere, ac solute collocarem. Et quia videbam, PHILIPPUM filium meum Neapolis, & Angliae Regem aetate simul, & animo maturum jam esse Imperio, putavi rem fore acceptam Deo, provinciis ipsis utilem, si cederem ei Germaniae Inferioris possessione, ac dominatu, quae terrae juravere jam in ipsius verba, & propter Angliae consinium opportunitatem eam habent, ut ab eodem Rege facile administrari, ac defendi possint. Quamobrem huic filio meo Neapolis, & Angliae Regi tradidi, ac trado quidquid est hoc terrarum, quod sub Germaniae Inferioris nomine possidemus, eamque traditionem facimus in celebri Provinciarum ipsarum conventu. Dynastias, Urbes, Arces, Castella, Principatus omnes, omnia vectigalia, tributa, jus omne judiciorum, & aerarii, vitae, necisque potestatem, omne nomen imperii, Provinciasque ipsas transferimus in Filium nostrum Regem, ita, scilicet, ut in posterum dominetur ibi, quomodo si nos ex hac vita decessissemus. Ac, ne quid obstet, quo minus ille suum hoc imperium exsequatur, volumus, hodie finem esse potestatis omnibus, quicumque antea jussu nostro in Praefecturis, atque Magistratibus fuere. Nisi qui ab novo Rege refecti, confirmatique erunt, privatos omnes, & in ordinem redactos esse declaramus. Si quid alicui debemus in hac terra, REX PHILIPPUS cum cura, & fide dissolvito. Si quid in abalienationis formula praetermissum, contrariumve erit, perinde tamen jus ratumque esto.*

Haec fuit summa tabularum, quam in sententiam componi eas, & describi Caesar mandarat: ars deinde forensis addit solennes formulas, & actionis firmamenta, sicuti relata fusius in annalibus aliis exstant. Cum ea recitarentur in Provinciarum conventu, flexo ante Patrem poplite, capite aperto, jacentem humi Principem, supersunt, qui mihi narraverint vidisse.

Et Provinciae quidem illae septemdecim avita Caesaris haereditas Regi Philippo sic traditae sunt. Altero post mense traduntur Castellae, & Aragoniae, & Indiarum Regna, easque tabulas Didacus Vargas obsignavit. Tradita etiam in Philippi potestatem est Urbs Senarum, ut ab eo, vel in reliquum Imperii corpus contributa potentiam augeret, vel Italicorum Principum alicui concessa beneficiario jure fidei vinculum foret.

Haec Civitas olim libera, suisque legibus utens, exciderat Reipublicae forma nuper & libertatis jure, propterea quod violaverat eas conditiones, quibus id jus, eamque libertatem nacta fuerat. Cum enim Carolus quartus, anno MCCCXLVII. constitueret ejus Reipublicae statum, dixerat Senensibus hanc praecipue legem, ut, *si Romano Imperio olim infida reperiretur Civitas, serva deinceps fieret, & pristina conditione diminueretur.* At ipsa diuturni boni impatiens, stimulantibus civilium turbarum furiis, pulso Hispanorum praesidio, diruta arce, Gallis accersitis, servitium quaesivit ultro, & invenit. Usus namque suo jure Caesar, damnavit rebelles, imperioque suo Rempublicam illam vindicavit; unde bellum atrox, donec Jacobus Medicaeus, Caesariani exercitus Dux, fregit auxilia Gallorum, detrectantesque jugum Senenses Caesari pacatos tradidit. Agebat annum aetatis suae fere tricesimum Philippus, cum Caesar eum adscivit in Regna Vicariumque Imperii appellavit, ipse rerum humanarum taedio nihil jam inter mortales agentis vitae quietem secutus.

Initia novo Imperio fuere, non qualia solent esse, cum Principe mutato formae rerum etiam mutantur, leges, magi-

magistratus, hostes, amici; sed medio itinere inter decreta Patris, & consilia necessitatesque novi Principatus, quae minime laetum Philippi animum habebant ob negotia, quae palam agitabantur, sive gliscebant in occulto. Ingentes reliquiae prioris Regni, materies curarum apud Regem, qui nec sua, nec Patris fama reperiri minor vellet. Nam praeter oppressum ab aemulo Rege Sabaudiae Ducem, narratasque jam implacabilium hostium, infidorum amicorum conspirationes, & magna per Africam, Asiamque Catholicae Religionis dedecora, interceptam ab Mahometano Busiam Urbem, superfusa Pannoniae Turcarum arma, conjuratumque cum Henrico Solimanum, praeter haec satis magna turbamenta rerum, alia quoque Philippi animum magnopere sollicitabant, tunc Regii pectoris arcana, postea scribentium considerationes, velut ipsi quoque in parte consiliorum fuissent. Occupabatur ancipiti cura circa erumpentes cum Romano Pontifice inimicitias, exoriensque bellum, cujus etiam victoria loco cladis haberetur; neque dubium quin ad arma veniendum foret.

Jam enim ille aversus totus in consilia spemque Gallici foederis, haud quaquam ab sua parte dilaturus bellum, magnam illam artem inter caeteras intenderat, ut subtraheret Hispano quaecumque posset adjumenta gerendi belli, concessumque Caesari decumarum jus in Ecclesiae bona, revocaret. Ea res magnis in Hispania contentionibus agitata nudaverat etiam ibi male fidos animos nonnullorum; Siliceusque Cardinalis Archiepiscopus Toletanus caput fiebat trahentium rem ad Romanum, violentae pietatis vir, & ea morum parte non absimilis Pontifici. Ajebat, liberam, immunemque esse Ecclesiam, nullis obnoxiam tributis, & piaculum mereri tam Clericos ipsos, qui pendant ea tributa, quam Reges, a quibus imperentur.

In parte tamen altera, Martinus Velascus, & Virbiesca clamabant, non debere communium onerum expertes esse, ad quos communia bona pertinerent. Innumeris pene alienationum nominibus quotidie Regio fisco detrahi quod Ecclesiae vectigalibus accedat, & semel eo collata redire numquam unde discesserint, si subsidium illud periret, non posse geri bella adversus Catholicae Religionis hostes. Id vidisse Pontificem Nicolaum, cum Clericorum bona publicis necessitatibus addicere statuisset. Sicuti cogi possent ad excubias, & alia belli munera, quae dilationem non exspectarent, ita necessariis in Ecclesiae defensione tributis adigi posse. Haec Regiae causae firmamenta oppugnando Siliceus aliique Pontificii satis ostenderant; quales erga Regem animos gererent; neque dubitaverat Cardinalis idem suspectis in hunc modum exulceratisque rebus, ex illa Toletanae Ecclesiae fortuna, quam obtinebat mittere dona Pontifici mularum, & equarum greges, & argentea vasa, pecuniae quoque numerum, tamquam Hispanis opibus armari ab se Romanum profiteretur. Ac veluti suscepto palam in omnibus negotiis contra Regem bello Toletanus Archiepiscopus in alia etiam actione sese adversarium praebuerat. Cum enim statuisset Pontifex Paulus arctiore componere disciplina sexus utriusque Benedictinos, qui Ordo late per Hispaniam pollet, eique actioni Regius Senatus, propter obnoxios decreto magnos Equitum Ordines Alcantarensem, & Compostellanum, resistere vellet, ibi quoque a Cardinale acerrime impediebantur. Atrox ingenium abominata Curia coercere virum parabat; & exacerbati sunt animi, posteaquam a Pontifice Romano judicium ipsi permissum est rerum earum, quae super hujusmodi negotiis in controversiam vocabantur. Haec satis molesta per se poterant esse Regi; sed erant molestiora, quod semina turbandarum rerum haec arte Gallorum jaciebantur, induciarumque fidem haud ultra, quam necesse esset, duraturam apparebat. Quippe etiam compertum erat, ab eodem Galliae Rege per Legatum in Anglia suum, emissariosque Calvinianos instigatam fuisse Isabellam, ut conjurationem interficiendorum Regum strueret, non quidem ulla spe facinoris tanti, sed ut patefacto ante exitum consilio plecteretur Adolescentula meritis poenis, atque sterilescente quotidie magis Regina, Scota deinde sua

A Nurus una cum paterni Regni dote Angliae quoque Regnum moliretur.

Summa rerum Hispanarum per Joannam viduam, sancte, & graviter administrabatur; sed muliebre utique regimen erat. Nimium severitatis interdum; aliquando remissius agebatur, ac ferme pars pietatis inter consilia Regni; Comitemque Geluensem ex infantis Caroli familia tradiderat in custodiam, haud aliud ob crimen, quam quia pactis jam cum aliqua nuptiis novum cogitasse matrimonium credebatur; quo negotio Principis animus ultra pueriles iras exarserat. Reliqui Magistratus, & aulae Principes, in quorum manu prima post Joannam potestas, haud quaquam omnes probabantur. B Antonius Fonseca Praeses Consilii, praeterquam quod ultima senecta invalidus, etiam anxiae religionis vitio tardior erat ad negotia, quae spiritus acres, & rerum humanarum varietati pares animos postularent. Rursus aliqui nimii animis, & violentia, callidi juris interpretes, sive adversus jura praefracti dissolvebant Imperii vim, cuncta ad arbitrium suum vocando. Summa rei pecuniariae difficultas erat, altricemque tot nationum Regiam exhauserant voraces bellorum impensae, atque Caesaris prodigentia, tot quotidianae largitiones, aut necessitates. Et odiosa remedia proponebantur ab iis qui per novas, & inexcogitatas inveniendae pecuniae vias inclarescere amant, ut aboleretur aes alienum Caesaris; C ut Magistratus & Dynastiae aliaque virtutum praemia venumdarentur; uti castigarentur aulae sumtus; ut nova cogerentur ex Indis tributa, multum ad id reclamante Japensi Episcopo, qui exactiones eas, alienationem fore Gentis docebat. Imminutio sumtuum erat aliena Majestati: consilium illud uti daretur oblivioni quidquid aeris alieni contractum a Caesare esset, haud minus indecorum habebatur. Remedia, quae erant honesta, debilia eadem, & manca reperiebantur. Non Joanna ipsa suae dotis parte, non Lusitaniae Rex hujus efflagitatione, grandi transmissa pecunia sublevaverant rem. Etiam argenti venae per id forte tempus circa Morenios repertae. Montes arctum praebuere levamen, D quamvis primae statim glebae multa millia obtulissent. Jam eo ventum erat, ut apud prudentes, & fidos praecipua calamitas duceretur, quia Rex ipse abesset. Efflagitavere per legatos, ut veniret ad res suas inspiciendas. Simul adnectebant; compositis in Hispania rebus, posse postea commodius transire in Angliam, atque inde prodire ad bellum, egressumque illum ex Insula ad multa tutissimum fore, sive tegere sua consilia, sive quaedam eludere hostium vellet. Ipse causabatur necessarium sibi prius iter in Germaniam ad Ferdinandum, & Maximilianum; ab eo colloquio proximam sibi curam fore, ut patrium Regnum inviseret.

Interea, curas Imperii varie disponebat, erigentibus E curiose animum ad novi Regis initia, quos exspectatio futuri, benevolentia, vel odio sollicitos habebat. Primum omnium missae litterae per cuncta Regna, Provinciasque subjectas; jussum se a Caesare Patre tenere Regna, quae illius fuissent; sperare divinam opem adfuturam sibi ad Imperium juste, sapienterque administrandum, memorem virtutis, & obsequii fidelissimarum Provinciarum, facturum, ut liberaliter, ac benigne tractarentur.

Hae primum litterae Philippi II. nomen circumtulere cum suae fortunae titulis; atque in tanta dominatus magnitudine, facta significatio futurae mansuetudinis laeta gentibus fuit. Rempublicam Genuensem, quae fuerat in F Caesaris tutela, & fide, complexus est eadem haereditaria cura, accepitque nominis honorem ab eis delatum, cum suae Reipublicae caput ultro ipsum nuncupassent. Alias etiam aliorum tutelas admisit, hoc unum sumendo, ut rem libertatemque eorum tueretur.

Consultandis Imperii rebus, quod Consilium Status dicitur, hi selecti: Dux Sabaudiae, Dux Albae, Ferdinandus Gonzaga, Perenotus Granvelanus, Andreas Auria, Joannes Manriquius, Antonius Toletanus, Gomecius Sylva, Bernardinus Mendocius, Lopez Padilla, Comes Cincionis, Dux Feriae, cui paulo post Regens Ficeroa ex eadem domo accessit. Inferioris Germaniae Pro-

Provinciae, pro Maria sorore Caroli, novi Regis amita, Sabaudiae Ducem, a quo regerentur, accepere. Germanica legatio mandata est Claudio Quingonensi. Veneta continuata Francisco Mexiae; legati alii, prout inclinatio negotiorum, & voluntatum ferebat; revocati domum, aut in suo munere perseverare jussi, caetera munera in aulicos, ut quisque sedulus, acer, fidus, consilio promtus, aut litterate aptus erat, dispensata. Aliqui etiam obsequiis erga Regis juventam in priore fortuna meruerant, ut ipsorum ratio nunc haberetur. Sed satis constitit, circumdatos talibus ingeniis fuisse custodes, ne pro indole illa praefecturam item administrarent. Quae munera, quive Magistratus praecipuum in obtinentium fama discrimen habebant, horum habita cura, ne aliter, quam ex vitae commendatione demandarentur. Intimus Regii fisci Scriba idemque Castellani Concilii, & bellicarum rerum Scriba Joannes Vasquez factus. Par munus in Compostellanorum Equitum Ordine, & sacrae Inquisitionis Tribunali datum Francisco Eraso; atque Erasus hic partes eas obire jussus etiam in aulicorum negotiorum curatione, quae scriptura antea non fuerat instituta; sed Hernandus Summontius custodiebat litteras, & monumenta; relatio ipsa ad Joannem Vasquez pertinebat. In rerum Italicarum Concilio, quae negotia essent recti, & aequi, quaeve Magistratuum, & munerum dispensandorum, ea scriptura penes Didacum Vargas fuit. Imperii causam, atque statum in eodem Concilio Gonzali Perezii litteris tractari commodius visum. Saganta Regni Valentiae Secretarius renuntiatus, totumque illud interioris scripturae ministerium, quo summae res, & Imperii arcana continentur, positum in hominum manu, quorum innocentiam existimatio etiam publica reveretur. In eo numero praecipuam auctoritatem Erasus, & Vargas obtinebant, quos Caesar ipse filio magnopere commendarat. Inter haec consilia pacis, ne belli quidem omittebatur cogitatio, quod cum Pontifice Paulo futurum erat maxime nova omnium, quae umquam fuere bellorum cura, cum etiam victoriae spes displiceret.

# EPITOMA

## Ad librum tertium.

*Pontifex Paulus, insita cupiditate augendae suorum fortunae, cum Galliae Rege foedus init. Res per Cardinalem Lotharingium, & Turnonium transacta. Perscribuntur foederis leges. Inscio Rege foedus initum. Id, vel hominum calliditate, vel violentia factum. Ferdinandus Toletanus, Italici Exercitus Imperator, trahens ex longinquo mala, in quae Foederatorum consilia eruptura essent, in periculi necessitatem intenditur. Mox inter Hispanum, & Gallum induciae declarantur. Ad inopinatae rei famam perculsus Pontifex, abdens dolorem animi, cum aliqua tamen imitatione laetitiae, Jubilaeum, & Supplicationem decernit. Cardinalis Carafa, ultra tegere animi sui dolorem nesciens, abrupta dissimulatione, de induciis acerbe queritur cum Sommae Duce. Cardinalis querela ad Galliae Regem perfertur. Rex Galliae fluctuat inter consilia damnandi, probandique pactas cum Catholico inducias, variis hinc pro Catholico, hinc pro Pontifice, hominum sermonibus. Pontifex apta simulatione pacis, missa quoque ad rei fidem legatione, novas belli spes molitur. Per Cosmum Medicaeum Florentiae Ducem ars detegitur, promta quoque secretis eliciendis amicorum dexteritate, explorantium consilia & meditamenta Carafarum. Hinc aula potius ipsa observans aliorum consilia, quam ut sua observari velit, cum nota Romanae calliditatis in Catholici Regis amicos falsum conjurationis crimen comminiscitur. Credita conjuratione, promta statim indignatione in Catholicos, Pontifex Cardinalem S. Florae, & Carolum Columnam, immisso satellite sisti jubet. Nec in sexus reverentiam parcitur Joannae Aragoniae, Regiae stirpis Feminae, quae subito vetita pedem efferre domo, & custodita milite, ementita tamen nomen, & habitum, vincula, & iras Pontificis effugit. Hinc pudore irritae, & vacuae indignationis, illinc Pontificiae violatae auctoritatis verecundia, hoc ipso etiam stimulante animum, quod saeviendi potestas, & licentia erepta esset, diris omnibus, & maledictis Columnarum genus consectatur. Minas deinde, & minis haud dissimilia verba jaciens in Hispanum, tamquam istius ope, & potentia niterentur Columnae, hostilia omnia in Regem, in Columnas intentat, diripitque Pallianum, & Dominum dejicit. Nec parcit indignatio Pontificis locis aliis, in quae jus, & potestas Gentis hujus. Datur Pallianum Joanni Carafae. Toparchia Cavarum Diomedi Joannis filio. Toparchia Bagariensis Antonio attributa. Nequidquam apud surdas, & superbas Pontificis aures obstrepentibus ob facti indignitatem iis, quorum dignitas haec, & facultas esset. Majorem belli molem trahentem Pontificis animum, blandiente coeptis aula, nova rerum gerendarum consilia excipiunt. Calentem adhuc ira Pontificem, stimulantibus nativis etiam amicorum odiis erga Hispanum nomen, itur ad arma contra Regem. Male rem auspicatur, non satis apta in id tempus recenti Florentiae Ducis, ob Gagni necem, alienatione. Mox explicando militem, quem ex Tirolensi agro exciverat Dux, & objiciendo arma Ecclesiae finibus, Florentinus Romanum exterret. Hinc callida simul & trepida Pauli compellatio, sed compellationi par Medicaei responsum. Interea traducto ad Neapolim Toletano, imminet cura Pontifici de futuro pro Catholicis armis Duce. Toletani fama per Italiam multis victoriis celebrata, & terribile nomen Pontifici. Orta suspicione veneni turbatur aula. Suspicio in Hispanum statim collata, promptis ad flagitii fidem Aulicorum criminationibus. Nova Pontificis indignatio, & sollicitudo ob veneni suspicionem, etiam cum taedio vitae. Regi Catholico, missis in aulam litteris petentibus, dimitti captivos, atrox Pauli responsum; Non satis dignum Pontifice, nec item dignum Rege, qui peteret. Sarriensi Dynastae Regio apud Pontificem Legato, necessarios aditus intercludi coeptum. Mox etiam negari non puduit. Super hac re non querelas solum, sed minas etiam a Rege acceptas ad Paulum perscribit Granvelanus Episcopus, in Catholica aula Pontificius Legatus. Pontifex condit animo, more implacabilium Principum, iras, ad nova belli subsidia, & apparatus rerum, quas moliretur, erupturas. Infida omnia, & suspecta Pontifici: propterea jubet intercipi litteras, hinc Roma ad Albae Ducem, illinc ab Duce Romam commeantes. Intercipitur epistola, non vulgato litterarum ordine perscripta, sed numeris, & punctis, & notis, quas Hispani secreta machinatione pepigerant. Hinc inextricabilis error obnitentium cum varietate illa, & incertis litterarum notis, hinc metus, & sollicitudo Pauli. Varie disseritur de bello, accipiente Pontifice sententias, quae in partem utramque afferrentur. Magna deinde Pauli negotiatio Ferrariam, Venetiasque aversa. Ferrariensis implacabilem animum in Catholicum gerens ob Mutinam, & Rhegium, controversas Urbes, & Octavii Farnesii restitutionem, impatiens veluti objectae potentiae, jungitur cum Pontifice. Irrita Romani apud Venetos de foedere Legatio. Hispanus Legatus a Venetis Senatum accipit. Senatus de Legatione responsum, quale non solum cuperet Hispanus, sed quale nec cuperet Romanus.*

# JOSEPHI RIPAMONTII
## CANONICI SCALENSIS CHRONISTAE URBIS MEDIOLANI
# HISTORIARUM
## A
# PHILIPPO II. REGNANTE,
## LIBER III.

STATIM ubi Paulus IV. ejus animi Pontifex eaque succinctus necessitudinum, & consiliorum turba, quae demonstrata est, stetit in summo rerum fastigio, primam illam inter humana curam agitabat, ut familia, quae Pontificem Maximum habuisset, semelque esset dominata terris, etiam post breve Pontificatus aevum, aliquam prioris fortunae imaginem teneret. Neque erat ipse natura tantopere avidus potentiae augendae, sed proximorum stimuli accedebant, subdebanturque faces invalido seni, quo flagrantius cuperet. Et erat, ut dixi, violentia ad id, quod semel destinasset insita animo, quatuorque, & octoginta natus annos, aegre suam, aegre suorum cupidinem regere poterat in ea re, cujus studia circa vitae finem in hominum animis impotentiora esse solent. Non autem ille sacerdotiis opulentis, & magnis Ecclesiae vectigalibus amplificare Domum agitabat, quo saepe modo Pontificum posteri sese Principibus inseruere. Magna imperia, & mansurae domi urbium atque terrarum haereditates quaerebantur. Id negotium ardui moliminis erat, nec nisi turbatarum rerum praemium, quod ut proveniret, immittendum esse belli discrimen, factionesque & certamina Principum, proximi stimulatores occultis inter se consiliis decreverant. Facile aegrum animum Pontificis impulere, statimque ille quid meditaretur, promere coepit sermonibus ambiguis, vel apparatu rerum, atque consiliorum manifesto; sive non erat natura magnus forte dissimulator, sive violentia insita animo dissimulationem etiam abruperat.

Crebrae querimoniae jaciebantur in Caesaris tempora, crebrae in successorem Philippum, quod Ecclesiae terras, neque omisisset ille, neque iste esse omissurus videretur. Si Christi Vicarius esset ipse, si Petri sedem teneret, experiri velle in conspectu generis humani, num eas Ecclesiae suae injurias & damna vindicare posset. Foedus inde cum Galliae Rege diu meditatum instrumentum commovendis rebus initur; simul Veneti velut accessio foederis ejus quaesiti: res agitata per duos Cardinales, Lotharingiensem, & Turnonium; hi cum Regio Legato transegere cuncta. Lotharingius etiam Venetias negotii causa contendit adeo rapidus & praeceps, ut ne Ferrariae quidem substiterit apud amicum foederatumque Ducem, cum per Urbem eam transiret.

Foedus hisce legibus inibatur: *Rex Galliae Carafas in fidem suam accipiet, omnique ope tuebitur. Exercitum in Italiam mittet, qui undecim millium & sexcentorum summam ut minimum efficiat, eruntque decem millia peditum mista ex Helvetiis & Gallis, cataphracti equites quadringenti, mille & ducenti velites; Ducem his copiis e Principum numero nobilissimum dabit. Pontifex Paulus, decem millia conficiet Italici generis; tormenta, commeatum, & munitiones expediet sua cura, partis utriusque sumtu. Pars utraque gerendae rei pecuniae summam repraesentabit, eaque pecunia Venetiis deponetur, ab Rege quidem trecenta millia nummûm aureorum, ab Romano vero millia centum & quinquaginta. Bellum adversus Etruriam & Neapolim geretur; si victoria parta erit, belli praemia Regiae prolis unus habebit. Is quadraginta millia nummûm aureorum Apostolicae Sedi tributi nomine quotannis pendet. Pari conditione Sicilia Romano vectigalis fiet. Montorii Comes, & Antonius Carafa, duo Pontificis propinqui, terras sive dynastias habento, ex quibus vicena quina millia nummûm aureorum annua respiciantur. Si bellum in Insubriae fines transcenderit, Pontifex in eadem parte sumtuum esto, si transcenderit in Subalpinos, immunis esto. Mediolanense Imperium ex Regiis liberis habeto, praeter Delphinum, ille, quem Rex id Imperium habere volet. Civitates, & loca, quae fuerant olim Ecclesiae, restituentur. Dux Florentiae nomine imperioque illo spoliabitur; reddetur sua Senensibus libertas. Finium Ecclesiae limes statuetur, ab una parte, per Apennini montes usque ad mare Hadriaticum, qua flumen Aternus decurrit, ab altera per Latium, & Brutios usque ad Lirim amnem.* Hisce conditionibus foederati consciverant bellum Catholico Regi, quod inferrent, regente animos eorum cupidine, quae cerni rerum difficultates prohibebat; ac sicuti mos est animo humano, incerta fortunae procul dubio suis votis assimulabant.

Scio ego, Galliae Regem, de foedere illo, foederisque conditionibus haud antea comperti quidquam habuisse, quam per Cardinales Turnonensem, atque Lotharingium, amicosque alios transacta omnia essent; eos demum, ubi cum Pontifice res convenerit, Lansachium quemdam confestim in Galliam misisse, qui conditiones Regi firmandas offerret. Tanta hominibus illis hujus negotii aviditas fuit.

Ferdinandus Toletanus hoc tempore Mediolani erat cum Imperio, & potestate majore, quam quanta aliis esse consuevit, qui ad provinciam eam obtinendam a Catholico Rege destinantur. Vicarium in Italia Generalem appellabant, quod fere vocabulum, & par potestas Exarchis fuit, cum Graecia nobis imperitaret. Is Toletanus militares copias auxerat numero, disciplina, legibusque constituerat, & Hispani nominis dignitas instaurata per eum haud dubie censebatur. Legatum habebat Garsiam Toletanum gentilem suum, qui prima post Imperatorem potestate, erat etiam ei proximus in rei militaris fama. Caeteri Praefecti per exercitum, pares inter se nobilitate generis, & armorum usu, quos Catholici Regis Majestas, quos etiam Toletani Ducis fama pro Sabaudiae Duce adversus Galliae Regem armarat. Piscariae sive Aterni Demarchus erat Magister equitum: Praefectus castrorum Caesar Neapolitanus; Vespasianus Gonzaga militem Italum ductabat. Exercitus ipse varia fortuna dimicaverat in Subalpinis, auditoque foedere Toletanus erexerat animum ut praesto esset ad omnia pericula, quae negotium illud afferre posset.

Mox ipsi inter se Reges, Hispanus, & Gallus inducias pepigere. Cujus rei nuntio Pontifex haud sane laetus, dedit famae tamen, ut videretur, solennique carmine ad D. Petri aram veneratus est Numen; Jubilaeum, & supplicationem decrevit. Docuerat ea species Christi Vicarium, humani generis rectorem, interiore sensu quietem illam armorum, ut rationibus suis inimicam accepisse creditus est. Tota Carafarum domus altius moerebat, & Cardinalis Carolus ante alios angebatur.

Erat ei familiaris usus, & communicatio consiliorum cum Sommae Duce, exsule Neapolitano, quem Rex Galliae comiter acceptum inter amicos habebat. Nunc iratus Carafa jubet suo nomine sic dicere Regi: *Quod caeterarum utilitatum causa, foederis oblitus Pontificem Maximum deseruisset, eam rem in posterum fore apud* Ca-

Carafarum animos documento, ne illius fiducia moliri aut tentare quidquam amplius velint, interposita promissorum ejus fide omisisse foedus, & amicitiam, quam cum Catholico Rege inire stabilem, firmamque potuissent; nunc ab eo sic repente fuisse destitutos. Si gratiam Hispanorum quaereret sibi Galliae Rex, eaque compendia meditaretur, quanto aequius, humaniusque fuisse tunc nudari animum, cum de foedere coeptum agi sit, quo sese Pontifex ei totum committeret. Verum enim vero, non omnia damna stare intra Carafarum domum sciret Galliae Rex, quemadmodum ipse sibi certos jam, & patentes in Italiam aditus ea frustratione praeclusisset. Sed atrociora quaedam etiam fuerunt a Cardinale mandata, quae dicerentur in desertam, & proditam fidem, suppressa, sicut arbitror, ab exsule, siquidem ille reputavit superbas Regum aures, fortunam suam, & Cardinalis ipsius iras, quarum dicta moderari fidelis amici officium esset.

Suffecerant tamen ea, quae dici potuere perturbando Regis animo, ne pactis cum Catholico Rege induciis magnopere delectaretur utque etiam illic nutaret. Et incertum per se animum quatiebant insuper variae amicorum sententiae, quae pro Hispano, sive contra Pontificem dicebantur. Nam Cardinalis Lotharingiae, cum ab Veneta legatione prope irritus Lutetiam venisset, cognito induciarum negotio, liberius, quam ut meminisse Regii nominis videretur, improbavit factum, fraudemque, & proditionem propriis nominibus incusavit, vaticinando, quemadmodum induciae illae ad infensius dissidium erupturae essent. Congruentia his Ghisae fratres disserebant praecipua tunc apud Regem gratia, & cupidine armorum impatientes otii. At Anna Momoransius nihilo segnior ad bella, sed animo quieto spectans Regni utilitatem, & salutem Regis, induciarum fidem laudabat.

Pontifex Paulus, & Carafae caeteri, ad novam, & magnam artem adjecerant animum, ut, quoniam spes primas induciae peremissent, tota saltem pax fieret inter Reges, quam deinde pati nequirent Regnorum vicinitas, & magnitudo, rursusque ad arma iretur. Itaque translato in hanc partem artificio, & conatu, Cardinales duo, Carafa, & Motola, in Galliam ille, hic in Belgium missi, simul ad gratulandum Regibus, quod positis in tempus armis, quietem eam, & sumsissent sibi, & aliis dedissent; simul ad precandum, ut ejus boni fructum ex temporario perpetuum facerent, pulcherrimoque munere afficerent Pontificem Maximum & humanum genus. Interea tamen, & Rustichela quidem a Pontifice fuit in Gallia offerens Regi magna militum Italorum auxilia; commeatus, & omnis generis armaturam, si manere in foedere vellet; annotatumque est, Cardinalem Motolam vitato Caesaris congressu, per Belgium eodem excurrisse.

Id diversae negotiationis indicium acceptum est, quam cujus titulum, & speciem usurpabant; nec fere latebat Hispanum aliquid eorum, quae in Gallia, quaeve Romae circa foedus agerentur. Explorabantur omnia per Cosmum Medicaeum Florentiae Ducem, & comperta referebantur invitamento spei, cum qua Senarum Urbem Princeps ille respiciebat. Namque Urbs Senarum capta Caroli armis, uti demonstratum est, & concessa Philippo erat, arbitriumque permissum, sive retinere cum caetero Imperio Provinciam eam, sive abalienare mallet. Huic igitur imminentem spei Medicaeum habebat illa cura, ne deesset ulli officio vel arti, quae ad promerendum id munus pertineret. Ac tanto intentior agebat hoc tempore studiis, & obsequiis erga Catholicum Regem transmittendo ad illum omnia, quae fiebant, quanto plures difficultates esse sibi in eo Senensi negotio superandas videbat, adversante nimirum Burgensi Cardinale Rectore Urbis, & ipsa nobilitate reclamante, ne subire cogerentur id jugum.

Romae Cardinalis Sanctae Florae magnum Hispaniensis tutelae nomen gerens, sub ejus obtentu nominis suas ipse quoque spes agitabat, ut in eodem Senensi agro Castellum sive oppidum aliquod fidei, vel curae praemium ab Rege Catholico adipisceretur. Praeterea Camillus Columna, Julianus Caesarinus, & Marcus Antonius Columna, Romanae nobilitatis Principes suo quisque erga Catholicum studio solliciti erant, ut exciperent consilia, quae coquebantur in illa turbulenta Carafarum domo.

Consultabant etiam frequenter inter sese conferentes indicia, & pericula, summamque rerum; unde crimen ortum conjurasse adversus Pontificem eos, & consilia in caput ejus iniri; Marci Antonii Columnae aedes receptaculum esse conjuratis; Hispanae factionis homines congregari eo velut in arcem. Haec ab inimicis falso jactata fidem inveniebant ex eo, quod & vere coibant Principes, & Scribam suum Lotinum Cardinalis Sanctae Florae ad Caesarem destinarat simplicius incautiusque, quam ut fallere Pontificios homines potuisset.

Credulo seni, & initium armorum quaerenti, satis id causae visum, cur aliquid negotii gerere aggrederetur. Itaque Cardinalem ipsum Sanctae Florae, & Camillum Columnam prehendi, & in vincula duci confestim jubet. Quo minus etiam Marcus Antonius Columna comprehenderetur, id causae fuit, quod praemonitus a Lotino Pallianum abdiderat sese, ubi avitum Imperium ipsi, facilisque transitus in Neapolitanum agrum, cujus Regni magister Equitum ille erat. Et Columna quidem irati sic Pontificis manus effugit. Caeterum, nihil fere potuit hostile in absentem fieri, quin edita sint exempla in exsulis nomen famamque, & fortunas, & genus.

Joanna Aragonia Regiae stirpis femina Marci Antonii Columnae mater erat. Ea post filii fugam, verita ne parum praesidii esset in sexus verecundia, cui parceretur etiam inter promiscuas caedes, iisdem insistere vestigiis agitaverat primo, deinde vetita pedem efferre domo, & custodita Pontificis jussu, evasit tamen ementita nomen, & habitum, formamque Porciae Vambeccarae, cui matronae mos erat albescente die in suburbanos hortos vehi. Ob muliebrem eam fraudem Pontifex exarsit adeo, ut misso nequidquam ad insequendum equitatu, jusserit in furcam agi custodes; uniusque innoxiae mulieris fuga multis etiam innocentibus exitium tulit.

Frequenti deinde Senatu orsus ab stirpe ultima maledicta in Columnarum nomen, familiam eam, & ipsius fautores acerbissime est detestatus. Retulit Sarae Columnae sacrilegas in Bonifacium Octavum manus, Cardinalis Pompeji in Julium Secundum arma; non Clementi Septimo, non Paulo Tertio per Columnas hosce tutam fuisse Pontificatus majestatem, Julium Tertium ab eisdem esse violatum: ubicumque fuerint Apostolicae Sedis hostes, ibi semper etiam studia favoremque Columnarum exstitisse. Ideo solennes illas diras, & imprecationes in stirpem hanc esse compositas, exsutamque domum omni jure Sacrorum, nec tamen justa, & Apostolica in rebelle genus animadversione quidquam esse effectum. Marcum Antonium hunc exortum novissime esse nihil degenerem a furore majorum, qui patrem ipse suum everterit fortunis, qui Christi Vicario adimere vitam, & spiritum conetur.

Haec, & alia cum diceret tumens indignatione Pontifex Paulus, jecerat haud obscure tamquam inter crimina Columnarum gentis, quod Hispanorum opibus, & favore niterentur. Quas intolerandas opes, & Orbi terrarum immodicum Imperium, haud mirum fore, si coercere ipse intra terminos pararet, simul & infidas Apostolicae Sedi familias delere. Hactenus verba irati, & minitabundi senis fuerant: mox res ipsa subsecuta est tam atroci comminationi minime dispar; ut consilia vetera illa, non repentinas iras esse appareret.

Confestim aguntur omnia violenter, hostiliter, cupide in Hispanum nomen, in Columnarum genus pro domo sua, subibatque horror, & admiratio cunctorum animos reputantium, unde nam tanta vecordia, tantus famae contemtus in Pontificis animo, qui gravis alioqui & probus haberetur; atque esset. Exoleverat apud multos reverentia Pontificiae majestatis offensione rerum, quas fieri per odium, & ambitionem censebant. Non justum, neque legitimum Ecclesiae Principem esse, qui ageret sic omnia, & ferret, atque permisceret.

Sed profecto in aestimanda Pontificum vita & varietate consiliorum, & actionum, constantissime tenendum est illud, quod definivere sapientes viri. Pontificem, scilicet, hominem esse unum, assumtum ex mortalium numero ad regendam Ecclesiae navim, publicae salutis causa, cui homini coeleste Numen adsit, ne a recto Catholicae fidei cursu ulla in re aberret umquam. Ita, quatenus assumtus sit ex humanae naturae coeno, posse flagrare cupidinibus, ardere ira, in media mortalitatis contagione versari, nisi virtute sua commune naturae vitium vincat. Quatenus vero sit fidei, Religionisque custos, nusquam delinquere, nusquam labi. Paulus hic, etiam ad caetera laudatus, & honestus, in eo deformabat ipse sibi nomen, & famam, quod suos extollere, Imperiumque Catholicum elidere infelici nimium destinatione penitus imbibisset.

Mallem equidem vera esse, quae de proferendis Ecclesiae finibus, & vindicanda Neapolitani Regni possessione jactabantur in ipso movendarum rerum principio, & conatu; sed praeciditur haec defensio, translata statim in Pontificis propinquos eorum fortuna, qui spoliati sunt, ut bellum inciperetur. Nec ego ad scribendum veni, ut facta mortuorum insectarer, blandirerve praesenti ullorum hominum potentiae, quae non eget hisce litteris; tantum incesserat animo simplex cura, ut hominibus venturis narrarem aetatis nostrae casus, quales memoria multorum adhuc teste ferebantur.

Postquam Paulus in Senatu profugum Columnam, ea, quam retulimus, oratione est insectatus, missis ad invadendum Pallianum copiis, tentavit, invenitque viam bello, quod gerere in animo habebat. Nam capto Palliano transitur in proxima Neapolitani agri signis infestis, nec ultra dissimulari quidquam opus fuit. Pallianum deinde ipsum, dejecto Columna, datur Joanni Carafae: dirae coelestes cum horrendo carmine intentantur, si qui tegere, vel ullo modo juvare exsulem velint. Diomedi Joannis filio toparchia Cavarum, Antonio Carafae toparchia Bagariensis attributa est, objectumque veteri domino super caetera crimen etiam illud, quod missas ad Pontificem Maximum ex Gallia litteras intercepisset.

Inhorruerant, ut dixi, Patres ea spoliatione, sed multo magis, quod exsuviae illae miserabiles protinus in Pontificia domo conspicerentur. Alii cunctanter, & aegre subsignavere diplomata, suntque ob eam rem jure signi privati nonnulli, attonitis omnibus ad tantarum rerum initia, praeter ipsam Pontificis domum, quae novae dominationis insignibus renidebat. Sed nec ibi quidem sinceram tunc fuisse laetitiam arbitror, turbante, sicut existimari licet, oculos animosque spoliorum alienorum adspectu, & in contrarium casurae felicitatis praesagio.

Caetera deinde aguntur pari violentia, nulla praetermissa re, quae nobilitare Hispani, vel Austriaci nominis odium posset. Suspicionibus, & belli facie complentur omnia. Pellitur ex urbe Cardinalis Estensis, & ablata Cardinali Sanctae Florae Bracianensis arcis tessera, novum praesidium, novusque Praefectus impositus ei arci, quia gener Florentiae Ducis Ursinus, & nota Florentini fides erga Catholicum erat. Interciderat sortis humanae commercium in Urbe, quae patria communis, & domicilium omnium gentium esset, & familiaria inter amicos colloquia credita litterarum fidei deflorabantur a Pontifice Maximo solita Principum fraude, ubi parari sibi fraudem putant. Nec minutae tantum Epistolae praecipitabantur in insidias; etiam arcana mandata Regûm eodem ludibrio conflictata prout placuerat, reddebantur itineri, sive indigne extra iter peribant, habebatque temporis illius aula callidos artifices ad introspicienda sensa quamvis forent inexplicabilibus illigata notis, ut etiam harum vana jam ars esset.

Suspensa talibus factis, & attonita Urbe, pars malorum fuit novus Palliani Dux ad capessenda nominis ejus solennia circumvectus atque monstratus Foro, in quo postea relicturus erat illud non suo diademate nitens caput. Deduxere pompam Romani Principes, pars laeti propter inimicitias cum exsule Columna, pars moesti propter necessitudines immeritumque casum, & exemplum atrox omnibus videbatur. Sed nisi vellent ipsi quoque exemplum fieri, caerimoniam illam effusa cum adulatione celebrare debuerunt. Cardinalium aliqui, quibus ea tuta libertas fuit, petiere a Pontifice, ne pergeret sic effundere omnem Catholici Regis gratiam, neve tantopere amicos ejus insectaretur; consideraret utique quanta illic potentia, qualis ille amicus, & quale ad omnia praesidium foret. Ad ea respondebat; omnem sibi spem in amplitudine suae domus esse collocatam; ut autem immortalis atque sempiterna domui foret amplitudo, nulla Regum munificentia, thesaurisve consecuturum, sed si magna Imperia suis dedisset. Pontificatus eam esse celsitudinem, & majestatem, quae Reges omnes, & Caesares infra sese despectaret.

Hos Pontificis animos inflabant viri Principes ex Gallia, qui tunc erant in Urbe, Legatus Regis Ambazona, Cardinalis Arminaccus, & Dynasta Lanasaccus, magna per totam aulam gratia, stimulatores assidui, & instructi mandatis atque facultatibus ab Rege suo, quae facultates, & mandata praesenti rerum fide stimulos etiam ipsos adjuvarent. Monebant, ut Hispanos istos properaret urgere vi Romana, dum parata in idipsum omnia, dum Galliae Regem haberet; haud aliter quam eo minuto fastigio posse Carafarum domum extolli, praesto fore pecuniam, & militem, qui Parmae, quive ad Mirandulam esset. Adjiciebant quoque consilium, ne committeret arma cuiquam extra propinquos suos; haud facile alibi parem fidem, & tale robur animorum posse inveniri. Id solum artificium deerat ad impellendum senem, quo promtius, atque confidentius ageret, ac sese demitteret in tanti discriminis aleam. Placuerat testimonium, & adulatio de bellica virtute suorum, & ad id, quod sua sponte destinabat, assumtis libenter auctoribus, Joannem Carafam Ecclesiae vexilliferum creat, haud parva in Urbini Ducem injuria, quem penes ea dignatio prius fuit. Sed Urbinati quidem citra contumeliam, ac sine dolore accepta res est, propterea quod ab Catholico Rege per eos forte dies ultro expetitus erat Italicorum exercituum Imperator cum stipendio quantum accipere ne Principi quidem viro foret indecorum.

Pontifex vero creditus est pessimo rudimento rem militarem inchoasse, quod talem virum innutritum armis, consilio bonum, etiam situ terrarum, & arcium opportunitate, magnum belli momentum in utram sese partem dedisset, alienarat. Alienatus est etiam, & offensus eodem tempore Dux Florentiae, ut qui jam antea stabat ab Catholico Rege propter spes utilitatesque suas, nunc staret contra Pontificem ob iram, quae casu quodam hujusmodi commota est primo, deinde dissimulata simul, & implacabiliter aucta Principum ritu.

Baptista quidam erat Gagnus, natione Tuscus, ex ea mortalium nota quos inquietus animus, & amor exitii stimulat in Principes suos, ut clarescere magnis illis inimicitiis velint. Et aderant huic homini praeter vecordiam insitam ac pereundi dulcedinem, plusquam modicae opes, & immodica lingua, duo magna finis incitamenta, quem invenit. Nam oblitus in alieno Imperio esse sibi fortunam illam, abutebatur opibus, & per intemperantiam linguae, vera simul & falsa jactabat in originem ejus Imperii, non sinens oblitterari memoriam, quae sua sponte jam exolescebat. Adverterat in se Principem factis juxta & dictis, & haud dubie perduellionis reus in arcano prius, dein palam agebatur. Forte hic Gagnus aufugerat Romam metuens vicina jam mala, quae longinqua contemsisset. Ibi quoque pertinax, & desperatus exsul, saeviebat probris in Medicaeum; ac repertae erant Epistolae meriturae id, quod accidit, etiamsi nihil aliud antecessisset. Interficitur Gagnus longa Ducis manu, nec de necis auctore dubitatum. Pontifex Paulus, parum considerato, quantae tunc sibi res moverentur, parvarum quoque rerum vindex, jecit in Hetruscum minas, quod ejus mandato, in sua Roma, ante oculos prope suos patrata nobilis viri esset caedes. Edere velle exemplum, ne Principum alius talia

talia in posterum ausit. Eae minarum ambages, vel potius sine ambagibus minae, irritavere Ducis animum, & magnopere perturbatus, quod propter unum extorre, & rebelle animal trepidare juberetur, pro denunciatione verborum, reddere Pontifici malum aliquod cupiebat. Itaque ex eo die non monitor modo sollicitus apud Catholicum Regem omnium rerum, quae palam, quaeve occulte per Carafas agitarentur, sed etiam hortator ad inferendum bellum erat, castigator etiam apud Regios inutilis morae si domi hostis exspectaretur.

Pervicit, ut sex millia Germanorum excirentur ex Tirolensi agro, virtutis expertae miles, & ob sacramenti religionem fidus. Qua Tuscus ager Ecclesiae finibus conterminus est, praesidia, stationesque duplicavit, disposuit equitum turmas, & belli moles in Hetruria jam exterruerat Romanum. Unde trepida, & artificiosa statim ipsius Pauli compellatio, callidumque adversus eum Medicaei responsum, nec modicus eorum risus quibus eae Principum ludificationes innotuere. Cum enim jussisset Paulus interrogari Ducem, quonam ille belli apparatus pertineret, eumdemque moneret, posse suspicionem aliquam oriri ex tali apparatu, quae turbaret inducias Regum; respondit ad ea Florentinus: muniri parumper eos fines contra conatus, & meditamenta Gallorum. Ubi satis in praesentia securitati provisum esset, Catholico Regi habendam fore rationem, ut Senarum Urbem, vel in Ecclesiae jus ditionemque contribuat, vel assignet Carafarum fratrum uni, qui procul inde arcere hostem possit. Nescio ego quaenam apud eos, qui tunc erant homines, fuerit cavilli hujus interpretatio; certe non alia debuit esse, quam ut, vel aviditas nimia terrarum exprobrata Pontifici sic intelligeretur, vel etiam spes objecta potiundae Urbis, qua spe averteretur Pontificis animus a societate Gallorum, & potius ad Hispanum tanti muneris arbitrum inclinaret.

Cum hic status Italiae rerum, & Romanum haud dubie bellum in exspectatione esset, jussit Rex Catholicus Albae Ducem ad Neapolitani Regni custodiam transire, Mediolanensis Provinciae gubernacula divisit inter Piscariae Demarchum, Cardinalem Tridentinum, ille rem militarem cum Joanne Baptista Castaldo, hic civilem statum obtinere jussus. Quae partium, & imperiorum divisio, ab initio prudenter instituta, rerum exitu damnosa, inutilisque reperta est, & infausto Triumviratui postea cognomen fuit. Dux Albae cum exercitus praefectis Mediolano Genuam progressus, & ad Liburnum portum cum Burgensi Cardinale, & Cosmo Medicaeo de Pauli consiliis, & ratione belli collocutus, prospero cursu Neapolim pervenit. Accepere Neapolitani, laeti propter hominis famam, sive minus laeti, queis aliqua cura rerum mutationis, & versa in Carafas studia, vel quia cives ejus urbis, vel quia propinqui nonnullis erant.

Recreatus est in primis ejus adventu Ferdinandus Gonzaga, quem in provincia Mediolanensi sancte, integreque versatum, obtrectatio, & livor falsis criminibus apud Regem onerarant, ac nunc cum incremento famae purgatus, & defensus Neapoli morabatur accipiendis ibi praemiis, quae Rex ei nuper ad calumniae solatium, vel innocentiae monumentum assignarat. Ascanius Columna Marci Antonii pater pulsus a filio, suspectus Regi, carcere clausus, finem sibi vinculorum speraverat adventu Toletani. Pro eo, laxior custodia data est, ne, si vera forent perfidiae crimina, tamquam irritata vinculis fera impensius saeviret, caeteri Neapolitanorum Principum, ut cuique tunc apta fuit severitas, aut indulgentia, mediumve quiddam, opportune ad praesentem rerum statum accepti, coerciti, vel deliniti; forma tota Civitatis, & res bellica, praesidiaque Regni sine strepitu constituta, & ordinata.

Pervaserat hinc facile Romam fama Toletani Ducis, antea quoque celebrata per Italiam; ac si foret inter Carafas integri quidquam & sani potuerant aliqua ex parte consulere Romanis rebus, intuentes ex proximo artes, & instituta viri, quem parari sibi in acie contraria Imperatorem videbant. Sed profecto nihil aliud, quam temere, & inconsulte agendi omnia certamen inter ipsos erat, quodque fit, ubi plures regnant, etiam recta consilia pravis corrumpebantur, & subnixum talium fide Pontificem, involvi suis alienisque erroribus oportebat.

Vir utique, sicut antea dixi, cupidus honestatis, & a natura recte informatus, levioribus vitiis obnoxius Pontifex ille erat, quae continuata gliscunt juxta pestes humani animi alias, & nisi coercita sint, ex cubiculi finibus ad publica saepe negotia redundant, nec aliunde plus damni. Credulus, iracundus, timidus, propositi nimium tenax, umbras pavens; hi simplicissimi mores, innoxia vitia, cum magnis virtutibus inveterata nunc mala erant in consultatione rerum, & in parte belli, quod parabatur, augebanturque gravioribus proximorum vitiis, & malis.

Matthaeus in aula tunc fuit quidam affinis Pontificis, acerrimus Hispanorum insectator, & naturali pene dissidio inimicus Genti; tumultuosus idem, & audax, & artifex magnus ad comminiscenda, & simulanda, quae vellet. Idem, quia non erat ex Carafarum domo, potiores apud Pontificem aequare consobrinos ut posset, adlaborabat omnibus modis, praecipue autem cura, & custodia circa senis vitam, quas sibi partes depoposcerat, ejusque vigiliae simulatione, vel fidelitate, Pontifici simul, & consobrinis inter praesidia domus habebatur. Forte hic homo, coenante in hortis Pontifice, cum dapes ab atriensibus inferrentur, commeans per conclavia, mensis assistens, singulosque missus introspectans exclamare coepit, infectum quippiam esse veneno; ac turbata per clamorem, & metum coena, suspicio statim omnis in Hispani alicujus dolum inclinatur. Ea res e timido, & suspicioso, miserabiliter inquietum, anxiumque Pontificem fecit, ut non mensa deinde, non cubile, non vestimenta, non corporis custodes, non denique hominum alloquia citra sollicitudinem forent. Qui timores, & in quotidiana vita difficiliorem eum faciebant, & consilii capiendi prudentiam atque celeritatem impediebant; nec interea negotium ullum erat, in quo suscepta olim insectatione Hispanorum abstineretur.

Ac tanta fuit insectatio, ut Sarriae Demarchus, qui tunc Romae Catholici Regis legatus erat, ingenii praefervidi vir, & ea morum parte bello aptior, quam paci, domita propter necessitatem animi sui ferocia, Pontificem adierit supplex, & manantibus prope lacrymis obsecravit, ne Regem suum, amicosve Regis, Christi Vicarius acerbe sic, & inimice tractaret. Respiceret humani generis Rector publicam quietem, & pacem in discrimen adductam ex eo tempore, quo sese ille cum Gallis per nota, per occulta pacta consociare voluisset. Cogitaret, Catholicum Regem obsequio, & fide erga Sedem Apostolicam secundum esse nemini; nec praemia Carafarum Domum aliunde largiora posse exspectare. Ferebatur etiam legatus idem, sive sponte sua, sive Regis jussu nonnihil intulisse de concedendo Senarum dominatu potius, quam ut moverentur arma ea, quae turbatura Christianum Orbem essent. Liberiore hinc oratione, ac suo spiritu, consilia Cardinalium nonnullorum incusavit; eos quandocumque de rebus Hispanis agatur, dicere sententias, & facere decreta, quorum & poenitere posset, & pudere; spoliationes, & vincula, & indigna dictu, quae Regis amicis accidissent, scire se quorum arte conflata fuerint. Melius, & Ordini Sacro convenientius in posterum esse facturos, si rerum aliarum obliti unicam aequitatis, & justitiae rationem haberent.

Vera erat, & justa querela Legati. Sed Paulus animum obdurarat; nec fere adhibebat in consilium alios e Cardinalium numero, quam qui, gloriosum fore opus pulsam ex Italia nationem Hispanorum suadebant. Et gnari plerique sensuum Pontificis, ubi pertimuerant illius timores, atque nutantem interdum ad pericula, sive promissa animum, opponebant capitale illud; quod ista Hispanorum natio pene diripuisset ipsum e Petri Sede, cum divinitus illuc extolleretur. Ea, scilicet, extrema erat machina volentibus bellum, nec ulla magis res implacabilem Hispano Carafam dabat.

Rex Philippus, ut Cardinalem Sanctae Florae, caeterosque sua causa captivos eximeret carcere, Columnamque restitueret, Garcilasum Vegam extra ordinem legavit cum mandatis, & litteris, quales justus dolor, & ira, & modestia erga Pontificem Maximum Hispana quoque Majestas scribere potuerunt. Earum litterarum sententia fuit hujusmodi: *Terribilem esse Pontificem hominibus Hispanis; eos eximeret arce quando nihil offendissent, restitueretur in suas opes Marcus Antonius Columna, qui nullo scelere violasset Ecclesiam, quive sibi defendendus esset. Consideraret postulata tam justa Pontifex, & exsequeretur.*

Atrox ad litteras simul & mandata Pauli responsum fuit: *Non se quaerere, quid in suo Regno Hispanus agat, quove jure, quave de causa animadvertat in suos. Vicissim non esse quaerendum Hispano, neque quid Romae in caeteris rebus agatur, neque quibus poenis, ob quae flagitia, quos reos afficere Pontifex Maximus velit. Desineret Rex Philippus tantopere mirari, cur coeptum esset aliquid armorum parari Romae, id necessario fuisse faciendum, ne Pontifex ipse impetu, ac ferro interficeretur, sicuti fraude nuper & veneno pene interfectus esset; etiam ne spoliatus Paulus Apostolico Imperio spectaretur exemplum, atque ludibrium humanarum rerum; sicuti Clementem VII. haud dum exoleta memoria spectandum Hispani homines dedissent. Objecta esse arma finibus Romanis ad turbandam humani generis pacem; quorum id fraude fiat, Deum nunc esse testem, in tempore vindicem fore. Si quis forte Neapolitanus exsul tutam haberet Romae sedem atque receptum, id fieri vetusto Patriae communis jure, quam patere omnibus, & nemini Catholico esse clausam oportet.*

Haec a Pontifice responsa erant, aliaque suspensa, & in incertum implicata, per quae minitari nomini Hispano tremendam illam, inanibusque consiliis agitatam ex Italia ejectionem credebatur. Crescere inde quotidie malum, aut id, quod jam mali erat, apertius quotidie conspici, & nudari: jamque res eo processerat, ut Sarriensi Dynastae Regis legato, necessarii ad Pontificem aditus negarentur. Ut semel admitti posset, ter quaterve postulandum erat: ac si quisquam ingenio minime vorandis indignitatibus apto reperiretur, tale ingenium huic obtigerat Sarriensi. Potius ipse contemtor aliorum, non vulgato tantum Gentis fastu, sed propria quoque superbia, & elatione modum excederet talibus erga Pontificios ludibriis, quam ut sese fieri ludibrium sineret. Idem nisi viderat alibi superbiam, & fastum, ac nisi occurrerat oculis animove quod displiceret, comitate, & mansuetudine erat ea, qua nihil fieri posset amabilius: inutilis fortasse quidem extremorum vicissitudo; sed ita mores hominis ejus fuere.

Forte per eos dies, quibus coquebat animo magnam indignationem, ob repulsas acceptas, aditusque negatos, exire venatum extra Urbem concupivit, & fuerat a primis annis magnopere deditus huic studio, repetebatque nunc eadem libenter oblectamenta, quoties vacarat. Claudebantur portae Urbis, ut inter suspecta omnia paulo ante solis occasum: nec nisi provecto satis die rursus aperiebantur. Ea res incommoda volenti antecapere matutinas horas fuerat, appellaveratque Montorii Comitem, ut Sanctae Agnetis portam (ea regione venator sibi antelucanum egressum destinaverat) juberet aperiri, quandocumque ipse illuc accessisset. Tessera custodibus portae tradita est a Montorio, mandatumque, ne Sarriensem, & comitatum ejus, ubi vellent exire, morarentur. Sed ita forte res tulit, ut illi, qui acceperant tesseram, exacta sua vigilia decederent e statione, succederentque alii, quibus nihil de ea re dictum mandatumve esset. Itaque stans ad portam Hispanus cum toto venationis instrumento, & juvenum manu inexorabilibus satellitum animis arcebatur. Et ille nihil sane cunctatus desilit equo, claustraque convelli ferox, ac patefacto exitu sequi suos jubet.

Per plana, per arrecta, qua ferae monstravere iter, eo die cum Principe suo juvenes ludicrum illud exercuere. Mox Pontifex offensus refractione portae, idque majestatis crimen appellans, alium quemdam Regio Legato facere ludum parabat, ordinemque rei composuerat, ut admissum eum ad negata prius colloquia, statim ex aula funesto diverticulo transmitteret in Arcis molem. Ibi quid esset deinde futurum, captivo cogitandum erat. Saluti fuit ipse Montorii Comes, qui conscius arcani, & Legato juveniliter amicus, monuit eum, ne frequentaret nimis limina, donec ira Pontificis ob vim illatam portae desedisset. Cedere nescium alias virum facile continuit cura suae salutis in aliena Urbe, talique rerum, & animorum habitu: ac per dies inde aliquot satis contentus nocturna illa eruptione, nullum ultra discrimen lacessebat.

Et Rex Philippus interea comperto, quemadmodum non admitteretur ad Pontificis alloquia Legatus suus, sed nondum comperto, quod incidisset ea res, ut Legatus ipse ultro vitare alloquium, & congressum, & aulam deberet, inter caetera id etiam conquerebatur. Super eo negotio temperatae precibus minae transmissae sunt Romam ab Nuntio Apostolico, quas mistas terrore preces apud eum alternaverat, miscueratque in familiari sermone Granvelanus Episcopus, sicuti ab ipso Rege perscripta verba erant. Acta res in Senatu nequidquam est, rursusque postulatum, ut, antequam insanabile malum fieret, initia malorum sanarentur, & partis utriusque animi conditione aliqua deducerentur ad aequitatem.

Omnia praeter bellum inutilia sibi esse Romanus statuerat interiore sensu; profundo jam silentio tegere coeperat animum, donec reliqua belli subsidia compararet. Ita pacis auctores brevibus incertisque responsis inter spem, & metum, Romana arte suspendebantur. Suberat, & illud consilii, ne praecise negando, totum sibi negotium abrumperet antequam de Gallicis auxiliis certius explorata quaedam afferrentur. Postquam Cardinalis Carafa, specie pacificatoris, ut memoravi, profectus in Galliam, larga cuncta, & prolixa renunciarat, etiam lentiora magisque desperata responsa Hispanis dabantur, & Veneta legatio, quae de pace venerat, irrita dimissa est.

Peditum, & equitum copiae conscribuntur ex Urbinate agro: morantibus intra Urbem, nisi, qui milites essent, adimuntur arma; legatorum quoque domus exarmantur, & munitur omni ope Pallianum, simul ad opportunitates, & usus imminentis belli, simul etiam illa in posterum cura, ut arcem eam Carafae fratres, si quando fortuna contra daret, haberent. Pontificis ipsius haec erat sollicitudo; fratres ipsi, non id modo cogitabant, sed etiam fore aliquando, ut locus ille faciliorem sibi aditum ad reconciliandam cum Catholico Rege gratiam praeberet; posse finem eum esse rebus, ut pro restitutione Palliani, majorem fortasse mercedem paciscerentur.

Dabat interim Pontifex blandimenta populo, muniebatque sese praesidiis, ut sua ipsius vita in tuto esset; ac scire in primis volebat quid ex Urbe scriberetur ad Albae Ducem, quid vicissim Albae Dux in Urbem scriberet. Mandata quoque Regis ipsius horribilem hanc Pontificis diligentiam aliquamdiu non effugere, donec artificium inventum est, quo illa eluderetur, & rursus hoc ipsum elusum deprehensumque est. Cum enim Garcilasus Vega sic instituisset, ut quas ipse Neapolim ad Albae Ducem litteras perferri vellet, eae darentur homini Romano talibus electo ministeriis, & acceptas ille deponeret in devia collis crepidine: cumque vicissim illuc suas Albae Dux ex composito deponendas curaret, ac depositae per eumdem Romanum hominem tollerentur; id ita fieri rescivit Pontifex, & latebra confestim obsidetur.

Epistola, quae ultima commeavit hoc itinere, quaeve incidit in praeparatas insidias, non erat scripta vulgato hoc litterarum ordine, & ritu, sed continebatur numeris, & punctis, & notis, quas inter se pepigerant Hispani, ut litteras, & homines, & loca, sententiasque designarent. Ubi repertus solutusque fasciculus est, & ambages inspectae, quasi victoria, Regnumque in manibus esset, ita Pontifex aestuare gaudio, trepidare

dare contemplatione magnae rei, quae tanto major objiciebatur, quoniam adhuc incerta. Interdum expavescere veluti sui funeris conspectu; vereri ne ferrum, & ignes, & venenum, excidiumque Pontificatus, involucra mysteriis illis laterent. Domestici artifices aliquamdiu luctati cum latentibus nodis, nihil extricavere. Venetiis est inventus, per quem involucra illa disjicerentur. Sententia fortasse fuit alia; sed haec divulgata est: Veniret Albae Dux cum valida manu, & expedita, succederetque moenibus: capi nullo negotio Urbem posse. Situs quoque locorum, & opportunitates varias, & vigiliarum ordinem, & alia, quae in rem forent esse demonstrata: sive vera fuit ea sententia, sive finxit interpres: sive subdita est pro rebus aliis, quas divulgari non placeret.

Rapti statim in vincula, quotquot ei litterarum negotio fuisse implicitos constitit. Hi fuere Garcilasus ipse Regius legatus, a quo missae erant litterae; Capilupus, qui notarum eas ambages ordinarat: & Antonius Tassus, per quem dispositi locis idoneis equi ad clandestinos illos commeatus habebantur. Voluerant Ascanium quoque Corniam comprehendere equitatus Praefectum, propterea quod aliquoties in Garcilasi colloquio fuisse compertus erat, & cum Marco Antonio Columna contulisse consilia prius ferebatur. Verum ille, conscensa raptim ad Neptunium navi, Neapolim trajecit, cum equites in eum immissi Velitras pervenissent. Direpta sunt ejus bona, redactae in fiscum pecuniae, quarum haud exiguus numerus apud nummularios erat, Cardinalisque Perusiensis, Ascanii frater in vincula, quae vitaverat ille, conjectus. Carceris poena sufficere visa in caeteros: Antonium Tassum Tabellariorum praefectum equuleo torsere, sperato majorum rerum indicio, quod non potuit extorqueri, sive nesciebat ille plura, sive contumax etiam adversus tormenta fides fuit.

Sarriensis Dynasta legatus alter, cùm propter eam caussam, quae demonstrata est, non committeret sese Palatio, motus Garcilasi captivitate, contemsit suam, ingressusque confidenter ad Pontificem, jus gentium, & sacra legationis in Garcilaso violata memoravit. Si quid commeritus ille esset, Regi dedendum ut puniretur: nihil se dicere de caeteris, qui rerum Hispanarum caussa attinerentur vinculis, deposcere Regium legatum: deposcere praefectum Cursorum, quos ob publicam fidem sanctos, inviolatosque esse oportebat. Si Catholici Regis hominibus tuto commorari Romae non liceat, abiturus inde uno grege omnes tamquam ex hostili, & infesto solo. Sed adhuc nesciri quid acciderit, cur tractari sic hostiliter debeant, vel cur ipsis ne hostium quidem jura serventur. Immotus, & clausus adversus ea stetisse Pontifex fertur; responsum illius qualecumque non manavit. Captivi certe retenti, sicuti erant, & dedita per aulam fama casus illius antelucani, cùm Sarriensis repagula portae refregisset, non leve negotium habitum est, quod post tale alloquium, limine, quo ingressus erat, ille egrederetur.

Ut in tanti discriminis negotio, quanti Hispaniense bellum erat, crebro consultabatur apud Pontificem, an suscipi utique illud, & geri bellum expediret, non quia vellet Paulus alienis regi sententiis suam, sed malo quodam, & occulto Principum more, dum publici consilii speciem adjungere volunt ad ea, quae ipsi privatim parant. Quam artem agnoscentes homines celebris inter Politicos famae, atque iidem, in aliqua sua fortuna, magnis Hispaniae rebus infensi, sententias dicebant, & quas velle Paulum intelligebant, & quibus ipsi delectarentur. Hi fuere Joannes Casa, Petrus Strotius, Silvester Aldobrandinus, clari sapientiae studiis, nec minus partium studio, semper immisti Principum negotiis, & circa res eorum inquieti. Nam oderant praecipue Florentiae Ducem; & quia Florentiae Ducis fortuna suspensa tunc ex magnitudine Hispani nominis habebatur, illius odio minui fastigium hujus volebant. Flagrabant cupidine belli, quia ejus procellam superfundi Hetruriae campis, animus eorum autumabat.

Conjuncta his erat causa Neapolitanorum exsulum, queis proprie turbari res Hispanas expediret, & caput exsulum Bezutus quidam haud ultimo loco in consilium adhibebatur. Itaque hi simul omnes, aliique misti sanguinarii litterati, profani sacris, mala erga Hispanum mente concordes, cum exciti in aulam ad consultandum erant, aut propter gratiam, & auctoritatem venerant ultro, disserebant in hunc modum: Certam fore victoriam, & absque ulla difficultate triumphum ex Hispano, si Pontifex Max. & Rex Galliae, Senatusque Venetus, tria haec maxima per Orbem terrarum imperia, consiliis, & armis, opibusque consociarentur ad obterendum eum hostem. De Galliae Regis animo nihil attinere dubitari. Venetos paulisper adhuc de se fortasse dubitantes esse confirmandos, & illiciendos, tum objecta Siciliae, vel Apuliae spe, tum proposito metu civitatum alioqui amittendarum, quas ab Hispano quondam oppigneratas usurparet ea Respublica, verius quam possideret. Accedere Ferrariae Ducem haud leve momentum rebus, beneficiario jure subjectum Ecclesiae, Catholico non amicum, pro Romano facturum omnia, ut ingenti aliquo suo merito Fratrem restitueret Urbi, ex qua exsulare Cardinali ignominiosum.

Pro spe, vel facilitate victoriae talia disserebantur a consiliariis illis; pro gloria haec ajebant: In media Italia natum esse Paulum, quid gloriosius Italo, quam servitio eripuisse patriam; arbitros Italiae rebus Gallos imposuisse rem Pontificibus aliis frustra tentatam; haud dubie reservatam ipsi? Proinde gereretur jam strenue bellum, neque rerum dies ultra verbis consumerentur. Summam hanc esse verborum & rerum; quod Austriacae domui affectanti terrarum Orbem, necesse jampridem sit, Apostolicae potestatis impedimentum amoliri. Quales ea domus animos gerat, si aliunde nesciretur, vel proxime Marci Antonii Columnae exemplum docuisse, qui desertor, Pontificis contemtor, insidiator, illuc tamquam in tutissimam sibi sedem confugisset.

Alii consiliarii, queis pacis amor, imperturbata factionibus prudentia, & ea simplicitas erat, ut esse consilio locum arbitrarentur, contra gerendi belli auctores stetere, atque ut animus eorum, ita etiam oratio simplex erat. Nihil magis esse Pontificium, & Apostolicum, quam defendere, ac tueri humani generis pacem, si quis alienus furor eam turbet; arma Christi Vicario, praeterquam quod indecora sint, etiam fuisse ad eam diem infelicia, multosque Pontifices, aut in annalium monumentis, aut in recenti hominum memoria, nimis triste documentum infelicitatis hujus exstare.

Quod cum saepius diceretur, unus eorum antiquorum hominum, accensus forte contemplatione malorum, quae bellum affert, libertate, quae propria talium est: *Quin immo furor est*, inquit, *si cum Catholico Rege bellum erit, sperare exitum ullum, nisi miserabilem atque luctuosum fore. Tot Regna defendent eum etiam, si quidquid uspiam Regnorum est, insurgat. Et militares copias innumerabiles habet, & inexhaustam ad explendas eas sobolem, & rerum omnium humanarum instrumentum illud aurum intra ipsius Imperii fines nascitur. De Venetis, & Ferrariae Duce spes nobis ipsi vanas fingimus, cum illi societatem adhuc recusent, & iste tum prudentia, & circumspectione, qua praeditus est, tum foedere, quod cum illis habet, videatur esse recusaturus.*

Antiqui moris homo, nec tamen expers ejus prudentiae, quam callidiores illi sibi totam vindicabant, liberius egerat, quam obfirmatis in partem alteram animis placere posset. Vultu quoque & oculorum flamma, & contractione frontis ingratam illam sententiam asperarat. Sed gravitas & innocentia viri, & quod ea simulacra libertati praebenda erant, ut placide, & mansuete audiretur, fecere. *Bene vertat*, inquit Pontifex; *quandoquidem sententiae istae dicuntur, videndum erit nobis, an sint Apostolicae Sedi utique tam abscissa omnia, & profligata, quam sermonibus hominum fiunt.* Haec dicta confuso vultu, conciliumque dimissum illud, ac magna deinde Pontificis negociatio Ferrariam, Venetiasque aversa est.

Urbem Ferrariam Estensi Demarcho cum firmaret Pon-

Pontifex Gregorius, eumque Vicarium appellaret, hasce dixit leges ei Demarcho, & qui deinceps in ipsius locum legitimae stirpis jure successissent: *Esset suprema Pontificum auctoritas in rem Ferrariensem, & ultima inde Romam provocatio. Decem millia Florenorum nummûm quotannis penderet Estensis Apostolicae sedi, testandi causa Urbem illam antiquitus esse Pontificiae ditionis, & juris. Si quod bellum aliave qua necessitas incidisset Apostolicae Sedi, cataphractos equites cum trium mensium stipendio ad omnem nutum, imperiumque Pontificis paratos, & expeditos haberet.* His conditionibus, & hoc jure res Ferrariensis obnoxia fuit Apostolicae Sedi, cujus postea juris, quarumve conditionum partem, imminuit, ac remisit Alexander VI. cum Lucretiam spuriam Alphonso in matrimonium daret. Illud absque dubio retentum, ut praesto foret Estensis ad Romana bella, fidelemque operam dubiis temporibus, ut navaret Pontifici.

Erat hoc tempore Dux Ferrariae, Catholico Regi infensus, ob Mutinam, & Rhegium controversas Urbes, plenamque suspicionum, & machinarum litem. Affinitas insuper ei cum Galliae Rege, spes obtinendi per bella Senarum Urbem, & ob eam rem, in Medicaeum aemulatio. Causis, & vinculis implicitus hujusmodi cum accepisset Pontificis mandatum & preces, haud sane abnuit rem; postulavit tamen, ut conficeretur Apostolicum diploma, transmittereturque sibi, quo diplomate appareret, fuisse sibi necessitatem injunctam, & imperio coactum, ad ea arma descendisse. Suberat ars, atque perfugium ad incertos belli casus, ut, si posset ostendere, non se mala mente, malo animo, sed fortunae suae conditione subactum Romanas sequi partes, hoc ipso venia impetrabilior apud victorem foret. Scriptum illico, missumque diploma est, & inerant verba severi Imperii, magnum Ferrariensi munus, quo nihil facilius daretur. Ita Ferrariensis egregio temperamento, sicut ipse existimabat, & praesentis spei, blandimenta sequebatur, & adversus imminentia pericula munierat sese.

Nec ea tantummodo, quae retuli, sed alia res etiam inclinaverat ad Romanam societatem animum; nempe Octavii Farnesii restitutio facta per Catholicum Regem. Namque Farnesium hunc, post inhonoratum exitum patris, extorrem, profugum, indigum omnium rerum, respexerat ille placato animo, patriamque fortunam juveni redonarat honestiore conditione, quam etiam ille optare potuisset. Jusserat in Catholica Regia sisti, & ali filium ejus Alexandrum: Placentinam arcem ob Mediolanensis provinciae confinia teneri Hispanorum praesidio: procederent Cardinali Farnesio per Catholicos fines sacri reditus, & vectigalia, quae prius habuisset. Margarita Farnesiorum mater Urbem Aquilam teneret jure suo dotali, teneret ea, quae in matrimonio Alexandri Florentiae Ducis adepta esset. Conditionibus hisce collocatus Octavius in pristinae fortunae statu angebat aemulum sibi Ferrariensem non magis adversus ipsum invidia, quam adversus tanti muneris auctorem odio, eaque ira fecerat, ut in contraria parte crescendi sibi occasionem esse datam laetaretur. Sic, nimirum, Principes isti homines inquietantur, non cupidinibus modo suis, sed cupidinum etiam alienarum eventu; tam urunt eos aliorum prospera, quam ipsorum adversa, & sese ipsi demittunt in praecipitem saepe locum, ne stare, vel extolli alios sinant. Et Ferrariae Ducem quidem Pontifex Paulus ad causam suam hoc modo adjunxerat, neque leve rerum adjumentum, neque tam magnum, quam vel res postulabat, vel ipsi inter se gratulabantur.

Veneti negotii, sicuti momentum haud paulo majus erat, ita dispar eventus fuit. Non enim sicut Estensem hominem unum obstrictum Romano, variisque vel animi, vel fortunae suae consiliis involutum traxerat, nemine adversante Pontificis nutus, ita tot Senatores in libertatis suae sede congregatos, tum suo quemque, tum communi provisu, non praesentia modo, sed etiam futura respicientes movere potuerunt consilia ulla, rationesve, quas eadem versa prope in preces legatio afferret. Et aderat ibi Regius legatus magnum vinculum ad continendos in officio etiam, si forte qui labassent; isque ut erat eloquentia, quae Principem deceret, & civilium rerum peritia inter primos ejus aevi, contra foedus ita disseruit, ut ea, quae ab Romano pro foedere dicta erant, sic acciperentur, tamquam ad dissolvendum illius Reipublicae statum pertinerent. Neque Senatus uno die simul utrique datus est, sicuti priscis Graecae, vel Romanae Reipublicae temporibus fieri solitum fuit, cum gentium, aut Regum contrariae legationes in concilium introductae non verbis modo coram, sed etiam conviciis altercarentur. Romanus primo, deinde Hispanus auditi sunt, & uterque privatim apud singulos antea postve sedulo egit ea, quae dixerant apud universos, aut dicturi erant. Inseram simulacrum gravissimi Senatus, & gravissimi certaminis duorum Legatorum, in quorum capite dissidium Romanae rei cum re Catholica, ceu portentum aliquod haud sine pio multorum horrore conspectum fuit. Antonius Carafa Pontificis Legatus erat. Ejus verba in hunc modum fuere:

*Ego sum missus a Pontifice Maximo, Christi Vicario Paulo Quarto, ad Magnum hunc Venetae Reipublicae Senatum, de foedere, quod cum Christianissimo Galliae Rege, & Ferrariae Duce adversus Hispaniae Regem felicissime ictum, vobiscum etiam iniri Christi Vicarius, & Dominus noster, publicae salutis, atque communium commodorum causa magnopere cupit, & pro vestra erga Sedem Apostolicam pietate mox fore initum sperat. De hoc ipso foedere vobiscum sanciendo, ac firmando, cum daret mihi ad vos mandata Pontifex Maximus tantum fere verborum fuit: Venirem ipse Venetias, atque in Senatu, quem ipse veteris Romani Senatus specimen appellare solitus esset, de sacro foedere alloquerer Patres: magnopere confidere se, rem conventuram, Ecclesiaeque defensores, pulcherrimi operis partem esse capessituros; foederis conditiones dicerent ipsi, quas vellent, neque ultra in colloquio illo extremo sum retentus. Ne mea quidem oratio longa erit, P.C. ut vos alloquar eo potissimum nomine, cujus gloria exstincta erat in orbe terrarum, nisi vos eam in hoc maritimo domicilio vivam, integramque retineretis. Liberanda est Italia, demendum hujus patriae cervicibus jugum, ejiciendus Hispanus, facinus omnis memoriae clarissimum audendum, cujus, & spes a vobis petitur, & praemia penes vos erunt. Neque quam inclyta res & speciosa, & ampla vobis offertur, tam esse difficilem putaveritis. Decernite tantummodo Patres armorum fideique societatem, & statim invenistis liberati terrarum orbis titulum, nec titulum modo, sed etiam digna tantae rei, quae majestati vestri nominis debentur. Imperium amplius, majusque sive terra, sive mari proferre terminos placet, post hanc victoriam habebitis. Philippus iste Rex Hispaniarum, in quem ituri sumus, caret nunc exercitato milite; caret pecunia, sine qua non invenitur miles, caret denique belli Ducibus, & quod caput est, ipse bello nondum adsuevit. Jactat Albae Ducem Hispania, Sabaudumque, & Castaldum, & Davalum, columinum rerum suarum, vel lacessendo hosti, vel repellendo; cum ab illis discessit, nuda ferme inermisque reperitur. Atqui novit fama segnem Toletani animum ad pericula, cujus timiditati affine prudentiae nomen faventes imposuerunt. Sabaudus adhuc adolescit, Davalum, & Castaldum eadem, quae nostros animos, habet in externum dominatum indignatio, & servire Italiam gemunt, in qua nobiscum nati. Jam urbes, jam provinciae, & Regna, quae intra fines Italos, aut extra premuntur hoc jugo, sic sunt exhausta, & afflicta bellorum malis, etiam quo bella non pervenere, ut circumspiciant undique, si quis forte motus spem aliquam mutandae servitutis ostendat. Simul atque nos moverimus arma, consurgent gentes obvio complexu, aperientque sinum, & sese liberatas esse fatebuntur, quemcumque beneficio nostro dominum alium habebunt. Germaniae Inferioris provincias suffecturam plus quam uni Regi, terrarum partem, Hispanae aviditati animum momentum Galliae Rex Henricus ex propinquo aggredietur. Foederati caeteri res Italas occupabunt; caetera deinde bellum, & vindex Apostolicae Sedis Deus geret. Nolite, quia vobis offertur id quod ultro expetendum erat, contemnere. Senatum vestrum habet, Patres, haec fama, velle vos hoc bello stare medios atque suspensos, ut inclinato nullam in partem favore, gratiam postea Victoris sequa-*

*quamini. Quid consilii sit istud, & quam inutile temperamentum fallaxque prudentia, nihil attinet in eo Senatu demonstrari, in quo disciplina regendarum Civitatum, & Imperii causa, statusque ratio nata, & in alias Civitates divisa existimatur. Numquam istis consiliis, quae timidi cauta vocant, ulla Respublica Regnumve crevit; numquam servando se medios ulli, vel invenere sibi gratiam, vel odia vitavere. Si Petrus Alibrettus Rex Navarrae dedisset sese foederi, in quod expetebatur, haud sane ille tam misere periturus fuit. Florentini, recusata foederis societate, desierunt esse id, quod erant, quodque nunc ipsi estis; & Aluysium XI. Galliae Regem, quamdiu fuit extra foedus, pessumdedere multi; posteaquam Helvetios sibi, se conjunxerat Helvetiis, abstinuere hostes arma. Neque recentioris tantum Historiae casus, & exempla coarguunt hanc ambigui favoris lentitudinem, sive calliditatem: etiam Praetori Aetolorum Demetrio vitio datum, quod gentem suam ille vecordi sic prudentia reservasset eo, ut irato victori praeda, sive ludibrium esse deberet. Qui petiit a majore, vel minore potentia foedus, & societatem, recipiendus, admittendusque est hoc ipso, vel quod vires, & opes alienas imploravit, vel quod obtulit suas. Praestat, ab utraque parte obteri, & premi, quam partes sequi neutras voluisse. Simul & illud reputate, Patres, Pontificem Maximum esse, qui poscat a vobis auxilium, quive sese immiscere vobis velit. Eum velle persequi Apostolicae Sedis injurias, ulcisci domum suam oppressam, disjicere quotidianas insidias atque tentamenta, quibus ipse petatur ad necem, facere denique, ut Urbs, quae sit olim dominata terris omnibus, pristinae suae Majestatis partem adipiscatur.* Extremum orationis fuit: *Facerent Patres C. tale decretum quale Pontifex Maximus exspectaret, ac sese quam primum dimitterent cum laeto responso, ut se quoque adjuvante, bellum ingentis gloriae praedaeque futurum inciperetur.*

Franciscus Vargas Mexia, Catholici Regis legatus, comperta per amicos oratione Pontificii legati, dari sibi Senatum petiit, & biduo post, magna contentione, pluribus etiam quam pro patriae brevitatis consuetudine causam sui Regis, adversus foedus, quod poscebatur, egit, laetis interim Venetis, quod Pontifex Maximus & Rex Hispaniarum, capita terrarum orbis, sic agerent in Senatu suo, tamquam ibi quoque rerum humanarum arbitrium, & summa potestas collocata esset.

"Magna mihi, Patres, & certa spes erat (inquit Hispanus Vargas) fore, ut postulata ipsa Carafarum, & sapientia vestri Senatus, cui simile nihil in terris esse creditur, continerent animos vestros ab ea re decernenda, quam petunt, etiam si nemo ad dissuadendum prodiret, veni tamen ego in Senatum, ne si taciti exspectassemus Sapientissimi Consilii sententiam, parum laborare videremur qualis ea futura esset, quemve tanti discriminis negotio finem imponeretis. Magnus noster Imperator & Rex Carolus, cum gubernacula rerum teneret, humanasque gratias curaret populorum & Regum, quanti Rempublicam Venetam in ea cura facere solitus fuerit, testes sumus omnes, quibus contigit, ut in aliqua consiliorum ejus parte vitam ageremus, neque arbitramur, parum attente vos idipsum animadvertisse, & notasse. Simul etiam & scimus ipsi Regem eumdem Carolum, cum exsueret humanas curas, inter alia Imperii arcana, mandasse filio, ut rem Venetam bona semper amicitia complecteretur, & quomodo id in hunc diem fiat nisi animadversum vobis notatumque est, frustra ego exsequi verbis conabor. Ac vellet quidem Rex Philippus, apud alios etiam omnes, si minus amicitiam, & gratiam, quae nequaquam esse cum universis eadem potest, pacem saltem, & quietem esse sibi, quam divinae leges jubent. Sed hostiles animos ad id accommodare nonnulli non possunt. Posteaquam Beatissimus Pater Paulus, vel proximorum impulsu, vel mortalitatis etiam ipse suae parte, lacessere discordias, atque turbare otium coepit, prima fuit cura Regi Philippo, uti componeretur illius animus conditione qua posset, ejusque compositionis arbitrium Reipublicae Senatuique Veneto, liberum delegavit. Nam si erat in orbe terrarum Imperium ullum, ullusve Senatus cujus auctoritate finiri tale dissidium posset, vestrum illud Imperium, vesterque Senatus haud dubie fuerat, Patres. Semper autem factum, usurpatumque est hoc, ut lites ac discordiae Principum permitterentur dijudicandae communibus amicis, quorum fidei, & prudentiae tuto negotium crederetur, quibusve etiam esset id virium & opum, ut stare judicato partibus expediret. Abnuit Pontifex Maximus pacemque recusavit, quam vos ei honestissimam ferebatis. Cum possit habere tuta, & praesentia, mavult periculosa & ventura numquam. Bellum tantummodo quaerit haec Carafarum Domus, neque curat quem deinde belli exitum habitura sit. Non ita Pontifices alii Romanum Imperium & domesticas opes auxere, neque talibus consiliis quidquam umquam eorum alicui publice, vel privatim satis prospere successit. Conciliando discordes Principum animos, & auctoritatem suam interponendo; simul gratiam eorum, quos inter se conciliassent, simul sibi plus deinceps auctoritatis ad caeteros, & magnarum Europae rerum arbitrium obtinebant. Si foedus cum Romano facitis, Patres, cogitate, vos quidem fore consortes malorum, quae bellum affert, & impensarum, quas facere oportebit; caeterum emolumenta victoriae jam sibi destinare eos, qui foedus poscunt. Voluit Rex Catholicus redimere perturbationem istam, & excidium Christiani Orbis ingenti rerum suarum jactura, Senarumque Urbem, & alia, queis phanatica sitis expleretur, generi Carafarum objecit. Sperate nunc vos ab eadem insatiabili domo Siciliam, & Apuliam, quas Provincias gravissimo Senatui, ceu crepundia pueris ostentant. Non arbitror esse tam iratum Deum illis terris, ut Catholico Regi ademtas objicere uni privatae domui ad praedam velit. Sed etiam si res numquam futura, pro facta concipiatur animis; Sperate Galliae Regem frementem jam dudum ejus praedae desiderio, si pedem illuc intulerit, inde postea decessurum, ut vos ibi faciat Reges. Potius ille carpere dominatus Italos gestit, urbibusque adeo vestris foederis hujus occasione circumblanditur, quam ut dominatum ullum Italum, & vestram praecipue Rempublicam amplificari sit passurus. Nam quod eadem Romana legatio non promissis modo liberalibus, sed litteratis etiam exemplis instructa, sicut audimus, venit, atque protulit peccare docentes historias; ne nobis quidem desunt funesti & lugubres eorum casus, qui cum non contenti rerum suarum statu, in dubiam victoriae cladisque aleam illigati foederibus ivissent, dum aliena cum aliis sequuntur, etiam ea, quae ipsi manibus tenebant perdidere. Alexander VI. noster ille, quem pro Patriae caritate fuisse modestiorem hominem vellemus, contra Regem Hispaniarum Hispanus junxerat arma cum Galliae Rege, & sicut etiam ista Carafarum domus, quaesiverat malam illam famam, ut Regi suo aliquando fuisse hostis diceretur. An ea diuturna gloria fuit Pontifici? An foederis ejus laetitia quidquam aliud homini praeter luctum, & poenitentiam tulit? Perculsus atque consternatus, & attonitus exitu foederis Alexander, vellet deinde recolligere gratiam, & suum ipse factum oblitterare, amicusque esse omnibus. Tristior finis in aliquanto minore foederis culpa Clementem VII. excepit, ut etiam jure belli, cum aeterno deinceps armorum pudore, captiva suprema illa potestas ageretur. Nec utique finis infelicium exemplorum hujus pessimi moris conjungendi adversus alios arma; quem morem Romana legatio laudibus extollebat, tamquam esse debeat aliquod etiam nocendi collegium, & tamquam alienae cupiditatis, aut irae lanistas fieri licitum sit. Optima est, & saluberrima ratio servantium sese inter dimicantes, ancipiti favore, tam profecto, quam ipsum sine causa dimicare, furiosum, atque potius ipse est furor. Recte sane superioribus annis Aluysius Canussa Francisci Galliae Regis legatus inter bella, quae Regi illi cum Caesare nostro bellata sunt, dixerat aliquando, quam ille per ancipitia gloriam atque securitatem quaereret, melius esse proventuram, si

„ suas opes, sua arma procul ab omni foederum contagio-„ ne secum habuisset. Eo deinde consilio spreto, foe-„ derati Gallus, & Romanus in mutuum exitium im-„ plicantur. Ac si, per veteris etiam memoriae docu-„ menta, fides & auctoritas huic loco adstruenda est, ar-„ bitror unumquemque vestrum posse recordari, quem-„ admodum inter multas laudatas res populi Atheniensis, „ illius quoque facti sit custodita memoria, cum saevi-„ ente bello Rhodios inter, & Demetrium illum Urbi-„ um obsessorem, egregie temperavere, ne sese parti-„ bus darent, & tertiam quamdam consilii viam inter „ partem utramque retinuere utilem ipsis, etiam bel-„ lantibus in exitu rerum gratam. Nolim ego nimium, „ aut Regis mei potentiam, aut nationis mores extulisse, „ ne forte ab ea modestia, quae propria esse dissuadentis „ debet, ad arrogantiam, & fastum oratio delabatur. „ Sed illud certe dicere posse videmur, etiam absque „ modestiae detrimento; si consilium istud innoxium, „ & grave, quod suscepistis, ne commodentur arma ve-„ stra partibus ullis, immutandum esset, Catholicum „ Regem, & nationem Hispanam eam esse, quae susti-„ nere talis consilii mutationem possit. Rex noster est, „ qui prolatum in tantam magnitudinem imperium tot-„ que Regna, tot sibi subjectas gentes habet, ut nec „ ipse timere ulla arma, ullosve hostes debeat, nec „ propter inexsuperabilem, humanae jam, vel poten-„ tiae, vel gloriae saturitatem timeri. Ne natio quidem „ intima, & ministra Regi quidquam in moribus, in-„ geniisve suis habet, quod possit esse odiosum, aut for-„ midabile, sive contemnendum illis, qui arma con-„ sociare velint. Ac si clarius dicenda res est, aptiores „ ad mores Italos videmur esse Hispani, quam Galli, „ sicuti quidem adhuc ipsi decrevistis, gentem nostram „ anteponendo. Nec prudenter, & ingrate Paulus agit, „ qui Julio II. rem infelicissime tentatam infelicioribus „ adhuc ipse auspiciis aggrediatur, & exturbare cogi-„ tet ex Italia Regem nationemque unam, cujus opi-„ bus, & fide, ac virtute Sedes Apostolica defensa est, „ ac stetit. Illud vero paene ridiculum fuit, quod a le-„ gato esse dictum audimus, laborare pecuniae diffi-„ cultate Regem nostrum, idque magnus Orator, & „ bellicarum rerum egregie peritus homo, quasi victo-„ riae pignus proponebat. Vos cogitate, Patres, & dici-„ te num possit deesse pecunia Regi, cujus Indica Regna „ scatent, atque lavantur amnibus auriferis, & argen-„ teos ibi montes, rem esse, non fabulam, pressae gle-„ bis onerariae statis inde per mensium intervalla navi-„ gationibus affirmant. Non inveniet credo pecunias ad „ gerenda bella Rex ille, cujus servi Regibus aliis invi-„ dendas pecunias, quandocumque libitum est, effun-„ dunt. Non inveniet ille, qui vile metallum prae con-„ temtu fortasse non vidit umquam; qui gazam ideo do-„ mi nullam habet, quia terrarum orbis gazae est instar. „ Tam subjecti, quam externi, si Catholici Regis no-„ mine appellati erunt, ut super ea re commodatum „ aliquid ministris velint, oblatum sibi esse thesaurum „ putabunt. Accipient enim pro rudi pondere, muto-„ que metallo dominatus hominum, atque terrarum im-„ peria, quae redundant semper ex immenso illo domi-„ natu; aut non grave erit eo regerere pecunias, unde „ acceperunt antea, longe deinde plurimum accepturi. „ Vos ipsi, quos fama est, habere pecuniarum acer-„ vos, & diuturna imperii possessione cumulatas opes, „ si Catholicus poscat, statuetis esse multiplicatum aerario „ quidquid hoc nomine transcriptum erit. Nescio nunc, „ an Pontifici Maximo vel Galliae Regi futura sit eadem „ apud suos alienosve facultas. Certe ne rebus nostris ex-„ ponendis nimium obscurasse, aut extenuasse res alio-„ rum videar, constat, Gallum, Caesariano nuper bel-„ lo ad pudendas paene redactum angustias iniquissima „ sua conditione sumsisse a Germanis foeneratoribus id „ pecuniae, quod Regni Majestatem etiam imminueret. „ Idem nunc fortasse meditatur, ut, cum foederis jure, „ & occasione promiscua omnia inter vos erunt, ipse ae-„ rarii vestri, vestraeque Reipublicae calamitas fiat. „ Ea verba orationem clausere, callida illa, sicuti creditum est, arte, ut quod in Patrum cura primum potissimumque erat, id in oratione ultimum esset, aculeusque recentissimus in eorum animis relinqueretur.

Haec in publicum manavere: secreto quaedam alia Legatus idem apud singulos egerat occultata, & suppressa primis diebus; mox uti cuncta Principum habentur, perinde divulgata, quam quae in Senatu dicta erant. Constitit etiam, inter caetera, dictum fuisse illud: *Pontificem Maximum non tam Catholici Regis odio, quam impotenti illo suorum amore, coepisse insectari, ac persequi capitalibus modis Illustres familias; exsilia, proscriptiones, vincula, tenebrosasque Principibus viris latumias, quasi propter infanda scelera studio propinquorum irrogari. Quaesita in Columnam crimina, ut Palliani intercipiendi locus inveniretur. Caesarinis initium esse calamitatum, quod Mattheo cuidam Pontificiis penatibus annexo consobrinam suam in matrimonium dare nimium dispari conditione recusassent. Sanctae Florae Cardinalem, quod ei negotio fuisset affinis, offensionum aliarum obtentu, luere odia, quae irrita illa spes accendisset. Ita, nec ea, quae simulentur irarum initia honesta esse, & causas ipsa simulatione latere iniquiores, gerique sic arbitrium humanarum rerum, & parum esse hoc, nisi etiam Reges, & gentes hujusmodi privatis studiis ad arma concitentur.*

Romanus legatus de Hispanorum Imperio vicissim insusurravisse fertur auribus Patrum atrociora, quam quae in Senatu publice peroravisset, eique legato Veneti, collatis capitibus, & re multum agitata, responsum hujusmodi per Ducem suum edidere, quod referret: "Ecclesiae Patrem, atque Praesidem humani generis, & „ publicae salutis custodem esse Pontificem Maximum. „ Haec tam gravia, & sancta nomina, non dubitare „ Senatum, Populumque Venetum, quin futura sint „ hortamento, ut esse ubique pacem velit. Cogitaret, „ Italiam, florem orbis, languere pestilentia, quam „ commercia gentium externarum invexissent. Si bellum „ insuper adderetur, ad ultima fore deveniendum, & „ mistos morientium ultro, caesorumque cumulos jam „ nunc oculis repraesentari. Optare Senatum, Popu-„ lumque Venetum, ut, quidquid inciperet Pontifex „ Paulus, prospere id feliciterque caderet; sed melius „ casura omnia, si ad tranquilla consilia vertisset animum, „ ac potius clarescere pacis operibus destinaret. Si „ quid in pace moliretur, rem Venetam ad omnia paratam fore; ibi, quae vellet obsequia posse ipsum experiri. Patres ita censere; quod de Romano foedere ad-„ versus Catholicum Regem ineundo relatum sit, id „ foedus non placere iniri; de pace, quae utrique parti „ honesta sit, placere agi, & super ea re mitti ad Re-„ gem legatos. Omnia, quae justa essent, ab Rege Ca-„ tholico impetrabilia fore. „ Cum hoc responso Romanus Legatus est dimissus. Hispanus Vargas, ingressus iterum in Senatum, cum gratias de ea re Patribus egisset, edocuissetque, quanto beneficio Catholicum Regem obligassent de tota illa negotiatione, foedereque Venetis repudiato, diligenter ad Regem perscripsit.

# EPITOMA

## Ad librum quartum.

*DUM res Hispana variis consiliis distrahitur, Philippus, condens animo Regum more privatorum judicia, non admittentis, non item adversantis specie, sed eligentis, novas exquiri sententias jubet. Per claustra, per lycaea, foecunda disciplinarum, & ingeniorum loca Ratio belli discutitur, lenta potius, & moderata, quam fervida, & violenta consilia admittente Rege. Bellum a Melchiore Cano probatur, trahente non responsa solum Gregalium suorum, sed totius pene Regni assensum. De necessitate, de consiliis belli, ad Joannam sororem perscribitur a Rege. Philippus, reputans momenta celeritatis, maturato rerum militarium provisu, ad belli discrimen paratur. Praevenitur Hostis. A Carafis bellum inter meditamenta, & verba distrahitur, quaerendo juri, aut juris imaginem aliquam commentando, repetendi Neapolitani Regni. Pontifex, quaesito obtentui procuratorio nomine, invadit terras, quas haereditario jure in Neapolitano regno Hispanus teneret. Ciente non tam novitate, quam violentia rei, Politicorum hominum, vulgique sermones, varie hinc pro Pontifice, hinc pro Rege disseritur. Anceps Galliae Regis animus aegre inclinatur ad foedus, non tam gratia stimulante gratificandi Pontifici, quam retrahente violatae fidei verecundia, qua cum Catholico inducias pepigisset. Concilio indicto Principum suorum sciscitatur sententias. Sententia, & oratio Annae Momoransii contra bellum, a Rege accepta illa constantia, & vultu, qui nullam consilii sui notam praeferret. Nec dispar exitus orationis, Ghisae Ducis pro foedere, quam nulla animi significatio subsecuta est. Rex ex aequo verborum certamine suspenditur, in neutram partem flecti nescius. Nusquam tamen cessante Romana solertia, in foedus illicitur jungiturque Pontifici. Galliae Proceres alienantur a Rege, non tam verecundia repudiatae sententiae Annae Momoransii, quam dolore etiam amissae gratiae, quam praeripuisset Ghisa. Non sine nota Regiae prudentiae Ghisa Dux exercitus eligitur. Pontifex belli difficultates, quas in deliberando contemserat, in agendi procinctu veris momentis aestimans, nova quaerit gerendae rei subsidia. Sollicitat Vespasianum Gonzagam, oblata ingenti spe terrarum, quas M. Antonius Columna in exsilium pulsus a Patria reliquisset. Abnuit Gonzaga Pontifici, non minora sibi praemia ob stabilem Caesari fidem exspectans, quam quae in perfidiae pretium ostenderentur. Nec satis prospera Florentiae Ducis sollicitatio, inopinato responso Romanam exspectationem fallente. Hispanus detrectando certamen, & novas subinde pacis conditiones offerendo, lente movet in Pontificem arma. Irrita Toletani legatione repetita, bellum denunciatur. Indicto bello, subditae statim renovataeque preces, non tam attemperando denunciationis acerbitatem, quam animi severitatem leniendo. Perplexe respondetur a Pontifice, solita Romana arte, qua ingrata concedentibus perplexe negantur. Rex Philippus etiam longinqua pacis remedia spectans, ad Albae Ducem scribit, de concedenda Carafis Provincia Senensi, Pontifici placando. Exulceratis, ac perditis prope rebus, quarum spes ultimas collegisset, Toletanus irritatur. Ex perplexitate Romani responsi dissidium oritur inter Hispanos Duces. Discordes de bello sententiae feruntur: hinc Mendocii, hinc Toletani oratione non unum probante.*

# JOSEPHI RIPAMONTII

*CANONICI SCALENSIS CHRONISTAE URBIS MEDIOLANI*

# HISTORIARUM

A

# PHILIPPO II. REGNANTE,

## *LIBER IV.*

NULLUM umquam, arbitror, gestum esse bellum, quod, antequam iniretur, fuerit in majore consiliorum apparatu, sententiarumque varietate, quam hoc, in quo Romana, & Gallica, & Hispana arma, quidquid ferme potentiae, vel disciplinae militaris inter homines habetur, horrendo spectaculo in discrimen ibat. Quo magis sapientiae studia coluntur ibi, suntque ea litterarum etiam, & prudentiae Regna non atrocium modo bellorum, & impetuosi Martis, hoc majore cunctatione partes iere ad arma, ferrumque & acies antecessere conventus varii, & collata rationum momenta, quae timiditas apud Barbaros, & fuga sive mora periculorum diceretur.

In Hispania Rex Philippus, ut in maxime foecunda disciplinarum, & ingeniorum terra dispersos praecipue per sacra claustra principes omnis doctrinae viros consuli jubebat, & in frequentibus eorum conciliis exquiri, quid maxime faciendum esse statuerent, ubi Pontifex Paulus, id quod facturus esse videbatur ad coelestes diras, & anathematum fulmina descendisset. Exquirebantur sententiae per Melchiorem Canum ex inclyto Dominicanorum Ordine, nec dignum tantummodo collegii illius fama, sed collegio quoque honestamentum, & decus. Innocentes atque severi mores viro, vita perpetuo tenore sanctitatis acta, divinarum rerum contemplatione pene subductus in coelum animus, & Theologorum scholae Patribus eum antiquis aequabant. Nec ingenii monumenta, quae reliquit, ab ea fama discrepaverunt, invecta etiam in sacras litteras Latinitate, quae digna magnitudine rerum illarum esset. Is, ex auctoritate Regis Philippi sciscitatus gregalium suorum, & celeberrimi praeterea cujusque sententiam, contulit aliorum responsa cum placitis, atque commentariis ipse suis, ac deinde ob-

obtulit Regi tabellas hujusmodi scriptum habentes:

*Regna, & provinciae, urbesque omnes, quas Majestati tuae conservandas, atque custodiendas attribuit Deus Optimus Maximus, sunt in tua tutela, Rex potentissime, non secus ac pupilli. His fidem ipse tuam obstrinxisti, ac jurasti coram Deo, & Patria, fore numquam ut deesses; sancte, ac paterne, non corpus modo totum hujus Imperii, sed singula membra, partesque conservaturum. Si Divus Caesar Parens tuus, qui tantum hoc imperium effecit, tradiditque Majestati tuae, mutato nunc animo, quod etiam exempli causa finxisse sit nefas, ad arma consurgat, pacemque, & securitatem, in qua degunt haec regna sollicitare velit; obviam ire Parenti justum piumque erat. Lex igitur ista, sanctum tutelae jus, & necessaria defensio, sustinebunt auctoritate sua quidquid in tali propugnatione saevum, aut atrox, aut novum inciderit, & ipsa etiam rerum atrocitas in bonum vertet. Pertinet ad Ecclesiae, Religionisque statum, in tanta Haereticorum colluvione, tantisque Sectis, apparere, quemadmodum non desint Catholico Regi, vel arma, vel animi, vel opes, quibus se Religionemque defendat. Nam, si nunc lente egerit, non reverentia, vel obsequio erga Pontificis nomen, sed virium imbecillitate, vel segnitia, & remissione animi, quae procul a Majestate Vestra abest, Haeretici factum dicent. Si semel haec fama divulgata erit inter Haereticos, vel etiam inter eos, qui fide manent integra, & intemerata; si profecto Romae in ipsa Religionis sede percrebescat, labare Catholico Regi vim, animumve ad gerenda bella; actum de ipsa Religione est, cum & improbi spiritus audaciamque majorem sumturi sint, & sua solatia, suae spes iniquissimo tempore deserturae Catholicorum animos. Itaque geri bellum oportet, qualiscumque demum hostis lacessat. Et quia ponenti jam laqueos non est danda facultas, ut etiam sagittas contorquere possit, non geri modo, sed etiam repraesentari, & anteverti bellum hoc oportere censemus. Quod Pontifex Paulus parat arma, quod militem cogit, cietque foederibus Principes Christianos, & omnia minis complet, id satis esse causae arbitramur, cur vicissim sumat arma ille, in quem nec obscure, nec juste haec parantur. Non existimet M. V. dissimile esse negotium, cum alicujus vitae privatim affertur vis, & cum publice bellum infertur. Tam homini Regi arcere a suis finibus hostium arma, quam homini privato propulsare a suo corpore manus inimicas licet, hujusque defensionis innocentiam inculpatae Tutelae vocabulo nostri Doctores insignem esse voluerunt. Non item existimet M. V. licere virtutis, & prudentiae lege movere bellum, ut pax fiat, id ipsum divino permissu non licere. Quin immo est in sacris litteris auctor ipse pacis Deus erudiens artibus belli populum suum; docuitque vincere ferro ille, qui vel sine sanguine dare victoriam poterat, vel omnes dimicandi causas etiam tollere ex hominum vita, & abolere nutu. Si Majestas Vestra occupaverit invadere armis Romanum, nihil fecerit injustius, quam si provocatus aliquis ad singulare certamen, stansque jam ob id ipsum in arena, dirigeret ictum in caput inimici priusquam ipse feriretur. Etiam insidiis captare licet apertum jam hostem; quanto magis in aciem vocare? Rex, aut Princeps, qui Reipublicae persequitur injurias, fungitur munere Divino, ibique pietatis laudem meretur. Proinde Majestatem Vestram decet amissa jam tandem nobiscum deliberatione queis iners otium, & umbratilis vita, deliberare cum militaribus viris, castraque, & acies multiplices gerendae rei vias tractare, non vias recti, & honesti, quae nullae sunt, ubi tua, & tuos praedae esse hostibus sinas. De gerendo bello haec nostra sententia erat, Catholice Rex, quam Divini Spiritus ope multum invocata, quoniam ita mandaras, explicavi ego, Melchior Canus. At de belli fine, deque victoria, cum advenerit, regenda, Divino item Spiritu precibus accuratis invocato, sic monemus: Christi Vicarium esse, cum quo dimicare necessitas cogit: ille, si re ulla minima fuerit violatus, Catholicam simul Religionem, & Ecclesiae nomen fore violatum: ingentem patefieri portam Haereticis, si per nos aditus ad contemnendum eum fiat. Quare, nihil tantopere cavendum est, quam ne tale quidquam admittatur. In tam ancipiti confinio, & coercendi Pontificem, & minime violandi, facilis erit via, facileque temperamentum, si res quidem ejus, & caput, & fortunae, relinquentur in eodem statu, quo fuerant ante bellum; conditiones vero pacis honestae nobis, ipsi non valde graves imponentur. Poterit in primis haec esse conditio, ut Sacerdotia omnia, quae per Hispaniam habentur, Regii juris fiant, eaque vectigalia Rex ipse patrimonii sui nomine mandet, ac dispenset. Tum ne Romam in jus Hispano eundum sit, nisi fuerit ejusmodi causa, in qua magnum aliquod Ecclesiae negotium agatur; quotidianae causae cognoscantur apud Magistratum, qui ex Apostolicae sedis auctoritate in Hispania erit institutus. Exstat enim de ea re praejudicium Innocentii, Pontificibusque aliis ita visum fuit. Praeterea, ipsi fructus, quaeve pecuniae, mortuis Episcopis, & vacua deinceps eorum sede, ad Pontificem Romanum antea pertinebant, id jus, eave consuetudo in posterum sublata sit, neve amplius ii fructus, & eae pecuniae in Hispania colligantur. Nam Rex Alphonsus, qui Sapiens cognominatus est, & Alphonsus VII. cum uxore Constantia spolia illa ipsis Ecclesiis attribuerunt. Nuntius Apostolicus, qui mittitur in Regiam debebit in posterum venire cum facultatibus iisdem, quas agentes in Gallica Regia Nuntii ab Pontifice suo secum ferunt. Has victo Romano dari conditiones pacis oportebit, piacula praeteritae turbulentiae, qua publicam interpellare quietem voluit, in posterum documenta, ne turbandis Hispaniae rebus, res suas fieri posse auctiores sperent. Caeterum, quoniam fore prospiciebamus, ut, quamdiu bellum istud, quod pro pace gerendum esset, maneret, impeditiores ab Urbe Roma in Hispaniam, & vicissim Romam ex Hispania commeatus essent; dicimus Majestati Vestrae, nihil eam rem interea debere morari cultum Ecclesiarum, & animarum salutem, quo minus Episcopi statuant, decernant, etiam absque Pontificis auctoritate, prout quidque postulabit.* Haec scripta totidem fere verbis Canus Bruxellas ad Regem miserat.

Rex ipse, de ea, quae parabatur, necessitate, consiliisque super tota re suis ad Joannam sororem, quae praesidebat adhuc Hispaniis, hoc exemplo litteras dedit: "Posteaquam ad te perscripsi, quas res moveri, „agique, & parari per Pontificem Paulum acciperemus, „perlatum est ad nos, Pontificem eumdem hoc habere „in animo, ut Caesari Patri simul, & mihi, sacris in„terdicat, agique divinae rei quidquam per nostra Re„gna & Provincias vetet. Nos explorata sapientium & „piorum hominum sententia, statuimus, interdictum „non esse observandum, peccaturosque graviter, si „tot subjectorum animos absque ulla causa privari fructu „divinarum rerum pateremur. Scimus enim ipsi, & „scire alios arbitramur, quemadmodum nihil sit a nobis „commissum ejusmodi, ut anathematis poena damnan„di simus, & manifesto apparet, quemadmodum Ponti„fex Maximus injuriose nobiscum atque perturbate „agat. Cum nulla nostra culpa sit, nullumve flagitium, „non debemus publice fateri flagitia, & culpas dignas „anathemate; idque flagitium esset magnum in eos, qui „sese justo & pio imperio regi adhuc a nobis credidere. „Non stabitur igitur in hujus interdicti lege, si forte, „ut suspicamur, irrogata erit, neque vitabitur quid„quam, aut fiet earum rerum, quas anathematis tem„pore vitari, agique solenne est. Sane valde perturba„tur animus meus, & offenditur hoc motu, & actione „Pontificis, qui nos Angliae reconciliatores & auctores „tantae rei, quanta res fuerit, illius Regni in Ecclesiae „Catholicae gremium restitutio facta divino nutu, con„siliis & auctoritate nostra, nostrisque prope manibus, ve„lit nunc absque causa percutere anathemate, labefa„ctare pulcherrimum opus, & cum ad excindendas ad„huc sectas incumbamus, immittere ipse nobis coeleste „telum velit. Sed non possunt haec placere Deo, & „quia placere non posse sperabamus, obviam itum est „periculo imminenti, factaque recusatio sive denun„tiatio communi Caesaris Patris, & meo nomine, si„mul etiam reverentissima deprecatio adversus illud „anathematis telum, ut, aut ne immittatur nobis, aut „immissum cadat vano ictu & irrito, sicut debebit. Mis„surus ad te litterarum earum exemplum fui per tabella„rium hunc nisi ipse per Galliam iret. Breviore mox & „tutiore via per alium, qui mari decurret mittentur. „Interea placet mitti abs te litteras per Hispaniae Re-

„gna,

„gna, & moneri Civitates omnes, & Civitatum Episcopos, collegia, Principes, Ordines, ne moveantur interdicto ullo, neve id admittant, sive observent. „Simul jubebis ad portas urbium, maritimosque portus „caveri sedulo, ne quid hujusmodi litterarum in nostros „fines inferatur, ac si quis talia ferens alicubi deprehensus „erit, ita puniri debebit, ut ejus exemplo caeteri deterreantur. Tempus enim jam tandem est, abrumpi dissimulationem, & agi rerum nostrarum curam, ne noceat hostis. Quod si forte introlata fefellerint, & volent aliqui parere interdicto, sicuti contingere posset: at „vos, ut illi contineantur, quam modestissime operam „dabitis. Cum haec scriberemus, allatae sunt litterae, „in quibus erat, mandasse Pontificem, ut in caetera „devotionum, & exsecrationum Apostolicarum serie, „quas in coena Domini promulgari solenne est, novum „hoc caput insereretur: feriri anathemate, & arceri communione sacrorum eos, qui partem aliquam Ecclesiae „finium occupatam haberent, etiam si illi Reges, etiam „si Caesares essent. In iisdem litteris erat; quae preces „antea nominatim pro salute Caesaris habebantur, anniversario, & sancto Christi necis die, cum longus „ordo precationum in singula capita descriptarum recitatur, id caput expunctum nunc atque sublatum esse. „Atqui pro Mauris ibi & Judaeis imploratur Numen, „Haeretici & Schismatici non excluduntur. Vides itaque, Soror, quantopere crescat malum, & quam providenter parari remedia oporteat, sicuti pro tua parte „facturam scimus.„

Omissa jam hinc motuum Romanorum exspectatione, Rex Philippus ultro inferre bellum parabat, antequam Pontifex Paulus plus virium, & armorum colligeret, & antequam Galli transcenderent in Italiam, Belgiumve facili nimium in hanc, illamve terram excursu, quia late praetenta hosti Belgica ora, & pleraque in Subalpinis ab eo tenebantur. Incipiendo bello mandata haec Hispanus dedit: Invaderet Dux Albae Latium, persultaretque & insisteret moenibus Urbis Romae. Portus, qui est ad Centum cellas, occuparetur, ne Gallica classis commeare illac posset. In eam rem destinati mille & quingenti milites Hispani generis, & sub Dynasta Feltzensi major aliquanto Germanorum numerus. Hae copiae per Andream Auriam ad Species (Ligusticae orae portus est) in naves impositae, cum portum Herculis tenuissent, tria millia Etruscorum ad eas accessere. Cardinalis Tridenti submittere copias alias ad Ostiam, quae posita est in ore Tyberis, jussus. Alvaro Sandeo mandatum, ut ad Senas in omnes belli motus excubaret: illuc in praesidium, ex Mediolanensi copia sexcenti veterani, mille, & octoginta Florentini praeter consuetas jam antea stationes acciti. Joannes Lara missus in Germaniam ad conducendas inde peditum cohortes, & equitum turmas, quae molem & robur universi exercitus augerent. Expediendis in Hispania pecuniis, inspiciendisque rebus Ebuli Princeps egit. Haec ab Rege Philippo subitariis consiliis provisa, vel ut hostium conatus anteveniret, vel ne ipse anteveniretur, in quo non modo praesens utilitas posita erat, sed etiam in posterum fama, quae plurimum in bellis valet, resque tam incerta, & parva totam saepe victoriam inclinat.

Apud Pontificem, & Carafas meditamentis adhuc & verbis gerebatur bellum, & postquam occupato Palliano, sicuti demonstratum est, ostenderant arma Regi, legationibus deinde mittendis, sive in manifesta violentia quaerendo juris imagines terebant tempus. Nunc susceperant eam actionem, idque moliebantur Romae, ut Neapolitana res Senatusconsulto repeteretur in Apostolici Imperii corpus, & ab ejus Senatusconsulti defensione velut ab honesto titulo ordirentur bellum.

Procurator fisci Romae dicitur ille, qui Pontificiae rei causas tuetur; rem ipsam Pontificiam D. Petri patrimonium appellant. Is Apostolici patrimonii curator, sive patronus, statuto die, Pontificis jussu, frequenti Cardinalium Concilio processit in aulam cum tabellis litterisque suis, & praefatus ex formula, se esse Apostolici patrimonii procuratorem, cogi, dixit, ejus muneris officio & fide, ne rem magnam ac diu neglectam aliis ante se procuratoribus, ipse dissimularet. Neapolitanum Regnum antiquitus esse Pontificii juris, & nuperrime recidisse illuc, unde fuisset abalienatum, quia Rex Catholicus imposita tributa non pependisset, aliisque rebus etiam erga Sedem Apostolicam ageret inobedienter. Id se Regnum repetere a Catholico Rege, & ni decedat ille finibus tradatque liberam eam Apostolicae Sedi possessionem, Deum, & homines, qui adsint, testes facere, quemadmodum Rex ille, Christi patrimonio justa non persolvat. Reclamantibus inde Cardinalibus, qui favebant Hispano, Senatus C. factum est in verba Procuratoris illius, auctoritasque perscripta, quam postea docti homines, & otiosi in plena talium urbe, rerum argumentis, exemplisque ac testimoniis oppugnare vel defendere instituerunt, prout in hanc illamve partem adulatio vel favor, sive etiam alterius odio, studium in alterum, aut denique sincerus etiam alicui sensus, & impavida adversus periculum mens.

Locus monet, repetere parumper Neapolitani Regni varietates, atque successiones & versatos in ea terra dominatus, ut quo jure, quibusve gradibus ad Catholicum Regem id Regnum pervenerit, historiis ab ultima antiquitate propositis noscatur. Antequam Robertus Guiscardus utriusque Siciliae se faceret Regem, Urbem Neapolim Graeci habuere. Calabriae Duci, trans & citra fretum Siciliense patescebat Imperium; Tarentum & Barium & Capua Principatus nomine tenebantur. Dux Apuliae, Dominus Gargani, Comes Molisis, Dynasta felicis Campaniae, Salernique Comes, & Dux Melfi, Surrenti Dominus & Nuceriae; vocabula imperitantium haec terras, quae nunc unum Regni corpus efficiunt, inter sese partibus & membris trahebant. Posteaquam constituto Regno, Conradus absque liberorum stirpe decessit, Carolum Andegavensem Alexander IV. adoptavit in id Regnum, novoque Regi conditiones hasce dixit: Ferret quotannis Apostolicae Sedi tributi nomine quadraginta octo millia nummûm aureorum cum asturcone albo; neu Romanorum Imperator fieret ipse successoresve ejus, neu in Etruscos aut Insubres proferre imperium tentarent. Tributum postea remisit Julius Secundus Hernando Catholico Regi, caetera mansere, donec Leo X. Carolum V. solveret ea quoque conditione, quae Neapolitanum Regem obtinere Caesaris nomen, & transcendere dominatu suo in Insubres vetabat. Ob eam indulgentiam abolitionemque juris antiqui repetitum, ut Neapolitanus Ecclesiae denuo stipendiarius fieret: pro quadraginta octo millibus, septem millia nummûm aureorum imperata. Sed posteriora haec, & ab instituto Regiarum successionum ordine abrupta fuse memorantur in eorum annalibus, qui Caroli V. aevum scripsere. Carolus hic Andegavensis, qui Neapoli post Conradum regnavit, fuerat D. Aluysii Galliae Regis frater, nec moribus animove degenerarat, nisi regnandi artibus nimium saevire coactus fuisset. Namque Conradinum Conradi fratris filium, cui Regnum a patruo relictum fuerat, non depulit modo, sed etiam una cum Austriae Duce captum securi percussit, ingemiscente, sicuti fama est, Europa, propter nobilitatem juvenum, & altam indolem, qua spem de se ingentem concitarant. Is Conradinus, cum in ferali pegmate juxta securim staret, elata, quantum poterat, voce, mori se innoxium exclamavit, fuitque spatium, quo diceret, tradere se Regnum consobrino suo Aragonum Regi, & ejus suae voluntatis pignus, chirothecam sive manicam in multitudinem, quae circumfusa spectaculo aderat, projecit. Chirotheca sublata confestim ab aliquo, cujus periit nomen, & delata ad Fredericum Aragonium est, ut se Neapoli Regem esse renunciatum sciret. Subegit postea Siciliam Andegavensis, & sumto adversus Galliae Regem bello, Aragonium ipsum ultro in Regnum adscivit. Ita post Carolum, Federicus Aragonius regnat. Huic successit Aluysius, Aluysio Federicus, Federico Martinus, Martino Ferdinandus, Ferdinando Alphonsus ille, cui Magnanimo cognomen multa splendida facta peperere, quique duo

Regna, Neapolitanum, & Siciliense unum fecit. Per has aliasque Regum & rerum vicissitudines, Neapolitana res venit ad Fernandum Alphonsi pronepotem, feliciorem in accipiendo, quam ad custodiam ejus fuit. Pellitur hinc a Carolo VIII. Galliae Rege, vindexque sui sanguinis Aragoniae Rex Fernandus, pulso Gallo, Federicum e domo Fernandi restituit in sedem, ex qua detractus ille erat. Adversus hunc Federicum rursus praepotuere Gallorum arma: mox ultima stabilisque victoria penes Catholicum fuit, qui potior ab Alphonsi origine justiorque quam Federicus ille habebatur. Nam, & vitiati natales Federico, & violatae adversus Catholicum fidei reus erat, indignusque ob id ipsum habitus, cui Catholicis armis parta relinquerentur. Etiam exstabant litterae Pontificis Julii, Gallo Regnum abjudicantes, propterea quod ille Apostolicae Sedis auctoritati non paruisset, aliaeque litterae Pontificis Eugenii datae erant, quae legitimam Alphonsi V. posteritatem in id Regnum vocarent; nec jam ulla legitima posteritas extra Domum Aragoniam inveniebatur. Ob ea vetera simul & recentia receptum armis suis Regnum retinuit sibi Fernandus Catholicus, in cujus postea fortunam atque cognomentum Philippus Austriacus, ducta in matrimonium Joanna, successit, sicuti operis hujus initio demonstratum est. Manebant adhuc reliquiae veteris tributi septem millia nummûm aureorum, & asturco, testandi causa, Regnum illud esse Apostolicae Sedis munus. Remissa sunt a Clemente VII. Carolo V. Caesari, cum ille redimeret necessitatem & pericula, quae lacessiverat. Servavit tamen Austriacus, ut offerret Apostolicae Sedi quotannis eam pecuniam, idque jumentum immutato tantum titulo, ut quod dicebatur antea tributum sive vectigal, id offerri donarique diceretur. Et Apostolici patrimonii procurator, quoties ea fiunt, adest cum sua testificatione, suisque litteris ad profitendum contra, & cavendum.

Ex annalium monumentis, atque etiam ex recenti hominum memoria proferebantur haec ab illis, qui Regiae causae favebant, quive in ea parte vicissim quaerebant sibi gratiae, & favoris locum, quive etiam absque favoris vel gratiae corruptela rem spectabant. Dicebatur contra, nihil aliud esse Neapolitanum Regnum, quam Graecorum Imperatorum injuriam, & adulterini Pontificatus mercedem. Rugerium I. Siciliae Comitem per Gulielmi absentiam invasisse terras eas, cum ille Constantinopolim profectus esset deducendae uxoris causa, quam ei Alexius Imperator dabat. Anacletum oppositum Innocentio II. Pontificem, ut improbi conatus adjutorem haberet, usurpationem eam firmasse diplomate, cujus profecto tam vana auctoritas, quam etiam Pontifex ipse non verus. Ratam sine dubio postea dominationem insecutis fuisse Pontificibus; sed principia rerum iniqua, non elevari fine honesto; & quale jus fuerit auctoribus Regni, tali jure fuisse, qui Regnum accepissent ipsi, quive ad posteros propagassent. Mota tamen a Clemente III. arma, ut finita Rugerii stirpe, rem Neapolitanam Apostolicae Sedi vindicaret, unde non rite neque legitime fuisset abalienata. Innocentio IV. destinatum, imperium transferre illud a Federico II. in Colimandum Angliae Regis filium, neque cohibitum alia re, quam quia propter validam Federici domum plus potentiae reperiretur, ubi minus juris.

Nulla potest umquam esse causa, neque tam profligata, & perdita, neque tam bona & justa, quin paria fere momenta rationum in utraque parte reperiant homines, qui gratificandi, vel vincendi studio, certamina aliena, suas lites faciunt, propriisque stimulis in aliorum damno vel utilitate concitantur. Et arbitror pleraque in eo rationum conflictu, eaque litis imagine fuisse excogitata & praescripta etiam ab illis, quos sua res, suusque dolor urebat, quo plus subtilitatis in certamine esset. Haec nunc controversia veluti praeludium armorum in Senatu exercebatur, idque per circulos etiam oblectamen Urbanae multitudini.

Lutetiae Parisiorum, in Regia, contentio gravior aliquanto inter Principes exorta gliscebat adhuc, daretne sese Rex Henricus foederi Romano, ruptisque cum Catholico Rege induciis capesseret una cum Pontifice pericula, & spes novas, an potius spectator alieni certaminis sederet. Erat plena inquietorum hominum Regia, queis in tali negotio magnae cladis instar, si Rex Gallus ab incertis adhuc ad qu eta consilia recolligeret animum, & nullis sese partibus accommodaret. Julius Aquaviva Dux Atri, Julius Caesar Brancatius, Aluysius Denticus, Americus Sanseverinas, & duo praeterea Sanseverinates, Fernandus, & Bernardinus; ille Salerni Princeps, hic Dux Somae, tremenda nomina fugitivorum ex Neapolitano Regno Principum, tumultuabantur, existimantes non posse ipsos esse salvos, si Rex Galliae staret immotus. Hi periti locorum & opportunitatum, & gnari, quos amicorum animos domi reliquissent, proponebant, quam facile negotium foret; vera falsis miscebant, ut incoepto tantum opus esse persuaderent. Et majore vi agebatur per Cardinalem Carafam, Herculem Estensem, & Jordanum Ursinum, quos lateri Regis adfixos jusserat Paulus etiam per incredibilia promissa, moliri subsidium illud, caput universae rei principiumque rerum.

Rex Henricus nusquam magis antea postve sicuti fertur, anceps atque fluctuatus animo, Principibus suis indici consilium jubet, & constituto die processit illuc in sedem suam, nullo adhuc attingente suspicionibus suis, quid ille consilii capturus foret. Fuerunt in eo concilio, praeter caeteros, Anna Momoransius magnus Equitum Magister, & Dux Ghisae, de quibus antea dictum est, regalibus animis homines, nec minore generis fama, & instrumenta Regni alieni, cum etiam ipsi meditari Regnum crederentur. Uterque magnus bello; sed prior magis pati pacem etiam poterat; alter nullam venire gloriam nisi per arma & acies putabat. Hunc Regiae suspiciones intra Regiam absumsere privato ferro, ille cum privata Regum meditamenta evitasset, misere periit in acie. Erat utrique vis dicendi supra militarem modum, tamquam ei quoque rei studuissent, & raro concordes in sententia dicenda, hoc ipso auxerant eloquentiae famam, quod numquam sine mutua comparatione audiebantur, ipsi quoque inter se certare crediti non magis prudentia consiliorum, quam orationis etiam exitu. Id certamen, quod in aliis inane videretur, in exercituum Imperatoribus admirationem habebat, eratque res nova, studere verbis homines, quorum facta cum terrore memorarentur. Hi duo Principes, Anna Momoransius, & Dux Ghisae, si umquam alias contrariis inter se studiis egerunt, atque praeferri invicem studuere, hodiernum id certamen fuit. Anna priore loco rogatus sententiam ita coepit:

"Acta mihi aetas in hujus amplissimae Regiae obsequio & famulatu, consumtique ducendis exercitibus „aut legationibus obeundis anni, tantum periculorum „exhaustum, & hoc non sine vulneribus corpus, & „aeterna mea fides, & fortasse rerum eventus, quas „gessi, vetant credere, dicturum esse me quidquam, „nisi quod utile regno, salutareque erit. Per omne tem„pus ita vixi, ut pro salute Regum ac Majestate vile du„cerem hoc, quod inter mortales degitur aevum, si„mul pro communi Patriae bono, apud Reges etiam „uterer ea libertate, quae procul abest, ubi privatarum „rerum cura animum intravit. Quas animo curas volve„rem, generosa mea facta satis ostendere potuerunt. „Omnes homines, qui de magnis rebus in consilium ad„hibentur, considerare oportet, an illud, de quo de„liberatur, sit utile Reipublicae, Principi gloriosum, „ac deinde quas ad exitum facultates, sive difficultates „habeat ea ipsa res, quae gloriae vel emolumento futura „esse videatur. Simul, ei, qui deliberat, videndum „esse arbitror, quale discrimen attingat eos, qui aliquid „suasere. Pauci sunt dies, ex quo Majestas V. cum Hi„spaniarum Rege pepigit inducias, quarum nunc vio„lari fidem petunt homines, in nulla parte dedecoris, „atque venientium inde periculorum futuri. Petuntur „decernatur, id quod neque jus gentium, neque Chri„stianae religionis sinceritas decerni patitur: Ut Gal„liae

„liae Rex fidem, quam ipse obligavit, fallat, petunt. „Atqui simpliciter ego quidem, & sine ulla verborum „exaggeratione, sed tamen admodum dolenti ac prope „indignabundo animo quaesitum velim ab istis rumpen- „darum induciarum auctoribus, si jurisjurandi fides „& sacramenti religio tollatur, atque labefactetur ipsa „Regum auctoritate, quid deinde sancti & sinceri inter „mortales mansurum sit; quod reliquum pignus, ut al- „ter alteri quidquam credat? Si inutile fuit inducias fie- „ri, cur factae sunt? Si utile, cur factae contemnuntur? „Etiam si damni aliquid afferrent, pertinebat ad Chri- „stianissimi nominis Majestatem dissimulari tegique „damna, & consilium sustineri malum, quo descensum „illuc esset, ut cum hoste mutuam armorum quietem „interposita nostrae fidei religione sanciremus. Cum „autem ea sit utilitas, quae patriam hanc recreavit; cum „quinquagies centena millia nummûm aureorum usuris „intolerabilibus exhauriant Regnum; cum belli clades „militarem etiam sobolem exhauserint, & qui supersunt, „tributis jam oneribusque succumbant; quis tandem im- „probaverit inducias hasce nisi si hostis sit? Minime ex- „pedit Majestati V. dum alienis cupiditatibus inserviat, „seque Regnumve suum in novas angustias redegisse. „Nimium experti sumus ubivis gentium, quam adver- „sus Catholicum Regem feliciora nobis, potentioraque „arma esse. Et funesta illa semper Gallicis exercitibus „Italia, crebris & recentibus adhuc cladium nostrarum „monumentis, quasi clementi voce nos monet, ut ac- „cumulata passim illic majorum ossa proponantur ante „oculos, quotiescumque de tentanda rursus fortuna aga- „tur. Aluysius XI. & Carolus VIII. & Aluysius XII. „& Franciscus Primus, & novissime Majestas V. tot „conatibus, tot exercituum strage, &, quod dicere „pudet, tanta temporis jactura, nullum in Italia domi- „natum invenere. Ite nunc, & spes in ea terra novas „delegate Pontifici, quem jam vita deficit, qui nihil ad „spem momenti habet praeter id, quod semper infida „stimulatrix cupiditas ministrat. Ite, & arma, fortu- „namque vestram, & Regnum universum, committite „huic, scilicet, ut in medio postea rerum discrimine de- „stituatur exercitus noster in hostium terra; vel ob flu- „xam senio mentem, vel ob mutabile Romanum Impe- „rium, quod sene mortuo fortasse deveniet ad aliquem, „qui hosce Pontificis motus tacitus nunc detestatur atque „odit, vel etiam meditatur illud, ut si contingat ipsi Pon- „tificatus, in nostra damna Catholico socius fiat. Ma- „jestas V. cum vellet dissolvere, neque posset aes alie- „num, quod belli necessitates, & diuturna mala con- „traxissent, cumque vellet etiam, nec facile posset, „eorum remunerari virtutem, & fidem, quorum ali- „quod egregium meritum exstaret; coacta est Regali suo „animo descendere ad remedium, quod nunc Regali item „animo nollet adhibuisse. Nam ne majoribus urgeret tri- „butis Provincias, fecit ut magnarum Urbium Pontifi- „catus & ampla Sacerdotia, sacrasque praefecturas ho- „minibus assignaret armatis, feminasque ipsas, & tur- „pe foeneratorum genus in loca Episcoporum aut Ab- „batum assumi nostra aetas vidit. Armati postea il- „li, & quaestuosi, & naturae malum muliercu- „lae, vel pretio, vel gratia, Clericos assumsere ta- „les, ut quamvis molli, vel sordido, vel feroci regimi- „ne teneri Ecclesias praestaret, ne Episcopi fierent illi, „qui per uxorium ambitum caeteramve nundinationem „irrepsere. Simul enim intravere cum ipsis Haeretici, „& quisquis ex Germania, vel Anglia fugerat ambustus „flamma judicii, tutam & honoratam in hoc Regno se- „dem invenit. Geneva contaminatrix gentium, & re- „ceptaculum eadem, sedesque contaminatorum, huc „destinare suos emissarios ausa est; praemia belli haec „habemus. Nec religio tantummodo labefactata est ini- „tiis hujusmodi; sed Majestati V. minus jam stabile, „minusque fidum Regnum esse coepit ob causas eas- „dem, quae religionis & Ecclesiae statum labefactare „coeperunt. Quippe nostri homines, cum Germanos „auxiliares crebro audirent, jactantes patriarum suarum „immunitatum nomina, exprobrari sibi servitium puta-

A „vere, jamque talis vitae conditio passim in circulis ce- „lebratur. Celebratur dico? an potius omnium fere vo- „ta illuc incumbunt, & onera, quibus tranquille assue- „verant, coepere detrectari? Voluit Majestas V. „nuper in annonae salariae vectigali nonnihil immutare, „& sensit quantopere vetus obsequium immutatum esset, „haud ob aliam causam, quam quia eodem tempore „pertaesum belli erat, & conditioni alienae invisum. „Prope rebellavere fidissimae olim urbes hac invidia vel „taedio, neque coerceri malum potuit, nisi per suppli- „cia & neces, quae tam indecorae sunt viro Principi, „quam etiam medicae artis hominibus crebra funera ru- „bori esse oportet. Et motus ille quidem utcumque re- B „pressus est; animi qui semel fuere, fortasse adhuc ma- „nent: si novis tributis, vel opportunitate turbanda- „rum rerum aliqua tentati erunt, id quod nunc metus „aut modestia est, rabies & furor fiet. Certae sunt „quaedam ac definitae causae, justaque tempora rum- „pendis induciis; si dolo malo; si per errorem aliquid „admissum erit in pacto, si qua post pactum insignis mu- „tatio rerum consecuta, quae nullis ab initio provideri „consiliis hominum posset, si denique conditiones re- „pertae erunt ejusmodi, quae fortunam & statum alte- „rius partis evertant. Tunc enim recedere a conditioni- „bus licet, neque lex est ulla tam dura & torva, quae „adversus ultimas necessitates, ipsa necessitatem impo- C „nat. Peto nunc ego a M. V. totoque consessu, ut „consideretur etiam atque etiam, num earum causarum „aliqua possit esse obtentui ad liberandam induciarum „fidem quam cum Hispano pactam habemus. Si nulla „reperta erit ejusmodi causa solutaeque nihilominus in- „duciae; de nobis quidem fortasse conticescet fama, ne- „que minores animas tantopere persequetur. Majesta- „tem certe V. cujus auctoritate transacta res est, aequi „pariter & iniqui sermonibus lacerabunt. Neque sile- „bunt litterae, quarum judicium & existimationem ego „sane Regnantibus pluris aliquanto, quam praesentes „hominum sermones esse faciendos puto. Possum ego „ex multa pertractatione rerum Hispanarum, multa- D „que hominum illorum notitia, si quisquam alius odo- „rari & scire, quid in ea parte vel agatur, vel etiam co- „gitetur. Certae mihi conjecturae, certaeque ratio- „nes, & si dicendum est, homines etiam certi dant „haud obscura indicia ad arcanos & intimos illius Re- „giae sensus, & fortasse nimio pluris arcana ea cura stat „mihi, quam vellem. Affirmo, nihil esse in Hispania, „vel aperti, vel occulti, cur, aut sperare commodos „rerum exitus possimus, si ruptae erunt induciae, aut „fraudem timere ullam, si simpliciter a nobis, innoxie- „que perseveratum erit. Jam vero communia illa & mani- „festa quis non videt? Si pax huic Regno conservata sit, „fore propediem, ut Gallia nulli terrarum concedat vel E „fertilitate, vel frequentia, vel commercio, vel hu- „manitate, & cultu, quae res imperium omne con- „servant; si absint, inopia, comes moestitiae, barba- „riesque sequitur dominantes juxta & subjectos. Pro- „inde, si qui sunt in ipsa Gallia, quos ista mala libido „solvendarum induciarum sollicitet, desinant, quae- „so, id optare, quod ubi habebunt, ingemiscent; de- „sinant in patriam accersere sollicitudinem, & vastita- „tem, & clades; desinant inquieti esse ipsi, aut fovere „inquietos. Pontifex vero Paulus, quin praecipiti sene- „cta fruitur fortunae suae bonis, pacateque & paterne „Ecclesiam regit potius quam ut Europae totius pertur- „batione, sanguine Gallorum novam suae Domui strue- F „re potentiam paret? Aut si honesta illa sententia sedit „animo proferendi terminos Ecclesiae, Hispanumque „submovendi finibus, quos fines ex Apostolico patri- „monio habere interceptos ea gens fertur; quin exspe- „ctant Carafae isti propugnatores Imperii Romani, dum „brevis exeat induciarum dies, atque interea poterunt „opes accumulasse tantas, quantis ipsa egeat res, ut M. „V. capessat hoc bellum. Nunc petit a Pontifice Rex „Hispanus, ut solvat vincula legatis, hominibusque su- „is, quos jure gentium sanctos in arcem conjecit, sae- „vum malique moris etiam inter barbaros, & initium olim

„ olim armorum cruentaeque aetatis Hannibalem inter & Romanos, qualem hanc ipsam parari aetatem video, si erit Hispano animus, qui tunc Romanis fuit. Nam quod incruenta victoria ad Neapolim, spoliaque sine sanguine & sudore proponuntur animis, & Regnum illud habetur pro capto jam & possesso, id quidem more cupientium fit, & exsules ejus Regni desiderio relictarum rerum spes sibi vanas inani cogitatione depingunt. Ajunt promta fore sibi rebellium aliorum arma, si tantum ab nostra parte increpuerit Mars; per eos reliquam multitudinem posse concitari, & totum illico Regnum contra Regem fore; nationem esse jam inde antiquitus facilem ad rebellandum; septies, & vicies ad hoc aevi, fidem & obsequium exsuisse. Disserunt ista quidem homines prope desperati; neque vident, aut si vident, reticere malunt, non easdém nunc manere causas, quae toties olim sollicitavere gentis quietem, aut ubi defecerant, praebuere furori arma. Non eadem manet imbecillitas Regum, quos Princeps externus, mutabilis in diem, electus ab electis dabat. Sunt accisae vires eorum, qui capita rebellionis esse poterant; & Principum Italorum auxilia olim parata rebellantibus, nunc respiciunt gratiam & nutum Regis ab cujus imperio defectionem sperant illi tantum, qui ipsi jam defecere. Justo illic & moderato imperio continentur omnia, neque abest alterum fidei vinculum metus praesidiaque & arces cervicibus imminent, necessitas quiescendi. Et quanta sit auctoritas Regis inter rebelles etiam, declaravere nuper Pontificis propinqui saniores, qui reliquere ultro certam jam Purpuram, & spes alias Romanas, atque ipsi uno agmine in Hispaniam transiere. Stultum est in alieno Regno sperare sibi tumultus, & semina novarum rerum, popularemque seditionem, ubi nec sunt ulli, qui Regnum ipsum sperent, nec reliqua multo praesentem suam fortunam cum alterius fortuna commutatam velit; & si quid erit forte turbatum, statim animi, vel placari delinimentis, vel coerceri poenis possint. Ego sic censeo non esse M. V. rumpendas inducias, premendamque tributis Galliam, ut alienae cupiditati obsequatur. Quaerat sibi Paulus honestae pacis conditiones, & habebit. Excuset Majestas Vestra difficile bellum, sumtuosum, fatale, manifesta damna, utilitates incertas, Galliae cladem, quae sequetur haud dubie, nisi consilium hoc meum admittitur & probatur, sicuti publicae salutis causa probari id admittique velim. „ Lene murmur, quale faventium solet, hanc Momoransii orationem esse subsecutum, fertur, atque fuisse ab eo pro patria, & Regno gravissime peroratum, ajebant, haud fere ambigentes, quin Regis jam animus intimo sensu quieta consilia turbidis anteferret. Mox contraria Ghisae Ducis oratio subsecuta est in hunc modum:

*Principum quidem atque Regum magnorum est, publicae existimationis, & suae Majestatis causa custodire semper fidem earum rerum, de quibus rebus cum alio vel Principe, vel Rege jam convenit; sed ubi conventa illa & pacta Religionis causam, & aliquod Ecclesiae negotium amplectantur, multo justius, sanctiusque est, fidem, quae data sit, observari. Est autem a Majestate V. data fides Apostolicae sedi, cujus munificentia & liberalitate stat hoc Regnum majus aliquanto feliciusque, quam olim stetit. Non solum ut fidei sanctitas, sed etiam ut grati animi officium servetur, quae nequaquam Regiarum laudum ultima est, Hispanas abrumpi & negligi inducias oportet. Vestra arma exspectat Apostolica sedes, vestramque virtutem & fidem, ut ab Hispana violentia sese defendat, & propulset a suis finibus injurias Imperii, quod appetendo terras omnes, & Romanis rebus sese immiscendo pervadere velle videtur etiam in coelum. Huic obviam ire violentiae si jus fasque est, etiam discedere ab induciis, jus fasque erit, tam, profecto, quam injustum deseri Pontificis causam, & sinere Christi Vicarium praedae esse illis, qui plus humanarum opum habent. Omnia privatarum rerum emolumenta, omnes etiam Regni fructus, omnes artes, & causas tradi ventis oportebat, ubi de sedis Apostolicae defensione ageretur. Scimus, quae damna trahat bellum, & nobis quoque acta est in armis aetas, nec fortuna mihi extra malorum sortem, queis bellicosa haec patria onerata est, dum gloriam & ancipitia, quam iners, & pingue otium mavult. Sed non ita iratus virtuti nostrae Deus fuit, ut succisis omnibus nervis, omnique ademto virium robore inhabiles ad gerenda deinceps bella relinqueremur. Manent divino munere, felicitate Regni, manent atque supersunt vires, non modo quibus Italiam, sed quibus majora etiam moliri, si modo libitum sit, possimus. Neque inaccesso loco, vel supra conditionem humanarum rerum posita est Urbs illa Neapolis caput Regni, quod adipisci volumus, & si quas tanta res difficultates habet, superabuntur prudentia, consilio, virtute, quae propria nostrorum Ducum est, superabuntur etiam foederis ipsius ope, quod paratur. Amant nova Neapolitani, statim ad vexilla nostra movebuntur, vel naturae suae consuetudine, vel communi omnium more, qui sub Regibus vivunt. Calamitas enim est haec humani animi, & quamvis obstinatae fidelitatis haec veluti perfidia, ut oblata spe mutandae in melius fortunae mutare illico dominum velit. Haec mutabilitas facile etiam alibi reperiretur, quanto magis apud eos, qui defecere semper, quoties ad quem deficerent, habuere. Ge:endae rei habemus adjumenta, quae si Rex Hispanus ad Galliam invadendam habuisset, jam in media Gallia bellum gereretur. Nostri Duces in Italia, noster exercitus, arma, tormenta, jam victoriae dimidium ostendunt, increpant moras; nec fortasse tale tempus exsistet umquam parentandi tot exercitibus, quos nobis absumsit terra, non suo, sed externi dominatus ingenio semper inimica Galliae; numquam dabuntur inferiae fortissimis militibus nisi nunc dantur. Et quae nunc septa, quaeve camporum spatia, quasve arces in nostrae calamitatis contumeliam ceu fatales jactari Gallorum tumulos audimus, ea fortasse loca, verso nunc Numine, gentium aliarum cumulos exspectant. Quam porro gloriosum erit, unius victoriae cursu ac tenore pepulisse Florentinum, ut Regna nostra jus ibi suum adipiscantur? punisse Parmensem ob ingratum animum, quo Majestatis Vestrae beneficia, postquam acceperat, contemsit? Neapolitano Regno recuperato, ingentem hanc patrimonii lacunam explevisse? recuperandi Siciliae Regni, spem simul esse fundatam, quae non minor lacuna patrimonii, si majoribus nostris adspiciatur, ingemiscant? Rex Carolus VIII. cum ingenti virium mole trajecit Alpes, ut vinceret, & vicit, vincetque porro Majestas Vestra, si ad defendendam Ecclesiam, ad delendam Hispanorum tyrannidem, Italiamque liberandam accingetur. Qui triumphus, quae gloria haec erit? immortalis sane, & concessa nemini postquam magna hominum facta, magnaeque virtutes aestimantur. Viri nobiles & sanguine Principum procreati, Principesque ipsi, relicta opulentia, in qua nati erant, relictis penatibus publicis privatisque, unicum in Majestatis vestrae tutela perfugium habuerunt, ac venere huc tamquam in alteram patriam, alteramque domum, unde dimitti nulla ope adjutos, injuria fuerit, pene par ei saevitiae, quae ipsos patriae finibus ejecit. Restituendi sunt ac reducendi, quandoquidem nullo scelere, saevitia tantum aliena in hanc calamitatem inciderunt, neque reditus jam illis in patriam nisi per arma inveniri ullus potest. Non fuit autem scelus aufugisse inde, ubi, neque tuto, neque honeste jam esse miseris dabatur; & quia sic aufugere, poterit etiam Majestas Vestra nullo malo exemplo, opera eorum uti adversus Regem, qui, cum tales viros habere subjectos posset, facere sibi hostes maluit. Induciae, mehercule, ipsae, quarum inviolabile nomen, quasi murus ad omnes nostros conatus objicitur, jam nullae sunt, jamque in solita jura hostium cessere. Rupit eas Mansfelti Comes ad Metzium; rupit Sabaudus dimetiendo furtim moenia & situm arcium nostrarum, graphideque & stylo bellum gessit, cum ab armis cessaretur. Agitatum ab intimo Scriba Granvelani cum Aquitanis duobus, de intercipienda per proditionem Urbe Burdigalensi, quodque hostilia superat omnia, infecti veneno latices, ut nostrum in Belgio praesidium absumeretur, & quasi naturae manibus insidias struxere. Non satis hoc etiam causarum erit, cur istas inducias, vanum sine re nomen, facessere jubeamus, utque contemtis ab nostra parte dolis, qui sunt Hispanorum arma, discrimen aliud hominum, armorumque fiat? Etiam si pestiferum illud, arcanumque bellum non gessissent Hispani per insidias in nos, cum nobis induciarum nomine ferrum e manibus eripuissent, pote-*

*poterat nunc & debebat, suscepta pro Pontifice defensio, justa causa esse belli. Sanctus, innocensque Pater, Christi Vicarius, Ecclesiae caput, celebratae sapientiae vir, etiam ob natalium claritudinem Regiae Majestati defendendus, circumvenitur jamjam & opprimitur Hispanorum armis, qui, si Romam habebunt, ibi non quiescent. At, quam ob causam opprimitur? Ob eam, profecto, quia non potuit dissimulare Pontificatus ignominias; quia se Urbemque Romam, & Ecclesiam esse liberam aequum censet, quia capita partium homines potentes in quorum veluti Regno captiva agebatur urbs, componere voluit, ut ferre moderatam libertatem possent. Ob haec ipsa circumventus & obsessus jam pene Pontifex, jam pene captivus invocat ejus Regis auxilium, cujus majores & liberati sunt olim ab Ecclesia, & vicissim ipsi Ecclesiam liberavere. Si spernitur Legatio, quae propter magnum hoc Ecclesiae discrimen venit, ac nisi liberaliter & pie fertur auxilium, dicere piget id, quod reticeri mea fides vetat. Ubi vicerit Romanum Hispanus, victoria illa nostrae cladis instrumentum fiet, jamque spe & animis Regiam hanc, in qua nos adhuc deliberando tempus terimus, invasere.*

Principes quidem in hunc modum aequo verborum certamine suspenderant rem, ut animus Henrici multo magis, quam principio fuerat, staret incertus atque suspensus. Pari trepidatione vellet defendere Pontificem, & Hispanum timebat. Ex tam incerto, magis dubium fecere sententiae deinceps aliorum; & ingentia Romana promissa, quoties respexerat inducias, honestatemque & fidem, retro animum vocabant. Ancona, & Bononia, Centumcellae, Pallianum, offerebantur, si foedus anteferret. Haec palam; secreto dictum est, Pontificem Paulum facturum esse tot Cardinales, ut, si longa jam aetas properum vitae finem attulisset, posset Henricus ipse per amicorum suffragia, Pontificem habere, quem vellet, ita foederis opes etiam adversus naturae malum fore constitutas atque munitas, ne Romana pars labaret. Esse praeterea quosdam occultos amicos Pontificis, inimicos Hispano, per quos magnae opportunitates ad victoriam obtinendam pararentur. Pitillianum & Brutios, & Sermonettam, & alia, quae reticeantur, fore in potestate. Sed non dandum ultra spatium hosti; opus esse maturato.

Fuere qui clandestinis tabellis monerent Regem Henricum, ne blandienti spei nimium crederet; sciret, apud Hispanos terra marique sic munita stare omnia classibus, exercitibus & egregia Ducum fide, ut foedus illud certissima esset ad ignominiam & cladem via. Per aliquot dies ea consultatio tenuit simillima freto, vel Euripo propter varias sententiarum quasi fluctuum agitationes; nec fretum interea ullum, aut Euripus Regis animo turbidior fuit. Post tantos denique aestus dixit Cardinali legato; praeter eas copias, quas jam in Italia haberet, velle se mittere exercitum parem magnitudini rerum, quae agendae essent; id Pontifici renunciaret. Ita obligata in foederis societatem fide, quomodo ipse par huic magnificentiae verborum posset esse, agitabat.

In extricanda pecunia, quae ad bellum usui esset, plus aliquanto difficultatis habuit, quam quantum in capiendo consilio fuerat exsudatum. Cum Albiciis & Capponiis, (nota ea foeneratorum nomina erant etiam ipsis meditata Regibus & prensata) cum illis igitur, unciario foenore, & triente insuper, quae nummulariis extrema est impudentia, decidit Rex Henricus haud sine stomacho in suos & ira. Namque appellati negaverant, attulerantque causam, cur commodare non possent, ipsa repulsa capitaliorem. Demersam esse Regis Majestatem aere alieno, & vereri ipsos, ne simul pecuniae usuras, simul pecuniae caput amitterent, ac nolle decoquere. Nimium sane libertatis etiam apud alium, qui longe staret infra Regem; sed id Regi tempus erat, ut etiam viliora capita, quam collybistas tractare cum modestia & dissimulatione necesse haberet, & erat natura forte mitior.

Vix ego sufficiam, ut res Hispanas, & Philippi tempora persequi possim, si singula prout accidere, vel administrata sunt, memorare pergam, nedum ut Gallicos etiam interea casus, & consilia turbulentiasque & calamitates inserere operi gestiat animus. Sed quae negotia miscuit atque confudit inter sese bellorum sors, aemulatio Regum, & utriusque Regni vicinitas, ea necesse est immisceri hac etiam annalium sorte; tam nobis Gallica, quam illius Regiae Chronographis Hispana deliberare licere oportet, nec alterutra satis historia sine communicatione alterius constabit. Caeterum, adhibetur modus, ut quod vicissitudine atque ordine rerum fit, nulla nostra libidine vel evagatione esse factum constet.

Rex Henricus inito adversus Hispanum foedere, parum memor, quantam rem suscepisset, ita parabat bellum, ut voluptatibus etiam uteretur, quas florens aetas, & Regia fortuna, similisque fortunae animus postulabant. Hae voluptates, & cura belli, tam diversa negotia minus attentum eum ad Regni custodiam fecere. Sic religio, quae semper prima tentatur, corrupta est; ac tanta fuit licentia, ut publicae scholae serendis erroribus instituerentur, quasi scholae recti & honesti. Neque Rex ipse obviam ibat, & Regni proceres infecti tabe, potentia Ghisarum irritati, propter Ghisas adspernati Regem, id malum fovebant, unde caetera deinceps publica mala sperabantur.

Praecipue vulneraverat Principum animos, quod Rex Henricus, in ea consultatione, quae de foedere nuper habita esset, sententiam Ghisae Ducis ante dicta caeterorum habuisset. Nec illis quidem studium in Pontificem, Hispanosve, aut magna cura quo sese verteret Rex; sed Ghisam oraculum esse Regis fremebant. Hi fuere Borbonius & Vandomus, & Schiatillioneus vetustissimae nobilitatis homines, & ubi corpus unum effecerant, timendi potius in Regia, quam inde aliquid timentes. Assumserant sibi alios pari violentia, & regebantur omnes ab Almirarcho Collenio, cui adfuere omnia congreganda & fingenda in homine, qui patriae turbator aleretur, quive postea esse patriae spectaculum deberet. Lingua manuque promtus, ingenium horribile, animus ferox, nulla honestatis cura, nullum ei Numen, implacabile in alios omnes odium, dira in suos fides, intoleranda ambitio, quam una cum caeteris vitiis texerat non antea cognitis inter mortales artibus, donec peracto inflammandae Galliae munere, cui natus fuerat, ipse conflagravit incendio suo, monstrumque illud vitae finis nudavit. Aderant huic Collenio caeterisque conjuratis etiam externa auxilia, quidquid validi & obstinati per Germaniae lustra adversus Catholicae Religionis nomen; tota secta Protestantium, & ante omnes, Nassaus ille, furia suae patriae non minor, Theodorusque Beza, & Gulielmus Fareleo, familiae proseminatores in Galliam venere, confestim erecta multitudo plausibili semper novitate, profanata templa, direpta monasteria, sacerdotes ejecti, serumque Regis auxilium, & postquam adverterat animum auctoritas nulla; Ghisarum causa coeperant odisse Regem, hujus odio saeviebatur in Ecclesiam, ut, ea deleta, Regno finis veniret.

Notavere temporum eorum politici, quive sese Regum erroribus in occulto magistros apponunt, enorme peccatum Henrici Regis, qui cum tanti discriminis bellum suscepisset, hostemque sibi sumsisset Hispanum, ei bello ducem elegerit Ghisam, cujus imperio non secus atque contumelia sua Proceres alienarentur. Id ille fecerat haud spernenda arte, si certi aliquid in Regum artibus consiliisve esset, ut nimirum gereretur majore cura bellum ejus ductu, qui bellum suasisset; provide considerata res, nisi praeter caeteras Regiarum cautionum infelicitates, pudenda deinceps simplicitate corrumperetur. Cum enim exoleto quodam, & propemodum imaginario Andegavensis Domus jure, Ghisae fratres niterentur ad spem Neapolitani Regni, spem hanc ultro eliciebat Rex & inflabat, accesseratque hoc ad reliquam Principum indignationem, ut pro quasi futuro mox Neapolis Rege, Ghisa sese ostentaret.

Sermonibus quin etiam haud obscuris ferebatur, velle Regem Henricum, ut illius familiae Cardinalis, Pontifex fieret, quo promtius recuperare, validiusque firmare

mare vetustum suae Domus Regnum possent. Ea res, eaque fama molem irarum conciverat inter infensos jam & evertendi aemuli dulcedine gestientes, evertere seque & patriam, & Regnum, & Regem. Neque mitigavit hunc habitum animorum id blandimenti, quod profecturus ad bellum Ghisa, dedit equitum Magistro, ut nimirum ille potiretur interim aula, Regique adesset. Nam etsi parumper inclinatae sic videbantur opes in factionem alteram; suberat tamen offensio, quae gratiam hujus rei totam elevaret. Quippe Catholicus animus Momoransio contra partium haereticarum studia erat; & Ghisa idem metuens, ne pecuniae copiaeque militares maligne expedirentur ab eo, qui bellum geri ipsum nollet, astute providerat, ut pars ea foret in aliorum potestate; Momoransio civilia, & aulica tantum obedirent.

Quandoquidem illa, de qua jam praefati sumus, Gallicarum Hispanarumque rerum vicissitudo sic tulit, ut quod fuerat olim armorum certamen, animorumque dissidium, nunc quaedam Historiae amicitia & societas fiat; immorabimur adhuc hisce Gallorum motibus, quibus altior notitia nostrae partis consiliorum inest. Rex Henricus natura blandus, facilisque peccantibus fuit; raro cuiquam adversus, raro quidquam negabat, perniciosissima pars morum in eo, qui debeat regere tot mortalium cupiditates, meritoque sapientibus viris dubitatum est, sitne proclivius, ut severitas in tyrannidem excedat, an, ut facilitas nimia Regnum etiam amittat. Ita ille, remisse ac molliter agendo, ubi durum imperium, ipsa clementia salutarius fuisset, colluviem Haereticorum in Galliam admisit, Regnumque quod a patre, legibus, armis, religione florentissimum acceperat, prope dissolvit, certe deformavit.

At patri ejus Francisco tantus animi rigor fuerat ad Suae Majestatis tutelam, ut cum esset in Hispania Caesaris captivus, conditionesque duriores a Victore proponerentur, mallet prorogare sibi carceris poenam & protinus diadema tradere filio, quam illud admittere, quo ipse Rex minor foret, eamque magnitudinem animi Caesar admiratus flexit multa & remisit. Quae severitas ad Regni custodiam fuerat, eadem est tutata religionem tam prospero eventu, ut dictum fuerit, regnante Francisco, Gallos homines non ausos fuisse intueri sese invicem absque Catholicae religionis sensu; sed ne externos quidem intuerentur absque illo sensu, nisi si Turca vel Anglus foret. Timeri Principem oportet, ut maneat honos Religioni, nec alia quam asperitatis via paratur metus; unde acute illud nec tamen vere dictum: optimum fore Regum, quisquis pessimus hominum erit. Franciscus primus, Henrici pater, salubri moderatione tantum rigoris sumserat, quantum ad continenda obsequia satis esset, idque ipsum intra divinas leges & naturae praescripta semper stetit. Henricus indulgentia sua laxavit habenas vitiis; & cum centies quadragies centena millia in adulatores effudisset, ea largitione nihil aliud, quam sui contemtum emit, interfuitque postea Successoris eas syngraphas induci & aboleri. Nos contemplatio turbatae Galliae sic ab ordine rerum abduxit.

Accepto confirmati foederis nuntio Pontifex Paulus allevaverat ab ingenti sollicitudine animum, desieratque timere, ne tentata ea res cum alio insuper damno ad irritum caderet. Sed quantum solatii attulerat is nuntius, tantum aggravabant, propinquo jam discrimine, crescentes curae, & ferme ita usu venit, ut cum periculi tempus adest, spes minuatur, magnarumque rerum difficultates saepe contemptae deliberantibus, in agendi procinctu suis momentis aestimantur. Audiebat incusari senectam suam, etiam ab amicis, idque penetrabat altius, quam si aliquod animi vitium incusarent; nam sentiebat vera exprobrari. Cardinales in contraria studia quotidie magis scindebantur; & intimorum aliqui, moniti ab eo vel interrogati, sic responderant, quasi jam animis transfugissent; populi fremitus in aulam usque resonabant. Ipse luridus macie, somno alienato, semper inquies, suspiciosus, attentus ecquid auxiliorum veniret ex Gallia, quae consilia, qui sermones inter Hispanos; & tabellarii super alium alius in Galliam ad Regem mittebantur. Veniret exercitus, properaret; adesse discrimen. Nec minus curae adhibebat ad sollicitandos alios, quoscumque gerendae rei aptos, vel monstrasset ipsius animo spes aliqua, vel etiam sine spe, ipse ardens negotii magnitudine animus destinasset.

Vespasianus Gonzaga erat e Mantuae Ducum stirpe, materna origine sanguis Prosperi Columnae illius, cui Magno cognomen fuit justius aliquanto, quam multis aliis assumtis hominum adulatione in rarum olim illud, jam vulgare decus. Gonzaga hic in Caesaris aula nutritus a puero, postquam adoleverat, cum magnis Regiae munificentiae donis redierat domum, & rursus subalpino bello castra Caesaris secutus, inter fideles amicos habebatur. Hunc ab Rege Catholico abducere Paulus tentavit; ac si annueret, offerebat ei, Palliano excepto, quidquid terrarum Marcus Antonius Columna ante exsilium possedisset. Esse ipsum ab materno genere justum haeredem, & praeclarum fore Gonzagarum etiam nomini, si quae perduellis ille, & Apostolicae Sedis transfuga per suam perfidiam amisisset, sua ipsi erga Sedem eamdem pietate ac fide recuperassent. Abnuit Gonzaga, id modo cum dixisset, alumnum se esse Caesaris, stipendiarium, tribunum, nec minora sibi praemia ob stabilem fidem sibi exspectari, quam quae transfugii pretium ostenderentur.

Dux Florentiae quoque est appellatus, si forte vellet mutare aliquid; & ille meditans Hispani Regis beneficio Regiam propediem aequare fortunam, Florentina apud Pontificem egit arte. Nam de mutanda quidem fide nihil respondit, per legatum vero suum institit obsecrare, ut bello abstineret, quod incerto exitu certissima damna minitaretur. Hispanum ex Italia non posse depelli; sed si depulsus foret ille, posse succedere tam impotens aliud hominum genus, ut victoria illa communis Italiae clades foret. Haec per legatum suum apud Pontificem obsecrando, monendoque Florentinus exponebat. Cum Hispano pignoribus quotidie sese adstringebat novis: hic victoriae certus, ibi quaesita pacificatoris gratia, in altera parte tutas res, in altera spem ingentem sibi moliebatur.

Me quoque piget tam lenti moliminis, quo itum est in haec arma, dum apud Pontificem quidem apparatus & consilia foederis exspectantur, Hispanus vero detrectare certamen, & novas hosti subinde pacis offerre conditiones, quod alias abominaretur, ipsa victoria gloriosius ducit. Neque Regis solum ea cunctatio, & recusatio, sed etiam Albae Ducis fuit, inhorrescente, quemadmodum arbitror, animo, si Romam contra Pontificem Maximum ferri arma necesse esset. Adiere Pontificem ab Duce, Franciscus Monachus primo, deinde filius ejus Fernandus, postremo Julius Tolfa Sancti Valentini Comes, qui carus Duci ob promtum & liberale ingenium, & ferme perferendis ad Principes mandatis adhibebatur. Priores duo rogavere Pontificem, ut diceret potius quid fieri vellet, quam Catholici Regis hostis ex communi omnium parente factus, imponeret Regi tantam necessitatem, & tantum dolorem. Posse adhuc rem amice componi: nihil Regem esse recusaturum, quod honeste fieri posset. Haec & alia cum dixissent, alter altero tristiora responsa retulere. Comes Tolfa, quae tertia Toletani fuit legatio, in haec verba Pontificem est allocutus: *Ego missus sum ab Albae Duce Catholicorum exercituum Imperatore, ut Sanctitati Vestrae dicerem, Regem Philippum, obsequium erga Sedem Apostolicam, quod acceperit a majoribus suis, velle retinere etiamsi aliquid in se hostiliter fiat. Hostem quidem ipsum fore numquam Apostolicae Sedi; caeterum, injuriam omnem a se suisque propulsaturum esse. Haec me dicere, Dux jussit, deinde petere a Sanctitate Vestra, ut amicos, ministrosque Regis, qui custodiuntur in arce, dimittat. Id nisi S. V. facere velit, bellum indicere sum jussus.* Additae inde renovataeque preces, uti Pontifex Maximus uteretur Catholici Regis obsequio, ne geri bellum vellet, juxta calamitosum utrique parti, vincerent, seu vincerentur. Simul intulit legatus idem, injurias, quae essent factae Regis amicis, non convenire cum

cum reliqua justitia & dignitate Pontificatus, utque tolleret eas, rogavit.

Deliberatum Pontifici erat, nihil amplius in summa rerum movere, priusquam exspectatus ex Gallia Cardinalis Carafa rediisset, ex quo noscere certius omnia de Gallicis auxiliis posset, quem ad cuncta obeunda fidissimum sibi, aptissimumque esse arbitrabatur. Itaque obducto & confuso, sicuti semper vultu, dixit, rem esse in Senatu consultandam; responsum fore, quale Patres censuissent. Vocati Cardinales aegre convenere: perseverarunt etiam aliqui ne convenirent: rata fuit sententia, qualem esse Pontifex vellet: missus ex equestri ordine Dominicus Nerius ad Albae Ducem haec verba Pontificis tulit: Sciendum, atque considerandum Duci, quod Pontifex Maximus Dei Vicarius sit, & ideo Rex Regum; recte ne an secus Ecclesiam administraverit, uni Deo redditurum esse rationem, cum extremo volventium saeculorum die supremus Judex de mortalium meritis decidet. Non debere hominem ullum assumere sibi talis judicii partem, posse tamen hoc etiam hominibus dici, quod necesse fuerit in custodiam tradi Catholici Regis amicos, quia fecerint ea, quae facere non debuissent. Garcilasum praecipue Regium legatum, meritum fuisse, ut in eo coercendo, legati nomen & jura procul haberentur. Legatos, qui sub tutela nominis hujus vellent esse salvi, numquam cogitasse talia, qualia ille admisisset. Apud quemcumque Principem illi agerent modestia & fide, & bona benevolentia, ubi aliquid incommode acciderat, mitigando omnia & sanando, consecutos, ut in pretio & honore essent. Frustra quaeri bellorum causas, nullum periculum fore tanti, ut recte semel atque ordine constituta mutarentur.

Acceperat interea Dux Albae litteras ab Rege suo, in quibus scriptum erat de concedenda Carafis provincia Senensi, magnum & extremum experimentum Pontifici placando; de ea re cum Florentiae Duce ipse colloqueretur. Negotium id erat anceps; tradi Pontifici Senarum Urbem, & super ejusmodi traditione consilium haberi cum Florentiae Duce, cujus animum, atque consilia omnia versae illuc spes regebant. Praeterquam quod ingenti consiliorum suorum ruina decideret ex ea spe Florentinus, etiam turbaretur metu, si foret ab ea parte opportunus, & apertus Galliae Regi simul, & ei quisquis novo dominatui a Pontifice impositus fuisset. Dubium inde, an, si sperare desisset, ac timere inciperet, fide maneret inconcussa, sicuti manere eum rebus Hispanis in tali tempore magnopere expediebat. Praeterea considerabatur, Pontificem, & Carafas, ita munus hoc esse accepturos, quasi non ab liberalitate ulla, sed majoris mali delinimentum daretur. Fructum muneris fore nullum, nisi ut majora & intolerabilia deinceps postularent. Haec ab Albae Duce ad Regem perscripta, ipseque Dux Florentiae suspicatus id quod agebatur, Aluysio Toletano, cujus sororem in matrimonio habebat, novas super eo negotio preces in Regiam mandavit. Daretur sibi nihil aliud, quam terrarum earum custodia: quandocumque reposcerentur, illico decessurum; ruere sibi omnia, si praeter Hispanum, alius in Senarum Urbe pedem fixisset.

Consultus ab Rege Philippo Caesar pater ita respondit: Bonum socium & fidelem amicum esse Florentiae Ducem; ex quo Principatum acceperit, omnibus deinde liberaliter ac dextre functum officiis; posse etiam in posterum optime de eo sperari, si novo beneficio esset obligatus. Is dubitandi finis, & inquies sollicitudine ea Medicaeus, tantoque attentior ad belli imminentis munera agebat; ne cui rei deesset, qua gratiam sibi Regis demereretur.

Neapoli dissidium fuit inter Catholici exercitus duces, exspectarentne quieti dum Romanus impressionem faceret in Regni fines, ac sese insinuaret, an ultro ipsi Romanis finibus arma inferrent. Prioris sententiae caput & auctor erat Bernardinus Mendocia virtute militari, totaque illa cruenta & iniquissima in genus humanum arte, nulla re dispar Toletano Duci, nisi quod favor apud Regem, & hominum fama malae gloriae principatum huic dabat. Nec mirum si talibus judiciis & secundarum rerum cursu, quod ferme fit, elatus interdum honestiora duceret ea, quae audentiora essent. Nunc increpans ignobiles moras, si domi bellum exspectaretur, obviam ire consiliis hostium volebat, & ita mandatum erat ab Rege, quo maturior belli taedio pax veniret. Atque Toletanus quidem & Mendocia in ejus rei deliberatione discordes erant; Principes vero alii, ductoresque copiarum huic aut illi parti assentiebantur.

Mendocia in concilio, pro ea, quae ipsi tribuebatur, auctoritate, sic disseruit: *Animadverti ego magnos exercituum Imperatores, magnosque Principes, & Reges quotiescumque adversus imminentia & nondum certa pericula pararent bellum; lenta potius ac moderata consilia quam fervida & violenta adhibere solitos fuisse. Nam subiti conatus, & incoepta terribilia sunt potius eorum, quibus fortuna in ancipiti est, quive nominis ac famae indigentes, per fortuita gloriam quaerunt, magnopere, scilicet, anxii, ne relinquantur obscuritati suae, si fugacia occasionis momenta praeterlabantur. Principem aut Regem eum, cui fundatum alte imperium sit, quive solidae gloriae plenus contemnere inania mortalium debeat, oportet exspectare suam cujusque rei maturitatem, & submovere discrimina cum advenerunt. Si ultro ipse discrimen adierit in minori praesertim hoste; habebit ex victoria leve decus; vae illi, si qui dicitur Mars, aliquo suo ludo potentiora arma deriserit. Philosophantes homines, qui bellica tractavere litteris suis, aut bellatores viri, quibus philosophari otium fuit, quaesivere sedulo, cum bellum immineat, oporteatne antevenire hostem, & facta pro consiliis reddere; an vero satius sit, exspectari consiliorum eventum, ac tunc demum strenue agere, cum periculum venit. Etiam illud quaesivere, nostrane potius, an hostilis terra debeat sedem praebere bello; utros agros, & utras urbes primam belli procellam excipere utilius sit. Pontificis Pauli, non jam hostilem animum sed facta hostilia habemus, totaque nobis haec dubitatio exempta est, an vicissim facere hostilia debeamus. Consilii praesentis est, an exercitus noster in Romanos fines inducatur. In quo non sum allaturus traditam fabulis cladem gigantis Antaei, quem nulla vi superabilem, donec natale solum pede contingeret, sustulit a terra Hercules, & vicit. Si terram ille suam obstinato tenuisset gradu, domitorem monstrorum in ea lucta, calamitatem habiturum fuisse autumant. Cum pueri essemus, haec nobis puerilia documenta tradebantur ad ejus vitae disciplinam, quam ingredi nos oportebat. Nunc exercituum & Regnorum clades, aut victorias, & notabiles aliorum casus, quotiescumque de re aliqua deliberetur, spectandos esse militaribus viris arbitror, sed ne vetera quidem tantum, & exoleta, quae propter diversam a nostris saepe rebus antiquitatem, minus fortasse auctoritatis ad exempli vim habebunt. Hanc ipsam profecto urbem, has arces, hoc Regnum, cujus defensio nobis credita est, quodque hostis appetit, occupavere Galli recenti adhuc memoria, & ademere justo Regi nulla re magis adjuvante victoriam, quam quia monenti Ferdinando patri non paruit Alphonsus in eo, ut domi hostem exspectaret. Si patri ille dicto audiens fuisset, continuissetque sese domi, cum qua postea rediit clade domum Gallus, tunc rediturus erat. Sunt enim haec in omni bello certissima pignora victoriae, notitia locorum, in quibus tuto aggredi hostem possis; receptus tutissimi post pugnam, parati semper commeatus, conjunctae semper vires, ac si damni aliquid acceptum erit, fuerintque casu aliquo diminutae copiae, supplementa semper in promtu. Quae secus habentur, & stant omnia pro hoste, ubi quis in alienam terram exercitum induxit; atque id videntes aliqui, ultro aperuere hostibus sinum, & ingressos postea caecidere veluti pecorum greges. Nec sane esse aliter poterat. Nam cum fines intraveris alienos, aut erunt praesidio firmanda quae subinde ceperis, & ita minuetur exercitus, aut si nulla disposueris praesidia, capiere. Sic Turcam in Epiro Georgius Castriottus elusit. Et antiquum illud Martiale Romanorum genus haud dubie ab Annibale deletum foret, si quas in Italia clades accepere, intra Carthaginiensium fines accepissent. Non curandi vulnera, non colligendi palatos atque dispersos, non reparandi exercitum, ulla facultas fuisset, quibus postea rebus stetere. Quoties bellavere foris, maximus Romanae militiae numerus quinquaginta millia excedere non potuit. At in*

*in Italia rem gerentes, centum quinquaginta millia sub signis habuerunt, & Cimbros, a quibus in eorum terra sub jugum missi fuerant, in triumphum egere. Ut Regnum hoc ab hostium armis defendere possimus, exspectare hostem oportet. Si venerit, vincetur ab se ipso, & quiescentibus prope nobis ante oculos nostros cadet. Dies, & fames absument peregrinos, & qui superstites erunt, cum ignominia & luctu retro domum vertent iter.*

Cum Bernardinus Mendocius dicendi finem fecisset, Albae Dux haec dixit: "Volo ego Pontificem Maximum ad consilia pacis adduci nostris armis, quam ipse unus adversatur, caeteri omnes optant. Quomodo autem inducemus eum, ut pacati quidquam velit, nisi pervastato Latio, & obsessa Roma, ultimum terrorem admovemus? Gerendum est in Ecclesiae finibus bellum, ut Ecclesia tranquillitatem & otium habere possit. Nam si domi opperimur hostem, numquam optata pax fiet; bellum erit quamdiu salva, & intacta urbs relinquetur, quae praebeat vires & alimenta bello. Sic Annibal ille bellando cum Romanis senex factus, & propter bellicae virtutis invidiam ad extremum exsul domo, cum ostenderet Antiocho Regi victoriae viam ex eodem hoste, dixerat, nullum iter esse vincendi, nisi prius Roma vinceretur. Non fuerat etiam via ulla debellandi rebelle toties Carthaginiensium genus, nisi Scipio ad moenia ipsa Carthaginis duxisset, quo terrore subacti illi pacem iniquis conditionibus petiere. Qui prior est ad inferenda arma, hoc ipso plus animorum praefert, quam ille, cui bellum infertur. Cujus autem animi robur, atque magnitudinem exercitus agnovere, pro eo sunt etiam ipsi ad pericula subeunda promtiores, & statim iniqua omnia ille apud hostem fecit. Nam ubi sedit bellum, sedere simul incendia, direptiones, captivitates, publica simul & privata dilapidantur. Militi procul ab domo vincendum est, aut moriendum, virtutemque necessitas, etiam ubi nulla erat, accendit. Si fortuna contra dedit, amittitur exercitus, imperium salvum domi manet, quale nostra aetas exemplum vidit in Francisci primi clade, qui caeso exercitu captus ipse ad Ticinum, paullo postea sua in sede florentissimus regnavit. Non ita futurum erat si dimicans idem in sua Gallia captus fuisset. Simul enim amisisset Regnum, nec in conservanda vita clementiam fortasse Victoris eamdem experiretur. Magna sane res, documentumque certissimum, ut, si bellicae rei gerendum sit aliquid, geratur in aliena terra, neque nostros intra fines tanti discriminis aleam umquam exspectemus. Juvat me nescio quodam modo in hac militari vita varietas exemplorum, quibus ad regenda utiliter arma aliena mercede erudimur. Poenus Annibal traducto ex Africa in Romanos usque campos bello, vicerat haud dubie terrae ipsius beneficio, nisi victor ad Cannas ultro terga occasioni dedisset. Macedonia potius, quam Italia bellum habeat, inquit olim Romae Sulpicius; experti sumus feliciora nobis esse foris arma quam domi. Et Consul Scipio, multum interesse, dixit, Romani ne agri, an agri hostium urerentur; quae sic profero, ut, quid antiquitati optimum visum sit, intelligatur. Barbaries etiam ipsa nostris temporibus, multa casuum suorum colluvione ostendit hoc, quod regnator olim terrarum populus, & maximorum ducum dicta seu facta docuerunt. Namque Mamaluci haud ignobile inter barbaros Regnum, cum minitante Turcarum Imperatore consurgere debuissent, & eripere campum hosti, bellumque facere, quod ille ostenderat, domi sedentes habuere suae lentitudinis praemium, ut foeda prius passi omnia accessio tyrannidis illius fierent. Solimanus autem ipse militari prudentia, & humanitate omni sic excellens inter semiferos mortales, quomodo bestiae quaedam, alias sui generis antecellunt, & dignus profecto qui nasceretur in Italia, ille, inquam, ausus persultare Pannoniae campos, & lacessere Caesarem, summum hoc retulit infelicissimae expeditionis malum, ut ab hoste, qui victoriam alias totam vellet, copiarum tantum illarum armenta caederentur. Ipse vilissimi sanguinis jacturam irridens incolume domi Regnum habebat, & incolumis regnavit. Quod si tanta illa strages Constantinopoli, vel in alia Turcica Urbe facta esset, omnia ibi seditionibus & pavore complerentur, facilisque victori aditus in Regiam pateret. Cum in alienis finibus male pugnatum est, facile damnum tegitur aut elevatur, non vidente oculis patria detruncatas acies, & stratam cadaveribus humum. Ubi praesens ea species animos turbavit, aegre deinde componuntur, aut eriguntur, & uberrima illa tumultuantibus materies erit. Sic Romanis, post infelicem pugnam ad Cannas, ad Furcas Caudinas, ad Trasimenum lacum, tanta defectio Coloniarum, Urbiumque facta est, ut exercitus amissi nequaquam pessimum eorum malorum fuerint. Si circa moenia Carthaginis ea fortuna fuisset, Coloniae illae non mutassent fidem, neque seditiosi multi locum ad concitandos populares habuissent. Ubi coepit oratio mea, ibi desinet. Transferri ad Urbem Romam oportet bellum, ut ab Roma pacem habeamus. Illic nostra arma haerebunt in visceribus hostium, neque declinandi tela, vel sanandi vulnera spatium dabunt." Plures in hanc sententiam ivere, ut exercitus in Latium induceretur.

# EPITOMA

## Ad librum quintum.

*CUM bellum in Italia geritur, opportuna commovendis rebus occasio Mahometi; implicatis in mutuam perniciem hostium viribus, quorum nomina, & arma semper odisset. Res Africanae turbantur. Sellaraizes Algerii Regnum tenens, recuperatis Urbibus, Tremezene, Bugia, & Buazone, satis prosperis rerum initiis inflatus, Oranum capere parat. Inter meditamenta belli, & magnas expeditiones in ipso Orani capiendi conatu Sellaraizes exstinguitur. Huic a Praetorianis Hascenus sufficitur, qui statim amissi Ducis coepta perficiens, dum militem, machinas, tormenta ad Mostaganum exponit, amittit beneficia celeritatis. Hinc Regiae Principibus, quos patrio vocabulo Baxas appellant, minime rem probantibus, tamquam momenta festinationis tantula mora corrupisset, Hascenus ab Orano revocatur. Turcica classis in Neapolitanam expeditionem destinatur, in id Rostratas centum adornante Gallo. Joanna Regis soror, pertaesa moras, quas in Toletano damnabat, Andreae Auriae tradit maris custodiam. Ad Oranum militem trajici jubet, & Barbarum ab obsidione revocari. Interea Carolus Caesar Romanum imperium tradit Ferdinando fratri anno tricesimo septimo, ex quo ipse post Maximiliani avi mortem Caesar est appellatus. Carolus Caesar ad privati hominis modum in Hispaniam defertur, Maria, & Eleonora, hac Galliae, illa Pannoniae Regina, utraque sorore Caroli, fratrem in Hispaniam comitantibus. In Guadalaiaram Reginae naturae taedio recedunt, destinatam quieti sedem, & procul a turbis agendo vitam. Carolus Tordesillam ablegat Nepotem, data per aulam fama inopinati recessus ob pestilentiae me-*

*metum. Mox ipse Placentiam abditur in Monasterio Hieronymianae familiae. Interea, nihilo remissius utrimque agente hoste. nonnulla Pontificiae ditionis loca deduntur Hispano. Victor Hispanus accipiendo in fidem terras, quae dederentur ultro, seu vi caperentur, professione hac, & denunciatione utitur: capi. scilicet, & servari venturo Pontifici. Anagnia resistit, oppugnatur, capitur, & diripitur, implente tumultu Romam horribili specie aufugientium inde. Pacem poscentium amicorum officiis, tamquam stimulis, irritatur Pontifex, linguam quoque irritante ingrata mentione pacis. Mox ira eadem, & indignatione manente, Ferdinando petenti, ut more majorum a Pontifice coronetur, triste responsum datur. Tota deinde Urbs Roma versa in studia securitatis, tamquam staret hostis ad moenia. Urbis custodia traditur Principibus Romanae nobilitatis Viris, regiones, portas, aditum quemque obsidente, vel milite, vel etiam armato cive. Latium ab hoste excurritur cum praeda eorum, quae Victoris licentia occuparet. Romam usque excursiones, & impetus feruntur. De munienda Urbe consultatur. Rebus ita suspectis spes pacis a Pontifice tentatur. Dispari partium conditione coepta de pace negotiatio opprimitur: irrita quoque Veneta legatione, quae partis utriusque studio Romam venerat. Gallica classis ad Civitatem veterem subsistit, aperto jam dedecore violatae fidei, quam Gallus obstrinxisset Catholico. Confirmato pudore Gallus movet in Italiam exercitum, qui paulo ante substiterat. Ad rei famam promtior jam, & audentior in pericula it Romanus, crebris per Latium excursionibus. Sed levia haec certamina, & cum aliqua semper partis utriusque clade Mox ad Ostiam mutua caede pugnatur. Munitur Ostia haud dubio metu, quin tota belli moles in partem illam avertatur. Obsidetur Ostia, mox capitur. Capta Urbe, tota obversa cura in Arcem, circa quam Hispano sudor, & sanguis, & illustrium Virorum caedes. Arx deditur, pactis in vigesimum diem induciis. Internuntio Sfortia induciae in quadragesimum prorogantur, neutra parte quietem abnuente.*

# JOSEPHI RIPAMONTII

## *CANONICI SCALENSIS CHRONISTAE URBIS MEDIOLANI*

# HISTORIARUM

## A

# PHILIPPO II. REGNANTE,

## *LIBER V.*

CUM haec in media Italia agerentur, bellumque ipso titulo terribile glisceret inter Pontificem Maximum & Catholicum Regem, minime mirum fuit, turbari res Africae, initio ab Sellaraize orto, qui recuperatis urbibus Tremezene, & Salda, & Buazone, & ob eas res inflatus, capere Oranum, ac totam inde subigere Mauritaniam parabat. Cirrham Urbem Sellaraizes hic habebat, imperiumque quod antea tenuerat Aenobarbus (Id Julia Caesarea Regnum est) ab Mahomete Turcarum Imperatore demandatum cum Proregis nomine tuebatur, magna apud Mahometem gratia, propter eas, quas dixi, receptas urbes, nec minus ob pretiosa munera, queis barbaricae Regiae proceres assidue ab eo colebantur. Caeterum, hoc tempore anxius dolore & invidia, si Hascenus, Aenobarbi filius (id enim senserat agi) sibi successor mitteretur, intenderat obsequia, gratissimumque munus, Oranum ipsum, spe ac pollicitatione jam prope captum obtulerat. In eam legationem misso Constantinopolim filio Mahomete, petebat sibi dari quadraginta navium classem cum sex armatorum millibus; tanto se numero ad rem eam peragendam indigere.

Urbs Auranum antiqua Romanorum Colonia corrupto in barbarum vocabulo, Guarrinum hodie nuncupatur; Regio ipsa, oblitterato quo olim fuerat Hispaniae transfretanae, sive Tingitanae, sive Caesariensis, nomine, Barbaria pridem coepit esse, dum locorum nomina subinde cum incolarum moribus variantur. Posita est Oranum in Sardoi Maris ora: alluitur flumine, quod & intrat eam: frequenti gentium Europaearum commercio creverat in eas opes, ut cuilibet Italicarum Urbium aequiparari, vel etiam anteponi posset, quodque opibus anteponitur, libera quondam & sui juris erat. Opportunitas urbis, & opes nimiae, Joannam Caroli Caesaris matrem, tempore quo regnabat ipsa, ne Emporium in eo statu relinqueretur, monuerunt. Estque subactum Oranum a Francisco Ximenez Archiepiscopo Toleti, eximiae religionis viro, nec ob religionem segni, pace sive bello Regum negotiis adhiberetur. Excoluere deinde Urbem Catholici Reges legibus, & disciplina; praesidia & arces imposuere: frequentavere tractum etiam universum, missis illuc Hispanorum familiis, ut, si bellum ingruerit, ipsa sibi regio ad sui defensionem sufficiat. Ea tutissima sedes est Mauris, qui pacem & religionem adamaverunt; alioqui Tremezenensium & Mostagensium violentia infestantur, ac tentavere saepe isti, si disjicere Catholicae fidei Castellum hoc possent.

Mauritaniae totius situm & populos Scriptoribus aliis memoratos referam, non quia plus ingenii vel curae me esse allaturum credam; sed quia Philippi Regis auspiciis in ea terra saepe dimicatum est, nec abrumpi postea rerum ordinem oportebit. Dividitur ab Europa Mediterraneo mari; cingitur Oceano & mari Rubro usque ad Aegyptium fretum. Quae pars ejus ad orientem Solem spectat, hanc primis temporibus tenuere dira Noemi proles; occidentalia Ismaelitis habitata fuisse feruntur, quamquam antiqua nimium haec, & prope indigna rerum Scriptore. Provincias numerant in ea Nicaenam & Numidiam, & Zaharam, Beled, Ala, Erif, Garet, & Barbariam hanc ipsam, quae incolarum frequentia, & amoenitate Soli, & Coeli etiam favore caeteris antecellit. Dividitur Mauritania in duas partes Tingitaniam, & Caesariensem; huic ab Caesarea Urbe, quam nonnulli ipsam esse Argel autumant, priori ab Urbe antiquissima Tingi cognomentum venit. Ipsum Mauritaniae nomen quidam a Mauroforo Principe, plures ab nativo gentis colore trahunt. Instituit fecitque partes duas Caligula, cum dejecto Jubae filio terras eas in provinciam redegisset. Qui Mauritaniam antiquitus incoluere, duce primo atque simpliciter vitam agebant, nulla alia quam pascendis gregibus arte; deinde ars ea controversias & lites inter ipsos invenit, pabulaque armentorum coepere homini-

minibus causa necis esse. Terram, quam promiscue possidebant, divisere, & in pari libertate varii dominatus exorti; capta Carthagine Romanus omnes oppressit. Accepere deinde Christi fidem ab Apostolo Thoma, quae integra genti mansit, donec irruptione Gothorum inficeretur, Arianismo invecto. Arianismus ipse dein per Halifas (Sacerdotum id genus fuit) acquirendae potentiae causa, scinditur in quatuor Sectas, & Sectae rursus eae noto portento per sexaginta octo contrarias opiniones inter sese lacerabantur. Varietatem eam Moabias Abenhumeja Princeps sacrorum in Arabia conciliare instituit, conciliationemque ipsam Alcoranum appellavit; id dogma per Africam ut invalesceret, octoginta millia armatorum, cum profanis Alcorani monumentis missa. Ductor copiarum Ocuba ben Nasic fuit. Ab eo condita Urbs Carmam tunc victoriae monumentum, postea caput Regni. Tam felix fuit auctor ad proseminanda mendacia, ut Regnum etiam una cum superstitione fundaretur, quod varie, diuque jactatum Tremezenae sive Telesine tandem constitit, multum imminuta potentia postquam Hispani Oranum tenuere.

Sed bella in primis civilia barbaricam illam Regiam afflixerunt. Quippe Barbarussa patruum suum Amur evertit. Nec Barbarussae diuturnum imperium fuit, quod scelere partum erat. Eo pulso & interfecto, restituitur a Caesare supplex atque profugus Amur. Hunc rursus Heyradenus Barbarussae frater depellit. Heyradenum vicit Alcaudetis Comes, & ex Caesaris auctoritate constituit Abdalam in Regno. Abdala devolvitur ab Sellaraize, quod visum indignum Alcaudetis Comiti, monueratque Caesarem, pertinere valde ad rerum Hispanarum securitatem, & Orani praecipue tutelam, ut non ipsa modo Trimesena, sed Algerium etiam & Volubile & Monstagan Urbes, in potestatem redigerentur. Tentata res est exitu parum felici, sicuti postea demonstrabitur.

Nunc Sellaraizes praeterquam quod, ut dixi, crescere volebat novis in Regia meritis, & adeptione praesertim Orani, videbat etiam labare res Turcicas in ea parte, nisi & receptum Oranum, & conservata Mostagan foret. Igitur coactis Arabum auxiliis ex eorum stirpe, qui quondam in Africam ad inferendum Alcoranum venerant, armatoque navium numero, quantum efficere maximum potuit, & impositis in piraticos myoparones Turcarum quatuor millibus, cum hac haud contemnenda classe prodiit ad excipiendas naves, quas a Constantinopoli, sicuti dictum est, accersitas exspectabat. Ad Bonam (hoc nomine portus est) eae subire debebant ex ante condicto, quo magis incoeptum tegeretur. Directo in eam partem cursu Sellaraizes, cum plenis iret velis, ad duodecimum ab Algerio milliare, pestifero tumore correptus (etenim pestilentia tunc inter Barbaros erat) exstinguitur, eaque res Oranum servavit.

Fuerat Sellaraizes natione Maurus, Alexandrinus civitate, praesentis animi vir, & animum fortuna multis & prosperis eventibus auxerat. Ab adolescentia innutritus armis, & postquam Selinus Aegyptum invaserat, secutus Barbarussam, audendo & efficiendo multa in quibus animus aut felicitas aliis defuisset, impleverat Ducem admiratione sui, nec aberat quaesita privatis officiis gratia caritasve. Barbarussa deinde commendat hominem Solimano cum tanta gravitate testimonii, ut ab stipendiis illis Algerium cum Regia potestate mitteretur. Classis quae a Constantinopoli exspectata veniebat, perculsa Sellaraizis casu successit ad Algerium, ibique Praetoriani militari consensu Hascenum Corsum Sellaraizis ipsius familiarem in demortui locum sufficiunt, ac rei totius nuntium in Regiam cum expedita navi mittunt Haluc Alin Calabrum hominem, qui ejurata Christi fide concesserat in id nomen.

At Hascenus Corsus, accepto imperio, quod heri sui Sellaraizis fuerat, intenta cura agebat, ne quem suffragii sui poeniteret, neve quidquam fieret ejusmodi, ut servilibus geri consiliis rem increpare sermones ulli hominum possent. Praemissa ad Mostaganem classe, terrestri ipse itinere cum decem equitum, triginta peditum millibus, quae Sellaraizes ex Arabum genere coegerat, ire ad Oranum pergit; erratumque tamen in eo, quod appulsa ad Mostaganem classis, exponendo militem, machinas, tormenta, plus absumsit temporis, quam in re celeriter agenda necesse erat. Id spatium Alcaudetis Comiti datum est, ne Oranum improviso Turcarum adventu opprimeretur, sicuti Sellaraizes destinaverat, dederatque famae, ire se ad obsidendum Tuneta, sic ratus posse rem a suspicione optime averti. Quod consilium etiam mortuo auctore leviter profuit barbaris, ut festinans ad ferendam suis opem accepto nuntio Hispanus exiguo momento anteveniret. Ita turrim, quae flumini imposita est, occupavere magni momenti rem, quia nulla alia circa urbem aquatio, & ultra duas amplius ab Orano leucas progrediendum est, ut aliquam reperire scaturiginem possis.

Pervenerat interea Constantinopolim Halucali, & exposito ibi, quemadmodum mortuo Sellaraize, Praetoriani summam rem ad familiarem illius Hascenum detulissent; Regiae Principes, quos patrio vocabulo Baxas appellant, neque exemplum, neque hominem illum probavere, remississque ad revocandam classem, & exercitum Halucali, magno ducum juxta & militum fremitu, qui non procul a seditione abfuit. Namque capiendi Orani spem haud dubiam praeceperant animis, & Halucalin ipsum tam ingratae rei nuntium oderant etiam alioqui, & adspernabantur. Sed prudentissimi Baxarum in Concilio dixerant, duas res potuisse esse, quae spem de Orano aliquam facerent, Sellaraizis animum, & negotii celeritatem; amisso Sellaraize, beneficio celeritatis corrupto, nihil ultra esse quod sperarent. Novum quoque ducem ea rudimenta posuisse corrumpendis opportunitatibus, ut spem de se totam ipse praedamnarit. Haec prudenter animadversa revocaverant Hascenum ab Orani moenibus, & simul quod statuerant, eam classem easque copias utilius occupari posse Neapolitana expeditione, in quam rostratae aliae centum a Piale Baxa, maritimae orae praefecto, Galliae Regis rogatu adornabantur.

Joanna Regis soror, cum de primo Sellaraizis motu ab Albae Duce nuntium accepisset, increpuisse fertur, quod non ipse re comperta protinus in tanto discrimine, navium partem ad Orani defensionem misisset. Haud sine stomacho in cunctatorem Toletanum, jusserat Andream Auriam, constituta maris custodia, ne cui parti per absentiam ejus noceretur, trajicere confestim illuc, & contra Turcarum conatus praesidio esse, vel, si jam ad moenia successissent, detrahere inde barbarum aut distinere. Non alias fere res Hispana sub Austriaco tantis uno tempore gerenda exercitibus fuit, si pericula, quae ostendebantur, manerent. Conjuratus cum Pontifice Romano Galliarum Rex ad exigendam Italiae gentem: assumtus in partes ab Gallo Turcarum Imperator: Oranum ab Turca destinatum excidio vel praedae, mittenda classis in Africam; habenda pluribus in Italia locis; & Joannam Reginam admonuerat Alburquercius, mitteret auxilia, quibus defendi Navarrae Regnum adversus imminentem ei Regno Borbonium posset. Mors opportuna Sellaraizis, & Baxarum de Hasceno judicium, sed & Colonia ipsa cum Alcaudetis Comite praesentibus animis, egregiaque virtute praestitere ibi salvam rem, ut ad id bellum, quod toto animo, totisque viribus gerendum erat, quodque minime omnium exoriri debuit, integra cuncta reservarentur, nescio munere ne Superûm in res Hispanas, an ira in hostem.

Hos rerum motus Philippus ex Belgio, Joanna soror ex Hispania paribus inter se consiliis regebant. Fuerunt enim etiam in hac femina utique postquam imperio assueverat, omnia, quae aptior alter ad regnandum sexus jure suo magis sibi assumit; capax virilium consiliorum animus, salva lenitate & corporis habitu, qui feminam deceret, celeritas in consilio capiendo, provisio quaedam etiam futuri, & arcana simulationum, quae praecipua cura regnantium habetur, didicerat. Etiam vitia, quae numquam feminis exsuuntur, verterat in bonum, credulitasque, & iracundia, & remissi lan-

languidive mores, & profecto fastus ipse, coeperant esse grata Majestas, & facile quiddam temporibus aptum, & rigor in peccantes, & promta querelis omnium mansuetudo. Sed de Reginae hujus moribus, & imperii forma commodior fortasse alius tradendi locus erit.

Dum ea, quae demonstravi, parantur, & moventur in Italia, per Africam, in Gallia, Carolus Caesar adjecto ad id, quod jam pridem agitaverat animo, tradere Romanum Imperium Ferdinando fratri, & ex Belgio navigare in Hispaniam ad ultimi temporis quietem parabat. Eo consilio, cum ad Suchburgum in Hollandiam venisset, jussit auctoritate publica confici obsignarique tabulas traditionem eam rite explicantes, & una cum ejusmodi tabulis diadema paludamentumque & sceptrum Imperii solennia transmisit ad novum Caesarem, privatus jam ipse, & in communis fortunae ordinem redactus, nisi quod magnitudo rerum gestarum, & successor filius, & illa ipsa voluntaria tantarum opum abdicatio gloriam auxerant, ut, qui Rex esse desierat, tamquam humano fastigio celsior adspiceretur.

Acta res est ad VIII. Idus Septembris anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, postquam redempti sumus. Is annus tricesimus septimus erat, ex quo Carolus ipse post Maximiliani avi mortem Principum consensu, quibus id arbitrium erat Caesar appellatus fuisset. Ac si notari etiam accuratius oporteat tanti Imperii tempora, bimensis insuper, & viginti quatuor dierum spatio tenuit id nomen. Exsuvias una cum tabulis ad Ferdinandum Princeps Arausionum, & Wolfgangus Hallenrius Scriba intimus detulere.

Carolus inde suae Majestatis pondere levatus vela fecit ad expetitum otium sine militari praesidio, non magno comitatu, & ferebatur inter amicos navigantes simul gratulatus esse, quod dimotis a se custodibus, publica jam securitate tutus iret. Tradidere ejus arcanorum conscii maturasse ipsum abire ex Belgio, quia Provinciarum ordines ab Rege Philippo appellati de subsidii parte negabant, vel certe, quod negantium est, cunctabantur. Ea cunctatio, quia suspicionum & offensarum esse initium videretur, voluisse Caesarem abire, ne interesset ei negotio quasi stimulator in praesentia, vel in tempore ultor. Prospera navigatione Laredum est appulsus. Illuc Joanna misit obviam Patri necessaria cuncta & honora non pro fortunae humilitate, quam ipse sibi circumdederat, sed pro altitudine fastigii, in quo antea conspectus fuisset. Philippi quoque Regis nomine Lopez Padilla totius aerariae rationis dispensator accessit rogans, ut imperaret ex Regia pecunia quantum vellet; Regem Philippum ita mandasse, ut ad ipsius nutum universa depromerentur. Haec verba dispensatoris fuerunt; caeterum manavit etiam illiberalis illa fama, quam quidem ego dubitavi, an reciperem in meorum annalium partem, nedum ut rem ipsam inter mandata fuisse Regis credam. Quippe Philippum, notitia patriae prodigentiae, quae nullum pecuniae modum nosset, hoc praecepisse Padillae, ut si Pater in poscendis pecuniis ageret more suo, uteretur ipse sui muneris arte dextereque moderaretur. Ferunt Carolum magnopere laetum talibus filiorum obsequiis, alioqui miratum esse, quod pauci obviam prodirent ex Urbibus, qua iter erat, exiguaque admodum frequentia adventus celebraretur; etiam increpuisse cum joco Regiae fortunae sortem, quod homines adulari desissent simul atque ipse regnare desivisset. Valliadoliti ad XIII. Cal. Novembris fuit, pristina blandientium studia neque agnoscens jam ibi, neque requirens, & tamen, ut dixi, cum proximis humanissime cavillans, quod tam cito desedissent.

Venerant una cum Carolo duae sorores Reginae Maria & Eleonora, Pannoniae illa, haec Galliae, de quibus reticere non debeo tradita Scriptoribus etiam aliis ad notandos earum mores, prodendamque virtutum memoriam, si quas habuere. Hoc enim est annalium munus, & antiqua nobis etiam in Reges libertas; imo caeterorum incuriosi, sublimia haec capita praecipue monumentis inserendo qualemcumque curam impendimus hominum vitae.

Reginae illae sorores Caroli, sicuti nascendi sorte, ita conditione animi, vitae quin etiam casibus hoc ipsum fateri sunt visae, quod sorores essent. Nam utraque maritum nacta Regem, fortunae suae superstes fuit, & in patrios penates restituit, alteram voluntas ipsius, alteram Regiae casus in quam enupsisset. Matronale decus utrique & regendis etiam provinciis animi, quales e longa Caesarum stirpe prodire debuerunt. Religionem & pietatem utriusque referre injuria Austriaci sanguinis videretur. Sed si magnae Regiarum animarum laudes corrumpi levibus ac deformari sexus vitiis possent, ea fuit Reginarum morositas ac difficultas utique circa senium, ut earum turbulentia quietem suam interpellari Caesar ipse minime dissimularet.

Forte meruerat aliquis ex Reginae Mariae familia, ut in vincula conjiceretur, estque ab rerum capitalium Praefecto, misso viatore comprehensus. Ob id factum Regina complevit omnia quiritationibus & lamentis, neque conquievit antequam Praefectus vicissim ipse in vincula ductus esset. Exemplum hoc impotentiae muliebris in alieno Regno satis per se odiosum aggravabatur insuper apud Caroli animum recordatione turbarum, quas eadem Regina Belgicae aulae temporibus concivisset, tum cum ipsa provincias obtinente, nondum assumtus in Regna Philippus, hominem illic unum e carcere exemisset. Non enim destiterat Regina incusare violatum imperii sui jus, auctoritatemque diminutam, scilicet, quia futurus mox omnium rerum arbiter in amitae provincia id commiserat; quos feminae tumultus cum placaret Caesar, haec dixisse fertur: *Philippus egit istud, meus tuusque haeres.* Per eam nunc Regia jura dissolvi, Regios praefectos in carcerem abstrudi, indignum videbatur.

Sed alia etiam fiebant quotidie per Reginas imperitantium ritu, crebrescebatque per aulam haec fama, pertinere ad quietem rerum, ut licentiae modus adhiberetur. Quaesivere diu, quamnam eligerent sibi domicilii sedem, ut illud quod superesset aevi procul turbis agerent in alterius vitae cura, quam incommoda illa consuetudinis & naturae, quae dixi, non excludebant; ac semper deditus religioni animus earum huc spectarat. Haec ipsa tam sancta & honesta inter ipsas consultatio non caruit offensionibus suis, & placitas forte alicubi aedes, quia non impetrabant, exarsere ira. Demum ad Guadalajaram constitere, cum Placentiae maluissent. Amoenae regionis in Hispania locus est mitissimo coelo semperque vernantis soli; favent illic sidera; ac paene purior quam alibi sol accenditur. Inclytae religionis Monasterium habet sub nomine Sanctorum Pastoris & Justi Hieronymianae familiae Coloniam, & est plane digna sedes Regum quiete. Sed quia Carolus ipse locum atque Monasterium hoc sibi adamarat, noluit Reginas esse Placentiae, muliebres animos etiam nimium antea pertaesus. Haec mulierum ingenia notasse volui, ut sciretur individuam esse magnarum domorum calamitatem irrequietum hunc sexum; & felices in malis appellari domos oportet, quibus ea calamitas intra levia haec stetit.

Gravius aliud in Regia malum adolescebat Carolus Philippi filius futurus olim in Hispania tragicum exemplum nisi propera mors Juvenem occupasset. Nunc ingrediebatur undecimum aetatis annum contumax puer, asper, violentus quantum vix capere posse videretur aetas; ea bona spes, idque puerile rudimentum erat. Carolus primo statim ad penates suos ingressu, spectata parvuli nepotis protervia, mox auditis Joannae filiae querimoniis, desperasse fertur, posse ingenium illud sanari; quippe vitium & lacunam esse in natura, quales filios magni saepe patres procreavere. Curam tamen adhibuit avus, quasi spes subesset: educatores & magistros, & omne ministerium pueri recognovit, mutavit aliquos, alios monuit, frustra ipsos in aliis postea rebus quaesituros esse gratiae locum, nisi fideliter nunc ac sedulo versarentur in ea cura, quae salutem Hispaniarum, spem domus, Imperii successionem contineret; negotium adhuc esse infelix, & invitum dicere, quod expostulare,

ſtulare potius de univerſis, quam laudare ullum eorum poſſet.

Puerum deinde ipſum ſecretis cum amita ſermonibus benigne appellat atque interrogat, num conſiderare poſſit adhuc in quantarum rerum ſpem ipſe educetur, num cognoſcat originem ſuam, & natales, & parata uni tot Regna? Simul cogit agnoſcere indecora quaedam, & immodeſta, quae cum a Carolo deſignarentur magis, quam dicerentur, ferunt puerum ſtetiſſe immoto vultu, & obſtinato, nullam lacrymulam, nullum in ore ruborem apparuiſſe, idque penetraſſe altius animum Caroli, quam ea ipſa, quorum puer arguebatur. Tordeſilla ſolitariae, ſed amoenae Regionis locus eſt, fatale prope domicilium Principum, quos ob inquietos ſpiritus & ſuſpectum ingenium finis improſperus manet. Eo turbidum nepotem ablegavit avus data per aulam fama tamquam ob peſtilentiam id fieret, cujus inceſſerat rumor, ſed conſilium aliud ſuberat, ut ibi puer haberetur ſeveriore diſciplina procul ab omni rerum, & hominum contagione, queis aliquo modo ſollicitari puerilis male compoſitus animus poſſet.

Conſtituta nepotis educatione Carolus, & proviſis aliis, quae ſtatus praeſens, & ſubjecta oculis conditio rerum Aulicarum monebat, ipſe Placentiam, in eum, quem dixi, locum ad optatam ſibi quietem ſeceſſit. Seduli homines, atque ad inveſtiganda Principum & Regum incommoda curioſi divulgavere tamquam arcanum, quod magna ſollicitudo ac prope ira in res relictas hoc tempore habuerit Carolum, dum triginta millia nummûm aureorum, quam pecuniae ſummam in familiares ſuos dividere ſtatuerat, aegre expedirentur. Non eſt ea tanta res, ut judicium atque conjecturas interponi Scribentis oporteat, exquirendo, verene an falſo id manarit; certe ſi fuerunt in Regia difficultates atque anguſtiae, credo ego poſſe inde apparere, qualibus animis adminiſtrarentur ea Regna. Nec minus illuſtre documentum, quod ſex Regia capita, ſex aulas, diviſa in tot partes domo non poſſe ſuſtineri, diſpenſatores moleſtum ſemper genus obnunciabant.

In Conſilium quoque ſtatus, qui Sanctior Senatus eſt, penetraverat ea minuta cura, & non ſuffecturum bello aerarium jactabatur. Poſſe belli cauſas in praeſentia diſſimulari vel differri; nec Marci Antonii Columnae exſilium atque reſtitutionem ſatis dignum videri pretium commovendarum rerum. Octogenario jam amplius capularique Pontifici quantum ſupereſſe ad mortalitatem explendam, id breve ſpatium exſpectaretur; interea neceſſitates exſulis, afflictamque fortunam levius onus fore Regi, quam bellum. Angliae quoque ſtatum, & imminentes Flandriae Gallos, & pleraque per Italiam infida debere conſiderari, antequam iretur ad arma. Haec adhuc in Hiſpania conſultabantur.

Dux Albae jam ingreſſus erat Eccleſiae fines cum exercitu, quem Ducis magis ipſius nomen aliorumque Praefectorum fama, quam multitudo terribilem facere poſſet. Hiſpanorum quatuor millia erant, veterani ſane mille milites & variis expeditionibus exerciti: Neapolitanorum octo millia, ſex vexilla cataphractorum equitum, celeres mille & quingenti; Bombardae ſive tormenta currulia duodecim trahebantur. Hic numerus fuit. Tendebant Italici generis copiae ſub Veſpaſiano Gonzaga: cataphracti equites ſub Marco Antonio Columna: celeres ſub Comite Populi: Aſcanius Cornia Praefectus caſtrorum: rei tormentariae Praefectus Bernardinus Aldana erant. Commeatus & pecuniae, munitionumque cura Bernardino Mendocio mandata fuit. Hoc exercitu Dux Albae ſtetit ad Pontem Curvum, qui locus eſt Eccleſiaſticae ditionis, cumque precibus prius extremis fruſtra rogari Pontificem juſſiſſet, ne Catholico Regi eam neceſſitatem imponere vellet, atque etiam de neceſſitate ipſa litteras ad ſacrum Senatum dediſſet, belli jure jam haud dubie utebatur, & hoſtis more agebat.

Fruſino, & Caſtrum, & alia cincta moenibus loca referta rerum omnium copia, prima ſtatim irruptione in poteſtatem venere, unde Pontificis ira in Julium & Camillum Urſinos, quorum ille Fruſinone fuerat in praeſidio, hic abſente adhuc Cardinale Carafa, rem militarem Eccleſiaſticam adminiſtrabat. Ea loca cum caperentur ab Albae Duce, ſive in deditionem acciperentur, profeſſio atque denunciatio una haec erat; capi & ſervari ea Patribus, Pontificique venturo, quandoquidem turbida nunc Eccleſia diſcorſque ageret. Eo titulo Hiſpanus ad ſingula oppida & caſtella utebatur, ac tanto promtioribus animis deditiones fiebant.

Anagniae cum decretum eſſet cedere tempori, cumque metus idem, qui caetera loca ſubegiſſet, patentes etiam ibi portas praeberet; repente animos fecere peditum cohortes ab Roma miſſae ſub Torquato Comite, quo ſubſidio freti oppidani in ſuam perniciem munire ac defendere Urbem parant. Dum muniunt illi, dum viciſſim ab Hiſpano tormenta, machinaeque & omnis oppugnandarum urbium apparatus in eam partem adducitur; Garſias Toletanus, & Veſpaſianus Gonzaga cepere Verulos & Baucum fuſis ducibus aut captis, qui robora Eccleſiaſtici exercitus habebantur, eoque deinceps terrore Pipernum & Terracina, & Alatrum permiſere ſeſe hoſti.

In hac urbium aut expugnatarum aut deditarum fortuna, movebat Anagnia Victori iram, ſi ſola victoriae curſum moraretur. Itaque ſumma vi eam oppugnare ſtatuit, praeterquam quod indignatio ſuberat, etiam ob momenta famae, ne in principio rerum, urbs una, reſiſtendi exemplum foret. Qua ſpectat Anagnia occidentem ſolem, ſubducta in clivum imminentem urbi quatuor currulia tormenta per Garſiam Toletanum ingenti ruina ſtravere muros. Ab adverſa parte Veſpaſianus Gonzaga continuatis aliquot bombardae ictibus ſtrage patefecit iter; ſed rudes ad irrumpendi artem Itali per foſſae altitudinem aliquamdiu ruinae modo devolvebantur. Ac reſtitere oppidani, donec proceloſa nocte, inſana proluvies aquarum coegit Hiſpanos abſiſtere parumper, & qua proximum erat, concedere ſub tecta. Tunc Torquatus Comes deſperato ſubſidio, timens ne placato mox Coelo, renovato impetu violentior hoſtis inſtaret, beneficio tempeſtatis, & noctis illius uſus, educta ſecum multitudine, per montes aufugit; eaque multitudo pars ad Pallianum, alii Tybur, plures Romam trepido agmine conceſſere. Ita vacua & deſerta Urbe Hiſpanus potitur, ac fuit ibi dierum aliquot mora, quia reſoluta in tenacem limum aut profundas voragines tellure, non homini, non jumento patebat iter, & demerſae carrorum rotae cum ducentium deſperatione velut laqueis implicabantur.

Capta in hunc modum Anagnia, Romam impleverat tumultu; nec debet nunc Hiſtoria reticere voces, quae per eum tumultum, aut ex tota paſſim Urbe in Vaticanum uſque penetrarunt, aut in Vaticano jactatae ſunt ab illis etiam, quibus antea obſecundare Pontifici prudentia vel calliditas fuiſſet. Tumultus Urbis, & ille nemini parcens populus, haec ajebat alias quoque dicta ſemper, ex quo moveri negotia coepta erant:

*En, tandem adeſſe bellum! cui gerendo nihil eſſet in Pontifice praeter odium Auſtriacae Domus, & praeter miſerabilem illam gloriam inimicitiarum adverſus Regem, in cujus Imperio natus eſſet; non pecuniam, non copias, non firma ſubſidia, non denique conſilium, non denique vitam emortua jam ſenecta. Familiam ſuam, quam augere velit, exſtinctum hiſce factis; urbem, quam ſervare debebat, in belli mala praecipitare velle. Quanto fuiſſe melius, reliquos illos ſummae dignitatis dies, an horas, tranquille & quiete egiſſe, ſicuti moribundum deceret? ſciret, non procul abeſſe terribile momentum, quo Vicarius nunc Dei, mox unus ex hominum genere, ſuper ejuſmodi factis ad Dei tribunal in judicium vocaretur.* Haec dicta multitudinis erant, quae ſurdas etiam aures ferirent; adeo metus ab externo hoſte domeſtici periculi metum obſtupefecerat, liberique clamores tollebantur.

Amici, & quibus loquendi auctoritas in aula, modeſtiore ſono congruentia vulgi ſermonibus diſſerebant. Faciendam eſſe pacem: foederi, quod ſuarum utilitatum cauſa Gallus admiſerit, minime eſſe credendum. Si Rex Phi-

Philippus ex Anglia vel Belgio Gallum invadat, non fore ibi vires ad externa bella, etiamsi debita foederi fides constet. Cerni quo spiritu, quave ferocia Rex Hispanus in ipso aetatis flore capessat imperium. Accedere Patrem, longa experientia, tot bellorum usu; quid Pontifici reliquum, nisi ut lenibus remediis uteretur, antequam insanabile malum fieret? Ea, quae placandi causa dicebantur, non animum modo, sed linguam quoque Pontificis irritabant, estque vox ejus haec audita: *Velle depellere Hispanos ex Italia, etiamsi in ipso conatu moriturus esset.* Sed alia quoque atrociora jecisse per iram, ferebatur.

Inter quae novus Caesar, accepto a fratre Imperio, cum peteret, ut more majorum coronaretur, triste responsum tulit, aptum excitando bello, si tunc in pace res essent. Quippe, *non potuisse Carolum Imperium deponere aliter, quam in Romani Pontificis arbitrio ac potestate. Hunc in terris esse unum, cujus nutu capi diadema oporteat, sicut ipse divino nutu mortalium omnium dominator coronetur. Praeterea, Ferdinandum electum esse Principum suffragiis, qui sint ab Apostolicae Sedis auctoritate disjuncti. Etiam ipsum tributa ferre Turcarum Imperatori; nec dignum ideo esse, cui Romanum Imperium tradatur.* Haec dicta. Julianus Caesarinus, & Camillus Columna inter amicos Regis habiti, in molem Hadrianam, unde dimissi fuerant, rediere, Pirrumque Lofredum, quem Dux Albae cum ingressurus Ecclesiae fines esset, miserat ad tentandam pacem, eaedem duxere in carcerem manus.

Bellum jam hinc esse apertum coeperat inter Paulum Pontificem Maximum & Philippum Hispaniarum Regem, hostiliaque omnia inter eos parabantur, & fiebant. Ingemuere pii homines cum plenam illam religionum Urbem a Pontifice suo versam in arma totam viderent. Ibi belli apparatus hic fuit. Alexander Columna Palaestinae Princeps, caput Populi Romani declaratus, septem millia armatorum sub signis habebat, isque in omne discrimen intentus praecipuum in tali tempore praesidium Urbis habebatur. Regiones & portae urbis, in Principes alios Romanae nobilitatis descriptae, ut quisque fide vel rerum usu maxime placuisset. Quae sancti Laurentii porta, & quae porta Major dicitur, harum custodia Paulo Jordano Ursino cum sex Italicorum cohortibus assignata est, Cardinalis Carafa ad Sancti Sebastiani portam, & ad Latinam, Palliani Dux ad Solarem, & ad Collinam cum Germanis militibus excubavere. Mons testaceus Aurelio Fregoso cum Aquitanorum manu; Regio trans-Tiberina cum mille, & quingentis Urbinatibus Camillo Ursino tuenda data est. Etiam Galli homines Lansacchius & Monluccus in vigiliae partem assumti; ille Pincianam, hic Paulinam ut tueretur. Hadriana moles absque ulla extraordinaria statione satis validum tota illa regione praesidium visa, caeterae portae, ut quae cuique Principum vicina erat ad custodiam attributae, neque aditus relictus ullus, quem non idoneae cohortes obsiderent. Ducibus aliis imperatum, ut quandocumque ex Capitolio signum accepissent, accurrerent illico cum ordinibus suis ob varios imminentes casus. Refecta quoque moenia locis aliquot; & frumenta, pecoraque ex agris coacta in urbem; & sexaginta Parmenses equites, & tria millia Helvetiorum, ac duae veteranorum cohortes e Senensibus praesidiis exspectabantur. Satis probe constituta, & provisa omnia, sicuti Carafae arbitrabantur, ac veniret ubi vellet Hispanus inter sese gratulantes fremebant.

Apud alios, qui partis utriusque vires, & rerum hinc inde statum intuebantur absque ulla perturbatione, quae oculorum animive judicium impediret, satis constitit, si protinus successisset ad moenia hostis, potuisse nullo negotio capi urbem, ac tunc maxime potuisse capi, postquam hae stationes, haec munimenta stetere. Namque constabat, in ipsis custodiis, caeteroque Ecclesiastico exercitu esse quamplurimos, qui belli faciem in sancta Urbe, & arma Clericorum adspernati, arderent cupidine diripiendae urbis, & occasionem tantummodo aliquam exspectarent. Populus ipse, si discrimen advenisset, nequaquam pro patria sua staturus erat, & semper ibi pars major peregrina & inquilina est, ad negotium suum intenta, nullis ibi vinculis illigata rerum earum, quae fortes & fidos in publico periculo animos praestant. Accesserat animis offensio, quod e singulorum bonis centesimae exigebantur, & quibus frumenta in horreis erant, vix quod sufficeret in quotidiana alimenta relictum. Nec minimum erat malorum, quod Lansacchius & Monluccus ob foederis necessitudinem inter capita rerum, spreverant Romanum, & aperte conquerebantur, quod Cardinalis Carafa de belli ejus apparatu, majora vero pollicitus fuisset, aberatque parum, ut delusi sui Regis nomine minitarentur. Vulgo ajebant, errasse Hispanum in eo, quod tali rerum & animorum habitu prope dedente Urbem; non subire maturasset: inter alios erat opinio, nullo id errore praetermissum ab Albae Duce, sed magna piaque actione factum, ne vincere cogeretur urbem, quam pacare tantum volebat.

Cardinalis interdum, attonitus ob ea, sicuti fit, subeunte metu, spes ipse suas damnabat & consilia in dies deteriora atque pugnantia ferme inter se animum illius cruciabant. Consiliorum sedes erat apud Petrum Strotium, tunc forte aegrotantem, assidentesque desperati hominis lectulo homines etiam turbulenti, sive saniores, & nequidquam his adversi, sicuti necesse erat, in contrarias inutilesque sententias implicabantur. Ac magna circa id controversia inciderat, urbemne Romam in praesenti discrimine sic munirent, ut in omne deinde tempus terrori esse oppugnantibus posset, an vero satis haberent, ad imminentes tantum hostium impetus moenia opposuisse. Perpopulante Latium Hispano, subtiliter de ea re tamquam in Academia circa Strotii cubile disserebant.

Quibus prior sententia placuerat, exemplis hisce quasi rationibus nitebantur. Veteres quoque Romanos, cum tanto potentiores essent armis & viris, circumdedisse munimenta Urbi, quanta maxima temporum illorum ingeniis excogitari potuerint; Persas, Aegyptios, Graecos antiquitus id ipsum instituisse; & insanae substructionis adhuc murum apud Tartaros, argumento esse, quid consensus in eo gentium judicarit. Qui brachia sibi virtutemque muros esse jactarint, hos neque diu resistere potuisse magnis hostium exercitibus, neque superiores esse, quoties ipsi invaserant hostem. Si Constantinopolis cincta negligenter moenibus fuisset, tempore quo Bajazetes eam obsedit, nequaquam in octavum usque annum fuisse duraturam, donec ipsos postea Turcas aggressi Tartari dissipavere. Expugnatorem illum urbium, hominumque, Carolum Caesarem destinantem sibi Galliae Regnum, si aperti & opportuni quidquam ad Metzium invenisset, molium objectu ibi esse retardatum, atque interea pro inclusis pugnasse famem, frigora, morbos, & irritum, confusumque recessisse, qui raro frustra quidquam umquam tentasset. Alexandrum etiam, antiquum illud belli fulmen, cujus impetum nulla Urbs ultra diei moram antea pertulisset, dum claustra Tyri scandere conatur, in septimum usque mensem luctando ibi cum operum magnitudine, spatium dedisse Persarum Regi ad comparanda subsidia, queis ille moraretur exitium suum, victoriamque distineret. Saxones, cum uno praelio vicissent Britannos, vicisse toto bello, Angliamque subegisse propter hanc urbium immunitarum calamitatem.

Dicebatur contra; caput & arcem esse terrarum omnium Urbem Romam, quam sepsisse muris, ac firmasse operibus, apertissima sit confessio debilitatis, subjectorumque diffidentiae, si dominam egere lapidum praesidio animadversum erit. Proprium illius munimentum esse Pontificis auctoritatem: extrema Imperii debuisse armari congerie saxorum; hic arma & viros pecuniasque & optimam disciplinam opponenda hosti. Cavendum etiam, ne si muniretur in arcis modum urbs Roma, fieret ex communi gentium domicilio, propugnaculum, castellumque illius, quisquis prospera semel fortuna usus opprimere Sedem Apostolicam in animo haberet. Illo munitionum consilio, tributa, & onera, jugumque parari civibus, initia dissolvendi obsequii, miseriam

feriam privatorum, publicae securitatis tentationem; nec ideo profici quidquam adversus externa arma. Nam semper, qui circumjecta moenibus camporum spatia teneat, eum etiam tenere moenia, nulloque negotio supervadi haec, ubi illa fueris adeptus. Sic Paulum Aemilium ex vetere memoria, Persei Regis arces in potestate habuisse, postquam ipsum Persea semel afflixisset; nec esse putidae antiquitatis id, quod Francisco Primo, Galliarum Regi, successerit in Insubria, post pugnam eam quae ad Melinianum pugnata est. Cessere tunc validissimae arces (ajebat Strotius), idque Mediolanensi Provinciae adversus eum hostem inane perfugium fuit. Si libere dici sententiam oportet, nusquam sunt ista urbium firmamenta sine dominantium tyrannide, sine populorum perfidia erga dominantes, sine seditione inter ipsos, & interea Regna desidiae, viliumque animarum illic erunt. Merito civium compedes appellantur, si hostis ingruat, nullum alium usum habiturae, quam ut inclusi, vel redimant sese auro conditionibusque foedis, quod alicubi dedecus nostra aetas vidit, vel si dedecus abnuerint, ad Saguntinam versi necessitatem, patriae ruinis opprimantur. Id moenium suorum pretium habuerunt Athenae, Hierosolyma, Saguntum ipsum, quas clarissimas, munitissimasque urbes delevere Sylla, Vespasianus, Annibal, incolumes fortasse futuras, aut perituras minus certe crudeliter, si non munimenta illa sua praeclara habuissent. Ab urbe Roma depulere Leo Primus Attilam, Totilamque Pelagius armatas in sacra bestias, non muris arcibusve, sed augustissimi nominis Majestate, quam nisi pietas hominum reverita erit, frustra lapides tegent.

Ea quidem a Pontificiis in utramque partem erudite disputabantur. Caeterum, dum consilia de munienda urbe agitantur, assiduae Cardinalium preces, & fremitus populi flexere Pontificis animum, ut tentari spem pacis sineret, suntque ab ipso nominati sex e Patrum numero, qui postulata Hispanorum cognoscerent, atque percunctarentur Albae Ducem, quid petens ipse, quidve dolens arma Romanis finibus intulisset. Hi Thomam Manriquium, Sacri Palatii Magistrum legavere, cui responsum Hispanus dedit: *Sumsisse arma pro Regis sui dignitate, quae violata esset, ac pro securitate Imperii, cui Pontifex aperte minitatus. Eum in Catholici nominis damna conspirasse cum Galliae Rege; quasi de industria ad movendas suspiciones, incutiendumque metum habere domi Galliae Regis homines, & amicos: se obviam euntem ejusmodi comminationibus & injuriis pervenisse cum exercitu in eum locum, ubi tunc esset. Si juste & amice aliquid ageretur, statim retro abiturum; nam suo Regi nihil tam esse cordi, quam ut Christi Vicarium omni semper pietatis officio prosequatur & adoret.* Haec responsa Manriquio, & quo major spes impetrandae pacis fieret, missus una cum eo Franciscus Pacetus, qui postea Cardinalis fuit.

Ea legatio cum urbem intraret, simul apparuere fere in portis quingenti equites, praedatoria Marci Antonii Columnae manus, ipseque Columna cum ingenti pecorum & captivorum agmine; qui tantus urbi terror fuit, ut, si major aliquanto numerus accessisset, appareret eo die fore debellatum. Sed pacem Hispani, non victoriam volebant. Res convenire non poterat ob stimulos Gallorum, & incitatos per se satis ad omnia turbanda, & impedienda Carafas; nec leve incitamentum animis exercitus ipse, qui ex Gallia propediem adfuturus esse nuntiabatur.

Subibat interea hiemale tempus, bellorum quies, & Hispanus eludi se mentione pacis credens, antequam opprimeret bruma, gerere negotii aliquid maturat, capitque Porcillanam, & Ardeam, opportuna loca exercitui alendo, & commeatuum deinde sedem, qui ex Brutiis, & ab Cajeta subvehebantur. Circa ea loca pugnatum aliquoties cum Somae Duce, qui missus ab Roma fuerat ad dejiciendum inde praesidium, desideratisque aliquot ex utraque parte sive vulneratis, defensa sunt & retenta. Capta sunt etiam Palumbaria, Tibur, Tusculanum, & castella quaedam ignobilia, pacato incessu, si portas aperuerant, praesidiumque acceperant; si cogi maluerant, gravi documento, ne qui deinceps experirentur, in quo numero Palumbaria triste exemplum fuit. Nec ideo cura pacis omittebatur, & exspectabat avide, si quid aequi veniret aut nunciaretur ab Roma.

Verum, ubi Cardinales, ad eum, quem petierant colloquio diem, & locum, non adfuere, frustraque ad Grotam ferratam (eo convenire debuerant) Dux Albae consedit & exspectavit; tunc aversae omnes in bellum curae, nec dubium inde, quin Romanis mora tantum quaereretur, sive etiam aliquot ex Germania turmae fecerant illis animos. Petebant adhuc, ut abscederet Ecclesiae finibus in Regnum, ita commodius & tutius de pace posse agi; aeternaque illa Principum calamitas, quae intimos eorum sensus in publicum semper effert, indicarat, subesse fraudem, ut si cessissent Hispani, liberato sic Latio, Pontificius exercitus ad Regni fines admoveretur. Miserant etiam Veneti legationem, quae fuit irrita, ob partium rigorem, dum Paulus Pontifex & Dux Albae nihilo disparibus jam animis, nihil concedere invicem possunt.

Volebat Dux Albae, primum hoc esse caput, ut Pallianum Hispanorum praesidio teneretur: id ipsum ante omnia Pontifex abnuebat. Ita Fabius Capellus (Legatus hic fuerat) cum ultro citroque nequidquam aliquoties excurrisset, Tibur ad Ducem, Romam ad Paulum, nec alterutra in parte destitisset eorum etiam tentare animos, qui plurimum apud utrumque gratia, vel auctoritate pollerent, desperata Romanum inter & Hispanum pace domum abiit.

Hispani quotidie magis in ea parte Latii, quae Neapolim spectat, invalescebant, jamque cuncta fere camporum tenentes, ad Frusinonem, ad Anagniam, ad alia opportunitatis alicujus loca moliebantur Architectorum ingeniis, ut impenetrabilia omnia fierent, quae cura si Romano prius fuisset, non jam ille hostem in visceribus haberet. Frusinonem Didacus Velez, Anagniam Servi Comarchus muniebant, Architecto operum Tiburtio, quem ob ingenii subtilitatem & experimenta generis omnis munitionum, atque machinarum, vulgo faventes hominis famae Archimedem alterum appellavere.

Ad Ostiam interim obsidendam, ex Regis ipsius praescripto, mittere peditum cohortes Andreas Auria debebat, quod ab eo praetermissum est, ut plerique arbitrabantur, ne Ducis gloria nimium cresceret, idemque livor, ut tarde veniret alius ab Mediolano numerus, effecit. Nam sicuti bellicae res Hispanis Ducibus prospere succedebant, ita certamina, & discordiae erant inter ipsos, in quibus discordiis commode potuisse rem administrari, pars Catholicae felicitatis habita est.

Rem universam Hispanam in Italia tunc administrabat, praeter ipsum Albae Ducem, Andreas Auria, Piscariae Demarchus & Cardinalis Tridenti, per quatuor hosce cuncta regebantur; caeteri duces, & praefecti, mari sive terra gratiam & nutum eorum auctoritatemque respiciebant. In magna hominum nobilitate, magnisque opibus & animis, facile sequutum est id, quod animi humani more sequi debebat, ut aemularentur invicem atque inviderent, sive ab invidentibus offenderentur. Cardinalem, & Demarchum Mediolani sedentes angebat nimia potentia Ducis Albae, si summum ipse per Italiam arbitrium Catholici Regis nomine obtineret, atque ex Neapolitano Regno Mediolanum usque praefecturae suae vim proferret, quod haud obscure fiebat. Nec ipsi inter se Cardinalis & Demarchus, bellicarum ille, civilium hic rerum Mediolani administrator, sine mutua offensione agebant, ob muneris utriusque diffidium simul & saepe societatem. Etiam Auria, quamquam in sua Republica Princeps verso penitus in Hispaniam animo, ibique fortunae suae magnitudinem quaerens, agensque cum Hispanis Principibus aemulatum, efferri tantopere hunc Albae Ducem patiebatur aegre.

Dux Albae sollicitabatur ea nimis curiose fortunam suam intuentium aegritudine, quae latere numquam potest,

test, ac tanto minus industriae erat ad occultandum, quia poterant Ducem iidem contemnere, qui invidebant. Et nunc in tanto discrimine, cum id ageretur, ut vel appareret, Hispana arma, subigere posse ad consilia pacis eos, qui bellum agitarent, vel aeterno bello implicarentur, pro sua quisque parte, sedulo agebat, ut rei exitum tardaret, famaque simul Albae Ducis obtereretur. Ita Principes viri, minutarum animarum curis, excelsa consilia sui Regis impediebant.

Si ab Mediolano mitterentur copiae, quae mittendae erant; si Auria ipse peditatum in tempore exposuisset, credidere, qui tunc perite rerum statum intuebantur, non potuisse transire in Italiam Gallos, atque id quod quaerebatur, expeditius aliquanto futurum fuisse Regi Philippo, ut Pontificem Maximum optare pacem cogeret, inde Dux Albae transiret in Subalpinos, arceretque Gallum, id Philippus ipse mandarat, & urgeri novis ex Hispania mandatis oportuit Praefectos, ut mitterent copias ad Romanum Gallicumque bellum; alioquin obtrectatione Ducis Regi etiam nocebatur.

Ac Demarchus quidem & Cardinalis, cunctationem eam, inter caetera Mediolanensis praefecturae crimina purgare postea debuerunt. Auria probabilem causam afferebat, quod nuntiato Sellarayzis motu, jussus fuisset ad Oranum trajicere, Turcam inde prohibiturus; in id paratam & instructam habere classem debuisse. Sed otiosae conjecturae calumniatrices illustrium virorum, aut occultarum saepe rerum eaedem solertissimae venatrices vulgavere rem arcanam hujusmodi. Timuisse Florentiae Ducem, ne, si nimium cito cum Pontifice facta pax esset, oppressumque bellum, periret sibi occasio praemiorum ab Rege, spesque suae Senenses in perpetuum abscinderentur; ideo corrupisse, quibus potuisset modis, Auriam ut injiceret moras & impedimenta negotio, & omni sua maritima ope rem differret. Sive fuit livor & contumacia, sive dolus, sive mistum ex utroque genere quiddam, constat, ob non expositas e classe, missasve Mediolano copias, victoriae cursum esse retardatum, datumque Gallo spatium, ut in Italiam penetrare posset.

Ea gens paulo post in diversam Italiae partem ad solitas clades irruptura majore impetu, nunc duodecim triremibus aderat, tentatoque Neptuno, rejecta substiterat ad Civitatem Veterem, & ibi ruptarum induciarum, veluti praeludia quaedam agebat. Nam demonstrari non potest, quam trepide, quamve cunctanter Rex Henricus descenderit eo, ut prostitueret in aperto violatam eam ab se fidem; animusque Regius cernebatur tentare paulatim, num posset publice in hominum conspectu subire partem ejus dedecoris, quod privatim domi jam totum subiisset. Tamquam apud se ipsum, & apud eos etiam, qui dedecus illud suasissent, defensione aliqua egeret, differebat adhuc, varieque tractabat omneis causas, quae vel in praesentia, vel apud posteros possent esse velamenta dedecori.

Ajebat, ruptas jam ab Hispano inducias fuisse modis omnibus, queis occulte violari ac frangi posset fides. Nam praeter caetera, quae nota omnibus, & in concilio dicta nuper essent, scire se, quemadmodum Moynaey Comes, Luzeleburgi Praetor, intercipiendo per furtum Metzio corrumpere praesidium agitarit, pronunciasse praesentem pecuniam, in singulos, duo millia nummûm aureorum; praefectis dimidium ejus summae perpetuum, annuumque vectigal, si decedere ultro ac prodere urbem voluissent. Praeterea scire, quemadmodum eadem Hispana arte compositum hoc, meditatumque fuerit, ut stato mercatus die, prosilirent ex publico hospitio repente armati, insiderentque portam unam, dum Comes ipse Moynaeus cum idonea manu adesset, urbem eam vi subita invasurus. Id vero incoeptum, quia frustra fuerit, haud magis prosperae fraudis ingenio tentasse, ut erectis in muros ab aversissima parte scalis, irrumperent, caesisque vigilibus, & patefacta porta promiscua deinde caede peragerent rem. Jam illa, quae Dux Ghisae commemorasset, manifesta pignora ruptarum induciarum aliquanto notiora esse sibi, & comperisse de iis rebus nonnulla, quae suasor ille ignorasset. Segavulto nomen fuisse homini qui personam & nomen ementitus quasi Scriba Episcopi Arrensis esset, tricenos nummos aureos viatici nomine dederit in manum Aquitanis illis, qui prodere Burdigalensem Urbem debuissent. Vezaeum fuisse cognomento, qui emptos illos proditores ad Cameracum usque deduxerit, vt inde a Praetore urbis expedito ac tuto itinere transmitterentur ad facinoris sedem. Haec acta esse, cum non totus ab induciarum pacto mensis effluxisset. Sabaudiae quoque Ducis ingenia, dimensiones atque corruptelas, & in media induciarum securitate, notata, descripta, confossa fraudibus omnia, scire se certius ac melius, quam gravissima illa Ghisae concione nuper indicata essent. Massiliensis arcis fuisse quemdam architectum, cui cum Berlamontio Dynasta familiaris usus: huic architecto per Berlamontium datam ab Sabaudiae Duce pecuniam, ut descriptum in membrana situm traderet arcium aliquot, & castellorum, quid haberent muniti quid opportuni, qua forent altitudine fossae vel moenia, quae claustra, qui pontes, apothecae, tormenta, commeatus, numerus, & ordo praesidii, vigiliarumque vices, cuncta ut accurate describerentur. Loca autem arcesque petitas hac fraude, & designatas fuisse Sanquintinum, & Peronam, & Dorlanum, & Meziersium, & Monstrericum, & Sanspiritum, ad extremos Regni fines praesidia, & munimenta Regno. Architectum ipsum cum in Dorzae fluminis ripa fundum atque altitudinem alvei demissa in aquam libella metiretur, esse deprehensum. Hujus, & Aquitanorum militum indicio comperta esse insuper alia, quae reticeri nunc oporteret. Catholicum Regem, cum ab eo petitum esset, quonam jure, quave fide inter inducias haec fierent, respondisse, nova sibi esse, quae dicerentur, arbitrari eorum esse commenta, qui nescirent in pace vivere, armorumque initium quaererent. Etiam addidisse, quandocumque vellent, experirentur; se nec recusare bellum, & pacem, quae sibi placeret, ferre posse. Cui non apparere talibus dictis, factisque jam inducias esse sublatas, & exercitum in Italiam absque mora esse mittendum? Haec secum ipse volvebat Henricus, haec differebat inter amicos, quasi causa sic defensa approbatione & favore suorum, melior etiam fieret apud communem hominum famam, sive apud Deum, qui rerum exitu, indicaturus erat famae, uter Regum prior induciarum fidem violasset.

Confirmatus Henrici Regis animus talia saepe jactando, quas interea coegerat peditum, equitumque copias jusserat esse in procinctu quamprimum, ut in Subalpinos ducerentur. Ea sedes armorum destinata erat, ubi veterum Imperatorum more numerari ac recognosci Neapolitani Regni oppugnator exercitus deberet; neque jam hinc dubia Romano Gallici foederis constantia, de qua semper erat dubitatum. Crescere inde animus Pontifici, Carafisque valde antea fluctuatis & incertis, prout ex Gallia rumores afflassent, venire exercitum, aut non venire. Nunc cognito per legatos & explorato per certos insuper homines, quod abjecta omni cunctatione Rex Henricus ab induciarum etiam respectu penitus alienasset animum, non submovendi modo hostem spes erat sed ingentium quoque rerum illarum, quae principio tantas turbas concivere. Crebrae excursiones ab Roma per Latium coeptae fieri, quae satis aperte monerent Hispanum aliquid accessisse hosti, quo promtior jam & audentior in pericula iret.

Non tamen illis tumultuariis certaminibus res Romana superior erat; & ducenti equites, cum ad Marinum usque populabundi ivissent direptores terrae, quam ab aliena injuria defendere debuerant, ab Populi Comite retro in fugam acti captis ex eo numero quindecim, qui captivi Gallicas triremes ad Civitatem Veterem appulsas esse indicaverunt. Parem exitum in conatu non dissimili habuit Antonius Carafa circa Trontum fluvium, qui per Brutios fluens, Regni fines ab Ecclesiae finibus dirimit. Hunc Fernandus Lofredus, qui provinciae praeerat, repulit cum ignominia, & damno.

Julium quoque Ursinum cum magnâ fistulatorum manu, quinque veteranorum vexillis, tormentis etiam currulibus aliquot ab Palliano egressum in Hispanorum damna, sub Pili muros fudit ac rejecit, non dux milesve Hispanus, sed, quod dolorem & dedecus augeret, agrestis multitudo, nec illa quidem armata quibus assuevit telis. Dejecere lapidum vim in subeuntes, tantusque glebarum, & densissimi pulveris turbo subito in capita & oculos militum ingruit, ut rusticano illo Marte obstupefacti simul & oppressi sternerentur; & abiere cum duce suo, qui crebrescentis procellae impetum effugere potuerunt.

Atque cum in omnes partes infelices ab Romano impetu fierent, capitur a Populi Comite Balthasar Rangonus, qui commeatus Tibure venientes ad Hispanum exercitum ex insidiis intercipere voluerat, parumque abfuit, quin Cardinalis etiam Carafa caperetur, cum profligata Rangoni ala, quae fuerat centum & quinquaginta equitum, ipse minore manu certamini sese obtulisset. Haec levia certamina, strenuique & infausti Romanorum conatus, sicuti prosperum belli exitum, ita non incruentam victoriam Hispanis portendebant, & mox ad Ostiam cum multo sanguine dimicavere.

Est Ostia in ripa Tiberis, magna quondam Urbs, & in illa vastitate Imperii, non ultima olim Caesarum cura; nunc paucis & miseris habitata domibus; etiam infausti nominis ob grave illic coelum, cui tamquam carnifici, sub turris custodia, traduntur noxia vel invisa capita dignata misero honore, ne vulgari carnificina perimantur. Diruere hanc urbem olim Gothi; nec Romani postea Pontifices tanti duxerunt, ut restituendi sicuti fuerat, curam haberent. Tantum aedificavere parvam arcem & excelsam in ea turrim, Juliusque Primus, & Paulus III. aliquantum operis addidere. Nunc ad id bellum, quod gerebatur, quodque gravius etiam imminebat magnas utrique parti habere opportunitates visa, pari sollicitudine angebat animos, quomodo capi posset, & quomodo non caperetur. Capta statim esse potuit ab Hispano, sicut dictum est, nisi consilia destinationemque Regis corrupisset mala, & jejuna invidentium inter se Praefectorum ambitio, & nisi Florentiae Dux, in alieno bello negotium suum agens, quam demonstravi artem attulisset. Etiam reperio, Florentinum hunc, praeter vulgatam illam de Auria famam, coepisse favere Carafarum rebus, utique postquam Magni Ducis vocabulum ei Pontifex Paulus occulte pollicitus erat, ejus rei praemium Romano hoc persolvisse, ne quas debuerat ipse peditum copias ad expeditionem mitteret. Plenus machinarum atque artium homo, cum nihil minus vellet, quam pacem fieri, nisi prius ipse tantam illam fortunae suae accessionem, Senas foret adeptus, etiam habebat hoc tempore suam in Urbe legationem, quae velut in scena pacificatorem Principem imitaretur.

Caeterum, cum haud cuiquam dubia res esset, quin Hispanus appeteret Ostiam, totoque animo spectaret in eam partem, missus est ab Roma Horatius quidam cognomento Sbirrus, non perinde obscuri nominis inter Pontificios duces, cum eo mandato, ut firmaret ibi arcem aggeribus & fossis, & omni alia re, quae foret tolerandae obsidioni, sive praesidio adversus oppugnantes. Petrus Strotius ad Molanam stetit, ne trajiceret Hispanus flumen, totaque Tiberis ripa, ob id periculum armata propugnatoribus est, & mox digresso inde Strotio ad visenda opera, queis Civitatem Veterem Flaminius Ursinus munierat, successit in eam stationem Matthaeus Estendardus cum fistulatorum ala; simul tria millia peditum adfuere, quae Cardinalis misit, satis valide adversus hostem, transitum insedisse videbantur.

Hispanus Imperator praeparatas Neapoli rates habebat, quae pontis vicem praeberent; & satis securo, quod ad trajectum fluminis pertineret, animo, superare non poterat diversam ab sua concilii sententiam, quae una omnium erat, ut omissa Ostia protinus ad Romam oppugnandam iretur. Id caput esse belli, quo subacto & dimoto, peracta foret res ipsa, cujus rei causa illa arma

A suscepissent. Non excidium Urbi sanctae, hostilemve direptionem illaturos, quod fortasse pius animus abominaretur; sed molli brachio, levique per Urbem excursu tantummodo admonituros Hispanae virtutis oblita Clericorum corda.

Opponebatur ad ea Regis mandatum, quo praescripsisset ut Ostia invaderetur. Si peti & capi Romam ille voluisset, potuisse praescribere hoc etiam ipsum, nec in tanta re voluntatem esse Regis interpretandam. Carolum Caesarem, ob similem olim exercitus licentiam, tantum animo cepisse dolorem, ut in morbum incideret, & aegre postea placaretur. Nimium etiam esse timendum, quomodo Rex foret accepturus quidquid illud
B in suo mandato praetermissum esset, nedum ut cunctationis culpam onerari nova insuper & majore culpa tutum videretur. Haec dicta sunt ab Albae Duce cum in caeteros omnes, tum praecipue in Ascanium Corniam, qui nisi duceretur extemplo exercitus ad Urbem, prodi Regem Philippum; e manibus amitti victoriam, ajebat. Illa suberat cura, ne militum manus semel imbutae praeda contineri non possent, & opulentia Romana ditatus exercitus, aut dilaberetur a signis, aut adversus imminentia Gallorum arma segnior fieret; idque ipsum amicis, quos interioris suae sententiae participes esse voluerat, indicavit. Ita aversis ab Romana oppugnatione animis, trajecto ratibus exercitu, machinisque
C & tormentis ad Ostiam ire oppugnandam pergunt.

Moretus erat quidam natione Calaber, Romana olim stipendia secutus, & nunc haud parvae inter Pontificios duces auctoritatis. Is, conspecta qua transire parabant Hispani consertarum inter se navium mole, demissa per aquam flamma, incendere subitarium illum pontem tentavit, jamque appliciti feliciter ignes, & ut arida erat materia, comprehensi peragebant opus. Auxilio fuit Euripus, quem ex terra ductum inter ipsas rates immiserant. Inde copiosos latices egerendo militaris turba incendium restinxere.

D Strotius, ut transvehi hostem vidit, antecessit properus cum tribus millibus peditum equitibus trecentis ad fauces brachii, quo Tiberis Insulam facit. Sexcentos inde passus excitavere propugnaculum Hispani, praesidioque imposito excurrere equites coeperunt, inter quas excursiones tumultuariosque conflictus, cum sub ipsa prope Urbis moenia raperentur, Cardinalis Carafa iterum in periculo fuit, ut sacer ille honos raro spectaculo captivus ageretur; levi momento fuisse elapsum ajebant. Oppugnare hinc & quatere Ostiam coepere initio facto a porta Urbis, quam cum incendere tentassent, objecto aggere, id incoeptum irritum fuit. Postquam in ipsum aggerem tormenta displodebantur, dilapsi
E propugnatores in arcem sese receperunt. Hispanus urbem tenuit, quam ne Romanus quidem ab initio retineri posse sperarat, vel magnopere curarat, an retineretur.

Tota obversa cura in arcem fuit, circa quam Hispano sudor, & sanguis, & illustrium virorum caedes, quae victoriae postea ipsius admodum triste gaudium fecerunt. Per septem continuos dies cum absque ulla intermissione quateretur quod muri est inter duas turres, rotundae formae alteram ad septemtrionem, quadrati alteram operis ad meridiem, restabat intacta, planeque respuebat ictus firmissimae substructionis moles, &
F ex obliquis fenestellis vix ulla irrita tela contorquebantur. Mensis erat November jam ferme dimidiatus; assidui cadebant imbres, & defluere Alpibus agmina Gallorum, fama primo, certi deinde nuntii afferebant; omnes incommodae res oppugnationi; & urgebant Hispanum ducem alia, quae praeverti necesse esset ob duo jam conjuncta bella, Gallicum, & Romanum. Differri igitur in tempus aliud, sive ultimo conatu tentari rem oportebat, quod concilio magis placuit. Estque ad XIII. Cal. Novembris oppugnatio redintegrata in hunc modum.

Dispositi per Insulam equites stetere in armis, ne quis ab tergo impetus in oppugnantes fieret; alii ad Romana moenia

moenia successere sub Marco Antonio Columna, ut terror etiam ille distineret hostem. Amniculo qua Strotius ipse constiterat, oppositi sunt equites cataphracti; ad tormenta pontemque pars peditum jussa esse praesidio; pars ad praesidium electa Ducis, qui obibat ipse cuncta & regebat. Franciscus Tolsa, & Dominicus Maximus fuere, qui cum suis uterque cohortibus impressionem in murum, ex quo propugnabat hostis, facere primam debuerunt: cohortes aliae quinque sunt circumductae circa quadratam turrim, ubi defensae aggeris objectu ab ingruentibus telis insurgerent statim & impetum darent. Vespasianus Gonzaga cum aliis in ea parte cohortibus adfuturus erat. Tolsa fossam, quae modicae erat altitudinis, ingressus, respiciens videt insequentes e suis haud amplius quindecim, quo casu perculsus & obstupefactus, venientem ab altera parte Gonzagam exspectavit, ipseque Gonzaga plumbea interim glande percussus inhonesto vulnere nares & superius labrum, in suo munere perseverabat. Cohortes illae metu, an contumacia, sive parum intellecto imperio, sequi ducem omisissent, incertum fuit. Caeteri, cum alienatis ab omni periculi sensu animis, subire conarentur, tantus telorum imber superne incidebat, cadebantque tam multi, ut totae passim cohortes converterent signa, & terga muris darent. Aliqui, cum jam cessissent, revocati Ducum vocibus & pudore suo, redibant in pugnam, cedebantque rursus, donec Dux Albae, & Alvarus Acosta concionati, moriendum esse ibi aut vincendum, totam impulere denuo aciem, atque spatium tenuere illud, cujus interjectu ab arce ipsa dirimebantur, & fixere pedem qua tecti lapidum congerie, asseribusque & tignis propugnatores stragem magnam fecerant. Hispani militis id praecipue decus fuit, immistique complures Italici generis adjuvere. Sed major adhuc caedes, quam ipsa res, fuerat. Interfecti, sive citra mortem icti vulneribus & mutilati ex Hispanis ad nonaginta novem, ex Italis quinquaginta octo, quorum una cum corporibus etiam nomina periere; pauci, vel prioris vitae fama, vel illius diei virtute meruerant, ut viverent hoc emortuo spiritu, quem dare cura Scribentium potest.

Alvarus Acosta, vir animi ardentis, eoque fervore spernens pericula, cum rejecto per animi elationem capitis tegumento, offerret sese telis, mortem facile, quam contemnebat, invenit, nec misericordia ulla secuta est perire sic volentem. Francisco Tolsae vulnerato graviter pede, subire nihilominus conanti dextrum brachium abscissum est, quae clades praecipuo dolore accepta est ducibus Hispanis, quia Tolsa ille, cum e Pontificis sanguine esset, antepofuerat Regem, multaque ejus militaria facinora memorabantur. Leo Majacanis Marcellus & Octavius Mormilli, etiam nisi vulnerati essent, nobiles fama, clariores per Catholicum exercitum fuere, postquam ora deformia plagis ejus diei ostentare potuerunt.

Praebuit is dies, si umquam ullus alius, bellicarum rerum nobile ludibrium, ex quo triste negotium, & Regnum illud humani sanguinis, tot etiam praeceptis, & tam anxia disciplina constitutum, in temeritate casus esse universum appareret. Namque, cum Hispanus, repetito ter in arcem illam impetu, parum spei ad exitum haberet, atque omni jam exhausta commeatus & tormentarii pulveris copia, Gallo etiam, sicuti dictum est, adventante, re abire infecta cogeretur, & cum eaedem angustiae apud hostem essent; uterque necessitatem alterius ignorans, parabat extrema, neuter stantem in vicino victoriam videbat. Demum simile quiddam ei, quae nominatur omnibus horis, nec est uspiam fortuna, rem ad Hispanum inclinavit. Praeerat arci Sbirrus idem, quem illuc missum fuisse, memoravi. Is ad ultimam inopiam redactus, desperato subsidio, evocat ad colloquium Ascanium Corniam, praefectum castrorum, certisque conditionibus dedit arcem duodecimo die, postquam oppugnari coepta erat.

Amissa Ostia valde conturbavit Romanum; factae viginti dierum induciae, in quadragesimum usque diem postea prorogantur internuntio Sfortia, neutra parte quietem eam abnuente, quae Carafis ad Gallici exercitus exspectationem opportuna, Hispano ad reficiendum exercitum necessaria erat. Et, sive inclinantibus jam ad pacem animis, qui bellum antea maluerant, sive quaesita specie tamquam inclinarent, convenere tandem ejus negotii causa Carafa Cardinalis, & Dux Albae, jactatasque diu conditiones pacis, & mutuo consensu perscriptas ad Regem Philippum transmisere, vano adhuc exitu, necdum maturo armorum eorum fine. Colloquii locus fuit, non qua prius destinarant, sed castellum ipsum, quod in fluminis Insula Hispanus excitarat. Inde diversi, Cardinalis Romam, Hispanus ad disponenda praesidia variis locis, abiere. Praesidium Ostiae, novoque Castello impositum est, Hispani quadringenti; praefectis Joanne Vasques, Avila, & Francisco Mendocio cum octo muralibus tormentis, & sex mensium commeatu, poteratque ab mari subsidium omne illuc intromitti, si res postularet. Anagnia, Neptunum, Tibur, Frusino, caeteraque capta loca cum idonea manu permissa Populi Comitis fidei, qui tueretur singula & muniret. Levis armaturae equites dispositi circum ea loca; cataphracti cum magna Hispani peditatus parte dimissi in Regnum. His ita provisis, Dux Albae Neapolim contendit, ad apparanda per hiemem, quae imminens bellum monebat.

# E P I T O M A

## Ad librum sextum.

*BELLUM, quod magnarum gentium periculo geritur, anceps in exspectatione: sed mala, quae in exspectatione solum erant, certiora mortalibus visa, solito credentium errore vera pro falsis. Cometes signaque ostentata coelo, credita non usitati belli esse portenta, quin etiam loco magnarum cladium accepta. Adeo metu juvante fidem, ut adesse viderentur, quae aut solum repraesentarentur, aut omnino non essent repraesentata. Momoransius nihil ex his, quae fingerentur, credens, aut timens, ridensque aliorum credulitatem, & metum, longinqua tantum Regni pericula in prospectu habet. Mox de belli causis ad Granvelanum superbe scribit; & hic ad Momoransium, tenore fere eodem, sed uterque cum aliqua parte nativi livoris. Interea de pace agi coeptum. Detecta Romana fraude negotium pacis opprimitur. Hinc bellum acrius ab Hispano paratur. Gallorum in Subalpinos adventu trepidatur Mediolani. Reficitur, & munitur Urbs, auctis ad securitatem munimentis. Nec minor trepidatio, & sollicitudo Italicorum Principum, non iisdem fere omnium periculis, nec una de imminente Gallo sententia. Gonzagae sententia parandum esse bellum & obediendum tempori. Dux Albae comparat vires quas irrupturo Gallo objiciat. Galli, trajecto Dora flumine, dividuntur, varia specie, nunc illas, nunc alteras terras praedae destinantium. Hostis in Placentinos traducitur, quieto per Mediolanensis Provinciae terras incessu. Pontifici deditur Ostia, deditis etiam locis aliis, quae teneret Hispanus. Gallus cum Ferrariensi*

*riensi milite jungitur, & Rhegium procedit. Rhegium sedes habendi consilia de statu, & forma belli. Ferrariensis Dux, & Cardinalis Carafa dissentiunt inter se, & a caeteris Ducibus. Ab Rhegio Bononiam exercitus traducitur. Mox artibus, & mutua fraude pugnatur. Ghisa indignatus ad Pontificem venit, eique futuri belli consilia aperit. Ghisae sermo liberior etiam quam pro Gallica libertate. A Pontifice Ghisa mandata accipit. Pergit exsequi, remota etiam quacumque negligentia, quae inutilia, & ingrata exsequentem moraretur. Turcica aula alienatur Gallo. Ghisae Ducis & Cardinalis Carafae fraus irrita, illicientium Ferrariae Ducem falsa spe nuptiarum filiae Henrici Regis cum Ducis filio. Magna sollicitudo, & difficultas Ferrariensi capiendi consilia, hinc Gallo, hinc Hispano diversa petentibus. Salubre consilium Ferrariensi neutri partium assentiendo. Ex fortunae suae tamen conditione malum aliquod timens, Mutinam, Rhegium, Carpos, & Roberium, & alias suae ditionis terras muniri jubet. Dynastae Correggienses ab Ferraria Mediolanum aufugiunt, & praesidium Hispanum in suas arces inducunt. Vallis Faenaria obsidetur a Gallo. Deditur cum magno dedecore, civium suorum tantum salutem pacta.*

# JOSEPHI RIPAMONTII

*CANONICI SCALENSIS CHRONISTAE URBIS MEDIOLANI*

# HISTORIARUM

A

# PHILIPPO II. REGNANTE,

## *LIBER VI.*

DUM primi gentium omnium, & aemuli semper inter se Reges, veteribus odiis, aut stimulis recentibus, ad arma concitantur, erecti in belli ejus exspectationem animi omnium erant, quos in tanto certamine cura aliqua suarum rerum attingebat, quosve etiam absque ulla magnae rei cogitatione levitas ingeniorum, & humani animi studium avidos ad publica mala spectatores praebet. At apud genus aliud hominum, quibus cordi est in segni plerumque & inope otio tractare consilia Regum, armaque & vires, aequive & iniqui censuram inter eos agere, ac demum prosperos eventus, & victoriae fortunam adjudicare, quibus velint, quo sermonum & hominum genere nostra Italia semper abundavit, apud hos igitur de belli causis conditioneque & futuro exitu varie disserebatur. Sed in primis extollebant aliqui confectricem illam ingentium rerum, & quodam igne volucrem celeritatem, quae Gallicae nationis propria semper habita est; eam profecto cum caeteris opportunitatibus, cum viribus etiam, & omni bellica virtute conjunctam, daturam primo quoque tempore spectaculum aliquod, quale fortasse nulla hominum aetas vidisset. Hispano plus nominis esse, quam virium, pleraque per Italiam infensa, raram gratiam, suspecta cunctis arma, tardum, infidumque auxiliis mare, famam apparatuum ingentem, & spes amplas, quas deinde facta ipsa non consequantur.

Rursus, haec ipsa cum tristioribus praeterea dictis pari licentia conferebantur in Gallos. Fluxam esse genti mutabilemque fidem, inconstantes animos ad ea perficienda, quae suscepere, & gliscentem illam per pectora flammam, in qua ponantur omnia saepe sic efferri, & corripere animos, ut ab sensu rerum ipsarum, in quas ingressi fuere, abalienentur. Nimium etiam Scriptores ipsos ardorem hunc suae gentis esse per annalium monumenta detestatos, & libertate, quae comes fidei est, causam eam appellasse tot malorum, & memoriam hanc prodidisse multis locis, quod sua semper violentia profligaverit Gallum, cui prope fatale esset, in alienis finibus cerni victorem uno die, & victum, capere externa Regna, & arripere praecipitem in patriam fugam. Aluysium XI. lenti, hoc est, vere prudentis animi Regem, optime gnarum hujus nativae calamitatis, eorum damnasse consilia, & fidem, qui expeditiones Italicas

A suaderent; numquam ipsum adduci potuisse, ut mittendo in Italiam exercitus fortunam tentaret. Carolum hujus filium, & Aluysium XII. & Franciscum Primum, quos insitus ille ignis, illa vorax magnitudo animi rapuerit citra Alpes, cladium suarum exemplis potuisse constituere disciplinam hanc, ne tale gloriae iter amplius tentaretur. De partis utriusque conditione summa haec erat sermonum, quos non illitterati civiles homines in circulis serebant. Desiderabant vero etiam prudentiam in Ghisa Duce, qui cum inter illius Regiae Principes gratia tantum & auctoritate posset, fuisset auctor consilii, quod si caderet infeliciter, omnis culpa & invi-B dia referretur ad ipsum. Nam infaustas Regum res, & omnia Regni mala, cladesve non ipsis imputari, sed illis, quorum prudentiae ac fidei sese fortunamque suam permisere. Ideo, qui regnant auctoritate sua Principum animos in magni discriminis consiliis, oportere regi ipsos hac prudentiae norma, ut, ubi plus mali, quam boni potest esse, abdicent id totum atque dissuadeant; malum autem illud, quod afferre casus potest, certum esse malum putent.

Belli causas, alii graves, & justas esse ratiocinabantur; opem ferre Pontifici Maximo, proferre Ecclesiae fines, vindicare Regna; non minor numerus haec ipsa C vituperabat. Nam quo consilio, quibusve suppetiis dignum esse Pontificem, qui cupidine suorum & sua, turbare Christiani Orbis pacem velit? Si armis illis Reginam Ecclesiam facere velint, cur ipsos inter se jam divisisse belli praemia? Foretne magis in Ecclesiae potestate res Neapolitana, si Gallus novus Rex intrudatur, quam si Catholicus avito jure teneat id Regnum? Profecto, quorum culpa Christiana pax turbetur, Deum nunc esse testem, & mox inevitabili suae justitiae telo vindicem fore; adesse Regibus exitium, adesse Italiae vastitatem.

Auxerant hos sermones versa in religionem prodigia, D quae quidem ego saepe de coelo fuisse missa, posseque semper mitti, tam credo, quam etiam crediderim fingi multa captarum superstitione mentium oculorumve ludibriis, cum aut vanas sibi species repraesentavere nonnulli, aut easdem aliis repraesentare voluerunt, & res fictae veluti traditae per manus credulitate hominum & temporis licentia pro veris invalescunt. Ajebant, in agro Betzensi visas in coelo duas contrarias acies; antecessisse cum horrendo fragore nimbum, deinde inter se concurrisse; Augustae Vindelicorum ardere coelum visum;

ſum; nec longe inde Urſum, & Leonem pugnantes. Conſtantinopoli, terra concuſſa repentino motu proruit portam, quae Hadrianopolitana dicitur, ſimul pleraque privatorum tecta labefactata conciderunt, & triduo poſt inuſitatae magnitudinis ſtella circa Lunam ſtetit. In Germania, dira aquarum eluvio terrorem fecit, ne terra cum incolis illa ſubmergeretur. Ac ne quid omitteretur, quod uſpiam terribile viſum eſſet, additum etiam frequens illud antiquitati prodigium, ſanguine pluiſſe.

Sed maximus omnium terror fuit, horribili ſpecie Cometes, qui ad V. Nonas Martii exortus, in quadrageſimum uſque diem continenter effulſit, & multiplici ambage torſit interpretantium ingenia. Sideralis ſcientiae homines introſpiciendo faciem ejus & figuram, & punctum exortivum inquirendo, manſionibus quoque notatis, niſi mortalium ſtragem canebant. Turbidus in facie pallor erat, radiabant crines auri fulgore. Quinto poſt exortum die circa medium Librae jugum ſtetit; nono die deducitur ſupra Mundi verticem abſcindens ab aequinoctiali circulo gradus parteſve ſexaginta; quintus poſtea dies alios quinque gradus addidit huic intervallo, & fuit in ea ſtatione terrificum Sidus, donec evaneſceret ſive occultaretur. Cernebatur antelucano tempore, vel circa tertiam horam noctis: ab oriente ad occidentem Solem excurrebat: ſpectavere Afri, Germani, Itali; caeterae gentium, quia nihil viderant, etiam portendi ſibi nihil credidere.

Dicebantur inter homines, coeloque portendebantur haec, ſicuti retuli; an potius ut vani ſermones hominum, ita etiam coeleſtia illa vanas exterritis oſtentavere ſpecies, & naturae ritus fuere, quae levitas & conſuetudo mortalium prodigia nuncupavit. Ipſi inter ſe Reges, antequam armis congrederentur, ſolenni illa arte conflixere, qua partis utriuſque miniſtri, ſive Principes amicorum, velut, inſciis ipſis agerent nonnulla invicem atque objectarent.

Momoranſius belli diſſuaſor, poſtquam contraria ſententia invaluerat, obediens tempori, jamque particeps & adjutor conſiliorum, quibus tantopere fuerat adverſatus, compoſuit, deditque litteras ad Granvelanum Epiſcopum Atrebatenſem, quae temperamento hoc fuere: *Sciret Epiſcopus, haberetque teſtatum apud ſeſe, quemadmodum Rex Henricus, animo eſſet, vel ad finem induciarum conſtanti, vel ad pacis conditiones aequiſſimo, niſi conſtantia haec, & aequitas ipſius alienis hominum ingeniis impediretur. Pertinere ad Gallicae Majeſtatis religionem, inſtitutaque majorum, ut Apoſtolica Sedes, vel ipſius jactura Regni ſarta tecta, & inviolata conſervaretur, niſi collectam tantis antea ſumtibus & periculis effundere gloriam vellet. Cum nuper in oculis prope ſuis ab Albae Duce vaſtari Eccleſiae agrum vidiſſet, capi urbes, & occupari, & inſideri praeſidiis Hiſpanorum Latium, miſiſſe ad prohibendam injuriam auxilia, miſſurumque porro niſi praeſidia deducantur & Chriſti Vicario regere cum bona pace terrarum Orbem liceat. Credere Galliarum Regem, nullius umquam ope conſtantius fuiſſe defenſam Eccleſiam, quam Caroli Magni armis, & virtute, viciſſimque Carolum ipſum nulla magis actione conſecutum, ut ſupra Regum aliorum famam & nomen extolleretur, quam tuendo Pontificatum, & propulſando inde gentium externarum arma. Velle facta illius imitari, e cujus etiam ſtirpe ſit, ac ſanguine procreatus, neque crederent Hiſpani, liciturum amplius fore ſicut olim, ut ipſorum armis agantur in captivitatem Pontifex & Roma, quae nomina venerentur etiam barbari. Cogitaret Hiſpanorum natio, quantum hoc & quale dedecus. Certe Galliae Regi magnopere gratum fore, ſi fierent omnia quemadmodum oporteret, neque ſibi contemnendarum induciarum neceſſitas imponeretur.*

Granvelanus ad ea reſcripſit in hanc ſententiam: "Nulli magis, quam Catholico Regi curae eſſe, fortaſſe etiam ad neminem unum pertinere magis, ut Eccleſia Chriſti retineat ſecuritatem, amplitudinemque ſuam, & ſit ea florentior quotidie rebus omnibus, beatiorque. Quod Rex Henricus ad Pontificem Maximum auxilia miſerit, id pro dignitate ipſius & Imperii fama recte factum videri; quamquam Rex Catholicus fortaſſe dicere poſſit, initum etiam adverſus ſe, foedus eſſe, quod ſit amplius, quam Pontifici miſiſſe auxilia, & avitae pietatis officio ſatisfeciſſe. Caeterum, equitum Magiſtro Momoranſio, prudenti viro, & gravi, cujus noſſet ipſe animi ſenſum, ac de tota re ſollicitudinem, ſcienda inſuper eſſe nonnulla, quibus cognitis, neceſſitatem & cauſam Catholici Regis aliquanto magis etiam, quam antea probaturum, ſperet. Pontificem Paulum, poſtquam non dignis illa Majeſtate ſermonibus, Regem Philippum, & Patrem ejus Caeſarem eſſet inſectatus, illam ſuſcepiſſe actionem, ut juris imagine primo, deinde armis Auſtriacum ex legitima & juſta Neapolitani Regni poſſeſſione deturbaret; publicis litteris declaraſſe hoſtilem animum, circumdediſſe arma Regno, legatos & amicos Regis in vincula conjeciſſe, deſertores & rebelles recepiſſe domi, nonnullos etiam ad rebellandum inſtigaſſe. Haec agentem precibus, obſequiis, delinimentis varie tentatum eſſe, ſi forte dimoveri poſſet ab illo inimico animo, ſemperque factum eſſe inimiciorem; aequi nihil umquam ab eo potuiſſe impetrari. Ob ea, neceſſe fuiſſe oſtentari bellum, & illata Hiſpanorum arma finibus illis, in quorum tutela ſanguinem effundere univerſum parati eſſent, ſi Apoſtolicae terrae ab alio invaderentur. Ut appareret quid ea comminatione belli quaeſiſſet Hiſpanus, omnes arces, omnia oppida, quae aut voluntate in poteſtatem veniſſent, aut capi maluiſſent, ita recepta eſſe, ut venturo Pontifici, ſacroque collegio cum publica teſtificatione aſſignarentur. Quae cum ita eſſent, ſperare Catholicum Regem, fore ſibi omnia citra noxam apud Deum, & ea ſpe dimicaturum, donec oriatur apud hunc Pontificem cura honorandi propugnatores Eccleſiae, tractandique nomen Hiſpanum honeſte, & amice ſicuti deceat. Quando Momoranſius aperte ſcripſerit, quid ſuo Regi pro Majorum gloria & imitatione facere in animo eſſet, ſe quoque aperte ſcribere, Regem ſuum, pro defenſione Imperii, quod acceperit a Majoribus, nulla umquam bella recuſaturum; & falli Regem Henricum, ſi Carafarum turbulentiam ſperet fore ſibi adjumento ad occupandam unam glebam earum terrarum, quae ſint Hiſpanae ditionis. Non impedire Regem Hiſpanum, quo minus haberent ſibi ſua foedera Rex & Carafae, ſed audire veluti puerile ludicrum, & quaſi vanam ſomnii ſpeciem, cum dicatur in ſua damna conſpirationem eam eſſe factam. Sin autem ne vere quidem id diceretur, vellentque Rex Henricus, & Pontifex Paulus ſerio de pace agi; Regem Philippum in ea firmanda, conditionibuſque accipiendis tam facili & aequo fore animo, quam lento fuerit adverſus irritamenta, queis Carafae laceſſivere id bellum. Reſtitueret Paulus omnia in ſuum ſtatum, quo fuiſſent antequam ipſe Pontifex fieret; minitantes Regni finibus arces tolleret; Garcilaſum, caeteroſque dimitteret; Gallica auxilia redirent domum; Regem viciſſim paratum fore ad reſtituenda omnia in eum ſtatum, quo ante bellum fuiſſent. Servaturum perpetuam cum Pontifice pacem, & Romanos exſules, quibus Praefecti ſui receptum dediſſent, in ejus poteſtatem obſequiumque redituros. Si quid praeterea controverſiae, publice, privatimve eſſet Pontifici cum Rege, poſſe ipſos ſumere arbitrum e Principum numero quem vellent; ita pacem utrique parti utilem habituros eſſe."

Hactenus a Granvelano ſcripta erant ea, quae rem cauſamque continerent, ut juſte arma ab Catholico Rege mota fuiſſe appareret; caetera litterarum ſeries, fuere mutui aculei, queis Epiſcopus pro magnifica illa defendendi Pontificatus haereditate, quae a Momoranſio jactata erat, & pro captivitate jam exprobrata Clementis VII. viciſſim pungebat Gallum; neque dubitabantur praeſcripta eſſe ab Philippo ſicut in eo genere ille cum gravitate ſententiarum, & veteris memoriae notitia valde aptus fuit. Defenſam ab Galliae Regibus Eccleſiam, ſed tanta mercede, tantiſque Pontificum damnis, ut ipſa deinceps Eccleſia tales defenſores exſuerit, mer-

mercedemque revocando, quam esset laeta beneficiis illis testificaretur. Sic desisse ipsos Imperatores esse, & Romanorum Reges, quae vocabula Pontifex Hadrianus indulsisset. Fortasse quod Avennione fuerit Apostolica sedes a Clemente V. ad usque Gregorium XI. id causae esse, quamobrem, cum Regum etiam aliorum ignominia, praecipuam sibi defensae Ecclesiae gloriam assumant. At huic tanto beneficio, tantaeque gloriae, Scriptores Italos nomen imposuisse Babylonicae captivitatis, cum Christi Vicarium fallacia Pulchri deduxerit in eam Urbem secutique postea Reges fraudi violentiam addiderint, & ingemiscente multum Ecclesia, Pontificatus ibi tamdiu vinculis irretitus habitarit, donec ab Archiepiscopo Toleti Gilo Albornotio Hispano homine liberaretur. Clementis VII. captivitatem, quae semper Hispano atrocissime objiciatur, teste plurimorum adhuc memoria nihil aliud fuisse, quam quemdam hujusmodi casum, ut cum Caesarianus exercitus ad defendendam ab eodem Pontifice Neapolim duceretur, flexerit praeter Caesaris ipsius mandata, viam, & in urbe tunc etiam inimica nonnulla militariter egerit; quales tenere impetus ne Caesar quidem ipse praesenti potuisset auctoritate, nedum ut absentem in ea re criminari justi aestimatores possint. Eum accepto facinoris nuntio sic esse peturbatum, ut periculose aegrotaret. Mandatum fuisse ipsius, ut vitata Roma per Brutios irent, morbumque illum alio non potuisse referri, satis fuisse argumento, quod totos ipsos aegrotationis dies Medico reclamante consumserit, consultando multa, & mandando, & scribendo, queis casum illum improvidum licentiae militaris emendaret. Si recta via reputare casum hunc posteritas volet, ad Gallos ipsos esse relaturam hoc adeo captivi Pontificis exemplum, veluti reliquias & imitamenta Avennionensis exempli. Nam re vera Borbonium fuisse Gallum hominem, qui ductans eo tempore Caesarianum exercitum obsederit moenia urbis Romae, Pontificique Maximo carceris imaginem circumdederit. Etiam initia originemque calamitatis ejus ex Gallica Regia totam manasse. Nisi enim conjuratus cum Rege Francisco Clemens ille invadendi Regni consilia conatusque miscuisset, non futuram fuisse causam bello, nec obsidioni deinde, nec captivitati, quae nunc Hispano Regi tota exprobretur.

Momoransius & Granvelanus talia scripserant invicem, objecerantque tamquam inter se colloquerentur, sed haud dubie colloquia illa Regum fuere sic delegata ministris, quia consociandi epistolas, Regibus ipsis neque tempus jam neque animus erat.

Ad Regem Philippum interea per Franciscum Pacechum delatae erant pacis conditiones, quas Cardinalis Carafa, & Dux Albae congressi apud Ostiam, utrique parti posse placere consciviscent. Erant autem hujusmodi: Absisteret bello Rex Philippus. Ab Romano dimitterentur homines, qui per eos tumultus, & propter exortas cum Rege suspiciones conditi in arcem essent. Quas terras, quaeve oppida Marcus Antonius Columna ante res motas habuisset; eas terras, & oppida concederet Rex cuicumque collibitum esset, dummodo ne priori possessori, neve ulli praeterea gentis ejus darentur. Ob ea oppida, terrasque, daretur Montorii Comiti quantumcumque dari jus fasque esset. Dejicerentur exstructa ad Pallianum munimenta, ipsique Palliano inter duo Imperia libertas servaretur.

Haec summa conditionum fuit, quibus inspectis atque consideratis Rex Philippus Pacechum eumdem remisit cum litteris ad Albae Ducem: placere sibi omnia; pergeret agere de pace, conficeret ac scriberet ordine quidquid esset actum. Fuerant etiam ab Rege mandata Pacecho, quae Pontifici reverenter & amice dicenda essent, ut ne plus obsequii aliunde, plusve fidei, quam ex Hispania compositis rebus ipse exspectaret. Sed jam jam aderat Gallus incitamentum bello, etiam si Carafarum animi pacem, quam nullo modo volebant, optarent. Apparuit quaesitum esse negotium & immissum ad distinenda arma donec unica illa spes lento tandem molimine superasset Alpes; ferensque pignora pacis & amica mandata Hispanus legatus, & petens alloquendi Pontificis horam, nusquam opportuna momenta, semper occupatas suae Sanctitatis aures, aut impeditum quiete vel languore corpus offendebat, donec intellecta arte Neapolim ad Ducem abiit.

Artificium autem hoc & consilium, quo solertissime Cardinalis usus negotiatione pacis tardaverat damna belli, bellumque etiam ipse interim pararat, multa quidem attulit alia utilia Romano, incommoda hosti, nihil tamen aut gravius huic, aut aptius illi, quam quod parantem ex Belgio irrumpere in Picardos Philippum ea simulatione continuissent. Dux Albae, intellecto dolo detestatus Romanas artes, & suam ipsius credulitatem prope erubescendam homini, quem tot militares fraudes & stratagemata contrivissent; qui toties etiam ipse alios decepisset, non sine ira jam aliqua parabat ea, quae adversus geminum bellum paranda erant. Triginta millia peditum ad praesidium orae maritimae centuriavit, equitum numerum auxit: sex millia Germanorum per Aluysium Barrientum accersivit, quae Hanozius Rualterius tribunus militum ad Tergeste in naves imponeret, duceretque Hadriatico mari ad Piscariam sive Aternum, sicuti jam antea constitutum erat. Alia duo Germanorum millia per Gasparem Felzium ducebantur, ex quo numero amplius ducenti periere, vel aufugere, antequam appelleretur classis, idque damnum ad Praefectorum incuriam relatum est. Novi copiarum duces instituti: conflata pleraque & aptata machinis tormenta: curator castrorum Maximus Lopes Mardones appellatus. Procerum aliqui erga Regem fide, sive in Carafas odio, cum singulis turmis obtulere sese ad id bellum; ex toto Regno tricies centena dimidium ejus summae acceptum, attributaeque ex Regiis vectigalibus pensiones, donec ea pecunia in publicum restitueretur. Neapoli apud Albae Ducem hic belli apparatus erat.

In Provincia Mediolanensi, Cardinalis Tridentinus, & Piscariae Demarchus quanto propius certiusque vexilla Gallorum descendentia in Subalpinos campos videbant, strepitumque audiebant, tanto magis properi ac festinantes agere ac parare omnia, ne subito ipsi incursu opprimerentur. Incesserat enim metus, ne Galli tumultu quidem & fama Neapolim irent, re autem ipsa, animisque & secreta destinatione peterent Urbem Mediolanum, idque ab domo consilium attulissent. Erat hoc tempore Mediolani summa rerum omnium difficultas, quae res pertinerent ad gerendum bellum. Afflicta superioribus bellis & exhausta Provincia: fessa urbs collatione pecuniarum, & civitatis Principes, aut post arma respexerant otium, aut perierant in armis; nec minima calamitas, incommodumve rebus ipsa dissensio, quae Cardinalem invicem & Demarchum, consilii quodcumque alter attulisset inimicos faciebat.

Attamen externo metu urgente domestici certaminis interdum obliviscebantur, & nonnulla, quae in praesenti periculo providenda erant, expedivere communi consilio, quod civitas etiam ipsa semper alias experta discordes, admiraretur. Refecere subitariis operibus moenia Principes urbis ad portarum custodiam cataphractos equites in provinciae finibus summa cura disposuere: munivere urbes, Ticinum, Alexandriam, Cremonam, Hastam, Laudem: ad Valentiam, quae Pado flumini apposita est, tres cohortes Italorum, tres Hispani generis, totidem Rhaetos jussere praesidio esse, & castellum ibi excitavere cum privatorum lacrymis ob multorum aedes, quas ea fabrica dejiciebat. Armavere Mediolanensium sexdecim millia, quae copiae aut dimissae fuerant, aut ob non persoluta stipendia ultro abierant a signis. Hispanum item Germanumque peditatum flagitiose diminutum explevere torvis animis conferentes inter se consilia, quos raro antea inter se congredientes videres, aut si congrederentur, salutatio tristis & breve alloquium erat.

Divulgata pacis fama, sicuti permiserat liberas habenas incommodae eorum simultati, ita postquam totum ex improviso periculum aderat, aliquantum collegere sese, ac distulere iras. Apud Italicos quoque Principes cum

cum injecta illa pacis mentio remisisset multum ex cura, quae suis quemque rebus acerrime intentum habuerat, ubi detectam esse artem tulit rumor, (& jam Gallici exercitus fremitum ipsi audiebant) cura jam, & sollicitudo major esse coepit. Ac Florentiae Dux, qui Senensis illius negotii libidine, diuturnum bellum, quam celerem Catholici Regis victoriam maluisse credebatur, ut adventare sibi cladem timuit, victoriae jam causa cuncta sedulo faciebat, explorando, muniendo, scribendo ad Regem, palam, occulte providendo quidquid profligare bellum posset. Veneti Thomam Contarenum in Euganeos campos ire jusserunt, atque ibi esse praesidio; ad classem, quam habebant quinquaginta triremes addidere, Ferrariae Ducem vicinum suum increpantes, qui non solum ipse conjurando cum Romanis, & Gallis partem sese imminentium malorum fecisset, verum etiam illigare conjurationi Farnesium tentasset. Inter Hispanos orta dubitatio erat similis ei dubitationi, cum initio Romani belli ambigeretur, exspectarentne domi hostem, an invaderent ultro; nunc in Gallici belli exspectatione id ipsum ambigebant. Fernandus Gonzaga vetustae nobilitatis Italus mixtus e sui nominis auctoritate, & prudentia, quae diuturno rerum usu paratur, vel si qua venit e Sapientum libris, in ejus rei dubitatione, rogatus sententiam:

*Versatus ego ab ineunte aetate in hac militari vita considerando multas nostras, aliorumque res, & quoties obtigerat otium volvendo simul apta Imperatoribus monumenta, didici gerendorum bellorum vias esse multiplices, per quas victoriae proveniant aut clades, prout earum viarum optimae sive deteriores electae erunt. Nam, aut antevenire hostem, ipsiusque fines invadere artis est, aut extra nostram hostilemque terram in aliena terra repraesentare bellum; aut ad extremos Imperii tui fines objicere arma, summamque rerum collocare in tuto priusquam in discrimen vadas. Exspectavere aliqui hostem, & in suis finibus commisere pugnam; aliqui cum propulsare non potuissent, obtrivere paulatim ac cedere coegerunt. Sunt, qui probe munitas urbes & arces ultro ad obsidionem objiciant hosti, ut ibi scilicet consenescat: sunt qui deserere cuncta camporum ament, & collatis viribus in Urbem eam, quae sit Imperii caput, vacua tecta & agros esse praedam sinant. Haec sunt diversa bellorum ingenia, & consilia, quae sequuti, victoriam sive calamitatem habuere, prout recta sive prava institerant via. Vicere primo consilio Romani Philippum & Antiochum Reges: secunda & tertia ratio defendit hoc Regnum ab Conradino semel, ab Gallis iterum, cum illi Carolus Andegavensis ad Fucinum lacum, hisce Magnus Consalvus ad Montis Cassini fauces sese objecisset. Eamdem secutus artem Franciscus Primus castra posuit in ultimo Avennionis fine, Carolumque Caesarem prohibuit Regno, & Carolus vicissim positis ad Viennam castris Germaniae ingressu prohibuit Solimanum. Qui domi hostem exspectare maluerunt, sicut Romani Gallos prius, deinde Annibalem, & sicut gentes aliae Romanos ipsos exspectavere, hi quartam illam bellandi rationem exemplis suis infaustam apud posteros fecerunt, facientque porro, si qui experiri volent. Nam cum tibi desint vires, ut possis bellum efferre domo, deerunt etiam, ut possis id sustinere domi, & hostis ipse, quem exspectaveris, dum sese circumspiciet inter inimica omnia, ob multas imminentes necessitates, gravior tibi, sibi melior fiet. Quos autem repellere non potueris, hos debilitari cunctando satis docet omnis memoria vetus, & recens, Annibalque & Metellus, & Amurates, & Foxius a Q. Fabio, & Sertorio, & Castriotto, & Raimondo Cardona, confectrice illa magnarum saepe rerum lentitudine domiti & subacti, quintam hanc viam nobilitavere cladibus suis, ut aliqua etiam ibi victoriae spes poneretur. Proxima hinc ordine ac necessitate erat via, ut si recipere hostem intra fines expediret, ea munimenta pararentur, quibus assidendo ille consenesceret, ac demum cum pudore abiret, sicut ab Mediolano & Ticino Regem Franciscum abire Caesaris duces coegerunt. Tutissima sane ratio & amplectenda ei, qui non habeat satis copiarum, ut instruere aciem, excursiones facere, tueri fines possit. Non est mea sententia tam optabile aliud Principi, qui bellum gerat, quam ut difficili & lenta & exitum non habitura obsidione illigare hostem queat. Extremum erat in hac nostra fortasse molesta, sed necessaria enumeratione consilium, quo firmata Imperii totius arce collatisque in eam viribus, caetera pro derelictis habentur, futura denique salva, si salvum Imperii caput erit. Atque tali consilio Regnum hoc ipsum adversus validissimi foederis vires defensum est, cum qui pro Caesare nostro bellum gerebant, in hanc urbem sese, spemque Regni totam inclusissent. Id felicius fecere quam prudentius, quamvis essent alioqui maximi duces & fortissimi viri; sed tunc fortuna belli, non ipsorum prudentia rem servavit. De eo quod paratur nunc certamine consilium meum est, ut exercitus noster ibi collocetur, ubi depellere ac distinere hostem possit, unde etiam in omnes partes ire subsidio, prout quaeque loca obsessa erunt. Et quia Dux Ghisae cum exercitu suo per Brutios haud dubie viam tentabit, censeo regionis ejus oppida & arces in primis esse muniendas, munienda simul oppida, quae Metropolim hanc circumstant, idque ob multa incerta, quae bellum quotidie afferre potest.*

Admodum diversae sententiae dictae sunt ab aliis, qui in Consilio erant; sed quia Dux Albae in hanc Gonzaghae sententiam ibat, nemini ultra verbis contendere opus fuit, statimque ad munienda per Brutios oppida, Trevici Demarchus, qui provinciam cum imperio obtinebat, est dimissus. Ei mandatum ut pecora, & frumenta in urbes munitas ac Theate praesertim, quae Regia Brutiorum erat, comportari juberet hominesque ipsi ex agris ut simul commigrarent. Si quid comportari non posset, occultaretur aut absumeretur igni, ne aleret hostem. Lopius Mardones in eam provinciam una cum Demarcho Praeside est profectus, & muniendas insuper urbes alii Principes exercitus habuere, Sanctae Florae Comes Capuam, Vespasianus Gonzaga Nolam, Garsias Toletus Venusium; si quid alicubi non placeret emendandi vel tollendi potestas Ascanio Corniae permissa erat; exercendo militi delecta sedes ad Theate. Ibi per aliquot dies assuevere, qui tirones erant, subire ad iniqua loca; mutare in cornua pugnam; servare ordines, excurrere subito in hostem, ac sese recipere; quaeve alia insueta rudibus, levi momento magnas saepe victorias inclinavere. Turca, ne interim ab sua parte molestus esset, dimissi per utriusque maris oram viri nobiles, qui stipendiis Regis alebantur, & ad omnia opportuna loca per solitas custodias excubare jussi.

Hoc rerum & consiliorum apparatu Gallicus exercitus exspectabatur, quem Dux Ghisae per nivosas Alpes traduxerat in Taurinos ingenti miseria ac labore. Profectus enim ab domo circa Januarii mensis exitum inciderat in gelidos Februarii dies etiam ad campestre iter incommodos, & mollia Gallorum corpora non parum is labor afflixerat. Animi quoque tentati erant, nisi quod venire sese ad capiendam Italiam laetabantur. Decem millia peditum, tria equitum fuere, in quibus Helvetii sex millium numerum explebant. Dux Umalae frater Ghisae Ducis, prima post Imperatorem potestate exercitum eum regebat. Ductabat Helvetios Brisachii Comes, Dux Niverni praeerat Gallis: Lipersius & Jabaresus Magistri equitum erant: signa, & vexilla omnia pictas habebant claves, quae sunt insignia Pontificatus, & summus honos Apostolorum Principi. Eo se argumento venire ad liberandam Ecclesiam profitebantur.

Dux Ghisae, posteaquam cum hoc exercitu stetit in Taurinis, primum omnium ex Praefectorum numero certum hominem misit, eumdem Romam, eumdem Ferrariam, qui rebus omnibus inspectis & probe consideratis, referret, an ad foederis conditiones parata cuncta invenisset, & an esset in utraque parte spei satis ad res eas perficiendas, quarum rerum causa in Italiam venissent. Idem homo litteras attulit ad duos Regulos Urbinatem, & Parmensem, per quas enixe petebat, ut Gallico exercitui per suos fines transitum darent; ituros cum bona pace & modestia nihil violando, & persolvendo pretia rerum omnium, quarum copia transeuntibus fieret. Haud gravate concessere, sive quia non poterant arcere Gallum, sive quia Romanum timebant.

mebant. Et Parmensi Purpurati duo fratres erant reliquiae Pontificatus, qui domum eam extulerat. Hi, ne capite suo luerent Pontificis iras ob negatum Gallo iter, Farnesius verebatur.

Damnabat fama Cardinalem Tridentinum, & Piscariae Demarchum in eo, quod timerent tantopere Gallorum irruptionem, & ad impediendum ex Taurinis iter obtorpuisse animis viderentur. Cur enim non exire cum exercitu ab Mediolano ipsos, & angustias obsidere, per quas venire Gallum necesse esset? Id dictu, quam factu sicuti pleraque facilius erat. Nam cum Subalpina Regio, per quam hosti transitus parabatur, aut assurgat in colles, aut flexibus vallium implicetur, fluminaque passim objiciat divisa multiplicibus brachiis, inaequali fundo, & silvestri riparum vestitu; ad singulos anfractus faucesque & crepidines, ad singula vada & ostia fluviorum, & maeandros objici manus armatorum oporteret, exercitumque dividi, quod anceps in tanta paucitate, nec ideo prohibuissent. Tot undique aditus patebant: tot etiam ingenia & artes, & novos conatus afferunt secum, qui facere sibi per negata viam volunt. Reperiunt vada & diverticula inexcogitata defensori transitusque vel clausos ab natura, vel abditos aperit sibi necessitas aut videt. Casus ipse saepe patefecit, aut monstravit iter, agrestesque temerarii, veluti casus alter, contemta patriae suae pernicie indicavere tramites hosti. Sic Poeni & Cimbri superavere Alpes adversus Romanos, sic Romani ipsi per Olimpum Caladranumque montes deducti a pastoribus, Philippum Macedonem prius, deinde Antiochum invenere, qui sub montium eorum tutela, velut interposita naturae ipsius fide, sese impenetrabiles credebant. Nec vis alia Carolum V. trans Albim tulit; ac nihilo minoris violentiae flumen Abduam Lotreco opposito Prosperus Columna cum enatasset, miraculo fuit Galliae Regi, cui data fides erat, nusquam esse trajecturum. Cum per impedita & ardua loca transire conatur hostis, aut pares objici copias oportet ne transgrediatur, quae tunc non erat apud Hispanum facultas, aut si transierit, sic firmata praesidiis haberi omnia, ut illud ipsum transisse vanum fiat.

Galli, trajecto Dora flumine pars circa Padum substitere, pars tetendere ad Cassalem, quam in Monte ferrato Urbem habebant, atque per regionis ejus pagos divisi, nocturno tempore aggressi pontem, quem Hispani in Stura amne fecerant, ut adimerent hosti Cassalis Urbis opportunitatem, post gravem pugnam cum Emmanuele Luna, qui ibi in praesidio erat, incensis circa pistrinis, dissipavere pontem eum, & quatuor armatis navibus transmisere flumen.

Iter deinde habebant ad Vercellarum urbem, quod ubi Cardinalis Tridentinus accepit, mittitur ab eo Joannes Ghevarus cum fistulatorum ala properum urbi subsidium, priusquam hostium exercitus ad illa moenia circumduceretur. Sed cum Galli mutato consilio repente inde avertissent iter, viderenturque Alexandriam esse petituri, Ghevarus etiam flexit, ut anteveniret Alexandriam, monente Lopez Acunia ne faceret; nam posse rursus Gallos flectere ad Vercellas, & ab Cassale deinde prohibere subsidium. Ghevarus tamen cum sua ala (quadringenti, & quinquaginta equites erant) Alexandriam intravit. Galli neque Vercellas, neque Alexandriam, sed ad Valentiam iere, cumque Pontificis nomine ab oppidanis exercitui commeatum petissent, posteaquam non dabatur, quatere tormentis oppidum instituunt, quod a Spoluerino Praefecto praesidii deditur quinto post die. Ibi substitere per aliquot dies Principes Gallorum una cum exercitu, vel ob necessariam quietem, ut reficerentur ex itineris labore, vel ob consilia, quae in terra hostium jam subjecta oculis, capienda erant.

Consilia autem haec fuere: Brisachius ut in Taurinos ad duplicanda praesidia, custodiasque intendenda rediret, ne aversis ipsis ad majorum rerum conatus detrimenti aliquid in ea parte acciperetur, postea veniens ipse ad exercitum, Termessensem ibi Dynastam relinqueret: is non desineret observare tempora & occasiones carpendi Mediolanensem provinciam, & omnia quaecumque posset, damna inferendi. In id ipsum ab Santiaco Biragus, ab Cassale Vincercatus ut imminerent. Ghisa ipse cum exercitu Ferrariam ire debebat, assumturus ibi secum auxilia, quae Regulus ille ex foedere parata haberet. Haec ad Valentiam consilia Gallus inierat. Roganti Cardinali Tridentino per legatum, quid ita locum eum occupassent; atque repetenti sui Regis nomine, monentique ut abirent, negaverant praecise & responderant, Pontificiae ditionis esse locum, & liberos illac apertosque aditus ab se praestari oportere.

Pergit inde Ghisa cum exercitu ire in Placentinos, Neapolitanumque capessit iter, liberata ingenti metu Provincia Mediolanensi, quam si tunc invasisset, minime dubitant, quin aliquanto felicior potuerit esse repentina haec & fortuita expeditio, quam altera illa, quae gentem armarat. Adeo scilicet infirma fuere omnia cum Regentium inter se discordiis, tum Provinciae ipsius conditione, ob superiora bella, quae sobolem militarem, privatorumque fortunas afflixerant. Enim vero, suo raptus impetu & festinatione Gallus transit pacato agmine Mediolanensem agrum admirantibus interea securitatem suam qui cohorruerant praesentis terrore belli, variaque fuit fama, cur omissa, quae in manibus erat, occasione Galli sic abissent. Distulisse, non omisisse negotium dicebantur; foederis lege praevertendam illis esse Neapolim, postea Mediolanum ituros. Vere fuit celeritas insita genti, sicuti est dictum; & ubi longinqua penitus occupavere animos, praesentia negliguntur.

Et Cardinalis Tridentinus cum aemulatore suo collega, postquam id quod sibi exspectarant, alio transire discrimen viderunt, terrorem ultro inferre statuunt hosti, quo celerius abiret, idque ipsum tentavere prave atque inconstanter, sicuti discordes oportebat. Nam Cardinalis cum exercitu collectitio ac tirone Binascum usque persecutus, tumultuaria illa manu passim a signis abeunte, retro vertit iter, & collega Davalus, misso ad insequendum Caesare fratre cum Italico equitatu, mandavit ei ut ne Padum transiret. Atque cum debuissent in primis cavere ne quid alendo hosti relinqueretur in agris, rerum omnium copia quasi de industria relicta in aperto est. Ita Galli, neque lacessiti, neque lacessentes iere per hostium terram cum partis utriusque dedecore, nisi Gallus ad majoris spei certamina properus raperetur. Fama fuit etiam, Davalum contemnentem Insubriae arma, & iniquo ferentem animo, quod sui nominis fortuna penderet ex tam exiguis viribus, egisse ob eam rem pleraque velut indignabundum, & velut invidentem eorum fortunae, qui defensuri Regnum erant. Ibi arma & gloriam, ibi Catholici Regis vires esse, ajebat.

Cum jam Galli expedito agmine praetergressi terras hostiles tenderent in foederata secum terra, exierat induciarum dies, quas Romanum inter & Hispanum factas fuisse memoravi. Sub eum diem, Romani & Hispani pari sollicitudine intendere animos, illi ad recuperanda quae amiserant, hi ne quid amitteretur. Et auxerant Romano spem conjuncta jam prope foederatorum arma, iras alteri parti, quod eam ipsam conjunctionem quaesitam fuisse per inducias, etiamsi antea non suspicati essent, nunc videbant. Sed feliciores in nova spe, novoque armorum robore fuere Romani, quam Hispanus in sua ira. Nam cum Dux Albae Populi Comitem, & advectas nuper ex Germania copias in Latium misisset, profectus in Brutios Comes ad visenda suae ditionis loca, Pompejum Columnam pro se reliquit haud parem ipsi ducem.

Cumque miles ille post navigationis incommoda languens atque invalidus ad belli munera minime aptus esset, ab Roma & militi suo assidui duces, & parati milites ducibus venere, strenueque ac providenter Alexander Columna & Cencius Caperuchius aggressi Pipernum & Rocaseccam recepere, quo successu recepta simul est pars Romanae auctoritatis, opinioque de consiliis & viribus Carafarum refecta, cum antea pene tota

tota concidisset. Iidem ad Gallicanum equos aliquot Hispanorum abduxere, Zagarolamque contendentes aequis manibus pugnavere cum praesidio, quod ad tuendam Papae Arcem (id loco nomen) ducebatur. Ac ne quid ab Romanis hoc tempore improspere tentaretur, obsessa per Palliani Ducem, & Petrum Strotium Ostia recipitur, dedente Hispano haud sine sanguinis injuria, cum quo prius capta erat.

Dedita Ostia confugere Hispani in Castellum, quod in Insula excitatum habebant. Ibi quoque obsessi a Strotio, majore impetu, quam ut diutius tenere locum possent, coepere simul obsideri Tiberis ipsius violentia, qui coelestium aquarum auctu restagnavit late per munimenta castelli, opplevitque cuncta limo, & copiam universam tormentarii pulveris inundatio illa madefecit ac corrupit. Accedebat vero etiam atrox ille novae deditionis stimulus, & metus ingens, quod poterant levi machinatione hostes immittere Castello tantam aquae vim, ut omnia ibi repente submergerentur. Itaque pacti ut cum suis armis ac vestimentis, & duobus muralibus tormentis abirent, transiere ad Neptunum, infami postea suspicione apud Regem Philippum, tamquam pretio accepto deditionem eam fecissent, quae suspicio Urtado Mendocio deditionis auctori, stetit capite.

Plane resurrexisse Carafarum res ob hasce victorias videbantur, & omnino inflaverant hi successus in ea parte animos magis etiam, quam negotia ipsa erant. Mox aliae secundae res evenere, quae spiritus ibi novos facerent, Hispanique formidati nuper, jam haud dubie contemnebantur. Nam Tusculanum & Grotaferratam & Marinum, haud majore quam Ostiam certamine recepere Hieronymus Fracapanis & Franciscus Villa, dignus uterque vetere Urbis fama, & multum celebratae virtutis etiam inter hostes.

Castrum Gandulphi, quod vocant, non tam ea Romanorum virtus, quam unius perfidia, qui in praesidio erat, cum aliquamdiu paribus animis oppugnatum, defensumque esset, expugnavit. Aufugiens enim inde Centurio cohortem suam abduxit, & deditio facta per ultimam necessitatem ab Thoma Epiphanio, qui arcem eam tuebatur; ac proditor deinde ille valde expetitus Hispano ad exemplum, profugus ad Venetos iras vitavit in Urbe, quae receptaculum desperatis etiam omnibus semper habita est.

Defecere ultro haec ad Pontificem loca, Canismortuus, Canralupus & Rabbienum, & ad Sanctum Paulum coorti repente agrestes, Hispanorum cohortem caecidere, Tiburque ipsum Strotius & Carafa Dux Palliani, magni momenti urbem, nec satis valida manu defensam invadere parabant. Quae cum sic affecta & mutata adveniens ex Brutiis Populi Comes invenisset, haud facile quid consilii caperet, explicabat. Nec satis copiarum habebat ipse ad rem gerendam, & Germanicae cohortes aegrae & attenuatae ne nimium fatigarentur, ab Albae Duce mandatum erat.

Quae non desciverant adhuc oppida vel castella, tam avide circumspectabant deficiendi tempus & occasionem, ut aviditas ipsa non lateret. Quidquid damni rebus accessisset, gravius, quam pro re damnum foret, atque in periculo praesertim erant Frusino, Talliacotium, Sabbiatum, & Anagnia, ne, scilicet, vel oppidano impetu ac tumultu restituerent sese Romanis, vel impressione levi caperentur. Ante omnia sollicitabat animum Vicovari amittendi metus quae veluti claustra regionis ejus erant, & excludi defensione caeterarum urbium Hispanos apparebat, si Romanus ea claustra recepisset. Itaque Populi Comes propere contendit illuc antequam excluderetur, munitoque per biduum loco, & relictis ibi Petro Castellano, & Gometio Turrensi, cum reliqua manu ipse ad Aviolum, & Auriolam pergit ire, ut ibi ad omnes hostium motus excubaret.

Vix ille a Vicovaro digressus erat, cum successere Romani, & cinxere Oppidum majore numero, quam qui posse sustineri videretur ab illis copiis, quas Populi Comes habebat. Non itaque ausus ferre subsidium laborantes in ultimo discrimine Hispanos ex propinquo nequidquam spectavit, qui rejecto aliquamdiu fortiter hoste, posteaquam ipsi pellebantur, in arcem concessere. Tunc admotis ignibus, incensaque porta Romanus irrupit, & Aquitani milites ab implacabili ira, quod suorum aliquot inter eam oppugnationem cecidissent, saeviere flamma & ferro, totumque ibi genus Hispanorum occidione delevissent, nisi Petrus Strotius imperio suo furorem eorum inhibuisset. Interfecti tamen prima irruptione nonnulli; septuaginta in vinculis missi Romam, quos Pontifex Paulus pecunia insuper donatos solvi ac dimitti benigne omneis jussit, addiditque grave hoc & Pontificale verbum; non se captivitatis aut sanguinis ullorum hominum indigere, nec ob aliam sitim gerere bella, quam ut imperium Ecclesiae conservaretur.

Perculerat ea clades magnopere Hispanos, & quasi patefacta in Regnum videbatur porta, si Romani rerum cursum persecuti essent. Sed contenti exterruisse praeterea Sabiacum, Antiochumque diripuisse, nulla alia re tentata, domum rediere, quod viri militares non levius fuisse flagitium ajebant, quam quo Dux Albae Romam principio ipsam e manibus omisisset. Hae fuerant subitae per Latium expeditiones Romanorum invicem Hispanorumque, statim ubi finis induciarum utraque arma commoverat, ac liberarat. Neque Dux Ferrariae destiterat interea quibuscumque posset rebus addere robur foederi, & carpere hostium vires. Oppidum Sigismundi Estensis, quod D. Martini Oppidum dicitur, nudarat moenibus, propterea quod gentilem illum suum stare ab Hispanis videret. Corregii dominos repente aggressus coegerat fidem & obsides dare sibi, Ferrariamque secum eos abduxerat. Novellariae Comites item subegerat, & tentata Guastala, Fernando absenti minitatus esse credebatur.

Galli, sicuti per Mediolanensium fines pacate ac quiete transierant, ita hospitaliter & amice, quacumque Farnesius imperitabat, incessere, delatis ultro in viam omnibus, quis homines & jumenta reficerentur, atque ut constaret hospitii fides, venditoribus earum rerum praesenti pecunia large satisfiebat. Ghisam ipsum Princeps ille a primo imperii sui fine ad extremum usque limitem sic excepit, prosecutusque est omni hospitalitate & aulici ministerii splendore, ac magnificentia, ut quasi Regiae domus imaginem sisteret ei per totum illud iter.

Lencia flumen est, ab origine sua modicas trahens aquas, quoties pluit, late intumescens, ejusque vago & incerto alveo dirimitur ab Aemyliae viae ingressu terra flos Italiae, quae barbarum adhuc ex Longobardorum olim dominatione cognomentum servat. Ad fluminis ejus pontem cum Ghisa processisset, stetit in pontis Imperiique sui principio Dux Ferrariae circumfuso, quantumcumque efficere potuerat, exercitu, nec parva congredientium inter se Ducum eo die species fuit. Namque Ferrariensis Reguli filiam in matrimonio Ghisa habebat, ac certavere Gener & Socer omni rerum ac verborum honore, ut invicem alterum anteponerent, & sua utrumque nobilitas circumstabat. In eo congressu, tradebat statim Socero Gener militaris Imperii sceptrum ambitiose professus ea insignia deberi illi, quippe cum & foederatorum exercituum Imperator, & Galliae Regis legatus in Italia esset; id ipsum deinde Genero Socer haud minus laeta adulatione restituebat, ajebatque, debere patri filium obedientem esse, ne recusaret. Is certamini congressuique finis, quo Reguli duo, Regum prope speciem eo die velut in scena aequavere.

Rhegium inde conjunctis exercitibus vadunt, aviditate colloquendi, ardore vultus, & crebra capitum ad alterius vicissim aures, quantum ex equis poterant, inclinatione, manifesti procul etiam intuentibus de qua re sermocinarentur. Ubi Rhegium pervenere, exspectatis ibi Cardinale Carafa, & Petro Strotio, & Lodebarensi Dynasta, qui Galliae Regis legatus apud Venetos erat, de ratione gerendi belli consilium habuerunt. Ibi quoque sententiis valde certatum est, & necessitudinis ejus concordia, quae Ghisae cum Estensi intercedebat, pro-

procul abfuit, cum de Imperii rebus ageretur. An fortasse minime discordabant, & oportuit simulari contraria ipsorum studia, opinionesque diversas, ut per aliorum sententias agerent ea, quae secretis inter se consiliis machinati erant.

Ajebat Estensis, invadendas esse urbes, Parmam, & Placentiam, & Cremonam, & Ticinum, quae deinde urbes si a Pontifice Maximo sibi attribuerentur, posse liberum & securum ab ea parte succedere Urbi Mediolano, remque ita sine dubio peractam fore, quae summa omnium rerum esset. Posse ipsum ab Ticino, posse Brisachium ab Casale infesta facere omnia, & nullo negotio capere Metropolin, sine qua fluxum & instabile esset quidquid in Italia possideretur. Esse praeterea in potestate Valentiam opportunum instrumentum tantae rei. Nequidquam postea, si tunc cessaretur, id ipsum increpaturos esse, quod cessassent. Ghisa socero suo discors ad Imperii negotia, quae semper omnem sanguinis caritatem excludunt, eaque inter Principes antiqua lex est confirmata mutuis injuriis, sive maxime concors idem, & sumto dissidio, quo promtius caeteros in illius sententiam adduceret, negavit de Placentia & Parma quidquam debere tentari. Farnesium enim, licet cum Catholico Rege rediisset in gratiam, animo tamen & fide magis deditum esse Galliae Regi; Gallum quin etiam esse ipsum, & gestare D. Michaelis insignia, in quem Ordinem ob merita cooptatus fuisset. Se per illius fines nuperrime incedentem, tam prolixa, & larga, & amica reperisse omnia sibi, exercituique universo, quam si per mediam Galliam iter haberent; cum hostibus, non cum amicis atque consanguineis gerenda esse bella.

Ajebant alii, posse Farnesio omisso, Placentiaque & Parma intactis, duci protinus ad Cremonam; Brisachius ab Casale Mediolanensem agrum invaderet; ipsi per Abduae fluminis gyros cum victore exercitu superfunderentur. Sin autem difficiliora negotia essent, casusque aliquis destinata impediret, posse tamen Casale munito, dispositisque circa Abduam Rhaetorum quatuor millibus, quae mox adfutura essent, urgeri bello Mediolanensem Provinciam, ali militem eum ex hostico, obsideri fauces & itinera, ne qua hostibus venirent auxilia Germanorum. Copias, quae cum Cardinale essent, & mille praeterea equites ad distinendum Albae Ducem statim esse mittendos; in tempore subsequi totam exercitus molem; sic Hispanum depelli finibus Italiae, cujus rei causa foedus initum.

Non placebat haec sententia Ferrariae Duci, propterea quod longum fore negotium, & involvi sese necessitatibus alendi tam vicini belli, terramque suam apertam ab tergo relinqui Mediolanensibus, & Florentinis, & Parmensibus armis videbat, si sic Neapolim iretur. Cardinalem Carafam offendebat omnis sententia, quae suae ad spes Neapolitanas festinationi adversaria esset; denuntiabatque idemtidem, & profitebatur, sic mandasse Pontificem, sic in sanciendo foedere convenisse, ut universae foederatorum vires in Regnum Neapolitanum incumberent, si mora foret injecta, si distrahendo minueretur exercitus, nec Apostolica decreta, nec foederis fidem, nec denique custodiri militarem disciplinam, quae summa discrimina divisis adiri copiis vetaret.

Ad ipsum deinde Ferrariae Ducem conversa nominatim oratione, postulare coepit, ne privatarum rerum respectu publicum bonum impedire vellet; si foederatis ad Ecclesiae tutelam armis exitus foret ille, quem sperari oporteret, fore simul ei Principatum non incolumem modo, sed florentem quoque & auctiorem, & beatum. Proinde Dux & Imperator foederis appellatus, ne deesset fidei suae, quam per id nomen obligasset. At ille, cum ita persuasum haberet, expeti, sese non magis ob aliam causam, quam a pecuniae suae fama, spemque & sollicitudinem ingentem illuc respicere, Cardinali satisfecit, pauca haec locutus: *Est sane mihi animus, nullo loco destituere pro mea parte pia haec arma, quae Christianorum Principum officium, & necessaria Ecclesiae defensio sociavit, ac junxit. Et educere nobiscum exercitum, & corpore hoc miscere certamina paratissimus, ubi quidem constituta rerum nostrarum securitate vocemur ad bellum, appareatque non projici domestica, & propria, dum externa, & aliena sectemur. Quod si ita descendendum est ad Neapolitanam istam expeditionem, ut dum nos longinqua bella regimus, urantur, capianturque haec ab hoste, qui circumstat, sive Florentinus volet, sive Parmensis occasione uti; sive ab Mediolano, sive ex Germania malum ingruat; non debere cuiquam displicere arbitror, quod aliqua etiam hujus patrimonii cura tangat animum nostrum. Copias tamen, quas habemus, & pecuniae quantum opus erit, & tormenta, commeatusque gerendo Neapolitano bello praebebuntur a me libenter, ultra quae nescio an optari aliud possit. Venire ipsum, ut postea pervastante terram hanc hoste, redire trepidus cogar, nec foederi communiter, nec mihi privatim utile futurum est.*

Haec dicta sunt ab Estense de pecuniis ac de commeatu, quia delinimento objecto illo, placari sui desiderium credebat. Ac dicente unoquoque sententiam in eo Gallorum concilio, prout ferebat suum cuique studium, & voluntas, minime Neapolim in praesentia, sed urbem Senarum esse adgrediendam Strotius ajebat, eique assentiebantur Mandaeus, & Monlucus, & Forquibraccus praefecti turmarum aut cohortium, quas in Provincia Senensi dispersas adhuc Galliae Rex habebat. Unica horum erat ratio ex facilitate rerum, aut difficultate tamquam ea momenta retraherent quidem ab Neapoli, ad Senas autem vocarent; ac super omnia dicebatur, esse nomen Hispanorum invisum Senensibus; si Gallica tantum vexilla conspexissent, caeso praesidio dedituros urbem. Huc etiam Ghisa tendebat stimulante socero, quo sicuti Placentiam & Parmam, ita Senarum urbem desponderat sibi, & eorum ritu, qui res magnas immoderate concupiverunt, habere jam se Urbem arbitrabatur, si Galli haberent.

Quas Principum varietates atque declinationes a foederis fine videns indignansque Cardinalis Carafa, tamquam ipse privati nihil sequeretur, ita monuit graviter, ut cujus rei causa societatem illam armorum quaesitam esse recordarentur, ea res ut etiam prima in animis consiliisque esset, ac reputarent exercitus insignia, Claves illas Apostolicas vindices fore, si ferrentur alio, quam Neapolim, sicuti Pontifex Maximus & Galliae Rex voluissent. Movebatur his Ghisa socerique rursus oblitus, ajebat, mandatum sibi a Rege esse, ut cum eo exercitu recta Neapolim iret, & aliae super alias literae Pontificis aderant, rogantes Gallum ut maturaret, moramque demirantes tamquam increparent, nec ultra dubitatum.

Statim ab Rhegio Bononiam exercitus ducitur, ut inde Regnum invaderent, qua maxime visum esset via; Cardinalis & Ghisa exercitum secuti. Dux Ferrariae, relicto pro se filio Ferrariam rediit: inde per Padi fluminis alveum transmisit Anconam tormenta, quae prius habuerat ipse, quaeve capta Mirandula suppeditarat. Bononiae, cum non videret Ghisa bellicos apparatus, qui descripti semper in sermonibus affirmatique fuerant; Cardinali hoc verbum dixit: Non constare fidem quae Regi suo data esset: eoque verbo perculsus Carafa respondit: esse Marcum Antonium Tiraldum in Piceno conscribentem peditum copias; eum, decem millibus effectis in Asculano agro jussum occurrere; nec ideo Ghisa quatere caput desierat, sive quia contentus apparatu non esset, sive quia per eam expostulationem struebat locum querimoniae graviori rupturae verecundiam, ut mox ad postulatum descendere ingens posset, habendi urbes aliquot ex Pontificis Imperio, quae sibi exercituique suo adversus incerta belli perfugium praeberent. Id enim deinde postulavit, & quia non impetrabat, mutuae offensiones coortae, queis raro foedera ulla caruerunt.

Nunc Ghisa jecisse aliquid, & viam fecisse contentus, occasionem, quae non procul aberat, operiebatur, & illico nata est in hunc modum. Consultabant de itinere belli, tentandoque ad Regnum aditu, ac variae etiam ibi sententiae coeptae dici, prout multiplex erat via,

via, quae agmen admitteret. Laudare Ghisa magnopere eam, qua per Latium ad Sanctum Germanum iretur, ac dicere, pugnam ad Lirim amnem suae genti cessisse olim infeliciter, quia non hac via, sicuti destinarant, intrassent. Negare alius aptissimam hanc esse viam ob Anagniam atque Frusinonem, munitas urbes ab Hispano, frontemque totam illam obtinentes, nimium temporis esse absumendum, ut ea munimenta superarentur. Per Sabinos potius, aut ab Reate ad Civitatem Ducalem, sive ab Vicovaro ad Talliacotium praestare bellum admoveri. Rursus huic sententiae, montium asperitas invia tormentis, & impedita equiti opponebatur. Electa est via, quae ab Firmo, & Asculo, & Civitela Tronti per campestria & aperta & tuta pandere sinum agmini videretur. Atque hic ingressus Carafa magnificam & bonae spei plenam orationem talia quaedam disserebat: Posse Hispanum opprimi subito nec opinantem; nondum eum satis muniti habere quidquam, incendisse per Brutios, ac diripuisse cuncta; trepidaturum suo ipsum tumultu ac solitudine, quam fecisset; ipses ex Piceno, Carafarumque terris habituros non ad usum modo quod satis esset, verum etiam quo mercari vel capere famem hostium possent; quae ausa defensionem oppida essent, saeve atque crudeliter tractando, affecturos terrore, ut caeteri clementiam experiri mallent; sic totam illam Brutiorum Regionem in potestatem esse venturam. Vos deinde Galli transibitis in fertiles Italiae campos (ajebant) &, sicuti vester olim Lotrecus, ibitis ad Neapolim cingendam obsidione. Nos cum exercitu nostro ab Latio prememus hostem, ut dividere vires cogatur in utraque parte futurus impar, victoriaque, Deo favente, in manibus erit.

Cum ea Cardinalis dixisset; Bene habet, inquit Ghisa, sed mei Regis exercitus ut sese dimittat in tanti discriminis aleam, aliquanto certiora pignora securitatis requirit, quam verba ista, quae nobis in umbra victoriam fingunt. Antequam arma nostra moverimus, censet exercitus noster, aequum esse, dari sibi Civitatem Veterem & Anconam, ne vagus & inquilinus pendeat ex alienae fortunae momentis, sed aliqua certa sede consistat.

Cardinalis attonitus hoc postulato, volvebat in manifesta trepidatione nonnihil etiam irarum; sed quiete ac modeste agere, multa simul cogebant. Excusavit, Ecclesiastici Imperii claustra esse illa nec sibi tantum potestatis a Pontifice suo permissum. Excessit deinde Ghisa sive concepta prius & dissimulata, sive tunc orta indignatione, Pontificemque ipsum increpavit, dubia semper erga Galliae Regem fide, pericula tantummodo cum eo communicantem, ubi praemiorum ac beneficentiae tempus venisset, immemorem praeteritarum, praesentiumque rerum gratias potius alienas circumspicere. Nuper in supplendo Collegio, creandisque Cardinalibus quotam partem tributam esse Gallo? cum decem in nova Purpura comparuerint, unum Strotii fratrem apparuisse, cujus honos aliquam esse Romae Regis Henrici gratiam testaretur. Pleraque etiam alia dixit iracunde ac dolenter de perversa belli totius administratione, consiliique praeproperis aut tardis, & impare conditionibus ac promissis apparatu, & quemadmodum ruere in praeceps videret omnia, nisi gravius aliquanto sapientiusque res instituta foret. Memoravit, quanta caeterorum dissensione, se uno tendente, exercitus ille in Italiam venisset ad tam longinquum bellum; & quinque mensium spatio quam parva res esset effecta, contemnens, obscurum Valentiae nomen exprobrare institit. Corrupta differendo & prolatando beneficia, quae prima sors obtulisset. Consultari multa inter Ecclesiasticos, nihil geri, nisi forte rem gerere hoc esset, aliquid eorum recuperare, quae prius amisissent. At apud hostem strenua cuncta, & expedita, & ad Italiae suae defensionem cum Hispanae factionis Principibus excubare Catholicum Regem animi consiliique praesentia, licet in diversa terra agat. Jam pervenisse in Lombardos vexilla, cohortesque Germanorum, alias exspectari, quas Florentiae Dux ita descripserit per oppida sua & castella, ut ne in parte quidem illa quidquam opportuni & aperti sit futurum. Haud mirum esse, quod haec omnia celebrata per militares etiam circulos, segniores fecerint animos Gallorum. Nam semper exercitum eum, qui videat deesse consilium aut felicitatem apud Principem, pro quo sit ipse pugnaturus, frangi animis ac debilitari. Cum haec & alia in Carafae Duce, dicerentur, fuit apud omnes admiratio sermonis ejus, non solum ob libertatem, quae nimia videretur etiam in homine Gallo, sed quia nonnulli aderant ex eorum numero qui prolixe ac magnifice de Romano foedere concionantem eumdem audivissent.

Non tamen offensione interposita illa fuit minor in eum adulatio, posteaquam Romam venit. Pontifex & proximi, pudendo honore, Italiae liberatorem nuncupavere Ghisam, & qui intemperantius, ineptiusque adulabantur; dixere, Numen illum suum esse adversus Hispanum hostem. Ille vero quamquam laetus tam effusis erga se studiis hominum, disseruit nihilominus libertate sua, cum adhuc apud Pontificem de Neapolitano bello consultaretur, eratque sententia ipsius in eo Consilio sicuti modestia verborum lenior, ita gravior etiam ad deterrendos ab ea expeditione animos, & abesse videbatur ira, quae ad Bononiam asperasse Ducem credita fuit. Ajebat, sera esse nunc in Hispanum arma, quia dato spatio, ille sese Regnumque firmasset, omnemque clausisset bello viam, contra quam nonnulli crederent, aut credi vellent. Non tantum interjacere terrarum, ut famae credi omnia oporteat, augenti mendaciis suis vires hostium semper, aut minuenti. Moenia & arces, & novarum molium objectus, & disposita per muros tormenta, praesidiaque & magnitudinem exercitus, & omnia conficientes pecunias, quemadmodum habeat Hispanus, praeterquam quod in tanta vicinitate ignorare nulli Romanorum possint, etiam ex quo venerit ipse in Italiam, cognovisse nimis fortasse, quam vellet, & comparando ad eam notitiam ea ipsa, quae per Ecclesiae fines invenerit, ita affectum esse, ut poeniteret simul animum suum & puderet. Amicos insuper & exploratores, quos in Neapolitano Regno habeat, tristes sibi mittere litteras de hominum & Principum illorum erga Regem Hispanum fide; nulla defectionum initia, quae speratae fuissent; nullos cerni rerum motus, cuncta pro Hispanis obstinata. Proinde se auctorem esse vertendi arma illa in Etruriam, aut in Lombardos, qua in parte minus virium hosti, sibi majores opportunitates ad vincendum, nec minus gloriae si vicissent. Erant haec uti dicebantur; sed quoniam ab Neapolitana re abibant, accepta pro vanis.

Ghisa, cum nullum esse dissuadendi locum videret, memor ejus, quod ab Rege mandatum habebat, ut Pontificis nutus ceu sua imperia sequeretur, id ipsum professus haud ultra tetendit, eventumque Neapolitani belli, suam fore gloriam, aut dedecus existimans, prospere seu contra cecidisset, tanto intentior agebat. Decesserat jam ex illius animo jurgiorum amor adversus Romanum & insita dulcedo increpandi errores alienos, totus jam sui negotii, suique discriminis erat magnopere anxius, ne si domum rediisset inanis, aut cum clade, reliqua deinde vita sic adspiceretur Regi suo, quomodo consiliorum infelicium auctores a Regibus adspiciuntur.

Praeter caetera momenta Neapolitanae expeditionis, satis hactenus repraesentata, sicut arbitror, hujus nostrae narrationis ordine & cursu, considerabatur a prudentibus viris ingens illa Ghisae Ducis calamitas, & magnus in suspicienda re error, quod cum praecipua & validissima pars Regni posita sit in maritima ora, cumque Hispana classis major, & numerosior, quam Gallica, mari eo potiretur, non advertisset animum rei, quae victoriam haud dubie continebat. Alii, non vecordiam eam fuisse Ghisae Ducis ajebant, sed casu quodam improvido factum, ut Galli repente ad maritima pericula impares reperirentur, habituri exitium ob eam rei navalis inopiam atque destitutionem, sicuti sermo hominum erat.

Cum enim Solimanus, Turcarum Imperator, centum navium classem Regi Henrico pollicitus fuisset, ejusque promissi fides, & constantia, dexteritate Regii Legati, cui magna gratia cum Rustano Baxarum Principe intercedebat, aliquamdiu aleretur, immutatus forte Regius apud Turcam legatus, missusque pro Condonniaco Vinea quidam Rustano invisus, & stolide arrogans homo, Solimani animum & promissi fidem suis modis alienarat. Accesserat insuper ad corrumpendam omnem in Turcica Regia gratiam, illa in Rustanum Baxam injuria, quod, cum magnam pecuniae vim ille in Lugdunensibus argentariis occupatam haberet, annuis ejus pecuniae fructibus & usuris fraudabatur, ob quam indignitatem, ipse vicissim, id, quod de mittendo contra Hispanum classe convenerat, impedire studuit, & erat assecutus. Haec igitur, ut dixi, maritima repentina destitutio, ubi nota erat, elevabat impositam Ghisae Duci famam imprudentiae, ubi non erat nota, famam eamdem augebat.

Ducem varii sermones hominum, sed multo magis res ipsa stimulabat ad quaerenda undique omnia, queis vulnus & malum illud sanaretur, conceperatque animo grande rerum momentum, ut Florentiae Regulum abductum a Catholico Rege alliceret in partes. De ea re collocuti diligentissime inter sese Ghisae Dux, & Cardinalis Carafa, quamdam hujusmodi artem adhibuerunt. Dissipant primo pervulgantque velut arcanum; dari Medicaei filio filiam Henrici Regis; nuptialia pacta convenisse haec, ut sponsa dotis nomine provinciam Senensem deferret, sponsi pater Gallico Romanoque foedere illigaretur; hujus famae principia sic instruunt, ut per alicujus ministri fraudem ex occultis fluxisse consiliis vel intercepta per explorantium astutias credi posset, indexque tam arcanae rei pretium etiam speraret. Sic nimirum transmisso ad Regem Hispanum rumore jecerant semina suspicionum, ut dissidium nasceretur. Ipsum deinde Florentiae Ducem aggrediuntur illius pollicitatione matrimonii cum ea, quae dicta est, dote, & aculeatum insuper verbum addunt, nisi acciperet ipse conditionem; diceret libere ut cum Ferrariae Duce conditionis ejusdem avido quamprimum transigere Rex posset. Id erat captare artificem & struere dolos ibi ubi talium rerum officina semper caleret. Petito spatio temporis ad exsuendum aurei velleris insigne, quo pignore obligatam Hispano fidem haberet, confidere se fore dixit, ut ea conjunctio magnam utrique parti voluptatem afferret. Interea scribit ipse ad Regem Philippum, quid secum egerint Cardinalis & Ghisa; responsum quoque suum, & pauca sed quaesitissimae artis de immutabili sua erga nomen Austriacum fide. Et Rex Philippus, quamquam videret eam faciem esse negotio, quasi Medicaeus ipse fabulam utilitatis suae causa composuisset, adspernatus tamen ejusmodi suspicionem, rescripsit, posse facilius ab se dari rem Senensem, qui jam haberet, quam ab Gallo, cui foret adhuc quaerenda incerto belli exitu. Stetitque Medicaeus adversus Gallica illa invitamenta animo inconcusso, sive inanem absque re dolum sensit & elusit.

Caeterum, dum Cardinalis & Ghisa Florentiae Ducem ab Catholico Rege avertere invento hoc conantur, ipsi Ferrariae Ducem prope amisere. Erat is Venetae Civitatis jure donatus vetusto Senatus illius more, quo magnos etiam Principes in suae Reipublicae corpus assumunt mutui praesidii causa, sive mutua est adulatio, dum illi D. Marci filios appellant quos tanti nominis honore dignos judicavere, hi vocabulum illud loco honoris affectant. Et manet species imitatioque publicae auctoritatis erga receptos in id nomen, hique vicissim in eam venisse tutelam ad dubias suas res momentum aliquod habere aequum censent; atque ob talem saepe necessitudinem armati sunt exercitus auxilii causa, vel quod exercituum fuit instar, praebita subsidia pecuniae quanta caeteris negarentur. Hac lege rituque Dux Ferrariae cum civis esset Venetus, accusabatur in Senatu, quod minime consultis Patribus cum Galliae Rege adversus Hispaniarum Regem iniisset foedus, quo foedere externa arma in Italiam adducta essent, & res Veneta in primis adducta in discrimen. Quae tanta Galliae Regis merita, quaeve Catholici Regis injuriae movere Ducem potuissent, exquirebant, tamquam in civem suum animadversuri; Ducemque ipsum reperio Venetias esse profectum ad reddendam sui facti rationem, ac dixisse, quod Ecclesiae stipendiarius esset, quod suspecta in vicino haberet omnia, quod Hispanos maxime praefectos infensos haberet, ideo rebus suis arctis & trepidis perfugium illud quaesivisse.

Erat deinde Ferrariensis in magna sollicitudine ac difficultate consilii capiendi, timens uno tempore quidquid in Christiano Imperio terribile esse potest, Romanum simul & Hispanum, & Venetum, & Gallum. Juxta periculosum putabat sive destitueret foederatos, sive res incertas eorum sequeretur, cum & destituti pessumdaturi ipsum essent, & multo magis illi, quos lacessisset.

Denique consilium cepit, ut ipse arbitrabatur, tertia quadam via tutissimum sibi, quo nec aperte deficeret ab inita foederis societate, & declinaret paulatim ab ejus contagione belli, seque medium servaret, collecto ad extremum partis utriusque odio, dum utriusque gratiam ambiguo & occulto favore meditatur postea quam aperte se hostem & socium fecisset. Grave certe documentum minoribus Principibus, ne magnorum Regum inimicitiis immisceant sese, atque ut confligere ipsos sinant, nec efferant extra fines suos caput, pedesve, ceu dictum est olim, animal unum, si contineat sese sub tecto uno, intra quod ipsum abdidit natura conclusitque fore ut minus ab animalibus aliis obteratur; quid exseruerit, omni deinceps injuriae magis obnoxium fore. Quam sero fortunae suae conditionem reputans hic Estensis exspectabat tamen aliquod jam ingens domi malum, & quantacumque poterat cura muniebat Mutinam, Rhegium, Carpos, & Roberium, & alia suae ditionis loca, timens, ne aut deficerent ipsa sua sponte aut occuparentur, sive illi, quos destituere parabat, sive quos coeperat laedere, desertorem aut hostem persequi mox vellent. Ac perculerant magnopere ipsum inopinato facto Dynastae Correggienses, quos aggressus repente subegerat, coegeratque dare sibi fidem, & ex avita ipsorum sede Ferrariam adductos devinxerat sibi multis hospitalibus beneficiis, & amice copioseque tractabat. Ut enim hospitium transitionemque & fidem illam scirent homines fuisse violentiam atque necessitatem, usi feliciter occasione, quam Venetias ipse profectus fecerat, aufugere ab Ferraria Mediolanum & praesidium Hispanorum in suas arces accepere. Ferrariae Ducis consilia, casusque & conditio rerum circa foederis negotia sic se habebant.

Regum ipsorum exercitus navalis terrestrisque prout in utraque parte ab initio constitutum fuerat, movebantur. Germanicus peditatus Hanzii tribuni, ab juniore Auria, quem spes publica aequabat patruo, ad Spetias in naves impositus portum Herculis tenuit, cum eodem tempore triginta duae Gallicae triremes vitata Genua portum Lugonum iniissent. Classis utraque conspexerat hostem, & neutra detrectabat certamen. Sed Auria, propter viginti octo triremes, quae nondum ex Hispania redierant, inferior numero, satis habuit instruxisse aciem, si Galli dimicare vellent paratus certamini; lacessi ultro tam iniqua conditione discrimen minime esse Imperatorium putavit. Et commode cecidit, ut Galli vicissim parati confligere, si lacesserentur, obviam ire supersederent. Ita utrique incolumes abiere, Neapolim Auria, Salerni Princeps (is Gallicae classis praefectus erat) in Faliscos, expositoque ibi peditatu trajecit ad Insulam Ponozium visendo castello, quod in ea Insula exstruebatur. In Subalpinis, Brisachii Comes, quem ab Ghisae Duce relictum ibi fuisse memoravi, aucto peditum, & equitum numero, & comparata operarum manu, decem millia mista ex Narbonensibus & Helvetiis misit ad Termensem Comitem in Montem Ferratum cum idonea armatura, isque exercitus

citus ad XVII. Cal. Majas Vallem Fenariam obsedit.

Jacet inter Villam novam, & Hastam Urbem is locus medio fere spatio, tentatus antea quoque Gallorum conatibus, nec minore cura defensus Hispano; Ferdinandusque Gonzaga cum muniret olim eam arcem, nihil omiserat, quo sustineri oppugnatio posset. Nunc erant ibi in praesidio tria Hispanorum vexilla, totidem Italorum, quatuor Germanicae cohortes, satis valida ad propugnandum manus, nisi moestitia & torpor animis inesset, ob non persoluta stipendia, qua desperatione animi, vinci capique cupiebant. Galli, directis in moenia bombardis eludebantur aggerum objectu, vanique cadebant ictus in fossam, donec patefacta cuniculo in arcem via, misere qui tormenta occoecarent, & deditio facta est inclinatis ad eam animis, etiam si nulla arte subigerentur. Abiere cum magno dedecore pacti nihil aliud quam hoc ipsum, ut salvis corporibus abire possent; bellica instrumenta relicta, quae multa ibi erant. Nec tam vilis turbae praesidiariorum dedecus id fuit, quam illius calamitosi Triumviratus, cujus culpa non venere ab Mediolano subsidia, quae venire debuerunt. Eadem negligentia Quirascum prodidit in eadem regione, praeterquam quod insessum minore praesidio, etiam accolis cupientibus Gallos, ita ut in eos pugnare noluerint. Geminata haec intra paucos dies victoria, itemque capta paucis ante diebus Valentia, sicuti Brisachium extulerant prosperis inter suos sermonibus, atque etiam terrore apud alienos; ita oneraverant discordiae famam, qua Triumviri Provinciam regebant.

# E P I T O M A

## Ad librum septimum.

*DUM ita in Italia bellum aestuat, periculum imminet ex Africa. Romanis victoriis assuetus Hispanus Urbis Mostagani praedam meditatur. Consilia rem distrahunt. Pro Solimano Hascenus Algerium obtinet. Huic Theoquelis sufficitur. Dejecto Theoqueli Izufus. Hic brevi exstinguitur. Huic Melianae Praetor Jahejus succedit, quo depulso Solimanus Hascenum Barbarussae filium supplet. Herisus interea Mauritaniae Rex Tremezenem invadit, unde non sine clade ab Hasceno rejectus pejora molitur in Turcas. Cum Heriso Comes Alcaudetis jungitur. Uterque in Turcas militem contrahunt. Comes Valliadolitum contendit, ac rem in Senatum defert. Hortadus Mendocius, & aliorum sententiae susceptam expeditionem avertunt. Lente progrediente per Picenum Gallo, Dux Albae ad Civitellam exercitum ducit. Franciscus Columna hosti objicitur, & varia per Latium loca impetu capit. Joannes Tiraldus ad Campoli moenia subsistit, dedi sibi arcem petit. Negatur, vi capitur, & diripitur. Nec sacris parcit, aut pudori, Victoris licentia. Ghisae Dux consilium, & spem aperit Carafae, de occupanda Civitella. Exemplis, & rationibus confutatur Ghisae sententia. Ghisa constans in proposita obsidione manet. Obsidetur Civitella. Ab obsessis strenue pugnatur. Viri feminaeque impigre rem gerunt. Sexus utriusque non dispar animus, patientia par. Magni operis hortatores, S. Florae Comes, & Carolus Lofredus. Indignatus Ghisa scandi muros jubet. Rejicitur. Obsidio solvitur, ducentis ex Ghisae exercitu desideratis, quadringentis vulneratis, captis aliquot, inter quos captivus in triumphum agitur Cupinius ex sanguine Aquitaniae Principum. Ghisa queritur de causis infaustae obsidionis. Acerba Ducis dicta a Carafa retorquentur. Indignatus Carafa Romam redit. Seperiensis Dynasta leniendo dolori adhibetur. Interea Philippus insita moderatione, primos Gallorum impetus excipiente Fernando Gonzaga, lente suas vires admovet. Hispanus exercitus militari disciplina, atque ordine procedit. Ad Theate subsistit. Aciem explicat in Aterni ripa Aterni Demarchus a Brisacchio Cuneum obsessum liberat. Corregium obsidetur ab hoste. Brisacchius, Momoransius, & Avila Davalo privatum certamen exhibent, tamquam publica certamina, & justae acies deessent. Davalus congreditur cum Momoransio, Menriquius cum Vassoeo, cum Avila Milarotus. Interea non minore conflictu ad Civitellam pugnatur. Ghisa, quaesitis honestis abeundi causis, Civitellensem obsidionem solvit. Infestius iter, quam oppugnatio ipsa Gallis. Hispani poscunt cum hoste pugnam. Abnuit Dux Albae Imperator exercitus. Ghisam Pontifex revocari studet, immisso, qui, objecta ingentium rerum spe, abeuntem retraheret. Placatur Ghisa, & Palliani Ducis filium obsidem accipit ad promissi fidem. Henricus rem Anglicanam novis consiliis repetit. Irrita adversus Angliae Regnum conjuratio. Duorum Regum arma hoc etiam conjurationis exitu concitantur. Bellum denunciatur utrimque. Foecialis opprimitur, nullo, aut raro tam inusitatae crudelitatis, exemplo. Ferrariae Dux aperte se Catholici hostem professus, sollicitat Gallos, ut Parmensem Dynastam aggrediantur. Vicissim Parmensis Ferrariae Ducem invadit.*

# JOSEPHI RIPAMONTII

## *CANONICI SCALENSIS CHRONISTAE URBIS MEDIOLANI*

# HISTORIARUM

## A

# PHILIPPO II. REGNANTE,

## *LIBER VII.*

INterjiciuntur huic Romano, Gallicoque bello novi rerum Africanarum motus, unde capiendi Mostaganum urbem, & firmandi Catholicos fines ab Algerii parte, spes facta Ducibus Hispanis, Algeriumque ipsum, occupatis ad Mostaganum faucibus, in perpetuum obsedisse videbantur nostri, si res, uti sese dederant initia, successisset, ac nisi nimia Consiliariorum providentia magnis interdum inimica successibus, abstulisset id incoeptum. De ea re, quomodo prius ab longinqua barbaricorum negotiorum serie nata & commota, deinde ad spem aliquam adducta & agi-

agitata, postremo quibus consiliis omissa fuerit, expediam.

Algerium Urbem, & nominis ejusdem Regnum habebat adhuc pro Solimano Turcarum Imperatore, Hascenus Corsus, de cujus initiis & fortuna retulimus in priore Africano motu, cum Selarayzis adversus Oranum consilia, finemque demonstraremus. Huic Hasceno, cum neque pro servili sua sorte, neque pro barbaro fastu ac superbia, sed moderate prudenterque Regnum illud administraret, successor mittitur ex Portae Proceribus (ita Turcae Regiam vocant) Theoquelis quidam, summis juxta & infimis magnopere invisus, sive meruerat odia ipse prioris vitae fama, sive calamitas, non culpa hominis fuit, ut odio haberetur, sive caritate Hasceni quilibet etiam alius infensos ibi homines habiturus fuit. Quaecumque causa concitaverit in ipsum animos, certe ingredientem Regni fines arcere, ac prohibere sunt conati, neque tamen ultra quidquam effecere, quam ut varia sine viribus testati odia, saevitiam potentiamque novi Praetoris irritarent. Ille cum imperio victor ingressus Algerium, praecipuos quosque turbatores affecit poenis, ipsumque Hascenum adacto per vitalia palo patrio more peremptum, specimen suae potestatis gentibus illis exhibuit. In Janizeros vero seu Praetorianos, quos Hasceni studio sibi praesertim esse adversatos sciebat, quotidianis exemplis grassabatur, & infesta omnia fiebant hominibus, qui alias in Turcico imperio potiuntur aula, suntque ad gratiam, & auctoritatem primi.

Tremezene tunc imperitabat Izufus Calaber, qui ab ineunte aetate, inter caeteram praedam abactus venumdatusque Hasceno, & Mahometanis sacris imbutus creverat illius indulgentia, casumque indignum herilem grato animo ferebat acerbe, si posset etiam aliquo modo vindicaturus. Hunc adiere Praetoriani, & si vellet Imperium promtos ostentavere. Sic Theoquile depulso Algerium Izufus tenet, cui sextus imperii dies vitae finem fecit, pestilentia tunc inter barbaros saeviente. Post Izufum accitur in id Imperium Turca Jahejus nomine, qui Melianae curabat, & eo mox amoto, Solimanus Hascenum Barbarussae filium mittit, ratus posse Regnum hominis prudentia & auctoritate componi. Herifus interea, Mauritaniae sive Maruccorum Rex ardens injuriarum dolore, quas ab Turcarum gente per ea tempora accepisset, vidensque ad Algerium inter eos omnia confusa seditionibus & tumultu, occasione usus Tremezenem invadit, & quia defuerant ei tormenta ad expugnandam arcem, rejectus inde, & antequam rediret domum afflictus Hasceni armis, nova bella, graviores iras coquebat.

Dum Barbaries illa aestuat talibus modis atque agitatur, visum Alcaudetis Comiti tempus opportunum peragendae rei, quae cupita semper Hispano, consiliis magis & sermonibus celebrata est, quam tentata satis umquam feliciter, credo equidem divinae dispensationis nutu, durante illic barbaro, ne una in terris potentia nihil inveniat, quod vincere non possit. Orta nunc per barbarorum turbas haud parva spe tam expetitae rei, scripsit Xerifo Comes in hunc modum: Si Regii sui sanguinis & nominis esse memor vellet, gereretque spiritus adhuc eos, quos a majoribus accepisset, posse depellere jugum, quod ab Algerio cervicibus semper ipsius immineret; quo manente jugo mancipii semper unius ab ea parte timere furorem atque impetum posset. Diffidere nunc ibi Turcas externo hosti maxime opportunos propter intestina mala. Si jungerent ipsi consilia & vires, nihil fore impedimenti, quo minus & Iremezenem & Mostaganum caperent, illam Xerifo, hanc Hispano futuram securitatis, & Turcam ibi sic fore inclusum. Haud displicet res Xerifo, seque cum valido exercitu, quandocumque Comes innuisset, ab domo exiturum, respondet, ac talibus deinde dictis addidit apparatum & facta quae responsi fidem affirmarent. Cogebat enim Arabum auxilia, qui Tremezenem inter & Oranum dispersis mapalibus habitantes, nativis odiis odere Turcarum genus, imperiumque illud omne detrectant. Adjungebat sibi Melionenses liberam item & Imperii nesciam gentem, qui sex millia equitum, quinquaginta peditum millia in bellum cogunt. Vocabat etiam ad arma centuriabatque inconditos agrestes; qui colunt ab Orano Mostaganum versus, & universa illa multitudo per Consules, Decurionesque suos adibat Comitem ipsum Alcaudetis, rogabantque, ut contra Turcam in aciem educerentur. Quae cum tam enixe fieri videret Alcaudetes, contendit absque mora Valliadolitum, ac de ea, quam parabat, expeditione verba fecit in Senatu, disseruitque varie de turbatis Turcarum rebus, ac de auxiliis, & quemadmodum ipsam inter se barbariem Hispana felicitas armaret.

Proceres, pars censebant occasionem esse divinitus oblatam, decernebantque bellum; ab aliis in contrariam partem probabilia multa dicebantur. Levia & infida Maurorum ingenia, semperque mutabile genus, nec obsides esse datos, vinculumve aliud adversus fluxae fidei gentem. Si repentino impetu Mostaganum invaderetur fortasse potuisse aliquid fieri; cum prius ostendere quam gerere coeperint bellum, rem jam esse desperatam. Quippe Turcas, cognita conspiratione Xerifi cum Alcaudetis Comite, visaque ex propinquo trepidantium agrestium armatura, disjecturos foedera omnia, & societates, vel consilio & auctoritate per Emissarios suos, vel intercipiendo commeatus, & vastando agros, urendoque tecta & Mostaganum in primis ipsam armando adversus omneis impetus ac muniendo. Non etiam adesse Hispano rei navalis copiam in ea parte, quantam oporteat; occupato Rege tot praeterea bellis, exspectandos eorum eventus, antequam novae rei quidquam tentetur. Hujus sententiae auctor inter caeteros erat Hurtadus Mendocius, quo potissimum adnitente, magna Comitis contentio & spes non sine causa suscepta ad irritum cecidit; nosque jam hinc Romani sive Gallici belli seriem repetemus.

Dux Albae, dum Galli per Picenum lente progrediuntur, ab Neapoli egressus magnis itineribus ad urbem Theate contendit destinatam Hispanis armis sedem, ut antea demonstravi. Inde inspecta re militari & constituta redit Sulmonam, sedensque ibi per aliquot dies excibat ex distantibus locis duces copiarum, & cum suis quemque Ordinibus mature adesse ab eam quam dixi armorum sedem jubebat, aliaque tamquam ab futuro mox hoste disponebantur. Erant circa Ducem in ea regione praeter caeteros hi maxime: Sanctae Florae Comes, Jodarus Epirota, Franciscus Portus, Antonius Guzmanus, Franciscus Valentia, Montius Oca habilis juventae homines, & corporum agilitate, praesentibusque animis apti ad parendum juxta, & imperandum. Hi cum equitum turma missi ab Sulmona Civitelam tulere secum militaris argenti partem divisis in singulos equos nummis & insutis in ephippiorum apices propter Romanas alas, quae praedabundae vagabantur. Per devios colles ea turma Civitelam pervenit, ac ibi Trevicensis Demarchi filium viginti annorum juvenem cum mille Italis invenere, statimque terrae illius incolas, qui arma ferre possent, sicut ab Duce mandatum erat, dividunt in stationes, & per vexilla componunt, ac succedere invicem jubent, ut vigiliarum labor per singulos aequaliter in orbem iret: caetera pari cura acta tamquam ad loci custodiam, quem veluti arcem esse Brutiorum constabat.

Sunt Brutii prima terra Regni Neapolitani venientibus ex Urbinate agro, per agrum, quem alluunt Hadriatici maris undae, fluminaque non obscuri nominis Aternus, & Trontus rigant. Aternus etiam dividit Regionis nomen, & alvei sui interjectu ulteriores, citerioresque Brutios facit. Nec minor gloria Tronto qui Picenum excludit, originem trahens ex Apennini jugis, & evomens in mare sese, qua Treventum olim habitabatur. Sunt ibi frequentes cellae vinariae Picenorum, quas Regnicolae fodiunt altioribus locis. Ascurum inter & Civitelam divisas urbes flumine Marino, quod per aspera & confragosa Montium Apenninorum

rum fluit. Ea Vestinis & Amiterninis sedes antiquitus fuit; nunc Acumulus, & Leena successere, quae ab Umbria dividuntur, & tractum eum recentior consuetudo Nurciam & Leonessam appellat. Per juga Furcae Ferratae ad Talliacotium itur, qua spectant Apennini rupes, mare Thyrennum & crebros amnes evergunt in Vestinos Umbrosque & Reatinos campos, quos Velinus sive Melitus interfluit Alpinus ipse quoque amnis origine modica undas ferens alienas & flexo ad Rheate Urbem cursu in lacum Pedilupum erumpens. Ab Talliacotio, quae Regio Marsorum antiquitus fuit, Latium, ad Aequicolas pertinebat, donec Abrutii nomen illac insedit. Campania Vicovarum in ripa Anienis habet, unde converso ad orientem Solem itinere per Laborinos campos in Hernicorum terram excurrit via, Lirisque flumen hodie Garillanum ferme terminus est inter duo Imperia, suos utrique parti fines assignans. Hispanae ditionis sunt Rocasecca & Aquinum, Romano Pons Corvus & Cepranum & alia minora loca obediunt, Soramque in fluminis ripa, & Insulam Fibreni Hispanus tenet. Flectitur inde curvaturque iter ad posteriores Imperii terminos inter Fundos & Terracinam juxta littus Ausonium, ubi sunt etiam Cajeta & Esperlonga & fauces Ufanti, quod flumen per Pontinam paludem hodie Limaratam transit, & juxta Anxur, sive Terracinam in mare fertur. Quidquid ab Hadriatico mari ad Apenninum, Tronto & Umano fluminibus includitur, antiquitus fuere Preguntini. Deorsum ad mare inter dexteram Urnani, & laevam Aterni, Marrucinorum habitabat genus, quae regio nunc Pena dicitur. Oppositam huic partem Vestini & Mamertini tenuere mutatum nomen Aquilano tractu; ad alterum Apennini latus circa lacum Ficinum atque circumjectam Talliacotio partem Aequicolarum est vetusta Marsorum sedes. Dividit hanc provinciam ab citerioribus Brutiis Aterni brachium, quo radices Apennini contra Populi oppidum alluuntur, ac pertinent hi termini ad ostium usque fluminis ejusdem; per cognominem flumini pagum excurrunt, atque per Apennini cacumina Marsorum finibus immiscentur, dirimuntur a Laborinis campis obverso in meridiem dorso, Garillani fontibus, & Orbiti Valle. Maritima dimensione pertingunt ab Aterni fluminis ostio ad Fortoris ostia, terrestrique confinio junguntur ulterioribus Brutiis, & Aterni brachio, quod infra Rajanum porrigitur.

In ea Brutiorum regione, quae dicitur ulterior, est Civitela Tronti posita in vivo lapide prope ad theatralem formam aedificiis eminentibus: duae ejus portae, altera in mare Hadriaticum, altera in Septemtriones obversae confragosas rupes, vallesque profundas alte despectant, per quas obscuro alveo fertur Viperata amnis ex Apennini verticibus fluens. Jam explicabant per agrum Asculanum Galli agmen, cum Franciscus Columna septem cohortibus, duabus turmis aggressus impetu repentino cepit Cavas, Genetianum, Carpanetam, & Valmontonem, nota per Latium loca, Hispanique praesidiarii pars Anagniam, pars in Montem fertinum, alii Frusinonem sese recepere, quae oppida, si Columna usus eventu victor aggrederetur, non dubitavere Hispani ipsi, quin tunc expugnari capique possent.

Ab Asculo, Joannes Tiraldus secunda vigilia cum duxisset ad Campoli moenia, qui locus ab Civitela tria fere millia passuum in Regnum cedit, misso caduceatore petiit ut portas aperirent; cunctantes, atque etiam coepta oppugnatione defensos aliquamdiu cum mutua clade potitus Oppido Romanus diripit belli jure. Illa belli simul, & Romani nominis injuria labesque fuit, quod Galli fere quingenti, qui erant in nocturno exercitu, sic accepere sacra & sacros, quomodo ne profana quidem tractari apud memorem humanitatis hostem jus fasve habetur. Spoliavere templa, facesque subdidere, qua spoliandi locus non erat; constupravere virgines ingenuas, maritique multi videre suis oculis dedecora, vel si quod tenebrae flagitium occulerant, nequidquam postea gementes sensere. Vini optimi copia, quae larga ibi fuit, nocturnae licentiae jura prorogavit etiam in diurnas horas, & Pontificem Paulum valde fuisse moestum ferunt posteaquam suis auspiciis ea geri accepit.

Ghisa, quamvis hae parvae expeditiones prospere successissent, atque etiam per Vallem Sicilianam populatio facta usque ad mare impune esset, haud magnopere confidebat ejusmodi initiis, & minime gratuitam eam fore licentiam suspicabatur; interdum etiam libere inter suos id ipsum ajebat. Exspectato per aliquot dies Pontificis exercitu, qui jamjam adfuturus major, atque plenior dicebatur, postquam ne tum quidem copiae satisfaciebant, renovabat querelam illam suam veterem, de Galliae Rege vanis promissis in foedus illecto, de tanto Regno tam parvis viribus aggrediendo, de objicienda temere ad caedem natione Gallorum, odiosisque generis hujus sermonibus Antonium Carafam sollicitabat. Habebat in animo Civitelam obsidere, si forte arce capta illa, posset virium suarum opinione, quae saepe in bello pro viribus fuit, efficere Neapoli motum aliquem Principum & erigere ad spem novarum rerum animos. Si nullae satis artes adversus opera, situmque loci illius valuissent, homines ipsos expugnare fame relictisque in obsidione arcis peditum tribus millibus, equitibus ducentis, ire inde in Apuliam faciliore per eas terras ingressu, & obvia rerum omnium copia.

Cum hanc animi sui sententiam in concilio exposuisset, pro se quisque coepere contradicere & magnopere adversari, ne loci illius obsidione exercitus occuparetur. Posse conatum esse irritum, vel natura rupis, vel ingeniis hominum & pertinacia, vel praeparato ibi fortasse commeatu, ne fames vincat, vel denique re alia occulta, & inopinata, quae sit defensura arcem, etiamsi illa non defendant. Sic magnos saepe exercitus ad parva oppida consumsisse quas ad invadenda Regna vires afferebant. Quid deinde fore effectum, si Civitela caperetur? Reputaret Ghisa Maximiliani Caesaris inutiles ad Asolam moras, cujus expugnatione loci, cum famam in principio rerum quaesivisset, Mediolanum, quod prope manibus tenebat, amisit. Nec deesse domestica Gallicis exercitibus exempla, quae doceant ipsos abstinere negotiis ignobilibus, & agere protinus eas sempiternae memoriae res, quarum rerum causa profecti sint ab domo. Namque etiam Aluysii XII. exercitum ejusdem Regni causa transgressum Alpes, importuna atque temeraria libidine capiendi Rocaseccam perdidisse illud quod ipsi perdituri essent, si Civitela ista quasi Rocasecca altera exercitum detineret.

Quale id consilium fuerit, eventus quidem docuit serus ille, & inutilis magister; neque Ghisa ignarus erat talium exemplorum; sed non ideo retulerat de loco oppugnando, ut alicujus in ea re sententiam sequeretur. Ad VIII. Cal. Maji stetit ad Civitelam, & per octo dierum spatium exspectatis ex Piceno tormentis contemplatus interea loci naturam, praeliatusque aliquoties cum iis, qui ex praesidio erumpebant. Ab ea parte, quae in mare versa planiorque est, relicto trecentorum fere passuum intervallo, castra subjecit. In turri, quae forte fuit ad principia castrorum, bombardam unam statuit, quae summa aedium tecta sine ulla intermissione continuatis ictibus feriret; quinque alias in tumulo prope geminatae altitudinis ad Oppidi fastigium atque dimensionem; totidem direxit, paulo infra eum tumulum ad quatienda moenia, sex contra portam, quae spectat in montes objectos locavit. Sclopetarii dispositi intra castrorum aggerem, perpetuo displodebant in eos, qui sese ostendere pro pinnis auderent. Cum undique pilae contorquerentur, pars magna muri collapsa est, ad quem casum conclamante per laetitiam exercitu Gallorum, id repente gaudium vanum fecere Oppidani concurrentes absque ullo sexus aut aetatis discrimine ad obmolienda quae strata ruinis erant. Etiam Signifer & Centurio spectatae virtutis homines, qui ad recognoscendum hiatum suggredi non dubitarant, captus hic, ille interfectus confudere animos, momento pene uno clausum aditum intuebantur. Descendere tamen in fossam Aquita-

 ni

ni bis mille ſubeundi ſtudio & ardore, in quos egregie dimicatum ab Joanne Baptiſta Neapolitano, quem Sanctae Florae Comes cum cohorte ferente faſces lignorum miſerat ad obſtruendam muri ſtragem; & pugna ſicuti numero diſpar, ita propter loci iniquitatem adverſa Gallis fuit. Nam lubricante aut haerente veſtigio, tamquam in pedicis, propter coenum, quod ab ipſorum parte cuncta oblimarat, impediebant alios alii, & in mutuum exitium implicabantur. Caeſorum ex Gallis non eſt relatus numerus, periere ex Hiſpanis octo, vulnerati complures, capti duo, ipſeque Joannes Baptiſta Neapolitanus lethale vulnus in eo certamine accepit. Haec primo oppugnationis die acta.

Poſtero die miles unus ex Gallorum exercitu ſtolide ferox, per laſciviam auſus inſultare praeſidio, atque increpare degeneres ac ſegnes niſi ſecum quilibet eorum ex provocatione dimicaret, poſtquam multa contumelioſa verba jeciſſet, aufugiebat. Hunc Lechenſis praeſidiarius ex praefectura Joannis Baptiſtae Galeotti protinus adeptus in foſſa obtruncavit. Horribile inde ſpectaculum erat Ghiſae Duci, exercituique Gallorum univerſo, cum immiſtae viris mulieres armatae galeis, & ſclopis, & haſtis, audacius etiam, quam viri ipſi ſtarent in muro ac dimicarent. Patriae illius rupis amor, fides erga Catholicum Regem, Gallorum contemtus ob recens praeſertim ad Campulos exemplum inhumanitatis efferaverant ſexum atrocem ſemper, ubi naturalis mollitiae legem exceſſit, atque virile aliquid induit. Verſo in rabiem languore, cum quo naſcitur & creſcit illud animal, detrudebant haſtis & ſariſſis ſcandere murum conantes Gallos, plumbeas excutiebant glandes haud aliter, quam ſi ei telo aſſueviſſent. Ac ſi quae interea icta viciſſim mulier ceciderat, non clamor, non gemitus audiebatur; quomodo fortes cadebant, adnotatumque eſt, percuſſas in mortem aliquot, cum ex muro praecipites delaberentur, extrema manuum cura tetendiſſe, ne quid inhoneſte aperiretur. Graves utero vel ſenecta inhabiles ad illud propugnandae patriae munus, cibos & medicamenta viris aut filiis ferebant, ne excederent loco. Sanctae Florae Comes, & Carolus Lofredus aderant hortatores, teſteſque virtutis, & dicebant, diem fore illam apud Regem honori ipſis, poſteriſque earum, & tam glorioſe morientium fortuna extollebatur.

Erant ibi duo muralia tormenta non amplius, quae Trevici Demarchus ab Aquilina arce traducenda illuc curarat. Haec mutando ſaepius & circumagendo ad omnia loca multiplicem bombardarum ſpeciem efficiebant hoſti, cum tot eſſe machinae crederentur, ex quot locis pilae & catenae & alia obturamenta accidebant. Ac fuere majori uſui, poſtquam animadverſum eſt, congruere ad ipſorum latitudinem Gallicos globos, qui ſedulo colligebantur, & praeter caeteram opportunitatem hunc attulere uſum, ut in adverſa bombardarum hoſtilium ora contorti, nonnullas inutiles facerent, ac rarioribus deinde ictibus Civitela quatiebatur.

Ghiſa fremens ob male coeptam oppugnationem moerenſque, ſtatuit experiri, ſi magno aliquo impetu, ac multitudine univerſa effuſa perrumpere obſtinatam illam vim, atque pertinaces in patriae defenſione animos poſſet. Sed cum animadvertiſſet fragmenta lapidum, & grandia ſaepe ſaxa, quae globorum incuſſu cadebant ex arce, detrimento eſſe ſubeuntibus ad muros, & impacta pluteis perfringere aſſeres ipſos, aut in capita hominum reſilire; ei prius incommodo eſſe obviam eundum putavit. Itaque novos pluteos eſt architectatus, quos farcitis tomento ſaccis obduxit, ut mollitie ipſa frangerentur ictus, ſubdiditque rotas, ut celeriter & facile admoverentur muris, atque ita tecti & defenſi ſuccederent, quos in id munus ipſe elegiſſet.

Diviſo deinde in duas partes exercitu bifariam aggreditur Oppidum, ac jubet omnia ſimul tormenta diſplodi, ſcilicet, ut dum incluſi ſeſe averterent in eam partem, in qua maxime laboraretur, nuda fieret ſtatio, ex qua maxime propugnabant. Ibi inter Duces ambigebatur, pergerentne vi ſumma arcere hoſtem uti coeperant, an vero ſinerent ingredi, ingreſſoſque intra prima illa clauſtra mactarent. Exempta dubitatio eſt interventu Ricii Cardonae, quem Sanctae Florae Comes ire juſſit, ac dicere, ſpem omnem uti ponerent in propugnatione muri; de admittendo intra muros hoſte ne cogitarent.

Haec ipſa dixerat Cardona, & fiſtulatoribus ad ſexaginta ſecum aſſumtis egreſſus, primum, qui ſcandere voluerat, Gallum, ſariſſa tranſverberavit, atque exanimem affixit ſolo. Continuata inde propugnatio eſt, ac praecipuum eo die muralis coronae decus tulere viri, quos praemium fortitudinis etiam habere hoc oportebat, ut ipſorum nomina poſteritas noſſet. Fuere autem Angelus Merus Lechenſis, Virgilius Florus, Lanchanus, & Julius indidem ortus ex Civitela, in quo homine, caeteri duces, patriam quodammodo ipſius admiratione & laudibus coronavere.

Ab parte altera oppidi, quae montibus adſpicitur, non minor gloria propugnantium fuit, & Galli iterum abſceſſere deſideratis e ſuo nomine amplius ducentis, quadringentis vulneratis; captis aliquot, in quibus Cupinium quemdam ex Aquitaniae Principibus fracto pede cum caetera turba raptum in arcem pro multis captivis numerabant. Creſcere hinc apud Ghiſae animum dolor & pudor, & deſperatio, & ira in Carafarum nomen, cum de nullo juſtius quam de ſe ipſo poſſet queri, qui foedus & bellum primo illud in Gallia ſuaſiſſet, deinde Civitelam oppugnare diſſuadentibus omnibus inſtitiſſet.

Multis uno tempore motibus animi turbatus atque confuſus, ſicut antea Cardinalem, ita nunc Antonium Carafam ſermonibus aſpere calefaciebat. Non dari ſibi a Pontifice milites ad numerum, & fraudari ſtipendiis eos, qui dati eſſent; Pontificios homines intercipere aera militaria; non tormentarii pulveris copiam, non ferreos globos ad tormenta exercenda ſuppeditari ſicut promiſiſſent: avare fieri cuncta, & negligenter, & maligne. Non erat Carafa hic elatione animi & impotentia deterior Gallo, parique libertate reſpondit quae referirent Ducem, & ille rurſus atrocior inſurgebat, & prope abfuit, ut exercituum Imperatores ſicuti duo mancipia unguibus inter ſe corruerent, quia forte inermem utrumque deprehenderat illius colloquii principium.

Haec acta ſicuti retuli, & quod paulo antea cum Sepierenſi Dynaſta Gallo item homine, nihilo ſuperior in jurgio Carafa idem fuerat, injecere curam juveni, ne ſe inter Gallorum vexilla & arma ſatis tuto verſari poſſe exiſtimaret, abiitque protinus Romam ſubſequente veſtigia eodem Sepierenſi, quem Ghiſa miſit ad Paulum, ſive, ut poſt convicia leniret animos, ſive potius, ut convicium illud novum faceret. Nam ſi mittebat ab ſatisfaciendi cura, ſicuti quidam tradidere, non arbitror eum fuiſſe mittendum, quo cum capitaliter jurgatus Carafa erat, ob quem etiam abire maturaſſet.

Ghiſa vir animi ardentis, & niſi haec ipſa laus obſtaret, pari prudentia, magno rerum uſu bellica quoque laude clarus, inevitabili ſummorum aliquando Ducum calamitate, ut in parvis etiam rebus graviſſime offendant, circa Civitelam conſumebat vires, & tempus, & auctoritatem, nullum felicem exitum ibi habiturus, levi ad extremum operae pretio, etiam ſi res tantis quaeſita damnis proſpere ſuccedere potuiſſet. Nam ſi locus ille fuiſſet ejuſmodi, ut vel fluvii navigabilis opportunitate, vel multitudine incolarum, vel alio quopiam hoſtili emolumento intercludere tranſitum, abrumpere iter, intercipere commeatus, ſubſidia receptumque adimere poſſet, fuerat ſane enitendum omni conatu ne ab tergo relinqueretur. Cum nihil horum Civitela habuerit, non erit injurioſa hiſtoria, neque temere aget, ſi ad reliquos etiam admonendos, qui cognoſcere haec volent, increpaverit hoc loco Ghiſae Ducem, qui ducto contra Regem Hiſpaniarum in Italiam exercitu, profectus ad laceſſenda tanta viciſſim in ſuum Regem pericula, tantumve gloriae promerendum, concito in arma terrarum Orbe, intuente manus virtutemque ipſius Gallia, ſubſtiterit ad parvae arcis oppugnationem

haud

haud alio ficuti equidem arbitror confilio, quam ut oftenderet fuis juxta & alienis, ingredi fe ad principia belli per victorias fuas, & hoftium clades. Ac praecipua ftimulatrix hujus Imperatorii peccati debuit effe violentia, impetufve ille, qui Gallos omnes a caeteris gentibus veluti genitiva nota diftinguit.

Diverfa fua naturali ratione Duces Hifpani adverfus hunc Ghifae impetum agebant, dantes ultro fpatium, quo ad obfcuram illam, & ignobilem antea Civitelam Gallici exercitus robur quafi ferae alicujus accenfa rabies ad ftipitem faxumve frangeretur.

Ipfe Rex Philippus, ficuti mixtus erat ex fervido & lento, per Germanicum, Hifpanumque fanguinem, illinc ab Caefarum, hinc ab Regum origine, ita Gallorum hanc in Italiam irruptionem, & motus conatufque omnes jam inde ab initio fpectaverat moderate infenfus, atque ftatuerat comprimere fic arma, fpefque foederatorum, ut graviora quaedam documenta & exempla quiefcendi relinquerent pofteris ipfi fuis, quoniam ea, quae a majoribus ipfi accepiffent, neglecta effe viderentur.

Hac deftinatione animi, atrox ab omni parte bellum ciens, Fernandum Gonzagam ad fe in Belgium evocarat ejus opera ufurus in bello, miffoque in ipfius locum Antonio Auria, languefcere ac retundi fuo ipfam impetu vim primam illam Gallorum finens fuas ipfe vires lento molimine admovebat. Atque ut ad eam gerendae rei rationem, quam fecreto confilio provifam, meditatamque habebat, Italici apparatus congruerent, exercitum eum jufferat difpofitum effe ficuti ftetit, ac ficuti demonftrabo.

Equitatus, peditatufque omnis, gravior, leviorque armatura, fiftulatores, velites, haftati, quidquid ordinum, & copiarum fuit, ftetere divifi per fuam quique provinciam & nationem cum Imperatore fuo, cum propriis etiam mandatis, in quam unaquaeque natio partem dato figno ducenda effet. Hifpanorum tria millia, qui vetus ftipendiis miles, & durati laboribus erant, facta primum agmen, & ab re ipfa, quod in omnes undique partes excurrere ac evolare deberent, volatici dicti, Garfias Toletus hanc manum juffus regere; ac proximi his locati mille & octingenti Germanorum, quos Gafpar Feltzius ducebat, exiguoque difcrimine, tam diverfae nationis milites intermifcebantur. In medio agmine conftituta funt octo millia Neapolitanorum admiftis Siculis, additifque tribus aliis millibus peditum, quos viri nobiles ex Neapolitano Regno, privato fumtu centuriarant; ipfi Centuriones dicebantur; praeerat univerfis Vefpafianus Gonzaga. Poftremum agmen, fuere tria millia Germanorum, & ducenti, queis ductor Albericus Lodronus ibat. Ad cornua & latera divifi in alas mille & quingenti velites fub Populi Comite circumfundebantur. Inter equitum turmas, & peditum cohortes relinquebatur id intervalli, ut, fi certamen adeffet, neutri alteros turbarent. Equites cataphracti feptingenti fub Joanne Porto Carrero, Hifpanufque equitatus fub Petro Albae Ducis fratre claudebant agmen totum.

Ex praefcripto Regis Philippi fic ordinatus ab Albae Duce exercitus ad Theate ftetit, cui accipiendo, caftra muniebantur in Aterni fluminis ripa campo fatis patente, facili aquatione, falubri coelo, & aliquantum edito fitu, qui munitus effet natura, munirique porro magis etiam poffet, neque ulla aquarum illuvie procellofis temporibus infeftaretur. Forma five dimenfio caftrorum in hunc modum fuit: Duae viae fefe interfecantes aperiebant quatuor in decuffim femitas, ab quibus in totidem regiones caftra difcriminabantur. In una regione cum peditatu toto conftitit exercitus Imperator: in altera conftitit equitatus cum equitum Magiftro: tertia pars habuit tormenta cum fuo praefidio, praefectofque caftrorum, & vilem agreftium turbam ad facienda opera, egerendamque humum: in quarta parte forum annonae caftrenfis exercebatur. Principia modico intervallo diftabant ab aggere & vineis, quo facilior excurfus ad defenfionem effet. Stationes & praefidia pro caftris locabantur e fingulis ordinibus prout cujufque vices incidiffent; eae vigiliae luminibus per totam noctem excubare debebant; ac fi fenfiffent hoftem, non ante decedere loco, quam inftructum atque compofitum intra caftra agmen foret. Ad triginta paffus ultra ftationes, vigiles bini erant, ut, dum eorum alter ad ftationem excurreret, in loco maneret alter, & ulteriores infuper alii excubitores erant; aliaque porro, tam ex vetere, quam ex recenti caftrorum difciplina praefcripta ab Rege Philippo fervabantur. Non enim definebat ille monere quomodo quidque agendum ac providendum effet, ut ferocia Gallorum irrita & vana fieret, five etiam opprimeretur magna aliqua clade.

Oppugnabat adhuc Ghifa Civitelam majore fuo quam inclufòrum damno, parique fucceffu Brifacchius apud Taurinos agebat, ut duo clariffimi gentis ejufdem duces, totis circa parvas res connixi viribus, minimis etiam fortunae momentis, & virtute, non hominum magis, quam feminarum eluderentur. Namque Cunium Urbem, quae mediae ferme regionis eft inter Salutios & Argentariae Montem aggreffus Brifacchius, quatiendo per dies aliquot & noctes illa moenia multis undique bombardis, & capto faepius ad eam invadendam impetu, femper eft rejectus, cum ibi quoque, ficut ad Civitelam, feminae viris acerrimum invitamentum effent, vel defendendae patriae, vel in ipfa defenfione occumbendi. Denique circumvallata magnis operibus urbe Gallus cum jam in eo effet, ut fubactos fame Cunienfes in deditionem acciperet, Pifcariae five Aterni Demarchus cum valida Hifpan[illegible]um, & Italorum manu fupervenit in tali tempore, oppidumque liberavit, quod ipfum inter fortuita belli vifum, habitumque eft. Non enim alioqui potuerat id venire fubfidium, cum & Davalus eo tempore defenfione Corregii adverfus Ferrariae Ducem attineretur, & in ipfo articulo gerendae rei Joannes Baptifta Caftaldus, caeterique Duces omni tetenderint ope, ne illuc iretur; & quod longe majus fuit, itum eft Cardinalis Tridentini juffu, cujus imperia Davalo quidvis aliud agendi incitamentum ob aemulationem erant.

Liberato Cunio, praefidioque ibi conftituto, & aucto, egredientem inde Davalum cum peditum quinque millibus, equitibus quingentis, tendentemque Ha[illegible]tam unde profectus erat, Brifacchius invafit trahens peditum quindecim millia fecum, equites mille, & quingentos; atque ille tanto inferior copiarum numero, cladem, quae parabatur, beneficio montofae regionis effugit. Non perinde effugere potuerunt mercatores & viri nobiles aliquot, qui ab Carmaniola Cunium ibant. Capti funt omnes & fpoliati praeter Novellariae Comitem, quem Julianus Carvajalis fervavit; omiffoque deinde Cunio varia loca tentabantur ab hofte, prout cujufque loci opportunitas tuliffet. Accepit Nogarola Ferrarenfe praefidium: Guaftala, cum propter annonae difficultatem laboraret, intromiffa per Brocardum Perficum tormentarii pulveris & frumenti copia, fuftentabatur. Inde ad Corregium obfidendum tranfiere hoftes, inquieto Ferrariae Duce, quia locus ille locique Dominus, ab fe primo intercepti, nunc penes Hifpanum erant.

Inferam trifte fpectaculum certaminis, quod viri nobiles certavere per lafciviam foedantes fefe mutuo fanguine, quomodo gladiatorum olim paria theatrum oblectabant, quafi publica difcrimina & juftae acies deeffent. Aegrotanti forte per eos dies Davalo dici jufferant Brifacchius & Momoranfius, & Anvila Gallici exercitus Principes, cupere fe, ubi convaluiffet, in ftadio equeftri, quaternis cum eo lanceae ictibus confligere. Memor nunc ejufmodi provocationis Davalus, dici viciffim juffit illis Brifacchio & Momoranfio & Anvilae, Dei fe munere bene valentem exfpectare avide conflictus diem quem ipfi conftituiffent, lanceamque & equum fibi parata effe. Statuitur utriufque partis confenfu certamini dies & locus, ac proceffere in campum, ab una parte Davalus & Georgius Manriquius, & Caefar Milarottus, ab altera Dux Nemoraci & Vaffaeus, & Anvila;

 Bri-

Brisacchius & Momoransius, cur sanguinarium id ludicrum minime obierint, haud mihi quidem constat. Concurrere primi omnium, Davalus ipse & Nemoracensis, in tertium usque curriculum effugiente per auras ictu, raserantque cuspide invicem latera semel, iterum humeros; quarto conflictu infestis venientes hastis percussere, Davalus Nemoracensi brachium, hic Davalo caput equi. Et uterque cessere stadio. Manriquius inde & Vassaeus intravere, nihil morati victoriam suam ille, hic fatum. Namque primo concursu ictus per ilia Vassaeus concidit exanimis, victoremque etiam ipsum ex equo repente provolutus confuderat. Et vergente tota certaminis gloria in Hispanos, Milarotus Anvilam, cum semel irriti concurrissent, directa juxta ephippiorum apicem lancea, femoreque trajecto, resupinavit. Alios praeterea complures accenderat aemulatio decoris, sive ob mortuos dolor, & paria deinceps aliquot stadium idem iniere, sed aberravere ictus, & gloria plagarum abfuit, nisi quod Franciscus Carafa leve unum, & ignobile vulnus accepit. Redeunti Mediolanum Davalo datus est plausus ob ejus certaminis famam, veluti si depulisset Gallos, provinciamque aliquam subegisset.

Nobiliore conflictu dimicabant ad Civitelam feminae virique; & Ghisa, sicuti principio rem eam improvide aggressus fuerat, ita constantia & virtute consilium emendare infelix conabatur, nec ideo succedebat. Antiqui operis turrim Civitela habet, quam Trevici Demarchus, inter primas ejus muniendi loci curas, satis firmatam esse crediderat sua ipsam altitudine & situ; nihil addiderat praeterea tamquam ab ea parte vim oppugnantium non timeret. Hanc Ghisa conspicatus immunitam, & neglectam, existimans posse levi negotio labefactari ac dejici, verberabat ictibus crebris, & eodem tempore, quingentos fistulatores pluteis lanaque defensos adversus ingruentes superne lapides rotata machinatione promovebat, ut evaderent in murum, locumque obtinerent, cujus machinamenti exitu tota Gallorum castra cohorruere. Nam Sanctae Florae Comes, animadverso e muris artificio, molaria saxa bina duodenum pedum latitudine pro muri pinnis ita conservarat, atque suspenderat, ut funiculo inciso corruerent in pluteos; ea saxa perfracto quidquid mollis durive erat, tormenta & asseres, & corpora hominum, strage una conjunxere, ut optime cum paucis ageretur, qui semivivi capitibus elisis evadere potuerunt. Eodem fere momento, quo strages haec facta est, Ghisa etiam ipse, non levis exercitui suo terror fuit ob certissimam necem, a qua nihil aliud eum, quam casus ipse defendisse videbatur. Cum enim ad omnia visenda, & urgenda circumveheretur equo, & in obvia forte salebra descendisset ad pedes, displosa protinus pila ex arce caput abstulit servo, qui equum eum herilem jussus insilierat.

Ex eo die, Gallorum exercitus in oppugnatione Civitelae segnior est factus, praeter obscurum loci nomen, & acceptas ibi clades etiam hoc ipso, quod Imperatorem pene illic amisissent. Ac pudori insuper erat, quod Sanctae Florae Comes, egressus forte cum paucis processerat usque ad tormenta, & caeso vel dissipato praesidio, ferramentorum egerat praedam, parumque abfuerat, quin tormenta etiam ipsa amoliretur. Haec denique omnia, vicesimo oppugnationis die, perpulere Ghisam, ut statueret inde abire, cum insuper Dux Albae subsidio veniens constitisset ad Juliam novam, quingentos fere passus a mari, quem ibi exspectare non erat animus. Nec ab Civitela solum, verum etiam ab tota Neapolitana expeditione decrevit abire, sive iratus Pontifici ob arctos apparatus, suspicionesque exortas, sive conjectans ex unius infeliciter oppugnatae arcis eventu, quanta sibi ad Regnum invadendum impedimenta pararentur.

Ubi Gallo sententia haec stetit, praeparaverat honesta velamenta profectioni, ne omitti nunc Civitelam increparent iidem, qui tentari ante dissuasissent. Itaque dixit in Concilio; *Quandoquidem attenuarentur exercitus vires, magnique sui conatus destituerentur a Pontifice Maximo, cujus causa suscepti fuissent, sequendum esse Ferrariae Ducis consilium, vertendaque in Etruriam aut in Insubres arma; simul posse capi Placentiam & Parmam, nec victorias illas cum altero fore communes. Pontificiorum hominum promissis, & Neapolitanorum exsulum mendaciis in fraudem sese inductum illuc usque processisse. Nunc videntem vana utrimque omnia & falsa, tenues nempe Pontificis copias, & obstinatam morti potius, quam deditioni fidem indigenarum, non ultra ibi perditurum operam; velle incipere aliud gloriae non minoris bellum, cujus praemia non sint dividenda cum aliis. Ad Regem vero suum, de mutata belli ratione perscripturum aliquid praeterea, quod efferre noluerit antequam probe comperisset. Scirent compertum esse sibi, quemadmodum Pontifex Paulus, abjectis belli consiliis, occultae gratiae locum apud Hispanos quaereret, & Gallici foederis nomen obtentui sumserit. Hujus reconciliandae pacis interpretes esse Venetos, qui Gallorum genus figere pedem in Italia minime omnium velint. Proinde velle se abducere a Civitela exercitum, & postquam abduxerit, velle novis uti consiliis, prout terra suasisset ipsa, ad quam subigendam irent.*

Haec ab Ghisae Duce dicta placuere Principibus Gallorum, ac pridie Cal. Junii, sub vesperam motis ex eo loco castris, non longe in agrum Neretanum abiere carpentibus extremum agmen Catholicis, qui ab Civitela insecuti erant. Infestius iter, quam oppugnatio ipsa Gallis fuit; atque adeo plures eorum in hac tumultuaria pugna cecidere. Civitelenses, ob defensam patriam, praemia virtutis accepere ab Hispano, quibus majora ne ipsi quidem optare possent; donati omnes ingenuitatis jure, nobilesque appellati: demta in publicum onera, & asses vectigales ipsis posterisque eorum, & omnibus, qui ex ea terra uxores duxissent.

Cum Gallus Imperator ab Civitela in hunc modum exercitum abduxisset, Hispani statuere insequi abeuntes, lacessereque & circumgredi, nec usquam a vestigiis eorum absistere, tamquam aufugerent, qui modo persequebantur. Praemissus est ad recognoscendum agmen Ascanius Cornia cum ducentorum equitum ala, primoribusque aliquot, post quos ibant ter mille fistulatores, ut si converterent sese Galli, Cornia tutum receptum haberet. Dimicavere levibus praeliis, neutra parte subire ausa universi certaminis periculum; cum alteris nihil tunc aliud quam abire propositum esset, alteris persequi abeuntium vestigia, locumque insidere, qui ad Turturetam placuerat. Ac reliquum quidem utrimque agmen illacessitum ivit; concurrere autem ab Gallorum parte Dynasta Sepierensis, & Umalae Dux converso in Hispanos, quem ipsi ducebant, equitatu; vicissim in Gallos, Hispani Lopez Acunia, Moscquera, & Pimentelus equitem suum direxere, prout ad vada faucesque & viarum flexus fuerant invicem obvii vel obliqui. Et utrisque in eo, quod expetiverant, fortuna sive virtus adfuit. Cepere Turturetam Hispani, Gallus Trontum flumen trajecit, sed intempestae noctis silentio, non concinentibus, ut assolet, tubis, neque militari tympanorum strepitu, sicuti declinabundos oportebat.

Principes Hispanorum aegre continebantur ab eo, ut confligeretur exercitibus, ac summae rei periculum fieret, unaque vox erat petentium ab Albae Duce, ut educeret in aciem; posse deleri Gallos, fluctuantem attonitamque nunc gentem, ubi trepidatio decessisset, impetu semper formidatam. Ille, cupidinem hanc ardoremque pugnandi existimans magis convenire Gallorum moribus, utilius putabat finere per se in aliena terra debilitari & frangi hostem, quae sententia, ut caeterorum animis etiam insideret, advocato Concilio disseruit in hunc modum: *VIRI NOBILES. Nisi vestra singulorum capita Rex noster tanti aestimaret, quanti Gallorum omnium emisse occidionem nolit, poterat hic sane hostis non multo nostro sanguine deleri, neque ego mittere in discrimen cunctarer. Nam ardor ipse, quo pugnam efflagitatis, & justa ira in homines, qui nulla provocati injuria venere ad invadendum Regnum, unde nunc aufugiunt, etiam spectata vestra certaminibus aliis virtus, & multa fortia facta*

*facta singulorum, victoriam alioqui prope incruentam pollicentur. Sed cum sua sponte dilabantur hostes, ut videtis, cum tam incerti sint semper eventus praeliorum, cum satis esse debeat nobis, incolume hoc Regi servasse Regnum, cum denique tales viros ille Regni ducat instar; nolite cum periculo ullo vim afferre rei quae adest ultro, nec periculis nostris eget. In hac imperatoria militarique disciplina, quae rerum nostrarum experimentis constituta esse posset, etiamsi nulla antiquitus haberetur, praecepta de confligendi temporibus haec exstant. Numquam esse repraesentandam aciem hosti, nisi cum aliqua necessitas coegit: arte prius connitendum: postquam vanae fuerint artes, experiri ferro. Si circumventus exercitus, rumpere cuneo viam cogatur: si delenda labes, & reficienda famae damna, si coercendi rebellium motus antequam erumpant, si civitas obsessa, necessitate imminente deditionem paret: si illae magnae res; commeatus & pecunia praecipitibus uti consiliis cogant, si locorum opportunitates eripiendae hosti: si duo hostium exercitus impediendi sint, ne sese conjungant; haec in primis didicimus esse tempora, quibus temporibus, non parcere armis; atque adeo dare omnia sub unum fortunae ictum expediat. Etiam veterum monitis; omni casuum nostrorum varietate didicimus, pugnandum esse nisi foederatorum fides contineri aliter possit, vel nisi instantem ab tergo hostem continere aliter possimus, vel cum virium nostrarum diminutionem allatura sit dies, vel cum hostium in diversa parte diminutas esse vires allatum erit. Extra has occasiones aut necessitates, vel si quas praeterea quotidie bellum gignit, lacessere pugnam, inutile temerariumque est. Itaque properantes hinc abire Gallos, non ego revocandos in certamen censeo, sed urgendos, quo properantius abire velint, ac si transmittendo Tronto flumini deessent pontes, nec aliter fieri possent, ex argento nostro substruendos censerem.*

Haec dicta placavere impetum eorum, qui occasionem amitti pulcherrimam delendi hostis fremebant ardentes cupidine dimicandi. Sic e manibus Ghisa ultro est dimissus, qui, ut cederet cum aliqua honestate, pugnaeque tenorem etiam in fuga servaret, instructo in hunc modum agmine trans flumen constitit, quasi paratus decernere, si Hispanus certamini sese obtulisset. Posuerat in dextro cornu quatuor millia Gallorum, in sinistro sex Helvetiorum millia, & ut speciem copiarum augeret, dilatata quantum poterat fronte. Ordines introrsum extenuaverat; militem Italum circumdederat impedimentis, & apte locata tormenta interim displodebantur, illisque bombis, quasi non aufugere sese clamitabant. At Hispani, praeterquam quod statuerant, nihil opus esse temeritate ac periculo, strepitumque illum & ferientes aera bombardas irridebant; etiam difficultate subeundi cohibebantur. Namque transeundum aestuarium erat voraginibus tetris, qua pertingeret aqua pectoribus tenus pediti, ephippiaque equorum allueret, ac totum solvi, & dissipari per coenosa & incerta agmen oportebat.

Hispanus Imperator, ubi manifeste cedere Gallum vidit, collaudatis, & dimissis Regni Proceribus, qui conscriptas, uti dictum est, aere suo centurias ducebant, ipse cum reliquo exercitu itinera & progressus abeuntium Gallorum observare instituit. Ancarranumque interea per dies aliquot oppugnando compulit ad deditionem. Locus hic erat Ecclesiasticae ditionis, qua conterminae Piceni rupes regioni Brutiorum adjacent. Incolas habebat latrociniis infames, & omni reliqua vita, qualis latronum esse solet, ac diuturna impunitate licentiam sibi rerum omnium fecerant; veluti Respublica scelerum illic erat. Hispanus, misso sub muros praecone, dici hominibus illis jussit, ni dederent sese, ipsos ultima esse passuros, nec eamdem postea clementiam in captos fore, quae ante oppugnationem parata esset. Ancarranii responsum atrox dedere; ignota illic omni modestia, quam didicerunt eorum alii quidem, alii vero docuere fine suo tristi, & foedo. Quippe capto oppido, duodecim viri qui capita ibi facinorum erant, e furca pependere, minus nobiles flagitiis alii supplevere remigum numerum; oppidum direptum est egestaeque res haud parvi pretii, quas illa sicariorum plebs dispoliandis aliis, ceu mercaturam facerent, accumularat. Pene in conspectu Gallorum haec acta.

Mox Ghisam perpulit cura dignitatis & famae, tentare agereque adhuc aliquid, ne omisisse res Romanas, & vitasse hostem crederetur, missoque Asculum Sepierensi cum quadringentorum equitum ala, negotium dedit, ut speciem praeberet, Gallica vi defendentis Urbem, simul conjungeret se cum Antonio Tiraldo, qui ibi in praesidio erat, & pugnam cum Hispano aliquam serere studerent. Ea resarciendae dignitatis cura multo stetit sanguine, nec incruenta Hispanis fuit. Commissa namque prope Asculum pugna, vulnera, caedes in utraque parte fuerunt; Gallorum etiam aliquot capti nobiles duces, & vexilla amissa, captivumque praecipue Sepierensis ipsius vexillum, auxere cladem famae, quae sananda & restituenda erat.

Ea vero detrimenta, non Gallos magis ipsos, quam Pontificem Romanum angebant, qui prospiciens animo cernensque oculis destitutionem illam Gallorum conflatam mobilitate gentis & rerum adversarum concursu, agitabat consilia omnia & blandimenta, quae cedentem retinere Ghisam possent. Congressi cum eo Turnonius & Carafa Cardinales, & Petrus Strotius fidem obstrinxere suam, si manere vellet, nihil ultra desideraturum, prout foederis conditiones initio scriptae essent. Tria Helvetiorum millia mox ad eum ventura, quae Terracinae Episcopus adduxisset. Ghisa liberius quam antea expostulare atque indignari coepit, quod promissis Carafarum in fraudem periculumque inductus esset, ac tunc maxime fraude circumveniretur. Male suppeditata prius omnia, quae pertinerent ad rem gerendam, & postquam eorum culpa male gesta sit, quaerere ipsos etiam receptum ad Catholici Regis gratiam, & agere cum eo de reconcilianda pace, ut Gallorum exercitus quem ipsi in Italiam acciverint, destituatur in aliena terra hostibus undique objectus.

Cardinales purgabant praeterita, futura pollicebantur, & Palliani Ducis filium obsidem dabant, quo plus fidei promissis esset; cum eo Strotius in Galliam proficisceretur atque de statu rerum edoceret Regem. Interim negotio de pace cum Hispanis ineunda quietem fore ad mensem unum. His parumper Ghisa delinitus & placatus ajebat, si videret aliquid eorum agi, quae dicerentur, se quoque facturum, ut Pontifex Maximus virtutem Gallorum & fidem, unicum & fidelissimum Ecclesiae subsidium experiretur; nec cedere se nunc Regno, sicuti posset fortasse credere speciem & umbram tantummodo rerum intuens vulgus, sed capere impetum ut irrumperet vi majore, siquidem adjuvare vellent etiam ii, quibus omnia quaererentur. Sermo hic quidem erat Ghisae; Pontificem tamen intuentem prosperas Hispanorum res, in sua vero parte multos irritos ad eam diem infelicesque conatus nulla bona spes habebat. Expetebat ut saepe antea pacem, eamque Catholici Regis aequitate impetrari posse arbitrabatur; sed turbabant omnia inquieti propinqui, praeter caeteras artes, etiam septo custodiis acribus aditu, ne quis forte pacificator in conclave intimum admitteretur.

Galliae Rex Henricus, cognito rerum Italicarum statu, nuntiisque ab Ghisa acceptis, majus aliquid esse moliendum ratus, vetera sua & numquam prospera circa res Anglicanas meditamenta renovabat, urgebatque si forte in ea parte felicior sibi adversus Hispanum, artium fortuna esset, quam adhuc in Italia fortuna belli erat. Generosi spiritus, animique vir, ac Regum more, vix aequa, nedum iniqua ferens, nullo modo poterat conquiescere, nisi sortem armorum infelicem diverso aliquo eventu compensavisset. Unica spes in id erat sollicito Regi unicumque instrumentum Elizabet Angla soror Reginae illa, quae furiales in muliebri pectore curas & sensus adversus germanam suam, & adversus Catholicam Religionem alebat. Huic commovendo instrumento machinam habebat domi Thomam Stafortium ex Buquinaniae Ducum stirpe, ob Religionis crimen profugum ex Anglia, paratumque sperare quidquid placeret, ac dulcedine spei minime videntem praecipitia quamvis & abrupta, sicuti desperati etiam solent.

Huic hospiti suo facile persuaserat Henricus, posse

 matri-

matrimonium ei contingere cum Isabella, nec ipsa abnuebat, commeantibusque litteris & internuntiis, erat facta conjuratio Reginae interficiendae, cum eo, ut perpetrata nece novus maritus, Regnum invaderet. Non dubitabat Rex Henricus, quin ea incoepta finem essent habitura, quem deberent, sed aliena capita conjuratorumque animas in nulla ponebat cura, dummodo ipse ex eo Regno Hispanum amoliretur. Et alterum quidem secutum est, ut conjurati quadraginta rem meditatam luerent capite, alterum vero, ut interfecta, sicuti Gallus voluerat, Regina, Catholicus Insula excluderetur, irritum fuit.

Tanto postea vehementius Reges ad bellum exarsere, accensi conjurationis exitu, Gallus, Hispanus, conatu, necessitate uterque ciendi multimodas vires, ille quia destinata non successissent, hic quia talia destinarentur. Interea Rex Philippus, ad expediendas pecunias, cogendosque milites Ruigometium Sylvam Ebuli Principem in Hispaniam ire jusserat, mandaveratque ei, ut Principem Carolum secum ad se deduceret, in cujus verba Germaniae Inferioris provincias adigere statuerat, etiam ad pueri pertinere disciplinam ratus, si ille procul ab quotidianis cum Amita jurgiis ante oculos suos haberetur.

Sylva, ineunte Martio Madritum ingressus, & re cum Caesare communicata, institit cogere undique pecunias, ac petebat ab Toletano praesertim Archiepiscopo, ut conferret in Romanum Gallicumque bellum ejus pecuniae partem, quam Africo sese bello collaturum antea professus erat. Atque Toletanus, semper violento spectans favore res Romanas, & cum Pontifice Paulo quarumdam opinionum asperitate recte compositus, quae fraterna nonnumquam ingeniorum similitudo est, etiam hoc tempore ob studium erga hostes, lente ac restricte erga Regem agebat, anxiusque dolore simul & metu, quod neque commodare Regi quidquam in eo negotio vellet, & non commodasse, infidum videretur, incidit in morbum ex quo non convaluit. Mors hominem nudavit, ut solet, estque repertus aliquanto minor opinione communi & fama, quae ferme extollere opulentorum fortunas amat; atque id quod erat fortunarum, in Regium Fiscum a Quaestoribus repetebatur, ob accumulatas persolvendi negligentia pensiones, quae subsidii nomine debitae erant, exstabatque syngrapha, per quam Archiepiscopus obligaverat Carolo Caesari suam in id fidem, ut quadraginta millia nummûm aureorum quotannis penderet. Largitiones etiam ab moribundo factae rescindebantur, quia factae non erant intra legitimum tempus; & Romanum hostem habere spolia, iniquum censebant. Earum rerum causa Virbiesca Munantonius Toletum est missus, cui persequenti Regis jura resistebatur a Canonicis. Adeo mortui Pontificis violentia infecti Clerici erant, eaque tabes velut a capite in membra, & corpus manarat.

Sed dum haec, & alia pecuniis cogendis agitantur, onustae auro naves adfuerunt ex India, levamen ingens rebus, & ejusmodi curarum finis, ac nihil aliud cunctatus Sylva in Italiam quidem decies centena millia nummorum aureorum; in Belgium vero dimidium summae ejus transcripsit. Reliqua deinde consilia componendo Hispaniarum & aulae statu sicuti ab Rege mandatum erat, exsequebatur, ac de singulis rebus ad Carolum Caesarem referebat. Consultavere una de imponendo Toletanae Ecclesiae nonaginta millium aureorum nummûm tributo, quod in Golettae arcem insumeretur. Sic Archiepiscoporum opes minus fore suspectas, quandocumque devenissent ad ingenium aliquod turbulentum & inquietum.

Compostellana, & Cordubensis Ecclesia vacuae Pontificum morte, cui mandarentur item est cum Caesare consultatum, & Cordubensis Episcopi bona Quaestores attinuere ob centum & triginta millia, quae debuisset. Quaesitum an portoria Castellani maris, quae Friensi attribuisset olim Rex Henricus Ducis morte repeterentur in Fiscum, censuitque Caesar honorem habendum esse Domui, nisi heres femina jus illud ad penates alios deferret. Factus Castellae Praeses Joannes Vega, institutumque ut tritici mensura novenis denariis veniret. Nam gravior in dies annona corrumpebat etiam plebis mores, & augebat, ut assolet ditiorum avaritiam; pleraque demum salutariter ex Caesaris sententia Ruigometius in Republica totoque aulae statu instituit ac mutavit cum offensione multorum, sed praecipue Demarchi Mondejaris, qui Veghae locum expetiverat sibi, & quia non impetrarat, relicto quod obtinebat, munere Praeses Indiarum abiit domum.

Verum enim vero curae istae minores fuerant prae magna illa & ingenti cura, quae caput & summam rerum omnium continebat. Namque puer Carolus, quem Rex Pater, sicut antea demonstravi, sacramento Provinciarum in eum exigendo adduci sistique in Belgium jusserat, quanto magis aetate progrederetur, ea praebebat specimina indolis suae, ut peregrinari jam ipsum spectareque res humanas atque tot invitamenta peccandi valde lubricum & anceps foret. Igitur ea maxima cura sederat Caesaris animo, dimitteretne cum Ruigometio Sylva Principem, an vero contineretur adhuc ille intra umbratilis disciplinae custodiam, si forte verti ingenium ad meliora commodiorque fieri Adolescentulus posset. Decesserat ei Magister morum Antonius Rojas, absumtus uti creditum est, matrimonii laboribus, quo sese illigarat inhabili jam senecta, quaerebaturque idoneus alius educator, cujus auctoritas & mores exemplum puero vinculumque essent. De ea re, totaque Principis educatione consultantes inter se Carolus Caesar, & Ruigometius Sylva sermones hujusmodi contulere, qui licet in arcano habiti, nihilominus uti caetera omnia Principum emanaverunt, summaque sermonum eorum perscripta in Commentariis exstat.

Dixere enim, adhibendam esse curam in eo, ut circumstarent puerum viri Principes, quorum adspectus, & alloquia quotidiana facilius erudirent atque mollirent animum, quam durae & semper ingratae docentium voces. Hos eligendos esse plenos gravitate, quae torvi nihil haberet, facilitate, quae procul abesset ab inepto & levi, scientiarum disciplinis excultos, aptos sermone & lingua, corporis etiam externa specie, quae grata puero esset. Cavendum inde ne educaretur in solitudine puer, quae nimirum efferaret ingenia, faceretque moestos, & iracundos, & male cogitantes. Cibi potionisque rationem esse habendam, ut ad corporis vires, exercitiique modum exacta dimensione attemperaretur. Exercendum utique Principem equorum & armorum usu, & his quae leviora habentur, saltatione ac venatu, & pila. Litteris etiam, quae regnaturum decerent, erudiendum; haec omnia sic permiscenda atque temperanda, ut naturalis temperamenti vitium salubri paulatim moderatione evinceretur. Haec inter se consilia Caesar, & Ruigometius Sylva contulere sanando Principis ingenio, si qua humana arte id contingere, sperarive posset.

Philippus ob domesticum illud incommodum haud umquam sane paterna sollicitudine liber, sed dilata nunc ea cura, parabat ab omni parte circumvenire suis armis Galliae Regem, ipseque vicissim ab eo circumveniebatur, violato jure, quod sanctum etiam inter hostes habetur. Cum enim Angliae Regina Philippi uxor misso ad Durocottorum foeciale (Durocottori tunc forte Rex Henricus morabatur) bellum ei denunciavisset, Foecialis ille est interfectus, qualis violentiae rara exempla in omni bellicarum rerum memoria & varietate exstare arbitror. Sed satis manifesta res fuit, inhorruisse Regem Henricum, ubi insurgere novum illud ex Anglia negotium vidit. Namque turbatis domi rebus, afflicto exercitu, quem cum Ghisa in Italiam miserat, etiam inextricabili rei pecuniariae difficultate, quidquid praeterea accessisset, id aggravabatur incommodis ejusmodi, & ea vicissim aggravabat. Itaque confuso vultu respondit nihil ab se esse factum hostiliter in Reginam, & vires tamen habiturum eas, queis bellum, & belli concitores sustinere se posse speraret. Mox Foecialem ipsum obtruncavere quibus ab Rege mandatum erat, ejusque necis

necis invidia Galli pessima fama per eos dies in publicum fuere.

Sed aperto justoque Marte ceperant Aximam, & arcem eam valido praesidio tenentes objecerat exercitum finibus Atrebatum, & Luzeleburgi, remque Gallicam in ea parte Niverni Dux regebat. Philippus, ut in omnes partes intenderet bellum, jusserat suos in Gallia Cisalpina praefectos praesto esse Parmae Duci ad Ferrariae Ducem invadendum, qui sese hostem aperte professus non destiterat sollicitare Gallos, ut Parmam ipsam aggrederentur. In eam expeditionem Alvarus quoque Sandaeus cum Senensi exercitu ferre Parmensi opem debebat. Anglica classis ad infestandam Picardiae, Normandiaeque & Britanniae maritimam oram uti circumduceretur, ab Rege est mandatum. Duodecim millia peditum, equites bis mille Panbrotius ex Insula traducere ad Icium portum jussus. In universum quadraginta quinque millia peditum, tredecim millia equitum, octo millia operarum fuere. Huic Anglico, Gallicoque exercitui Sabaudiae Dux Imperator datus. Summa rerum ad Audomarum in Atrebatiis posita; Rex ibi aderat tanti belli discrimen ipse aditurus.

Dum Regius hic exercitus sua mole tardius movetur, Neapolitanae copiae in Romano agro prosperis aliquot magnisque successibus perculerant hostes, angebantque Pontificem quotidianae clades intuentem ex propinquo Toletani circa Lavicum aestiva, captam atque direptam Germanorum impetu crudeliter Signiam, & Pallianum in manifesto discrimine, & spem in Gallorum exercitu jam prope nullam. Promulgaverat legem, ut, qui Cardinalium extra Urbem essent, sisterent sese intra duos menses ad Ecclesiae defensionem, parique Catholici Regis edicto jussi negotiatores in patriam quique suam demigrare, nudaverant Urbem Romam omni prope mercimonio rerum etiam earum, quibus alitur vita.

Auxerat sollicitudinem deprehensus Romae speculator homo Florentinus, per quem ad Albae Ducem cuncta perscribebantur, composito in hunc modum artificio, ut collocatas ab ipso litteras in Aventini Montis latebra tolleret alius quidam, cujus generis fallacia primis etiam diebus aliquamdiu felix, capta denique cum auctore fuerat; ac sicuti antea Garcilasus Hispanus, ita nunc Florentinus iste (& scriba Medicaei erat) in arcem illico est conjectus. Galliae Rex etiam terrebat crebris in Pontificem querelis aperte minitabundus quasi vellet exercitum revocare, donec a Petro Strotio, qui super ea re legatus ierat, paulisper est mitigatus.

# E P I T O M A

## Ad librum octavum.

*FLorentinus Dynasta, opportuna Carafae Gentis alienatione, gratiam apud Hispanum adeptus, petit Senensem Provinciam tradi sibi. Traditur Provincia, datis utrimque, & acceptis conditionibus, quibus Dux erga tanti muneris largitorem attineatur. Traditionis caeremoniam peragit Ficeroa. Pileum, Anulum, & Sceptrum accipit, insignia novae Dominationis. Solenni deinde juramento Dux Regi obstringitur. Exstinguitur Lusitaniae Rex. Philippus ad Valentianam Urbem defertur, peragendis ibi militariter, antequam bello prodiret, erga Soceri memoriam, muneribus. Dux Cameracum redit, dimisso Sabaudiae Duce, secum inde auferente consilia, & Regis de futuro bello mandata. Is, tentatis in Campania Maderiaco, & Roicroio, recta ad S. Quintinum obsidendum pergit. S. Quintinum Sabaudus obsidet. Gallus, non sine magna clade, irrumpit in hostem. Urbi obsessae subvenitur. Non tam necessitate, quam ardore pugnae concurrunt hostes. In conflictu Momoransius ab hoste capitur. Navarrae Regis frater occiditur, ingenti etiam suorum strage. Rex Henricus, audita suorum caede, coeptam Compenii obsidionem relinquit, affuturus cum milite, quem ab obsidione revocabat. Ghisam quoque ab Italia ciet, totis viribus prohibiturus hostem. At S. Quintinum capitur. Moderatione Philippi, victis parcitur, militarem licentiam inhibente. In tam prosperis rebus Philippus revocat de Religione curas. Super hac re Magistrum Gallum ad Ferdinandum, & Maximilianum mittit. Nihil legatione missa efficitur; lenta ad Imperii vim obtinendam valetudine, & senecta Ferdinandi, trepidante etiam Maximiliano, ne, violenta inter turbidos defensione causae, fortunam suam everteret. In Italia majore, quam antea, conatu, bellum gerens Toletanus, clandestinam irruptionem in Urbem Romae meditatur. Destinatis intervenit externa fraus. Irruptione detecta ad obsidendum Pallianum miles retrotrahitur. Palliano obsesso Pontifex non aversatur pacem. Seruntur utrimque de pace sermones. Conditiones agitantur, accipiuntur, & pax initur. Romana pace conciliata, bellum acrius cum Gallo geritur. Hispano Jatelletum deditur, condita Arx a Francisco Primo, tempore quo cum Carolo Quinto pugnatum. Hamum deinde oppugnatur. Deditur Lansachius cum octingentorum praesidio, praefecturae ignominiam tam turpi deditione adeptus. Henricus amissa loca recuperare parat. Id Ghisa, & Stromio aversantibus, consilium mutatur, & Cales Rex aggreditur. Cales occupatur. Pari felicitate Guinischum Arcem insidet Ghisa. Cardinales Legati de pace mittuntur ad Reges. Pronis semper auribus ad petita pacis, quam nec aversaretur cum iis, quorum humilitatem spernere potuisset, Hispanus Ferrariensi conciliatur. Gallus victoriae momenta aestimans, Theonvillam oppugnare pergit. Capta Theonvilla Lucemburgum Urbem impetu capit, dein in minora Castella saevitum. Nec armis tantum, sed dolis etiam pugnatur a Gallo. S. Homeri capiendi fraus ab Hispano detegitur. Moritur interea Caesar, cujus morbum aggravasse creditus est ex conditione sua moeror. Mortuo Caesare Alcaudetis Comes sistitur ad Orani moenia. Urbem Mostaganum Hispanus obsidet. Obsessae Urbi subsidia feruntur. Orani coepta oppugnatione relicta, Turcarum exercitus ad Mazagranum reducitur. Occurritur ab Hasceno hosti; cum insigni Turcarum caede pugnatur. Victor Barbarus cum praeda eorum, quae rapuisset hosti, Mazagranum ingreditur. Martinus, Comitis filius captivus Algerium abducitur. Honestioris sepulturae causa Comitis corpus Barbarus Oranum deportari jubet, non tam laude, quam indulgentiae suae pretio accepto.*

# JOSEPHI RIPAMONTII
## *CANONICI SCALENSIS CHRONISTAE URBIS MEDIOLANI*
# HISTORIARUM
## A
# PHILIPPO II. REGNANTE,
## *LIBER VIII.*

PERGEBAT interea Florentiae Dux apud Catholicum Regem contendere omni ope, ut sibi Provincia Senensis attribueretur. Pollicendo ingentia de se, & Mediolanense regimen criminando, ajebat, rem Florentinam hoc adjuncto dominatu propugnaculum & securitatem in Italia fore Catholicis rebus. Regios Praefectos Mediolani prave discordes agere, atque corrumpere omnia simultatibus suis. Eos Gallorum exercitum transmisisse impune per fines: Ostiam prodidisse ultro; Portum Herculis tanti momenti rem, nihilo melius custodiri; Cardinalem Tridentinum atroci responso repudiasse postulata, cum ipse subsidium ab eo contra Gallos poposcisset Germanorum auxilia, quae recuperandae Ostiae causa excivisset ipse, misissetque exercitum, non nisi solutis Ordinibus potuisse ire per Provinciam. Cardinalem Burgensem in Senarum administratione concivisse jam sibi omnium odia, ipsumque omnibus esse infensum; qualis habitus animorum inter Principem, & subjectos numquam stare sine pernicie rerum posset.

Inclinaverat Rex Philippus animum in eam sententiam, ut Senarum Urbem, adjunctasque terras concederet huic Florentiae Duci; eaque concessio ut rite ac legitime fieret, jussit auctoritate publica scribi litteras & obsignari queis Joanni Ficeroae Regiam suam ejus negotii potestatem delegabat. Praeerat Ficeroa Mediolanensi arci, acceptoque hoc mandato, sicuti caetera Regis mandata erant, cum Duce rem transegit. Conditiones ab Rege praescriptae erant in hunc modum: Primum omnium, ut extra concessionem eam fierent Portus Herculis, Orbitelum, Telamonium, Mons Argentarius, Portus S. Stephani, Campique Masilianenses, & Portus Ferarius & vicina huic, quantum scilicet intra secundum utrimque milliare continetur. Haec omnia cum reditibus, fructibusque suis, & cum jurisdictione tota sibi reservabat Rex, neque attingere quidquam ibi Medicaeum volebat. Declarabat inde atque profitebatur, nolle se hujus beneficiatae attributionis jure, quidquam adipisci juris in reliquum Ducis Imperium, reliquosve ipsius fines. De Plumbino & Elba, caeterisque Insulis, ac de venis aluminis & ferri, quae ad Plumbini Dynastam pertinuissent, ita convenerat, ut cederet omni ea possessione Medicaeus, traderetque Regi jus, & actionem omnem quamcumque adversus Plumbinensem habuisset. Si loca ea Insulasque tentaret aliqua hostium vis; uti Medicaeus vindex atque propugnator ea loca, totamque Senensem maritimam oram exercitu suo tuendam haberet.

Reliqua series conditionum hoc ordine perscripta erat: *Si quam pecuniae summam Caesar Philippi Pater Medicaeo debuisset, id aes alienum ea concessione dissolutum inductumque habebitur. Quamdiu Florentina res, & Senensis in discrimine erit, mittet Rex gerendo bello subsidia suo aere, decem millia peditum, equites quadringentos. Naves & triremes suas mittet Medicaeus quocumque Rex volet, & quandocumque de ea re appellatus monitusve erit. Si Neapolitanum Regnum Insubriave bello invadetur, dabit Regi Medicaeus adversus id bellum quatuor millia peditum, equites quadringentos. Hostes & amicos eosdem habebit, qui Regi amici sive hostes erunt. In omni foedere, omnique armorum societate, quam Rex & Medicaeus cum aliis inire Principibus volent, ratio habebitur, ne quid praeter pacta foederis hujus fiat.*

In has conditiones accepit Medicaeus ab Rege Catholico Senensem dominatum, imponente Ficeroa pileum ejus capiti, tradenteque annulum & sceptrum, quae solennia dum fierent, adfuere testificando viri Principes ex utraque parte, quae dabat scilicet id munus & quae accipiebat, erectis omnium animis ad contemplationem rei, quae raro fortasse antea spectata esset inter mortales, ut terrarum domini terras effundendo ipsas benigne inter se agerent.

Postquam Medicaeus in hunc modum rem Senensem accepit, obstrinxit se sacramento fidelitatis ex formula, quae composita in id ipsum erat, eamque formulam tenens, ipse scriptum recitavit: *Ego COSMUS MEDICAEUS, FLORENTIAE DUX, alter hoc nomine, promitto & juro, esse me ac fore Catholico Regi fidelissime subjectum & obedientem, atque hoc sacramento posteros quoque meos meo jure devinciens fidem eamdem nostrae Domus & obsequium ex hoc die in perpetuum polliceor & obstringo Catholicae stirpi, quae in Hispania deinceps regnabit. Omni nostra sollicitudine & cura viribusque omnibus tuebimur Catholici nominis rem & salutem & dignitatem; si ulla in re hostes ulli nocere volent rei, saluti, dignitative Catholicorum Regum, semper ab nostra parte resistetur, aut si resistere non poterimus, saltem excubabitur adversus hostium tentamenta & conatus, & Regibus nostris occulta omnia patefaciemus. Si quam occultam rem, occultumve consilium Rex Catholicus communicare nobiscum volet, ea res, idque consilium impenetrabilis silentii fide custodietur. Si quid bellicae rei gerere Rex volet, cum armatura omni militeque nostro parati erimus ad exsequenda quaecumque in eo bello Rex noster imperabit. Si qua in re fallam, tunc mihi Deus iratus sit, & haec Sancta Euangelia, quae manibus teneo.*

Cardinalis Burgensis Provinciam illam regebat hoc tempore, sicut antea demonstratum est. Ejus animum magnopere angebat abdicata in hunc modum Provincia, sive quia fasces erant omittendi, quibus ille jam assuevisset, sive quia actionem per se ipsam improbabat. Ingemuere Senenses amissae libertatis infortunio, pene tristius hoc rati, quod ex tanti Regis imperio in potestatem Domini minoris recidissent. Milites quoque tumultuati sunt, atque in eo tumultu Galli, qui Montalcinum habebant, Corsinianum invasere. Pontifex Maximus & Rex Galliae, ad ejus rei nuntium inhorruerant talia cernentes hostium vincula; sed praecipue Ferrariensis inhorruit, praeterquam quod ipse quoque imminebat ei spei, etiam aemulatione erga vicini Ducis fortunam accensus.

Philippus hoc tempore ad Cameracum agebat, inspecto illic ac recognito exercitu proditurus inde ad bellum. Ibi cognito, Joannem Lusitaniae Regem decessisse, Valentianam proficiscitur, ac peractis militariter ea in Urbe supremis erga Soceri sui memoriam muneribus, Cameracum redit. Ab Cameraco Sabaudiae Ducem dimisit, isque tentatis nequidquam in Campania Maderiaco & Roicrojo, ad S. Quintinum recta obsidendum pergit, ut ea claustra, aditumque illum adversus Parisiorum Urbem obtineret.

Urbs

Urbs ea in Galliae Belgicae parte, quae Picardia dicitur, imposita est clementer edito colli ad cujus radices Samara amnis fluit. Munierat etiam natura locum eum; sed Franciscus Primus addidit opera & moles suffecturas etiam si non haberet situs ipse opportunitatem eam, quae primos conditores invitavit. Augusta Vermandorum antiquitus dicta, Samarobrinae etiam aliquando sumserat tenueratque nomen ex vicino amne, qui origine modica & blanda volvit alicubi praecipites undas, & plerasque Picardiae Urbes lato alveo pervagatus, in Oceanum Britannicum effundit sese. Mutavit antiqua nomina Urbi, Quintini Martyris corpus, quod ibi magna cum religione asservabatur, eaque sanctior appellatio, ubi semel est assumta, semper mansit. Spectat a Septemtrione Cameracum Urbem, ab Oriente Ghisam, & Landresium: Occidentalia flumine alluuntur: a Meridie Noviodunum adjacet. Collis ipse, in quo posita est urbs, planitiem inaequalem, vallibusque concisam & passim nemorosam late despectat. Habet moenia lateritiae structurae, & praealtam fossam, & ab sinistro latere paludem fossae instar. Praeerat urbi Bretonius quidam, octingentorum militum praesidio, cum majorem numerum incolae deprecati essent excusando res suas afflictas, & loci naturam atque munimenta extollendo.

Sabaudus admoto exercitu stationibusque descriptis, cum Insulam, quae est in flumine patere instituisset, Galli incensis aedificiis, & sublatis omnibus, quae raptim tollere potuerunt, in Urbem aufugere. Obsidio inde simul & oppugnatio erat urbis, in cujus discrimine tantum momenti Rex Henricus ponebat, ut dixerit, iturum se, & suo ipsius periculo necessaria subsidia introducturum. At Rex quidem ipse sic minitabatur, & fremebat in spem conatusque obsidentium, & in damna irreparabilia, si tantae opportunitatis loco potiretur hostis.

Magister equitum, & Almirarchus, magnae potestatis nomina, & proxima Regi, hortati, ne sese in discrimen daret, ipsi rem peragendam sumsere, alter quidem majore conatu quam effectu, alter vero exitu etiam infelici. Stimulabat Almirantem, praeter imminens periculum Regno, communeque officium erga Rempublicam etiam illa propria cura, quod ipsius Provinciae finitima urbs obsidebatur. Itaque coacto celeriter milite constitit ad Hamum, & quaesita specie tamquam ad persequendos populatores iret, retro convertere signa statuerat atque irrumpere cum subsidio in urbem, quia sibi per fluminis Insulam aditum sperarat. Monitus a Bruelo, non posse illuc absque clade penetrari, contemsit periculum, & paulo ante Solis occasum egressus ab Hamo, tertia vigilia cum parte copiarum irrupit, partem excitati ad arma vigiles caecidere, aut detinuere captivos.

Post hunc Almirantis conatum, Dandalotus ejus frater novam irruptionem fecit, in qua trecenti Gallorum desiderati, capti complures, Dandalotus ipse vulneratus. Ab Hispana parte paene incruentum ejus diei fuisse certamen affirmant. Mox equitum Magister majore impetu cum sua, & exercitus clade fortunam tentavit. Quindecim millia peditum, & cum validissimo equitatu Gallicae nobilitatis florem, tormentaque complura secum ducebat, scapharum quoque ingentem numerum, ut in eas impositi milites fluminis alveo in Urbem immitterentur. Cum hoc apparatu progressus in loca vicina hosti, eodem tempore scaphis transvehebat pedites, submittebatque obsessae urbi praesidium, & subductis in collem tormentis ferreas pilas in Hispanorum castra contorquebat. Sabaudus conspecto Gallorum agmine reputans defendendae urbis cupidine, ac necessitate in loca iniqua progressos, dirigere in eos aciem, & facere summae rei discrimen parat. Id ubi sensere Galli, jamque Belgicum, & Hispanum equitatum suggredi propius videre, diffidentes numero simul & loco, cedere, retro ad Feram, unde progressi erant, induxere animum. Sed jam hostis instabat, idque salutare consilium effusa repente Hispani equitatus procella vanum fecit. Pugnatum est quatuor amplius horarum spatio cum magna Gallorum caede, modico Hispanorum sanguine; ut Scriptores aliqui nimium facile affingentes divina humanis inserere huic pugnae miraculi famam non dubitarint. De numero caesorum ambigitur, cum annales alii sex millia retulerint, apud alios ea summa dupliciter, quidam etiam e priore numero multum demant. Sed qui pugnae fortunam vitarant, in flumine ipso periere, terga fugientium Hispanus ad Feram usque caecidit. Captus est in eo conflictu Momoransius ipse Magister equitum, dum fusa, & inclinata suorum acie, restituere ordines conatur. Navarrae Regis frater, Joannes nomine, perfuso ventre spirans adhuc in reliqua strage est repertus. Principum aliorum, qui capti in eo conflictu vel interfecti funestam ejus diei Galliae toti memoriam fecerunt, referre nomina longum esset. Octoginta ex Hispanis periere.

Rex Philippus, accepto victoriae ejus nuntio ire supplicantum agmina ad gratias Deo agendas jussit, ipseque pie Numen est veneratus ob tam laeta initia, quae sese rebus dabant. Constans opinio fuit inter eos, qui Regum arcana bellorumque progressus in paupere plerumque otio contemplantur, si tunc Sabaudiae Dux victoriae cursum sequi voluisset, perculso Galliarum Rege caeteris attonitis, potuisse debellari. Id dictu, sicuti pleraque, quam re facilius fuit. Certe Rex Henricus ad Compenium audita exercitus clade, trepidus anxiusque rerum suarum, victores adesse Hispanos crediderat, omissa urbe quam obsidebant. Postquam adsidere moenibus illis neque in ullius majoris rei moveri conatum sensit; collecto animo institit quaerere undique auxilia, & totius Regni vires, Ghisae Ducem in primis omissa Italia venire ad Patriae defensionem jubebat; sed ille accisis ab Toletano viribus, ac tunc maxime circumventus, nec poterat jam redire, nec magnum in reditu suo fore momentum fatebatur. Scotiae quoque arma tunc per ipsum concitata in Angliae fines infelicem eventum habuere.

Provinciae rogatae aegre suppeditavere pecunias, & adjuvabat Regina, missa Lutetiam in id ipsum ab Rege, quo promtius impetraret. Religionis etiam curam auxerant pericula, & placando Numini, Rex simul & Regina, conciones atque conventicula Haereticorum prohibebant. Interea Sabaudus toto impetu quatiebat urbis moenia trecentique fistulatores, quos Dux Niverni conatu ultimo per lacunam immittere voluerat, in ipsis voraginibus absumti & demersi erant. Extrema illa spes ademta inclusis, desperationem omnium rerum fecerat, ita ut conspicientes in hostium castris Gallica vexilla, quae Sabaudus adempta Momoransio sustulerat in trophaeorum modum circumspectare deditionem coeperint. Almirarchus motus ejus auctores sublatos in furcas necari jussit, & turbam aliam inutilem ad sexcenta ferme capita exegit urbe, ne annonam aggravarent, quos Hispani retro intra muros compulere.

Propinquo summi certaminis die, quo Sabaudus parabat totis aggredi viribus urbem, Rex Philippus in castra venit, armatusque constitit ante tentorium suum, ut spectaculo frueretur simul & ad rem consilio gerendam adesset. Non res magis alia credita est victoriam accelerasse, quam quod in conspectu Regis, vel scandere murum, vel cadere dum scanderet grande sibi quisque totius vitae pretium putabant. Ita sesquihorae spatio captum est oppidum incertis hominum ex utraque parte judiciis, majorane facinora ediderit eorum desperatio, qui vincere non poterant, an eorum gloria, quos vincere Rex praesens cogebat. Sane minor fama semper habet eam partem, quae victa est, etiamsi victores aequarit virtute, vel etiam antesteterit. Caeterum, de constantia Gallorum eo die spectata sic memoriae proditum est. Postquam actis in fossam cuniculis, & patefacto per muros hiatu, accenso etiam introrsus igne, superfundentem sese Hispanum ultra sustinere non potuerint, gloriam illam extremam appetivisse, ut sanguine quisque suo conspergerent eum locum, in quo forte constitisset.

Praeda fuit ingentis pretii rerum, congesto in eam ur-

urbem, quidquid crebris excursionibus antea rapuerant Galli. Sed captivi nobilissimi Galliae totius habiti sunt ante caeteras opes, inter quos, Almirarchus, & Andalottus ejus frater fuere, atque tanto gratior haec praeda erat, quia demittentem sese de muro Almirarchum, & jam prope elapsum conspicati forte milites retraxerant. Magnum eo die specimen Catholicae Majestatis ac religionis praebuit Rex Philippus, tunc cum imminentem in captam urbem avaritia militum libidineque, & ira, ingressus illuc inhibuit furorem, & veluti custos pudicitiae, sexum & aetatem, quae maxime opportuna injuriae erat, fido praesidio sepsit, estque minitatus extrema si quis violaret. Ille etiam restingui ignes jussit, queis jure belli hostilia tecta conflagrabant, & magnifice victores, comiter victos allocutus, quatuor & viginti horarum spatium finivit, extra quod rapuisse quidquam ex hostico capitale militi esset. In primis habita cura reliquiarum, unde nomen urbi, ne militari licentia diriperentur ac perirent.

Capto Sanquintino, cum plerique Principum, quos Rex apud se habebat protinus eundum esse Lutetiam suaderent, ipse quidem assentiebatur utendum esse victoria, Galliamque subigendam; sed Caesar pater, & reliquum ex Hispania consilium, diversa suadebant. Satis jam esse profectum in id, ut pax honesta firmaretur; rediret ipse in Hispaniam ad componendum ibi rerum statum, & magna illa victoria contentus dubia quoque bellorum, & Martem semper ancipitem reputaret. Destinatum erat non prius abscedere Belgio, quam pace confecta, induciisve pactis, quae nihil habiturae insidiarum essent, & auxerat animos juveni Regi grandis pecuniae summa, quam Petrus Melendetius Indica classe portare nuntiabatur.

Inter bellorum curas non decesserat Regi sollicitudo illa de Religione, ut ea scilicet per omnes Catholici Imperii fines sarta, tecta, integraque conservaretur. Et quia spargi passim ac dissipari libros senserat infectos prava doctrina, evertendae Ecclesiae principium, nisi quamprimum obviam itum foret, Barptolomaeum Carentiam recognitioni librorum praefecit, ne quid uspiam veneni occultaretur. Magna viri hujus merita in Catholicam religionem erant, versatusque triennium in Ecclesiae Anglicae restitutione, novum hoc munus cum summa Regis approbatione obibat; ejus consilio instituit Rex, ut ad omnes Catholici Imperii portus appositi custodes excubarent, ne quid ejusmodi voluminum importarent. Etiam subsidium illud ingens ut ad tuendam Sacri Tribunalis dignitatem ex unoquoque Canonicorum collegio annui reditus assignarentur communicatis cum eodem Carentia, consiliis agitaverat, & postea perfecit. Denique Carentiam ipsum varie spectatum, & probatum Ecclesiae Toletanae Pontificem renuntiat decepta multorum spe, & ambitione, quorum conatus, & vota conversa illuc fuerant. Speraverat desponderatque sibi Pontificatum eum inter alios Hernandus Archiepiscopus Hispalensis, & Inquisitor Generalis, unde invidia in Carentiam & criminatio multiplex orta, de qua postea scribemus.

Hoc tempore contenderat Rex animum ei quoque curae, ut cum Ferdinando patruo, & Maximiliano patruele, colloqueretur, de constituenda Imperii Romani successione, tollendisque vitiis, quae quotidie illic in religionem irrepebant sub invalido sene, & juvene, quaerente sibi Principum studia, e quibus id malum. Sed cum ob partis utriusque negotia congressus impeditior fieret, legavit sibi Rex in eam rem Magistrum Gallum ex Dominicanorum Ordine, id nomen viro cui contigerat ea tempestate ut summus Theologus esset, summus Orator,& in magna severitate vitae Aulicorum etiam summus. Colloqui cum Ferdinando simul, & Maximiliano is debebat, atque ex eorum auctoritate, concilio Vormatiam indicto, lacessere ad certamen Haereticos & controversa cum eis capita, demonstrando errores ad concordiam pacemque adducere. Nihil ea legatione est effectum, lenta ad Imperii vim obtinendam valetudine, & senecta Ferdinandi, Maximiliano juveniliter trepidante, ne violenta inter turbidos defensione religionis fortunam suam everteret. Causabantur haeretici, hominem esse disputationibus assuetum contritumque diuturno scholarum usu, qui venisset, ideoque simplicitati suae vitandum ob subtilitatem, & cavillos. Ita legatus irritus ad Regem rediit exiguo concionum etiam fructu, quarum eloquentiam, obstinatis ad ea, quae dicebantur animis admirata Germania erat.

In Italia Dux Albae majore nunc conatu rem antea quoque cogitatam urgebat, ut consternatis jam Hispani exercitus terrore bellique cladibus Romanorum animis, urbem invaderet ipsam, ac ea necessitate Pontificem, & Carafas ad consilia semper expetitae pacis obnoxios facilesque haberet. Consilium erat intempestae noctis silentio scalas admovere moenibus, qua sanctae Crucis porta, & porta maxima jam recognitae per duos Praefectos, Palacium, & Mosqueram faciles aditus ostendebant. Sed rei, quae secreto agenda erat, ac summa ope inter Hispanos tegebatur, intervenit externa fraus, atque destinata evertit. Cum enim Alexander Placitus per eos forte dies a Cardinale Sanctae Florae, & Cardinale Sancti Jacobi Ducis patruo in castra ad Ducem ipsum venisset, sensissetque moveri nonnihil, detulit in reditu rem ad Cardinalem Carafam, & crebrae per muros laternae vigiliaeque confestim in suspecta maxime parte disponuntur. Itaque comportatis jam scalis, & intercluso aditu, ne Gallus ab Tibure ferre opem posset, suggressi ad moenia Hispani, ex luminum frequentia, hominumque discursu rem esse detectam cognovere.

Inde ad obsidendum Pallianum eunt, perculsa & tumultuante Roma ob tam vicinum discrimen. Tota jam illic aula pacem expetebat, & Pontifex ipse victo periculis animo placide annuebat, ac repetita quae prius fuerat negotiatione, pacificatores ultro citroque commeabant. Una conditio durior ab Albae Duce proponebatur; ut Pontifex Maximus diceret atque profiteretur ipse, quemadmodum inique movisset arma, & Marcum Antonium Columnam inique exturbasset. Ad quod exarsit adeo, ut diceret, potius tradita Gallis urbe iturum se aliquo ubi tutam adversus hostium arma reperire sedem posset.

Demum mitigantibus negotium atque animos Cardinale Sanctae Florae, & Cardinale Vitellotio, res convenit. Hae pacis conditiones fuere: Dux Albae Pontifici Maximo Regis nomine deferret obsequium; Pontifex Regem Apostolica gratia amplecteretur, ac sese deinde nullarum partium servaret. Quae loca utrimque essent capta, detractis munimentis restituerentur. Nemini fraudi esset, in hac illave parte stetisse ac dimicasse. Si Dux Albae Gallos persequi abeuntes in animo haberet, ne per Ecclesiae fines ei transitus daretur. Haec ut agere transigere possent, habebant opportuna mandata patentibus consignata litteris, Cardinalis quidem a Pontifice, Dux autem a Rege, atque ita Romano bello finis fuit. De restituendis Marco Antonio Columna, & Ascanio Cornia separatim cautum. Acta res ad Cavas: eo Cardinales ad Albae Ducem venerant, & rediere Romam cum publica gratulatione quasi liberatores urbis.

Pontifex laetus ea pace magnum Jubilaei munus generi humano indulsit, & raro umquam antea tam effuse Romae exsultatum est. Adeo direptionis & excidii terrores ex insperato sublati exhilaraverant animos, & defuncta tanti belli malis urbs triumphabat. Incessit deinde urbi aliud naturae malum, proluvies aquarum e coelo, Tiberisque inundationes in prodigium versae ob stratas aedificiorum moles, & inter ruinas nudata Sanctorum ossa, navibusque tentatum iter, qua cursus equorum antea erant. Is aquarum furor tenuit Albae Ducem quo minus ad Pontificis Maximi pedes reconciliata statim pace adiret. Ubi constitere aquae, suaque est reddita terris facies, filium pro se Romam misit. Mox, & ipse aderat, occupata Cardinalis Carafae celeritate, qui Pontificis jussu excurrebat ad precandum ut veniret.

Ejus adventu velut ad triumphi spectaculum Civitas uni-

universa consurrexit, & plane varietatum humanarum spectaculum erat, unus homo excidium paulo ante minitatus, & cladem, nunc adulans Urbi, & vicissim adulatione laetus, coenavit apud Pontificem Maximum accubuitque una, & jucunde postea collocuti dicebantur de praeteritis casibus & de magnitudine Catholici Imperii, ac monuisse invicem nonnulla quae cavenda in posterum quaeve instituenda utrique parti essent, ut Hispana hinc, inde Romana res amplior, tutiorque esset. Data sunt privilegia Duci quaecumque optavit, & captivi omnes dimissi.

Dum in Italia Romana pax agitaretur, dein pace conciliata; certatur illic officiis omnique inter Pontificem Maximum & Hispanum Imperatorem liberalitate. Rex Philippus Gallico bello intentus post partam ad S. Quintinum victoriam, ita temperaverat sibi simul, & fortunae, ut neque in extremas res hosti insisteret, neque rursus omitteret arma illa Galliae toti jam minitata conversionem rerum.

Jatelletum castellum est in Picardiae finibus cum arce munitissima Cambrajum inter & S. Quintinum prima spes praesidiumque regioni illi si hostis irrumpat. Condiderat eam arcem Franciscus I. tempore quo certamina fuere huic cum Carolo V. de imperio & gloria, monstrabanturque munimenta illa tamquam aemulum aedificium, & par conatus adversus Cambrajensem arcem quam Caesar non longe inde adversus tentamenta Gallorum excitarat. Ad arcem eam oppugnandam mittitur ab Rege Philippo Comes Arinbergae, qui quassata tormentorum aliquot ictibus muri parte, subegit ad deditionem inclusos, & pacti, ut cum rebus suis incolumes abirent, arcem tradidere. Unde atrox ira Regis Henrici in Salinicum, & decreta, velut in proditorem poena, quam ille effugit, monito Rege, quemadmodum ad custodiam ejus arcis trecenti milites dati essent, cum ipse bis mille poposcisset. Philippus ad inspiciendam arcem nocturno tempore progressus praescriptaque ibi munitione, & datis mandatis, quae danda erant, ad S. Quintinum nocturnus uti ierat, revertit.

Ibi consultans de reliqua ratione gerendi belli statuit tentare Hamum, quae urbs in ripa Somae fluminis posita loco plano, & aperto voraginosas paludes habet inter munimenta, sed nec ea quae manu ponuntur desunt, quadrataque turris, & propugnacula quatuor firmant arcem, Lansecchius praeerat huic Urbi inter Romana negotia memoratus nobis, nec parvi antea nominis homo, praefecturae hujus exitu ignominiam adeptus. Processere ad oppugnandam Hamum cum exercitu universo Rex Philippus & Sabaudiae Dux, castrisque subjectis urbi, diversa in parte constitere, tam segni ad resistendum Lansecchio, ut cum posset tormenta displodendo, Hispanum arcere pontis aditu, per quem ingrediendum erat, ea res praetermissa neglectaque sit. Metuens inde Lansacchius, ne si capta urbs esset fieret ipse victoris ira maturandarum deditionum exemplum, dedidit sese, cum octingentorum praesidio, & Urbem potiti eam Hispani, Nojonum insuper, atque Jaulinaeum capta protinus loca diripuere.

Henricus collecto ad Regni defensionem quadraginta millium exercitu cum octo fere millibus ad Amiensium processerat, si quae posset hosti damna illaturus; caeterum moesto animo ob haerentem in visceribus Hispanum, amissasque urbes & arces, quae fuerant claustra Regni. Angebat eum casus quoque unus acceptus in prodigii loco, cum ad rem divinam prodeunti ei furiosae mentis homo, Cabetius nomine sese obtulisset, strictumque gladium intentans dixisset, mandasse Deum sibi ut ipsum interficeret, quam postea vanitatem infortunio alio luit Rex. Nunc recreaverat eum insperata profectio Philippi, qui satis in praesentia esse actum ratus, omisso de manibus hoste, victorem exercitum reduxit in hiberna, peccatumque rei militaris hoc ingens habitum est ab illis, qui spatium dari Gallo ad reparandas vires canebant. Nimirum fuit haec saepe veluti divinitus data magnis ducibus calamitas, ut victoria nescirent uti, cum vincere iidem scirent. Sic etiam Annibal ad Cannas fortunam ipse suam corrupit cunctando, & sedendo, cum ad Romana protinus moenia ducere debuisset.

Decessere hoc tempore Bernardinus Mendotius, & Ferdinandus Gonzaga; ille fractus uti creditum est laboribus, vigiliisque ad S. Quintinum, & reliqua semper vita acta inter bella, & curas; hic mortalis aevi spatia emensus cum omni casuum vicissitudine, quae fortunatam aerumnosamve Principum vitam facit. Fidus uterque Carolo Caesari prius, deinde ab eo, una cum haereditate Regnorum traditi filio Regi, Regna provinciasque cum laude administrarant. Et ut magna funera continuarentur, obiere in Hispania Principes Asculi, & Villaenovae Demarchus; ille publice desideratus ob suam & patris famam, hic exspectato privatim apud multos fine ob Securienses reditus, quos Commendatoris nomine obtinebat. Joanna Regis soror nominaverat in hujus locum alios, sed Ruigometii Sylvae commendatione Feriae Ducem antetulit Rex.

Allevaverat Henricus, uti dictum est, animum, ex magna consternatione, postquam Hispana arma, quae perhorruerat, cessere finibus suis, tantaque procella intra Hamum, & Sanctum Quintinum, & ignobiles praeterea pagos stetit. Mox ingens aliud ipse bellum molitur, addita ad collectitium exercitum, de quo memoravi, valida Helvetiorum manu, Subalpinique militis parte; & Ghisa cum exercitu suo redierat domum. Laetus hac multitudine copiarum Rex in animo habebat amissa prius loca recuperare, deinde Catholicos fines aggredi toto impetu, ac si prima processissent, tentare ulteriora, minime imitando hostem, cujus errore salva Gallia esset. Sed Strotius & Ghisa monebant, esse Hamum, & S. Quintinum munita recentibus Hispanorum curis, & sollicitudine, quam omnis nova fortuna deposcat; si disposito per hibernandi simulationem locis opportunis exercitu, Cales repente aggrederentur, imparata illic, & opportuna omnia esse habituros. Ea sententia placuit Regi, & exhibita membrana per Strotium, qui nocturnus ad moenia inspicienda successerat, rem cogitatam pro certa, & peracta jam habebant. Ac tantopere incubuerant animis in hanc partem, ut caeterarum partium cura pene esse omissa videretur. Nam Corsicam Insulam, quam Rex Franciscus Genuensibus olim ademerat, pene destituerat ob non missum ex Gallia subsidium Jordanes Ursinus, qui pro Gallo Insulam tuebatur. Et potuerat Sabaudiam recipere, missus in id ab Emmanuele Philiberto Dynasta Polieviensis, nisi parce suppeditata pecunia, & imbres effusissimi domum eum compulissent. Non reliquiae Senenses, non foederis reliquiae magnopere cordi erant, destituebaturque Ferrariensis.

Rex Catholicus vicissim incuriosus ab ea parte cui parabatur, imminebatque discrimen, rerum omnium aliarum consilia disponebat. Pertaesus crimina, quae jaciebantur assidue in Cardinalis Tridentini praefecturam, ipsum quidem amoverat ex Provincia Mediolanensi; Joannem vero Ficeroam inculpatae famae virum jusserat praeesse Provinciae, donec successor alius mitteretur; qua Regis mente intellecta, Cardinalis petierat sibi ultro muneris finem, impetraratque. Ducem Albae cupientem exsuere invidiosum illum Vicarii Generalis titulum, atque cupientem aliquando esse ibi, ubi Rex, ubi aula esset, dato qui rem Neapolitanam regeret, Joanne Manriquio Lara, datisque ad componendas Insubriae res mandatis, exspectabat. Bellum, quod infestando Ferrariae Duci jam antea geri coeptum erat Hispanis auspiciis ab Duce Parmae, ducebat moderabaturque ita ut neque crederet cuncta Parmensi, quia desponsa Ferrariensi filia coeperat ille esse suspectus, & hunc tamen in poenam Gallici foederis exerceret. Ac sicuti servi agentes aliquid dominos imitantur in scena atque effingunt, ita bellantibus inter se duobus Regibus, qui soli inter mortales merentur id nomen, Reguli etiam isti duo non tamen suis uterque viribus concurrebant. Varias invicem minutasque clades intulere, captoque Scandiano Farnesius toti Arretiensi agro infestus erat, & vicissim expugnato Gardasone Ferrariensis urebat

bat vicina, & populabatur. Magnum Etruriae Ducem interjectum huic certamini Rex Catholicus habebat, ipsum quoque sentientem ejus parvi belli pericula & damna, cum & copias mittere auxiliares deberet ex foedere, & vereretur, ne incendium illud in fines etiam suos trajiceret. Pacem hic inter Regulos magnopere optabat scripseratque Regi, sollicitari rursus ab Estense Carafarum animos ad rebellandum; additis etiam criminibus in Regios Praefectos Ficeroam, & Sandaeum; eos mutuis simultatibus corrumpere omnia, nec posse regimine illo commode res Insubrum administrari. Vicissim ipse incusatus apud Regem erat, quod, nec auxilia opportuna misisset, neque in caeteris rebus amici fidelis officio fungeretur, quod postea crimen apud Albae Ducem anxie conatus est diluere, cum ille per Etruriae fines iter haberet. Proficiscebatur enim hoc tempore ad Regem in Belgas, atque in itinere cognoscebat multa, & sanabat, ac Mediolani praesertim ferebatur incusasse prava dissidia Praefectorum, non solum inter ipsos, verum etiam adversus alios, qui Catholici Imperii subsidia essent. Gallorum vero copias, quibus abrumpi impressione una iter potuisset, transmissas cum bona pace per Mediolanensem agrum, ita incusavit, ut diceret, esse coram Rege tractandum, quidnam in flagitii ejus auctores exempli causa statuendum esset.

Interea Pontifex Maximus toto animo incubuerat in eam actionem, ut conciliaret pacem inter Reges, tam decorum id sibi fore existimans, quam nollet umquam cum eorum altero junxisse adversus alterum arma. Legati Cardinales, ad Catholicum Carafa, Trivultius in Galliam, alienos ab eo negotio animos in utraque parte invenere, propterea, quod Galliae Rex in Calensi totus expeditione erat, Hispanus hostilem fremitum, atque concutientem Galliam arma, & veluti minitabundos tumultus, inter causas negandae pacis habebat. Sed alia quaedam uterque sumsere obtentui, cum negare, sive differre statuissent. Dicebatur ab Catholico Rege, venire Albae Ducem ex Italia; hunc esse sibi exspectandum, ut qui gerendi belli fuisset administrator, consultationi etiam interesset, quae de pace haberetur. Gallus, ipsa excusatione minitando, ajebat, parum honestam fore pacem sibi, quae fieret tempore suo iniquo, ubi fortuna belli suis etiam exercitibus magnae alicujus rei gloriam tulisset, tunc se aequo animo de pace esse deliberaturum.

Urbs Cales in Britannici littoris lingua posita est, quae longo procursu in mare extenditur, antea nihil aliud, quam Anglorum genti Castellum adversus Gallos; sive receptaculum inter fortuita belli, secutis deinde temporibus, munimenta & multitudo, quae maximam nobilissimamque Urbem facerent, accessere. Dobrium portum in conspectu habet: spectat a Septemtrione Gravelingam, a Meridie Guinenses lacunas, saltumque Brusionensem. In Orientem obversa est Bredernardorum regioni: ab occidente Sole, mare Britannicum objacet. Non fortasse res magis alia expetita Gallo semper fuerat, quam ut eam Urbem, eumque portum occuparet, qua cupide, jam inde a belli hujus initiis praeparaverat sibi multorum illic animos, qui religionis causa timebant Catholici spiritus Reginam oderantque, & furialis illa Elizabet in parte consiliorum erat.

Rex Henricus, ubi satis parata sibi, satisque apud hostem incauta omnia, quod ad partem eam attineret, vidit, quo magis etiam ex inopinato rem gereret, sumsit asperrimae hiemis tempus, illud scilicet, cum terra marique bellorum omnium est quies. Atque instructa per duces suos fama, tamquam apparatus ille ad Hamum & S. Quintinum, & alia Picardiae damna pertineret; repente exercitum omnem in partem illam alteram avertit. Triginta millia peditum, sex millia equitum erant. Imperii summa Ghisae Ducem respiciebat. Galliae totius Principes eum sequebantur. Non fefellit tam occulta res Salinam Hispani generis hominem, qui offensus tunc forte Sabaudiae Duci, seorsim tendebat, ac monito per eum Dumfortio Praeside Urbis, jam cohortes aliquot subsidio mittebantur, cum Hispanum praesidium repudiari allatum est. Ita Galli expedito & propero agmine Neubenbringensem pontem magni apud Anglos nominis, Dunasque & Ris bonum, & Nivelajum, quae Castella portum tuentur, occupavere. Inde arcem quaterre aliam incipiunt, ex qua non segniter Angli sua vicissim tormenta displodebant, & qua vis hostium ingruebat, ad portam effusi, horarum aliquot certamine, cruentum illac ingressum fecere Gallorum genti.

Amissa arce Anglus, cum, renovato saepius impetu, supervadentem munimenta hostem sustinere ultra non posset, de conditionibus dedendae Urbis agere coepit, annuitque Ghisa, ut praeter quinquaginta, quos ipse vellet captivos, liceret aliis cum singulis vestimentis abire quo vellent; caetera suffecere Gallorum aviditati. Niverni Principis nuptias celebrabat Rex, cum victoriae nuntium accepit, laetusque tanto successu, id quod numquam fore olim crediderat, ipse Cales venit, & majore deinceps animo incubuit ad bellum.

At Angliae Regina, Catholici Regis uxor, angebatur quidem etiam amissae urbis damno; sed altius moerebat ob Isabellae sororis proditionem ac scelus. Satis constitit, ejus arte conflatum exitium urbi, instructis qui illic erant Haereticis, ut specie resistentium Gallos admitterent; idque sicuti pleraque alia maligne ab adolescentula fuisse excogitatum, ut Regina soror, quae jam aquae intercutis morbo laborabat, etiam moerore fatigaretur, atque extabesceret. Affirmavere proditioni fidem repudiata paulo ante periculum auxilia, quae in ipso periculo ostenderat Rex, & dedita Urbe profugus confestim in Galliam ille ipse per quem facta deditio erat, aliaque tunc nota illis qui momenta omnia negotii ejus aestimare potuerunt.

Pari felicitate ac virtute Guinensem arcem quae decem fere millia passuum a mari introrsus recedebat, oppugnavit Ghisa cepitque, & quasi dimicante jam etiam pro Gallis fortuna, Castellum Hamesium, quod in eadem ora propter circumfusas undique paludes, nulla tormentorum vi expugnabile erat, ultro deseruere Angli, ut multiplici victoria triumphans Henricus Lutetiam, unde illuc venerat, rediret.

Bruxellas ad Catholicum Regem pervenerat hoc tempore Dux Albae, multum sane exspectatus ad disponenda, quae bello paceque agenda erant; sed ejus adventu turbata nonnihil aula est, & magnarum aemulationum initia, quamquam studiose premerentur, erupere. Cum enim Cardinalis Carafa, quem in Regiam antea venisse demonstravi, peteret a Rege, ut Antonio Carafae pro Palliani dominatu, quem ille relinquebat inter conditiones pacis, Barii in Apulia dominatum attribuere vellet, Rex quidem ipse facile annuebat, ut ea mercede stabilem cum Romano pacem haberet, neque pretium id publicae quietis esse nimium arbitrabatur.

Verum enim vero Dux Albae, & Ruigometius Sylva, adjecto jam ad spem eamdem animo, petere sibi uterque pari contentione illam fortunae accessionem institerunt. Erant uterque singulari apud Regem gratia ob merita, & fidem, atque ob varias simul, vel artes ingenii, vel animi dotes. Honos quoque frontis commendabat Sylvam, qui saepe apud Principes loco meritorum est, ubi solidae virtutes etiam accessere. Profectus hic ex Lusitania jam inde a puerilibus annis educatus una cum Rege erat, & similitudine sensuum coalu- erant animi, idque fortuitum inter ipsos naturae vinculum adjuvarat omnibus obsequiis, ac sedulitate serviendi ille qui minor erat. Albae Ducem inveterata contubernio Caesaris fama, & virtus extulerat etiam apud Regem filium, omniaque Imperii arcana, & consilia maximarum rerum huic impertiebantur; cum altero illo plus privatae familiaritatis & simpliciora colloquia erant. Male sustinebat aemulum juvenem nondum facturus aulicae gloriae senex, & certaminis hujus occasione progressi plusquam ad simultatem, factionibus aulam implevere.

Dum uterque sibi Barrium optant, persuasere Regi, ut pro Barrio Rosanum in ora maris Jonii, qua Lucaniae terras alluit, Carafis daret. Abnuit Cardinalis, & quia

quia de Barrio non impetrarat, perseveravit etiam repudiare pensiones, quae ad summam triginta millium aureorum nummûm offerebantur; & erant in ea summa duodecim millia eo jure, ut sequerentur haeredes. Neque destitit Rex Philippus denuntiare ac profiteri, quemadmodum pacis conditiones ipse cumulate praestitisset, eaque satisfactio quo testatior & illustrior esset, diplomata pensionum cum diplomate Dynastiae Rosanensis transmissa Romam exhibuit Ascanius Carraciolus, per quem ibi negotia Regis curabantur.

Cur Barrium dari non potuisset, afferebatur haec causa, quod Rex Poloniae Sigismundus Principatum eum materno jure repeteret sibi, atque vindicaret. Namque filius Bonae Sfortiae Sigismundus erat, cujus feminae morte Barrium ad Catholica jura deciderat, cum ea Ticini diem suum obiisset, irata filio, propterea quod amissa uxore, quae Caroli Quinti fratris filia fuerat, dispare postea matrimonio dedecorasset nuptias, talique facto, Procerum ab se alienasset animos. Nunc haeredem sese Matris utique ferebat Polonus, nec potuisse salva ejus stirpe, terras, quas ipsa possedisset, ad aliena jura devolvi. Et Barrium quidem hac ratione Carafis negatum; ipsi tamen inter se Reges, Hispanus, & Polonus de ea re transegere cum bona pace, nec deinde ambiguum Catholico Regi id Imperium fuit. Cardinalis Carafa propter eam repulsam aperte offensus rediit Romam: de Gallica pace, cujus titulum Legatio praetulerat, nihil est actum, cumque possent aequatis jam prope vicibus Rex uterque honeste ponere arma, sic exarsere, tamquam irritatio adhuc prima faces animis admoveret.

Angebant Gallum angustiae pecuniarum semper quidem jam inde a principio graves & molestae Regi; sed auctae postea belli necessitatibus, cum etiam praedae multiplices, & magnae victoriae aerarium exhausissent. Super eo incommodo convocatis in Regiam Principibus, praefatus pauca de hoste Hispano, ac de perpetua sua defensione Regni, deque Procerum in se vicissim officio ac fide, petiit, ut idoneo subsidio adjuvarent bellum, quod pro communi salute, & gloria susceptum gereretur. Obtulere aliquot millia nummûm aureorum, & quantum deinde opus esset, large collaturos, affirmavere.

Tam prolixa pollicitatio, praesensque subsidium auxerat animos Regi, atque comperta eodem tempore offensione Carafarum, ob negatum Barrium, spem Romani foederis novam adversus Hispanum tentavit, offerens ejus rei pretium loca omnia quaecumque in Senensibus adhuc teneret. Ea sine ullo exitu spes fuit. Non latebant haec tentamenta Regem Hispanum, orantibusque duobus Regulis Florentino ac Parmense, & Venetorum praeterea Senatu, ut Ferrariae Duci pacem daret, annuit, existimans utile fore sibi, si in tanto rerum motu ab ea parte otium paravisset.

Pax in hujusmodi conditiones est data Ferrariensi: *Dux Ferrariae, quod foedus cum Galliae Rege pactum habuit, ab eo foedere discedet: militare Imperium, quod Regis ejusdem nomine per Italiam antea tenuerat, habueratque, omittet. Nullarum sese partium servabit inter duos Reges. Sigismundum Estensem, quosve alios occasione motus hujus, damno aliquo affecit, restituet in pristinum statum, neque cuiquam eorum in posterum nocebit. Vicissim ab Parmae Duce restituentur ei, quae loca quaeve oppida capta hoc bello fuere. Gallorum copiae, quae fuerant in Ducis exercitu, si per Mediolanensem agrum, redire domum volent, pacate transmittentur. Ferrariae Ducis filius Lucretiam Florentiae Ducis filiam in matrimonium ducet.*

Ad caetera utrimque constitit fides: in perduelles suos servabat Ferrariensis iras, neque mutans praeterita, & in posterum minitabundus, donec nova belli denuntiatione placaretur. Parum erat, confligere inter se Christianos Reges, & Christiani Orbis pacem turbari armis illis, quae conversa esse in communem hostem oportuit, nisi etiam Turcarum arma ultro in Italiam adscirentur. Adscivere Galli, nequaquam tanto suo emolumento, quam adversa fama desperati illius conatus fuit. Cum enim ad Neapolim invadendam anno superiore sollicitatus exspectatusque Turca esset, non maturius adfuit ea classis, quam Galli ipsi inde recessissent. Ita spatium fuerat disponendis ad omnia loca praesidiis, Neapolimque prope suggressi Barbari, postquam acres per totam illam oram sensere custodias, in Corsicam Insulam trajecere eo consilio, sicuti creditum est, ut si classis Gallica ibi reperta esset, Nicaeam, & Savonam oppugnarent. Ubi nulla Gallorum vexilla conspexere, repentino excursu Baleares petunt, atque cum varii generis praeda retro conversis velis, unde venerant abiere. Classis ea centum fere longarum navium fuit, cum alio piraticarum numero, quas Solimanus gravi proposito edicto armari ad bellum jusserat. Praeerat Caran Mustafa, quem alii Cassim appellavere. In quibusdam etiam litteris pro Mustafa Pialim reperio.

De itinere autem ipso, cursuque classis in Italiam sic tradunt, qui propter periculi magnitudinem, omnes Barbaricae classis incessus esse memoriae prodendos putavere. Postquam ex Jonio mari Siculum fretum tenuerit, in Gallipolitanum sinum explicato agmine, Tarentum, & Crotonem, inclytae antiquitatis loca praetervectam ad caput Zephirium, inde ad promontorium Cemitanum appulisse, qua maxima latitudo Italiae est, ibique Siculo mari Jonium miscetur. Capta hinc & direpta Riola, superato Pharo, facta ad Metaurum flumen aquatione, superasse Tropeae caput, & S. Euphemiae fretum, Palinurumque & Licosum promontorium, & naufragiis infame caput Ursi. Hoc itinere delata ad Capreas Turcica classis stetit in Neapolitano sinu, qui Crateris cognomentum ex rotunditate habet: Surrentumque & Prochyta, & parvae praeterea Insulae barbaricos impetus in oram eam universam intentos excepere. Genuenses, veriti ne suis littoribus ea tempestas incideret, destinavere pretiosa dona portantes legatos ad Baxam Praefectum classis, aliaque per idem tempus legatione prensabant ad Portam, ut amici, sociique appellarentur.

Hactenus Turcarum arma certamini Regum nostrorum immista fuere: ipsi deinde Reges inter se suo Marte dimicabant. Ac sequendo fortunam suam Gallus, oppugnare Teonvillam instituit, qui locus in Leucis est, & interfluente Mosela amne aperit, clauditque aditum ex Germaniae terris in Catholici Regis fines. Praesidio erant mille Valones; Hispani quadringenti: Praefectus praesidii Joannes Cajetanus; moeniaque, & turres, ut in suspecto loco firmata semper, & aucta novis curis. Ghisa, directis adversus eam arcem tormentis, tanta vi quatiebat, ut Bruxellas usque resonaret fragor. Captum haud sine multo Gallorum sanguine castellum est, & cecidit ibi Petrus Strotius ille rei militaris gloria, & magnitudine animi consecutus rem apud Gallos raram, ut alienigena in honore atque in caritate haberetur. Proprium ejus fuit, adversa semper fortuna uti, quoties magnum aliquid moliretur; commune familiae quasi fatum occumbere ferro. Non patri ejus contigit, non filio, non fratri, ut miti obitu finirent. Ingemuere funeri etiam illi, quos odium aut invidia erga viventem stimularat.

Capta Teonvilla, Dux Ghisae aggreditur eodem impetu Lucemburgum urbem, quae caput Leucorum est, & rejectus inde Hispanorum eruptione, qui in praesidio erant, minora castella, Lavicum, Arlonam & Rolignolum haud sine aliqua sua clade diripit, inceditque. Felicius aggressi Donechercum ab altera parte Termensis & Humala, Gravelingam etiam invadere destinabant, cum Egmontii Comes a Catholico Rege vindex ultorque repente immissus, funestum fecit Gallorum exercitui, quidquid victoriae praedaeve habebant. Quindecim millia peditum, equitum tria ducebat Egmontius; Termensis valde inferior numero erat, hosteque viso circumspectare fugam coepit, ut per Belgarum fines citato agmine sese proriperet in Picardos. Ea spes deserta est, ubi flumen Colmam esse ab Hispano infessum vidit.

Tentavit inde evadere brevi trajectu ad Cales per flumen

men Haum, quod vado transire, qua in mare effunditur, poterat. Sed eum quoque conatum haud sine multa suorum caede cum irritum habuisset, recollecto atque instructo celeriter agmine ad praelium simul & iter, locatis in frontem tormentis, sinistrum latus objectu carrorum munit, quo impeditior hosti accessus fieret. A tergo reliquerat Haum flumen, ab dextero latere Oceanum habebat, coeperatque pergere illacessitus, cum nulla secum tormenta Egmontius adduxisset. Forte ita res tulit, ut duodecim Anglicae naves, quae ad infestandam Galliae oram missae erant, eodem tempore littus illud raderent. Hae conspicatae Gallicum agmen displosere tormenta, quae probe instructa & aptata parva illa classis vehebat, eaque fortuita res turbavit Gallis ordinem, & causa magnae cladis fuit. Namque Egmontius tripartito aggressus nudata latera, conglobatos primo & resistentes, deinde toto dissipatos campo caecidit. Victoria Hispano fuit ingens, strato omni hostium peditatu praeter trecentos & captis ex equitum numero quotquot pugnae fortunam vitarant. Amisere Galli eo die quidquid praedae superioribus victoriis adepti erant. Captus est inter alios Termensis ipse, cum neque providendo, neque pugnando, ullum magni Ducis officium omisisset. Sed, & aeger tunc forte erat, & deprehensus iniquo loco, multitudine insuper urgebatur, magnumque in capite vulnus accepit.

Afflixit ea clades res Gallorum & cum super caetera damna magnae passim domus, mortuum sive captivum aliquem lugerent, Ghisae Ducem vulgo exsecrabantur, qui bellum illud suasisset. Rex ipse jubebat omitti Leucos, atque ad defendendam Urbem ipsam Ghisam circumduci exercitum, ne forte indefensa caperetur. Jam enim Hispanus exercitus ingenti atque tremendo agmine tendebat illac, & Catholicis armis horrebat campus. Triginta millia peditum erant cum quatuordecim equitum millibus, & huic numero speciem addebant homines, arma, & equi robore corporum, nitoreque & ornatu, qui Catholicum semper militem, a caeterarum gentium armatura distinguit. Neque Gallus peditatu dispar erat. Equitum habebat octo millia; Saxoque & Brandeburgensis, aeterni hostes nominis Hispani suas uterque turmas & cohortes subsidio miserant. Duo validissimi atque florentissimi exercitus, prope in conspectu ibant, neutra parte lacessente ad ultimum certamen alteram, quia res nimium magni discriminis erat, & Reges ita mandaverant spe pacis, quae rursus tentabatur, ac de negotii exitu postea dicemus. Levia tantummodo certamina interim ferebantur, vel si quid artium & insidiarum ne in pace quidem omittunt Reges.

Ciartrensis erat quidam Vidamus, quem praeposuerat Urbi Cales Termensis, cum ipse ad expeditionem proficisceretur, ex qua non rediit. Is Vidamus, cum captivos Gallos ex Termesiana clade, satis libera Hispanorum custodia ad S. Homerum haberi cognovisset, inito cum illis consilio, ut custodibus interfectis, castelli portam occuparent, atque proderent sibi minoris formae sclopos ad rem peragendam occulte submisit. Instructo in hunc modum facinore, transfuga quidam Hispanus, odoratus forte id quod agebatur, detulit rem ad loci Praefectos, sicuti erat; nec habita fides Indici, quia, neque nominare auctorem potuerat, & in caetera narratione perplexe atque contrarie nonnulla erat locutus. Captivi tamen, statuto die, facto in custodes impetu, editaque eorum strage, intra arcem sese incluserunt, atque ibi Gallum exspectabant, qui ad condictam horam, forte, sive consilio mutato non aderat. Interea oppidani, perfracta arcis porta, irruperunt, & captivos (ducenti fere erant) omnes ad unum interfecere. Is proditioni finis, qua Galli Sanctomerum appetiverant, gerendo bellum dolis cum arma ipsa pacem spectarent.

Ab Hispano etiam in ea armorum modestia adhibita est ars nulli bellico exemplo dispar, excita, nimirum, Anglica classe, quae ob Calense damnum infesta Gallicis littoribus, Conquestam Urbem inflammavit, majore saevitia & ira, quam Rex ipse voluisset. In Subalpinis, Regum eorumdem exercitus aperto Marte gerebant bellum, &, amissa spe, quam de Nicaea capienda in Turcica classe habuerant, Galli, suis ipsi viribus eam rem acriore impetu moliebantur. Hispani agrum, qui S. Damiani ager dicitur, in Gallorum oculis omni clade pervastarant. Tresilam, cujus loci homines Hispanis aliquot eruerant oculos, aggressus Lopez Acunia, tormentis expugnavit, atque diripuit ita, ut incolarum sanguine, tecta, viaeque prope inundarentur; & Germani milites imitati agrestium illorum inhumanitatem, stetere sub murum arrectis lanceis excipientes eorum corpora, qui metu saevientium intus irarum, sese praecipites devolvebant. Is metus Ceretum oppidum subegit, & ad primas Acuniae minas, deditionem fecere. Diruti sunt muri sicut ad Tresilam, ne praesidium imponendum esset. Motanus, & Cetrensis nobilissimi Gallorum Duces, Pontem Sturam, cui loco praesidebat Acunia, dum ille ad alia loca rem gerit, occupavere. Galanum oppidum Joannes Ficeroa, & Joannes Ghevarra Gallis ademtum omni cura muniërunt. Mocentinum Acunia diripuit, quia tributum, quod antea tulissent, incolae freti Gallorum armis pendere recusarant. Incursiones in Mediolanensem, & Vercellensem agrum fiebant. Captum a Ludovico Birago Santianum, & Biragus hinc ab Acunia depulsus, & Acuniam Mota insidiis captavit, disposita per fallitum manu, quam eminens inter vepres unius galea militis prodidit.

Per eosdem dies, in diversa parte, res Hispana magnis conatibus, atque magna virtute administrata est exitu infelici, cujus moeror ultimum Caesaris morbum aggravasse creditus fuit, ita ut ille exstingueretur. Alcaudetis Comes, impetratis tandem ad Mostaganensem expeditionem, quam jam dudum coquebat, aliquot hominum millibus praeparatisque Melionensium animis, ut sibi commeatus, & reliqua necessaria benigne praeberent, cum eo exercitu, quem attribuerat Rex, aliaque insuper voluntariorum manu ad Oranum stetit. Ibi cognito, Melionenses, ab Hasceno Barbarussae filio Algerii iterum Praetore per Alucalin cognomento Farzicium, esse corruptos, atque deterritos, ne Hispano contra Solimanum opem ferrent, ea spe destitutus jubet onustos commeatu novem in praesentia lembos in portum Derrum tredecim ab Orano leucas invehi, inde que postea recurrere ad easdem vices, ne umquam alimenta exercitui deessent. Assumsit secum ducentos insuper ab Orano equites, & currulia tormenta cum caetero oppugnandarum urbium apparatu, atque e duobus filiis, quos summae spei, summaeque virtutis juvenes habebat, natu minorem Martinum nomine, legatum in ea expeditione suum appellavit: alter ad gubernacula Urbis relictus.

Comperta omnia per exploratores habebat Hascenus Turca, coegeratque millia equitum sex, peditum vero ex eo Arabum genere, qui sese ab Uledo Etesia oriundos ferunt, robustissimi sane mortalium, atque per Tremissenae campos, sive per Atlantis juga, Hispanam Italamve militiam, cui assuevere patriis insuper institutis, excolentes. Hanc sibi manum praeparaverat Hascenus, & egressus ab Algerio cum quinque Turcarum millibus, auxilia illa in itinere congregabat.

Diversa Arabum manus per Mostaganis agrum, aut per finitimas huic agro solitudines assueta latrociniis ducebatur a Farzicio, quae vox linguae illius interpretatione, recens conversum notat. Sic vulgo Turcae Christianae fidei desertoribus blandiuntur, cum ad Mahometana sacra transgressis nova illis nomina imponunt. Hi militariter armati compositique latrones, ut in Urbem Mazagranum pervenisse Hispanos cognovere, subire illuc ausi retro ad Mostaganis usque moenia cum trecentorum amplius caede compelluntur. Tredecim ab Orano leucas in Orientem distat urbs ea Mazagranum parva & antiqua, & Orano ipsi tributum ferens, ex quo Metropolis esse haec coepit. Juxta moenia fons aquae dulcis laeta scaturigine salit magnum naturae munus in regione arida & siticulosa, licet mare propinquum ha-

habeat. Fontis ejus invitamento rediere fusis latronibus ad Mazagranum Hispani, simul ut fruerentur annona, quam lembi novem ab Orano subvehebant.

Forte ita res tulit, ut piratae, qui cum triremibus quatuor, actuariis quinque ab Algerio profecti Sancti Michaelis castellum diripuerant, in reditu circa Africae oram obvios lembos haberent, captosque remulco traherent in portum inspectantibus ab Mazagrano nequidquam Hispanis, quibus ea res morte tristior fuit. Duplex inde Concilii sententia erat, suadentibus aliis quidem, ut retro vela fierent ad Oranum augendarum ibi virium causa, aliis vero, ut protinus ad Mostaganum oppugnandum iretur. Facile posse capi urbem divitem omnium rerum, & ubi capta esset, cuncta victoris fore. Comitem Alcaudetis sua calamitas, finisque huc trahebat. Ducto confestim ad Mostaganum agmine, tam felix primo impetu fuerat ille futurus infelicissimus conatus, ut milites aliquot evaderent in pinnas, & vexillum Hispanum ibi certa jam prope victoria statueretur. Difficile est excogitare quaenam causa potuerit impellere Comitem, ut voce vultuque & significatione brachiorum, crudelibusque minis ab ea impressione revocaret suos, nisi si forte non consilium illud, negotiumve humanum, sed occulta ira, sive destinatio alia Numinis fuit.

Urbs Mostaganum Cartena antiquis dicta, & a Ptolemaeo collocata in decimo quarto longitudinis gradu cum partibus triginta tribus, latitudinis autem gradu trigesimo tertio cum partibus quadraginta, in mediterranei maris ora imposita est colli leviter a terra edito, habet moenia & aedificia prope in nostrum morem, arcemque a meridie imminentem Urbi si forte commovere sese barbaries velit. Hispani, omissa quae in hanc urbem primo data erat via, curcumdant aggerem sibi, ne barbaro equitatu subito opprimantur; atque libratis apte tormentis, quatere urbem instituunt. Cum jam ictibus aliquot exterruissent inclusos, repente nuntius affertur; venire Hascenum pleno gradu, ut obsessae urbi subsidium ferat.

Constabat, longe majorem venire numerum hostium, quam quos exspectare tutum foret. Inde dubitatio quidnam fieret orta. Martinus Comitis filius magni animi juvenis, cum turmis aliquot progressus ad speculandum, quae & quantae copiae hostium essent, contendere a patre etiam atque etiam institit, ut sibi darentur quatuor armatorum millia, queis proximae noctis silentio fessum sopitumque Turcam aggrederetur. Id nisi fieret, denuntiabat ipse, caeterique assentiebant, fore ut postero die circumventi tanto majoribus copiis ingemiscerent opportunitati, quae praetermissa & neglecta esset. Comes, praecipitante rapidis momentis hora, qua res suas magnas, & gloriosas tristi atque obscuro fine claudere debebat, maluit relicta oppugnatione reducere copias ad Mazagranum, unde illuc venerant. Id quoque consilium, quod in re trepida minime per se malum fuisset, duae fortuitae, & parvae, & inter se contrariae res ad perniciem traxere. Cum enim unum currule tormentum cujus forte dissolutae rotae erant, nollet Comes in potestate relinquere hostium, dum instruitur, aptaturque machina, facta jactura temporis est. Ea mora tardaverat iter. Festinatio deinde militibus accendit sitim, ut conspecto fonte, qui sub moenia Mazagrani largas aquarum venas, rem in ea terra pretiosam, aperit, contineri non potuerint, quin naturali quique desiderio raperentur illuc. Ita solutis ordinibus agmen universum repente dissipatur, cum etiam illi, qui cohibere alios imperio & auctoritate poterant, dominante atque introrsus urente siti, gregariis militibus tanto impotentiores essent, quanto sunt molliora nobilibus corpora, fluxaque, & delicata magis adversus naturae necessitates.

Interim Hascenus ipse aderat ferox cognito hostium numero, & profectione, & sua quoque fortuna; cum extra urbem vagos sic incompositosque reperisset. Sed alia etiam erant in Hispano exercitu mala, quae Turca non videbat, defatigatio, & fames, & per noctes aliquot toleratae vigiliae, quodque gravissimum omnium; exercitus ille tiro erat. Expedivere tamen ad pugnam arma, copiisque circumfusi barbaricis egregie aliquamdiu dimicavere, donec atrox casus ad caeteras iniquitates accessit, ex quo casu vulgus etiam militum sensere, praeter hominum errores, aliquid altius esse, cur id negotium adhuc incommode administraretur; sive non meruerant Turcae coeleste beneficium, ut venirent in potestatem Regis, qui salvam esse gentem cogeret, sive obicem illum adversus increscentem Hispanorum gloriam tolli ac moveri nondum oportebat.

Dum pugnatur in omnes partes, disponiturque eodem tempore pugnantium ordo, & in ipso disponendi conatu perturbate atque confuse aguntur omnia, sulphurei pulveris cadi concepere repente ignem, & caminus ille quadringentos Hispanorum absumsit. Reliqui afflati suorum incendio proripiunt sese in urbem, jamque perditam rem absque dubio intuens Comes, Sancti Jacobi salutare saepe Hispanis nomen pie ingeminabat simul, & impigre stringebat ferrum, multis in extremo illo discrimine facinoribus editis, quae si lymphati terrore milites vidissent, stare poterant & pugnare Ducem intuentes. Demum angusto loco deprehensus ipse, multis in eum incidentibus telis, labitur ex equo, & ab ignaris quis esset, obteritur eliditurque barbari equitatus incessu. Turca victor ingressus urbem Mazagranum, primum omnium claudi portas jubet veritus ne latronum Arabum immanitas in captivos suo more desaeviret. Octingenti lanceis eorum occubuere. Comitis corpus occulte sepeliverant ipsius familiares. Id Hascenus exhumari jussit, cupidine videndi tantum Ducem, barbariae toti formidatum, saepe felicem, nunc ludibrium & exemplum humanarum rerum. Inspecto cadavere, Hascenus, & laudato, quantum injuriae superfuerat, redimi, & honestioris sepulturae causa deportari Oranum passus, ejus indulgentiae pretium duo millia nummûm aureorum accepit. Martinus, Comitis filius, Algerium abductus inter captivos, aliquamdiu fuit ibi, donec ipse quoque redimeretur.

F I N I S.

# GALEATII CAPELLAE
## DE
# BELLO MEDIOLANENSI,
## SEV DE
# REBVS IN ITALIA GESTIS
## PRO RESTITVTIONE
# FRANCISCI SFORTIAE II.
## *MEDIOLANENSIVM DVCIS,*

AB ANNO MDXXI. VSQVE AD MDXXX.

*LIBRI* VIII.

AD ILLVSTRISSIMVM

# FRANCISCVM SFORTIAM II.

MEDIOLANENSIVM DVCEM,

In Libros de rebus gestis pro ejus restitutione

## GALEATII CAPELLAE PRAEFATIO.

*EX iis, qui litterarum studio famam aucupati sunt, nonnulli idcirco à scribenda historia abstinuere, aut quod antea tractata aggredi, & ex alieno labore nomen sibi quærere, parum laudis esse ducerent; aut quod de temporum suorum rebus opus contexere arbitrabantur non ejus esse, qui ita vitam instituisset, ut cuperet prodesse quam plurimis, lædere autem neminem vellet; quum omni tempore Terentianum illud ipso vero verius fuerit,* Obsequium Amicos, veritas odium parit. *Alii autem minus ea ex causa deterriti, ne domesticis & proximis in enarranda rerum veritate displicerent, externa sectati sunt, & pro certis sæpenumero incerta litteris tradiderunt: quod cum maxime ab eo, qui scriptis suis fidem adhiberi cupiat, fugiendum ipse censerem: nec quæ aut alibi, aut jampridem evenerunt, referre, nec ea, quibus interfuissem, tacere, æquum ducerem: nihil magis curavi, quam ut hisce in Libris, quibus res gestas pro tua restitutione, Princeps Illustrissime, complexus sum, nullius honori, aut famæ detraherem: & quamvis hæc eadem ab aliis & copiosius, & cultius scriptum iri existimem, tamen à me præcipue memoriæ tradenda esse censui: quia dum partes tuas sequerer, & Hieronymo Morono Legato tuo domi, forisque operam ab epistolis impenderem, multa audire, ad diversos Principes scribere atque videre mihi contigit; quæ alii fortaße incertis rumoribus jactata aliter fuisse affirmabunt: atque ob id in scribendo ero parcior; quod nec iis omnibus, quæ eodem tempore diversis in locis interdum gerebantur, uni licuit interesse; & mihi, qui te, tuosque secutus sum, minus adversariorum consilia aliquando nota fuere. Adde quod omnia in præliis strenue facta singillatim referre, quæ multoties nec ipsi quidem Duces scire possunt, hominis est intemperanter abutentis eorum ocio, qui hæc legere non adspernentur. Quocirca mihi satis eße decreveram summatim ab initio ejus belli, quod Leo Decimus Pont. max. contra Gallos gessit, usque ad redactum in Cæsaris potestatem Mediolanense Imperium, res gestas litteris mandare: quoniam bellis undique postea gliscentibus tutum aliquem secessum quærens è patria discessi, tum quod quietioribus temporibus (si Dii permisissent) reservari cupiebam, tum etiam quod tam diuturnas calamitates subsecutas, audire malui, quam videre: verum ubi quasi postliminio tandem redii, ac rerum, quæ postmodum in Insubribus evenerunt, ex nonnullis, qui interfuere, clarius intellexi seriem, pro mea in te observantia studio deeße non potui, quin ea etiam explicarem, quæ adeo justam causam tuam apud omnes Europæ Principes effecerunt; ut Summus Pontifex, potentissimi Galliarum, Angliæque Reges, ac Veneta & Florentina Resp. arma tuæ defensionis causa, magna cum suorum jactura, & sumptu prope incredibili, sumere non abnuerint: neque prius abjecerint, quam patefactis æmulorum tuorum calumniis mitiora consilia haud adspernatus Carolus Cæsar, te Mediolanensibus tuis reddiderit: quibus tanto optatior exstitisti, quanto post abscessum tuum omnia magis adversa perpessi, non nisi te restituto meliorem Fortunam sperabant.*

GA-

# GALEATII CAPELLAE DE BELLO MEDIOLANENSI, SEV DE REBVS IN ITALIA GESTIS PRO RESTITVTIONE FRANCISCI SFORTIAE II. *MEDIOLANENSIVM DVCIS*, AB ANNO 1521. VSQVE AD 1530.

## *LIBER* I.


Post adeptam à Francisco, Galliarum Rege, Mediolanensem Ditionem, bella jam aliquot annos in Italia cessaverant; nec quisquam ex Italis Principibus justam novarum rerum causam habere videbatur: nam imprimis Leo Pontifex, qui Romanæ Ecclesiæ nuper Urbini Ducatum addiderat, non habebat quod ulterius ullo jure tentaret: Carolum etiam, hujus nominis Quintum, Rom. Imperatorem, rebus suis in Hispania, Germaniaque, nondum constitutis, nihil præter Neapolitanum Regnum curare plerique existimabant: Venetos Gallo conjunxerat fœdus arctissimum, & ob Brixiam, Veronamque, paulo ante ejus auxilio receptas, Regi decebat esse addictissimos: Florentini, Romani Pontificis nutu statum Reipublicæ moderantes, nihil agebant præter illius arbitrium: Genua Regiis auspiciis nitebatur: in Lucensibus, Senensibus, & in Federico Gonzaga, qui Mantuæ dominabatur, plus erat timoris, ne potentiores Principes aliquid adversum sese molirentur, quam ut ipsi quidpiam auderent innovare. Unus tantum in Italia Alphonsus Estensis, Ferrariensium Dux, ademptis per Ecclesiæ potentiam duabus urbibus, Mutina & Regio Lepidi, male erga Pontificem animatus existimabatur: sed tamen non desperabat, quin Regiis favoribus (quippe qui Gallici nominis semper studiosissimus fuerat) oblata occasione esset aliquando amissa recuperaturus; & propterea cum Pontifice dolorem dissimulabat. In Italiæ autem finibus jam aliquot annos Tridenti agebat Franciscus Sfortia, Lodovici Mediolanensium olim Ducis filius: qui haud mediocres à Gallo conditiones multoties oblatas adspernatus, nulla unquam temporum aut Fortunæ iniquitate adduci potuit, ut jus paterni Ducatus illi cederet: quin pro ejus recuperatione varia jamdudum consilia animo volvens, externorum Italorumque Principum auxilia non cessabat implorare. Quod etsi Gallus antea timuisset, tamen jam metuere desierat ob fœdus Helvetiorum nuper initum, quibus adjunctis, reliquarum gentium arma sibi formidanda esse non censebat.

Atque is erat Italiæ status anno à Natali Christiano vigesimo primo supra millesimum & quingentesimum: cum Carolus Cæsar ægre ferens, Galliarum Regem Mediolanensibus, qui antiquo jure ad Romanum Imperium pertinerent, nullis non modo ab se impetratis, sed nec etiam requisitis, Principatus titulis dominari, Leonem Pontificem nunciis sollicitare cœpit, ut rebus Italiæ prospiceret, neque sineret Gallum, quem communem amborum hostem esse asserebat, nova in dies virium accessione in Italia crescere: cujus quidem monitis Pontifex alacriore animo annuisse existimatur, quod Gallo adhuc infensus esset: quoniam in Ravennate prælio, dum Legatum ageret, ab eo captus in Galliam tanquam ad perpetuum carcerem adduceretur, nisi repentino armorum strepitu territis militibus, qui custodiæ causa una ibant, duo strenui juvenes Papienses ipsum libertati reddidissent. Auxerat Pontificis etiam odium Franciscus Maria à Robore, cujus arboris insigne gestat cognominatus Urbini Dux; quem superioribus annis Gallorum ope & impulsu putabat ad invadendum Ecclesiæ Rom. imperium cum exercitu immissum; nihilque propterea magis cordi habebat, quam ut de Gallis vindictam sumeret, animumque expleret suum. Fœdus autem percutiunt his conditionibus, ut communibus armis & sumptibus Gallos Italia expellant; Placentia Parmaque Rom. Ecclesiæ pareant; Franciscum autem Sfortiam in reliquam Mediolani ditionem Ducem constituant. Ad quod citius peragendum invitavit fœdus à Gallo cum Helvetiis paulo ante initum; quod sperabant dirimi posse ipsius Pontificis cum ea natione auctoritate & gratia, ac antequam officiis Gallorum & muneribus arctius vincirentur. Non cessabat Pontificis ac Cæsaris animos ita conjunctos ad suscipiendam expeditionem adhortari Hieronymus Moronus; qui cum aliquando Lodovico XII. Galliarum Regi, strenuam operam præbuisset, Francisco ejus successori se minus gratum agnoscens, neglecta Patriæ & Fortunarum jactura Tridentum se contulerat, ibique Gallo infensus, cum Sfortia per id tempus in Flandria apud Cæsarem ageret, quotidie Mediolanensium animos, & præsertim Gibellinæ Factionis homines, sollicitabat ad defectionem; præcipueque apud Italos Principes Sfortiæ restitutionem litteris commendabat. Atque ut Gallorum expulsionem haud difficilem fore demonstraret, Pontifici significat, à se nuperrime cum plurimis Mediolani & vicinarum urbium primatibus, qui gratia apud reliquos valerent, tractatum fuisse, ut Regi rebellarent, éque Gallorum

manibus Imperium, excitato in omnibus eodem die civitatibus tumultu, eriperent; neque eis tempus concederent deligendorum peditum, cum cis Alpes stationem tantum equitum mille per Pacis tempora habere consuevissent: quorum auxilio populis rebellantibus minime resisti posse sperabat: atque ita ipse statuto die ad maturandum inceptum Tridento abscedit: quod tam clandestine tamen fieri non potuit, quin extemplo præsenserit Federicus Gonzaga, Bozuli oppidi in agro Mantuano Princeps: qui à Gallis stipendia nuper mereri cœperat: quocirca ad eum intercipiendum, quem non ab re discessisse suspicabatur, dispositis militibus ipse nonnullos rumores, qui de Mediolanensium rebellione ad se delati fuerant, indicaturus, Mediolanum advolat ad Thomam Fusium Scuti Dominum, qui pro Odetho fratre vices regias in Italia gerebat: digna animadversione visa res est ob periculi magnitudinem: & cum plerique existimarent Parmam primum debere tentari, quod in Regio Lepidi multi exsules Mediolanenses adversus Gallum non bene animati convenissent, statim Fusius, cum nulli adhuc pedites delecti essent, una cum equitibus, & cum aliquot proceribus Gallorum & Mediolanensium, qui Gallicæ parti favebant, Parmam contendit; & cum intellexisset Moronum vitatis insidiis Regium pervenisse, nullam moram interponendam ratus eo statim pergit, Pontificiumque urbis Præfectum ad colloquium vocat. Introductus est in vestibulum quoddam extra portam civitatis Fusius; ubi ex composito trahens colloquium multa conqueritur, quod contra fœdus inter Pontificem & Regem Bononiæ initum, & in illam usque diem servatum, exsules & hostes Regii non solum in Romanæ Ecclesiæ ditione hospitarentur, sed auxilium etiam haud frustra quærerent. Interea Alexander Trivultius cum equitum turma, qui sese è legione Guidi Rangonis Pontificii ductoris esse simulabant, per aliam portam, quæ ad Mutinam spectat, urbem ingredi tentat. Sed non latuerunt Regienses doli: quare correptis armis Trivultium & milites, qui cum eo erant, repellunt; ipsum etiam pilula plumbea sclopo emissa, quo armorum genere plerique pedites hoc tempore utuntur, adeo acriter vulnerant, ut postero die obierit: quod Præfectus sentiens, cum Regis Legatum adhuc in vestibulo moram trahentem valde increpuisset, non defuerunt, qui comprehendendum censerent, quoniam æquum videbatur nullam ei fidem servari, qui fidem prius fregisset: sed cum minus placuisset Præfecto consilium, ea conventione Gallum dimisit, ut quamprimum nuncium mitteret ad Pontificem, sciscitatum ejus erga Regem voluntatem: & utrum pacem, an bellum cum eo mallet, ipseque Præfectus omnes Regio ac finibus Mediolanensium exsules juberet excedere; intereaque novi nihil fieret. Allato per falsos rumores nuncio Fusium Regii captum distineri, Manaldus Episcopus Terbellensis, qui Mediolani pro illo agebat, ita fuit consternatus, ut convocatis senatoribus ac primoribus civitatis consultaverit, num Gallis in urbe tuto esse liceret; & quamvis bono eum animo esse omnes juberent, tamen nisi paulo post magis certo nuncio allatum esset Fusium liberum Parmam rediisse, Galli omnes illico erant excessuri.

Auxit per eos dies illorum timorem casus admirabilis. Erat supra fornicem portæ arcis Jovis turris non solum ad propugnandum munitissima, sed adspectu etiam pulcherrima, quippe in cujus fronte præter alia ornamenta locatæ essent tutelarium divorum marmoreæ imagines ad amussim sculptæ, cum Insignibus Sfortianorum Ducum, qui tantam molem fundaverant. Forte autem cum intra turrim servarentur in usum tormentorum plurima pulveris sulphurei vasa, fulmen de cælo ipsam tetigit; & murum scindens igneam materiam accendit: cujus impetus non solum turrim evertit à fundamentis, sed mœnia etiam & arcis cubicula, ac reliqua ædificii membra proxima humi prostravit, saxaque circumvolitantia duos arcis Præfectos, qui de more paulo ante ad salutandam Virginem matrem in sacello juxta portam convenerant, in area deambulantes occiderunt; alios quoque è militibus, qui ibidem auram captabant (erat enim æstas, & diei vespera) interfecerunt; aliorum capita, thoraces, brachia & crura fregerunt: adeo ut è ducentis propugnatoribus vix duodecim è tam magna clade evaserint: neque tantæ ruinæ fragor civitati fuit ignotus, quin & ipsa valido terræmotu concussa magnum plerisque injecit timorem, ne tota eo impetu corrueret: quo sedato cum fulminis ardor vehemens versus arcem visus fuisset, innumeri eo concurrentes omnem aream, quæ ante ipsam arcem erat latissima, saxis opertam repererunt, admirabanturque aliquot lapides, quales decem boum juga vix loco movere potuissent, quingentos & amplius passus jactos fuisse; fundamenta turris evulsa supra portam stare, ipsius fastigia in imo conspici; neque id sine Dei nutu evenisse existimabant. Cæterum Galli dubitantes ne per noctem Arx sine præsidio remaneret, Senatores, Quæstores & alios Magistratus Gallici generis, qui pauci & imbelles in urbe erant, arcem ingredi jusserunt, donec postero die cataphractos equites centum cum totidem velitibus Novaria evocatos introduxere. Neque hujusmodi casus ad suscipiendum magis audacter adversus Gallos bellum Leonem Pontificem, & cæteros cum eo fœderatos, parum juvavit: quippe qui vel hac causa paulo post Helvetios agnoverit segniores factos ad ferendum Regi auxilium, contra quem non solum Pontifex, sed ipsi etiam dii arma ferre videntur.

Interea nunciatum est Manfredum Palavicinum comite Joanne, cognomento *Stulto*, regionum illarum latrone famosissimo, cum Germanorum copiis Comum per Larium lacum proficisci; quod Gallis non parum timoris incussit, existimantibus id minime factum iri debuisse, nisi prius Comensium animi sollicitati fuissent ad defectionem: sed cum nullatenus præsidium in tempore parari posset, reliquum erat in unius Gratiani Garri gubernatoris industria relinqui tutelam civitatis; qui suorum opinionem minime fefellit. Nam cum extra civitatem Divi Joannis Baptistæ festum celebraret, ut hostium copias intellexit adventare, intra urbem quamprimum se contulit, excubiasque ex iis, quos Gallici nominis studiosos antea cognoverat, circum mœnia disposuit. Nec distulit Palavicinus civitati appropinquare fretus Benedicti Rumicomensis verbis; qui cum Antonio Rusca convenisse dicebat, ut ad constitutum tempus tantum murorum urbis spatium, quibus ipse proximus habitabat, per noctem intus effringeret, quantum vir armatus posset introire: atque ita per dolum occupare urbem sperabat, antequam Galli, qui pauci admodum præsidio stabant, quidquam tale suspicarentur. Sed longe aliter res evenit; nam cum nec Rusca, nec alius quisquam, signum juxta conventa protulisset, & Palavicinus falsa spe ductus peditibus extra mœnia dispositis de via fessus cubitum discessisset, nunciatur Comenses una cum Gallis urbem exire, & Palavicini copias adoriri: quod tanta animi alacritate fecere, ut quamvis ducenti vix essent, tamen quadringentos Germanos pedites & totidem Italos, postquam paululum pugnassent, terga dare coegerint. Palavicinus ipse suos perculsos videns, quid consilii caperet nescire, an naves repeteret, an capesseret terrestre iter; tandem, ita suadente peditum Germanorum Duce, qui à Garro pecunia corruptus male pugnaverat, per montes arduo itinere abscedit: plerique tamen naves petiere, & quam maxime poterant remis fugam parare nitebantur. Garrus, ubi hostes formi-



*Castellum Portae Iovis.*

Filip Bissi delin.

dinis plenos conspexit, à locorum peritis admonitus ad occupandas quasdam montis fauces navibus contendit; quo Palavicinum pervenire oportebat: atque ita incautum cum Stulto & plerisque aliis fugæ sociis excipit, facta Germanis omnibus abeundi potestate. Palavicinus autem Mediolanum adductus tormentorum vi non solum omnia à se incepta fassus est, sed etiam retexit quæcunque à Morono intellexerat pro hac expeditione fuisse decreta: captusque propterea est Mediolani Bartholomæus Ferrarius, civis publicis muneribus gestis, ac vitæ splendore insignis, qui tametsi Morono ejus operam adversus Gallos requirenti non fuisset assensus, tamen, quia proditionem non indicaverat, post Palavicini atrocissimam cædem, & ipse indignissima morte vitam finivit. Stultus Comi securi percussus est: reliqui autem, tam conjurati quam conjurationis conscii, diversa loca petentes, fuga salutem sibi quæsiverunt.

Interea Fusius, postquam exsules Regio abiisse intellexit, Mediolanum revertitur; & per Baptistam Romanum Trapezitam, Gallicæ factioni addictum, parata pecunia menstruum stipendium pro adducendis peditum octo millibus ad Helvetios mittit, exercitum adversus Pontificem paraturus; qui post tentatum à Gallis Regium, justum belli gerendi prætextum nactus erat, pedites etiam deligit ex Insubribus, & Parmam, quo jam Federicus Bozulus cum quingentis & mille peditibus advenerat, proficisci jubet; statimque ipse etiam citato itinere eo rediit. Jam Regis curia rumoribus & nunciis motuum Italicorum, qui quotidie deferebantur, repleta erat: ipseque Fusius multorum calumnias non poterat effugere, qui ipsum Pontifici dedisse asserebant justissimam belli gerendi causam, quod paulo ante Christophorum Palavicinum Pontifici propinquitate conjunctum, virum integerrimum, ut fortunis spoliaret in carcere tot menses detineret; quodque civitatem Pontificiæ ditionis per dolum occupare tentasset: adeo ut Odethus, quem ab oppido ejusdem nominis Galli Lautrechum appellabant, Insubrum præpositus, per id tempus apud Regem agens in fratrem timens concitatam invidiam, ad errorem ipsius, si quid propterea deliquisset, corrigendum quamprimum in Italiam venit.

Dum hæc in Gallia agerentur, jam Prosper Columna, qui pro Carolo Cæsare in exercitu imperabat, Bononiam advenerat; Federicusque, Mantuæ Princeps, Pontificis copiarum præfectus, equites peditesque undique colligebat; & quia superioribus annis Divi Michaelis aureum torquem acceperat, quo munere Gallorum Reges in benevolentiæ & honoris indicium consueverunt aliquos è proceribus suis & etiam externis decorare, ipsum eundem Lautrecho, qui paulo ante Mediolanum redierat, per tubicinem Principum (ut moris est) internuncium remittit, seque hostem Regi fore profitetur: quumque Prosper Bononia cum his militibus, qui ibi convenerant, movisset, & ipse eodem tempore ad fluvium Lentiam cum suis copiis applicuit: quo post paucos dies venit etiam Ferdinandus Davalus, Piscariæ Marchio, cum cataphractis equitibus Neapolitanis, & Hieronymus Adurnus cum tribus millibus Hispanorum peditum, qui è classe, rebus frustra Genuensium tentatis, nuper descenderant; inibique decretum est, Hispanis & Italis peditibus, qui numerum octo millium non excedebant, addere aliquot Germanorum cohortes, atque ita per Mantuanum Veronensemque agrum præfecti, in Germaniam missi, Germanorum quatuor, & Rhætorum (quos *Grisones* vocant) duo millia conscripsere: jussusque propterea fuit Davalus cum trecentis equitibus & valida peditum manu in finibus agri Mantuani consistere, quoad Germani pedites per saltus Tridentinos descenderent; ut si Veneti illorum adventum impedire conarentur, ipse ad ferendum auxilium præsto esset. Auctis copiis Prosper Columna, cui & rei militaris scientia & ætate rerum summa deferebatur, Parmam cum exercitu contendit. Quod Mediolani audiens Lautrechus delegit in totius ditionis civitatibus rei pecuniariæ præfectos, qui, propterea quod è Gallia stipendia militum ad sustinendum bellum tenuiter subministrabantur, privatim quam maximam pecuniæ summam colligerent; quod quidem tanta acerbitate exsequebantur, ut cum hac de causa tum suppliciis ac cædibus illorum, quos conjurationis conscios fuisse agnosceret, in non mediocre inciderit populorum odium, & multorum animos à Rege alienaverit. Post hæc missis ad Helvetios, qui octo millia peditum ex ea natione adhuc adducerent, ipse cum primis, qui jam in agrum Mediolanensem descenderant, Cremonam ire pergit. Verum antequam discederet, advocata populi concione in hanc sententiam jam equo insidens orationem habuit: *Compertum habeo, viri Mediolanenses, hostem, qui adversus potentissimi Regis arma in Insubres progredi audeat, auxilio potius nonnullorum è vobis, quam propriis viribus, confidere. Quî enim fieri potest, ut Leo Pontifex, qui superioribus annis, Francisco Urbini Duce bellum in ipsum movente, Romæ vix tutus erat, nunc regiam potentiam tam parvi faciat, ut Gallos, & præsertim adjunctis fœdere nuper Helvetiis, lacessat ultro? aut ut Carolus, Romanorum Rex, rebellantibus in Hispania passim civitatibus, ac pluribus Germanorum bellis occupatus, novum bellum in Italia aggredi præsumat? nisi Mediolanenses perfugæ non modo de seipsis, sed etiam de vobis, multa pollicerentur. Hujusmodi igitur spe freti jam machinas & tormenta adducunt oppugnatoria, jam peditum equitatusque acies instruunt, scilicet existimantes incœpto foris bello, omnia intus tumultu concitatum iri. Quod & ipse profecto timerem, nisi jam nonnulli perfidiæ dedissent pœnas, plerique autem, qui eodem erant animo, supplicii metu abiissent; ita ut existimem, quum hinc ad bellum profectus fuero, etiamsi nulla præsidio restarent Gallorum arma, tamen, qui seditionem faceret, Mediolani fore neminem. Nunc vero quum milites & duces ad id delecti sint, adsitque Manaldus Terbellensis Episcopus, senatusque, ac cæteri Magistratus, qui rerum administrationi justitiæque præsint; reliquum est, ut non modo fidem erga invictissimum Regem inconcussam præstetis, sed & votis victoriam adversus hostes expetatis. Nam si (quod Dii nolint) nos cedere contingeret, quantum inter ditissimi Regis & hostium dominatum intersit experiremini. Hic enim justis titulis Insubrum Dux, civitatem hanc florentissimam esse optat, illi prædæ causa injusto bello imperium quærentes, nil aliud quam vestras opes exhaurire cupiunt. Quod si & ipse, qui vices Regis hic gero, in privatorum arcas manum injeci, nemini tamen de Regia fide dubium esse debet. Nam si victor (ut spero) rediero, ex ipsis Ducatus vectigalibus æs mutuum ad tempus constitutum numerabitur; sin secus cesserit, mihi gravior esse debebit una cum Regis opibus proprii honoris atque etiam vitæ, quam vobis modicæ pecuniæ, amissio.* Nec locutus plura, nullo exspectato responso, Cremonam abiit; indeque confecto supra Padum ponte ad oppidum Sanctum Secundum cum Helvetiis proficiscitur.

Interea Prosper cum exercitu Parmam circumvallaverat, biduumque tormentorum impetu quassaverat mœnia, adeo ut magna illorum pars humi strata esset. Quare qui intus erant, metu perculsi, tertiam ferme urbis partem deserunt, quæ Parma fluvio interfluente discluditur, ripamque fluminis, qua civitatis reliquum terminatur, vallo, vasis vinariis, cratibusque terra oppletis muniunt. Itaque introgressi milites, quod derelictum erat, depopulantur: simul animus erat totam civitatem adoriri, quippe qui non majore conatu occupare, quod supererat, sperarent; sed Ferdinandus Davalus totius peditatus præfectus, sive quod gloriæ Prosperi, cujus ductu res gerebatur, invideret, sive quod Lau-

Lautrechum cum Helvetiis propinquum metueret, præsertim si miles in diripienda urbe occuparetur, affirmabat his copiis urbem valido præsidio, & muris, aggeribusque munitam, non posse expugnari, & propterea nolle peditum periculum in ea re, de qua victoriam non speraret, tam propinquo hoste facere. Quod etsi Mantuanus imprimis ægre ferret, qui ut prima militiæ rudimenta summa cum dignitate gerebat, ita laudis quam maxime erat cupidus, animoque angebatur, bonam victoriæ partem, quæ in deleto Parmæ præsidio consistebat, sibi tanquam è manibus eripi, tamen per Hieronymum Moronum Francisci Sfortiæ, designati Mediolanensium Ducis, Legatum, malebat de ea re querelam fieri. Sed cum nihil proficeret, quod Davalus civitatem expugnari non posse, etsi maxime omnes eniterentur, asseverabat, placuit Ducibus ad fluvium Lentiam retrocedere; ubi tamdiu moratum est, quoad à Pontifice litteræ nunciique redirent, qui in bello quid fieri vellet retulerunt. Plurimi autem jam timebant, ne dissoluto exercitu, Mutinæ, Regio, Bononiæque præsidia imponi juberet; & interea inducias ac etiam pacem à Rege oblatam non adspernaretur; quem invitum hoc bellum suscepisse plerique affirmabant. Sed adeo Pontificis animus expellendi Italia Galli desiderio flagrabat, ut nihil præterea prospiceret: jamque Ennius Episcopus Verulanus, quem in initio belli miserat ad Helvetios, ut peditum decem millia inde adduceret, ad ipsum scripserat; nihil jam obstare quo minus id concederetur, præterquam quod contra Gallum, cum quo paulo ante fœdus percusserant, signa ferre parum conveniens videbatur. Cæterum adversus Placentiam & Parmam, quarum urbium jus ad Ecclesiam spectabat, ac etiam adversus Ferrariensium Ducem esse venturos; & demum pecunia (si opus ita foret) facile esse aliquos è Ducibus corrumpere, qui milites, quo res postularet, technis suasionibusque impellerent: quæ sententia cum Pontifici placuisset, Julio Cardinali Medici, Patrueli suo, qui Florentiæ administrabat Rempublicam, mandat, ut ad exercitum cum summa potestate confestim proficiscatur, simulque Matthæo Cardinali Sedunensi, cujus opera in conciliandis Helvetiorum animis Verulanus utebatur, parem Julio potestatem tribuit, ambosque hortatur, ut quam maxime possint Helvetiorum descensum in Insubres accelerent. Quæ omnia cum Prosper per nuncios Roma redeuntes ac per litteras Pontificis intellexisset, lætus rebus in commune significatis Padum apud Casale majus oppidum ponte facto trajicit cum exercitu: quo Cardinalis Medices citato itinere summo cum omnium gaudio applicuit.

Soluta Parmæ obsidione Lautrechus, dimisso tantummodo in urbe cum octingentis Italis peditibus Federico Bozulo, cum reliquis copiis Cremonam ad pontem jam antea confectum properat; ibique Ducum, qui regio stipendio militabant, votis exploratis, plerique sentiebant rem prælio esse finiendam, præsertim antequam Helvetii, quos per Rhætos & Bergomatum agrum audiebant Pontificis imperio iter facere, cum hostili exercitu conjungerentur, & antequam major Helvetiorum numerus à Gallico exercitu discederet, qui frequentes quotidie domum redibant; vel quod Lautrechi imperium non placeret; vel quod Julii Cardinalis opera propositis præmiis ad discedendum sollicitarentur; vel quod etiam pecuniæ, quæ è sola ditione Mediolanensi difficulter exigebantur, ad tantum bellum sustinendum, segnius interdum subministrabantur. Sed cum ad Robechum oppidum juxta Ollii fluminis ripam, Prospero è regione castrametante, pugnandi data esset occasio, Duxque Urbinas, qui in exercitu Veneto assidebat, inter cæteros affirmaret feliciter eventurum, si pugna eo tempore cum hoste committeretur, aliquotque Helvetiorum Duces ab ipso Lautrecho manus conserendæ copiam sibi dari efflagitarent, donec invalidæ essent hostium vires, & quæ paulo post præsidio jam adventante augerentur, nunquam tamen adduci potuit, ut Helvetiis cum hoste pugnandi faceret potestatem: quo consilio, incertum est. Sunt qui dicant, illum sperasse per Oratores Helvetiorum, qui proficiscebantur ad Cardinalem Medicem, rem componi; nonnulli ipsum affirmant, ut cæteris in rebus, ita etiam in bello, multorum vota perquirere, quodque aliis minus placuisset, tanquam solus saperet, multoties eligere consuevisse. Sed ut sese res habuerit, Prosper nullo accepto damno, quam celerius potuit, exercitum inde retraxit: non enim ignorabat, se malo consilio exercitum locasse, sed ipsum moverat Legati Veneti, Ducibus Reipublicæ in bello assistentis, auctoritas & fides, qui licet in Gallorum auxilium venisset, tamen minus hostiliter agens, pollicitus fuerat Pontificios & Cæsarianos, donec Robechi essent, ab iis, qui arci Pontivici ex altera fluminis parte præessent, offendi se minime passurum, tunc autem asseverabat, sibi ut pollicita observaret non esse integrum; quia Lautrecho ita petenti præter ipsius opinionem concedere coactus fuisset, ut Gallicum præsidium in oppidum & arcem Venetorum introduceret. Itaque Prosper misso equitum præsidio ad Helvetios cum Cardinale Sedunensi & Verulano adventantes, nemine impediente, paulo post copias cum eis junxit; & non ultra tempus terendum ratus, utpote qui jam tres menses hyeme adventante nihil gessisset laude dignum, Abduam versus contendit. Lautrechus sibi exercituique suo valde diffidere incipiens, cum Oratores Helvetii non modo pacem à Cardinali Medice non impetrassent, sed nedum auditi fuissent, sensim cedere, ac dolere, animoque angi, quod melioribus consiliis non auscultasset; missisque qui ripam Abduæ vallo communirent, quique Mediolani instaurarent aggeres, in sola locorum munitorum defensione jam confidebat. Per nuncios insuper Helvetiorum, Gallo faventium, eos, qui in Pontificis exercitu erant, interdum precibus obtestari, minisque deterrere, ne adversus Galliarum Regem, quo cum paulo ante fœdus percusserant, arma ferrent; neque id parum proficiebat, quum jam multi palam dicerent, sese Mediolanum contra Gallum non esse venturos; & propterea eos, qui è Tigurino pago venerant, Regium Lepidi transmittere oportuit: ad quam urbem Ferrariensis Dux, quamquam nihil profuturus, ut Pontificios ab incœpto retardaret, infesta signa contulerat: reliqui Ducum suorum auctoritate moti, licet segniter, tamen, quo Cardinalis Medices & Prosper jubebant, proficiscebantur. Jam Lautrechus cis Abduam cum toto exercitu se receperat, omnesque naves vel sub Tritii Cassianique arcibus, vel ad citeriorem ripam, deduci jusserat: equitum etiam turmas cohortesque peditum secus fluminis ripam, multis aggeribus vallatam, ad arcendos hostes disposuerat. At Prosper, qui in ulteriore consederat, à locorum peritis, & præsertim à Morono, sciscitabatur, quo in loco facilius esset amnis trajiciendi vadum. Tandem Francisco Morono, Mediolanensi exsule, ac nonnullis aliis ex Italis Ducibus negotium dedit trajectus tentandi: qui è Brembo flumine, quod è Bergomatum agro fluit, sumptis duabus scaphis, aliaque longiore navi juxta ripam reperta, quam piscatores inter virgulta & frondes abscondiderant, magno impetu majoribusque animis cum ducentis circiter militibus amnem apud Vaprium vicum trajiciunt; atque ibi Ugone Pepulo Bononiensi cum equitum peditumque manu repugnante in citeriore ripa consistunt, occupatamque per vim domum præsidio firmant, donec alii remissis navibus trajicerent,

cerent, & interea hostes oppugnandæ domui intentos armis summovent; itaque majore in numero traducti, paulo post Gallos omnes, qui Vaprii stationem agebant, in fugam verterunt. Lautrechus, ubi copiam hostibus trajiciendi fluminis factam esse intellexit, collectis in unum legionibus extemplo Mediolanum se contulit: quumque perspiceret Helveticum peditatum quotidie imminui, urbis solum mœnia, quoniam suburbiorum circuitus videbatur amplior, tutari decrevit: sed postmodum mutato consilio, ne hostibus (quia hyems jam erat, & fere quotidie juges pluviæ descendebant) hibernacula sub tectis relinqueret, juxta urbis aggeres exercitum educit: ipsosque (quod antea segnius erat factum) conquisitis undique agricolis, qui in urbem militum metu confugerant, præcipit quamprimum refici. Tum magnus cives invasit timor, quod major quam unquam ante pecuniæ summa imperaretur; adeo ut plerique ex iis, qui præfectorum rei nummariæ jussu vocabantur, aufugerent, aut, si minus id dabatur, delitescerent, bonaque sua potius paterentur proscribi, quam vel modicis pecuniis Gallum juvare; ipsique æditui & sacerdotes cælatum argentum & aurum, quod in sacris habebant, occultaverunt, veriti ne Lautrechi jussu auferretur; quod aliquot in locis jam tentatum fuerat, præcipueque in Divi Ambrosii æde, ubi altare est laminis argenteis, auroque obtectum, quod ne violaretur, celerior opinione hostium adventus effecit: qui ubi Abduam confecto ponte transiverunt, minime existimantes Gallum in tam magna civitate eademque immunita cum peditatu adeo modico moram facturum, non ad ipsam urbem, sed Melignanum iter ea potissimum ratione direxerunt; ut si (quod ipsi fore putabant) hostis Papiam divertisset, proficiscentem aggrederentur, & manum conserere cogerent. Sed quum per exploratores renunciaretur, Lautrechum cum suis & Venetorum copiis Mediolani esse, & noctes diesque summo studio aggeres refici, Prosper cum exercitu ad cœnobium Clarævallis, quod præter passuum quattuor millia ab urbe haud distat, ire decrevit, postero die inde castra moturus, & ad eam urbis partem, quæ *civitatula* dicitur, collocaturus exercitum, ut Gallum, si adhuc apud Papiam ire niteretur, intercluderet. Minime autem Mantuano & Davalo in posterum diem adventum tam propinquum ad urbem differre utile esse videbatur; cum trepidus senex Mediolano veniens à militibus levis armaturæ captus, se quamprimum ad Hieronymum Moronum deduci postulat, quem ut conspexit flens præ gaudio obtestatur, ne moram interponeret ad urbem accedere, metu perculsum esse Gallum, nec quid consilii caperet scire, tamdiu civitate potiri ipsos cessaturos, quamdiu profectionem differant. Jam non solum homines, sed deos etiam ipsos Gallo infensos esse, quorum sacris, & præcipue Divi Ambrosii tutelaris, manus inferre conati sunt. Audita senis oratione, qui vera dicere videbatur, Julius Cardinalis Medices cum Mantuano, Davalo, ac Morono paulisper collocutus, novum decrevit consilium sequi; & quoniam Prosper mediam aciem tenebat, ipsi, qui in prima erant, ad urbem milites jubent contendere, interque primos erat Davalus: qui ut ad locum Vicentinum appellatum applicuit, ubi hostes effusa terra aggerem extollebant, milites ad conscendendum hortatur. At Veneti, qui ibi præsidio stabant, nihil tale opinantes vix primos ex hostibus irrumpentibus repellentes, confestim in fugam conversi sunt; ita ut hostibus valli adscensum facilem reliquerint. Haud multum inde aberat Theodorus Trivultius, Veneti exercitus præfectus, qui ubi suorum trepidationem, hostiumque adventum persensit, quamquam per id tempus non satis valeret, tamen, ne muneri suo deesset, inermis ad vallum accurrit, ibique suis jam profligatis in hostium incidit manus; sed paucos post dies à Davalo viginti aureorum millibus libertatem redemit.

In fugam effusis Venetis, & intra urbem properantibus, Lautrecho statim nunciatum est, Venetos loco pulsos viam hostibus dedisse: quare admonito fratre, qui aliam urbis partem præsidio tenebat, recta ad arcem contendit; & aliquantisper in area commoratus plurimis ex Magistratibus, qui militiæ minus apti videbantur, in arce dimissis, ipse cum reliquo exercitu Comum pergit; & præsidio cataphractorum quinquaginta sexcentorumque peditum in urbe dimisso, per regionem, quæ Plebs Incini dicitur, Leucum pervenit; ibique Abduam ponte lapideo, quem in hujusmodi usus prisci Mediolanensium Duces construxerant, trajicit. Julius Cardinalis Mediolanum cum reliquis Ducibus ea nocte ingressus, vix aliud duos dies curare potuit quam milites coercere, ut à diripiendis privatorum domibus temperarent; qua in re plurimum profuit Hieronymi Moroni auctoritas, quam non modo jampridem inter cives ob eximiam doctrinam, & rerum usum, sed apud externos etiam Principes & in exercitu nactus erat: neque immerito; haud facile enim dictu esset, quantum ejus adhortationes, consilia, ingenium, animique alacritas his, quorum partes secutus est, sæpe magnum attulerint incrementum; quibus rebus adductus Franciscus Sfortia illum voluit Imperii administrationem suscipere. Redacta in potestatem Mediolanensi civitate, nihil Cardinali Medici, & cæteris Ducibus fuit antiquius, quam omni studio eniti, ut Helvetii conciliarentur; & idcirco post biduum Ennius, Episcopus Verulanus, cum mandatis & non parva pecuniarum summa ad illos Pontificis nomine mittitur; quo etiam Mediolanensium Oratores paulo post pro pace tractanda profecti sunt. Sed cum Mediolanenses, in utriusque ditionis finibus substitissent, propterea quod sine fide publico eorum diplomate testata ulterius accedere nollent, Verulanus, postquam Bilitionam pervenit, ab Helvetiis statim carceri mancipatus est: atque ex hoc satis perspectum est, quæ in superiore bello pro Leone Pontifice egerunt, ea magis privata quorundam gratia quam publico ac communi consensu facta exstitisse: quod etsi Morono & cæteris, qui Gallorum expulsionem optabant, molestum fuit, tamen eodem pene tempore fortuna, quæ nec in prosperis, nec in adversis eodem diutius perstat gradu, molestiora etiam addidit; nam Lautrechus, cujus exercitum brevi dissolutum iri existimabant, quia quo se reciperet non haberet, trajecto Abdua confestim Cremonam, quam jam à se defecisse audierat, gressum direxit, sperans arcis præsidio facilem sibi fore civitatis receptionem; & propterea Thomam fratrem eo præmiserat, cui tametsi cum trecentis ferme armatis ingressum per vim in urbem tentanti cives armis obstitissent; dum Nicolai Varoli & aliorum exsulum, paulo ante urbem ingressorum, suasionibus Gallum, qui, nemine ipsum expellente, ultro urbem reliquerat, amplius haud recipiendum esse censent: nihilominus certiores postmodum redditi, Lautrechum cum incolumi exercitu jam propius urbem admovisse; quem Mediolani ad internecionem fuisse cæsum antea relatum fuerat, saniore consilio sese Gallo dediderunt: neque quidquam fuit imperatum gravius, quam donec à Rege pecunia mitteretur, exercitum alerent. Interea Lautrechus, ut firmiore præsidio civitatem tueretur, si vis hostilis ingruisset, ad Federicum Bozulum, qui Parmæ cum valida peditum manu præerat, scripsit, ut Cremonam quam primum se conferret: quod quidem postea male cessit: nam vix recesserat, quum aliæ à Lautrecho supervenerunt litteræ, quibus illi ne inde discederet imperabat; vel si jam discessisset, eo rediret quamprimum.

Jam

Jam enim tabellarii advenerant, scriptumque Roma erat, Leonem Pontificem, postquam Mediolanum à suis captum esse intellexisset, vehementi gaudio & nimiis compotationibus primum in tertianam febrem incidisse, mox pituita & catarrho non sine veneni suspicione fuisse suffocatum: quare sperans Lautrechus hostilem exercitum diutius pecunia mortuo Pontifice, qui in exacto bello sumptus fecerat immensos, non posse sustentari, Parmam à suis tanquam frontem adversus hostes teneri cupiebat; sed jam Robertus Sanseverinus, qui Leonis Pontificis ex sorore neptem in matrimonium duxerat, cum aliquot militibus ingressus erat urbem; & propterea Bozulus, ademptam sentiens sibi intro redeundi potestatem, Cremonam ire perrexit. Interea Lautrechus, ut rei, quæ male successerat, rationem Regi redderet, utque recuperandæ totius Mediolanensis ditionis, si exercitus novo peditatu & stipendio instauraretur, facultatem ostenderet, Thomam fratrem in Galliam mittere properavit, antequam Galeacius Vicecomes, qui per Helvetiorum loca post amissum Mediolanum ad Regem proficiscebatur, aut alius quispiam, accepti damni culpam in ipsum transferret.

Per eos etiam dies Ferdinandus Davalus cum Hispanis peditibus & Germanis Comum oppugnat; & cum aliquandiu tormentis mœnia quassasset, Gallus quidquam auxilii impræsentia haud sperans, civitate & suis conservatis, urbem Davalo tradere paciscitur: cæterum dum paratur discessus, Hispani repentino impetu urbem ingrediuntur, & non minus Comensium quam Gallorum bona diripiunt, non sine magna Davali molestia, & documento quam parum amplius militum temperantiæ credendum esset. Recuperato Como, Mediceque & Sedunensi Cardinalibus audita Pontificis morte Romam profectis, quum Cæsarianis Ducibus ac Morono magnum onus incumbere videretur, quod pecunia ad sustentandum exercitum in posterum defutura esset, ut aliqua oneris parte levarentur, Helvetios primum menstruo dato stipendio jam sese Gallo deinceps auxilio futuros palam jactantes dimittunt. Mox una cum Grisonibus exauctorare pergunt Italicum etiam peditatum; cataphractos quoque equites, qui sub Leone antea militabant, una cum Mantuano Principe Placentiam in hyberna transmittunt: sed quia pecunia deerat, plerique in diversa loca abiere; Hispani autem & Germani pedites atque equites Cæsariani, dilata in proximum veris tempus Cremonensi expeditione, intra oppida juxta Abduam sese contulerunt, tum ut oppidanorum sumptu alerentur, quoad pararetur stipendium, tum ut adversus Gallos, qui Cremonæ hyemabant, propugnaculo Mediolanensibus essent.

Interea Moronus, qui jam Galeacium Vicecomitem ad Helvetios rediisse intellexerat, palam ferentem expeditionem Italicam à Rege ineunte vere instaurari, pecuniam, quam maximam potest, privatim contrahit: sed magna prorsus inerat difficultas, quod benemeritis, quorum numerus haud erat exiguus, vim afferre minus conveniens videbatur; & plurimi ex adversa factione ad Gallos transiverant. Illud etiam difficultatem augebat, quod Hadrianus VI. Pontifex maximus, qui nuper communi Cardinalium consensu electus erat, quamvis Cæsari addictus existimaretur, quippe qui ejus in Hispania vices gereret, tamen ob absentiam minus ab ipso auxilii in Italia erat sperandum, & quod adhuc arces & pleraque loca Mediolanensis imperii munitiora hostium præsidio tenebantur, Cremona cum tota ejus ditione, Mediolani, Novariæ, Tritiique arces, Domussula, Arona & totus Verbanus lacus, ultra Padum etiam hostibus parebat Alexandria, quæ magnæ ipsi Morono curæ erat. Sed quoniam ex militibus Cæsarianis stipendii defectu neminem hybernis movere posset, tumultuarios è ditione Mediolanensi quamplurimos collegit cum Ducibus, quos ipse Sfortiani nominis studiosos esse agnoscebat; quumque cibaria militibus ab oppidanis præberi jussisset, Alexandriam, quæ majore civium Guelphorum præsidio quam armis Gallicis tenebatur, obsidere præcepit: atque ita res cessit, ut Sfortiani, dum forte qui civitatem custodiebant ad tumultuariam pugnam exivissent, una cum hoste pariter ingrederentur urbem, eaque præter spem potirentur: Galli cum sequacibus suis (quoniam urbs erat latissima) facile per aliam portam, antequam hostes totam civitatem occuparent, fuga salutem quæsiverunt: quæ quidem jactura Gallo plusquam mediocris fuit, tum ob Genuensium sublata commercia, tum quod eo præsidio facile totam Transpadanam regionem in fide continuisset; præsertim jam Renato Sabaudiano, Regis avunculo, ac Regiæ domus præfecto, quem *magnum Magistrum* Galli nuncupant, in Helvetiis delectum peditum decem & octo millium faciente; qui ad descendendum in agrum Mediolanensem hoc solum exspectabant, ut in montium nivibus, quæ in miram ea hyeme altitudinem accreverant, Gallorum jussu & pecunia calles perficerentur, quos instaurare ter oportuit, nova semper nive superveniente, adeo contra Galli potentiam Dii pugnare videbantur; præsertim quum interea pecunia Morono subministraretur, qua sex Germanorum peditum millia in Italiam adducerentur, & totidem peditum ex Agro Mediolanensi collectorum stipendium in commune civitas contulerat: tantum denique erat in Gallos, quod plerisque variis artibus Moronus incusserat, odium, ut per singulas urbis classes & vicinias vexilla fierent, Centurionesque & Duces eligerentur; quos, ubi opus fuisset, omnes, qui per ætatem arma ferre possent, sequerentur, justamque militum assumerent speciem: ad quod etiam sacris concionibus Andreæ cujusdam Augustinensis Ferraria oriundi quotidie concitabantur, cujus eloquentia, & dicendi ardor mirificus, eo tantum spectabat, ut Mediolanenses Gallo redderet infensissimos, incertum qua potissimum id faceret causa: nonnulli putant populi studio sperasse urbis Archiepiscopatum adipisci: alii elocutum existimant, quæ civitati placerent, gloriaque ductum fuisse, quod tantæ urbis incredibile quoddam in se studium agnosceret: utcunque sit, ejus oratione ingens plerisque suscipiendorum armorum ardor accrevit: quod si qui in communi periculo segniores sese præbuissent, ablatis pignoribus plectebantur; adeo ut etiam plurimi, Gallicæ factionis cupidi, populi metu alacres sese contra Gallos exhiberent.

GA-

# GALEATII CAPELLAE DE BELLO MEDIOLANENSI, SEV DE REBVS IN ITALIA GESTIS PRO RESTITVTIONE FRANCISCI SFORTIAE II. *MEDIOLANENSIVM DVCIS,*

## AB ANNO MDXXI. VSQVE AD MDXXX.

## *LIBER* II.

DVM hæc Mediolani geruntur, jam annus ab initio belli secundus agebatur, & Magnus Magister ac Gallici Proceres, qui regio nomine apud Helvetios agebant, cum peditibus delectis in Insubres festinabant; neque segniter Lautrechus equites & pedites suos Cremonæ instruebat, & Venetorum auxilia sollicitabat; ut adveniente Helvetiorum peditatu, ipse cum reliquo exercitu præsto esset, Germanos, quos Adurnus ad hostes adducebat, prævenire cupiens: sed Gallum fefellit opinio; nam quum Grisones præter spem transitum Germanis per Vulturenam vallem prohibuissent; neque ob exiguum numerum (quippe qui quattuor millia non excederent) sufficere viderentur ad iter per vim arripiendum, mutato consilio per Camonicam superato montis cacumine, qui valles eas disterminat, in Bergomatum fines penetrarunt, & citato quam maxime itinere adeo festinavere, ut ante in Glareabduanum agrum applicuerint quam Præfecto Bergomi licuerit, ita mandante Andrea Gritto Venetorum Legato, (*Provisorem Exercitus* vocant) ne unum quidem militem ad prohibendum transitum mittere.

Interea Prosper Columna sedulo Mediolani curabat, ut aggeres reficerentur; inprimisque illi curæ erat magna fossorum manu, quam celerius fieri posset, duplex vallum duplici fossa perficere, spacio passuum circiter viginti inter utrumque comprehenso: quod opus ipse excogitaverat ad discludendum ab arce, præsidio Gallorum firmata, advenientem hostem; ita ut collocati ibidem pedites, & hostilem exercitum, & eos, qui ab arce erumperent, possent reprimere: omnem etiam equitatum & peditatum intra fluvios Abduam & Ticinum reducit; duo tantum peditum millia Novariam mittit sub Philippo Torniello, Novariensi juvene impigro, armorumque studioso; Hestorem etiam Vicecomitem Alexandriæ tutandæ destinat cum mille & quingentis peditibus, nullo stipendio, sed solo Sfortiani nominis amore, collectis; quibus victum civitas subministrabat; Papiæ vero Antonium Levam primæ aciei cataphractorum Cæsarianorum ductorem, virum rei militaris scientissimum, præficit, eique præter mille Italos pedites addit duo millia Germanorum, qui Placentiæ cum Mantuano Principe antea hyemaverant, dum urgeret timor, ne Galli Cremonæ hybernantes urbem præsidio nudatam Pontifici eriperent; quod jam amplius, Lautrecho in Glareabduanam oram & Mediolanum versus proficiscente, non erat suspicandum. Reliquum autem exercitus, qui duodecim millia peditum ferme erant, equites cataphracti septingenti, totidemque velites, Prosper Mediolanum introire jubet. His itaque paratis, quum Adurni sedulitatem paulo ante in conducendis Germanis peditibus perspexisset, ipsum etiam ad Franciscum Sfortiam, qui Tridenti adhuc erat, sexque Germanorum peditum millia armabat, remisit, ut eos iter maturare per Veronensem & Mantuanum agrum curaret, ubi à Venetis sperabat minime resisti posse; quippe qui jam cum Lautrecho exercitum suum in agro Mediolanensi conjunxerant, & una profecti cum Helvetico peditatu urbi appropinquaverant; ac tertio die, quo castra ibidem collocata sunt, Lautrechus, cui per Regem, abrogato Magni Magistri imperio, totius gubernandi exercitus onus fuerat rursus injunctum, omnem peditatum, equitatumque, in armis esse jubet, tanquam urbem esset oppugnaturus: sed ubi renunciatum est, præter milites omnem intus populum Mediolanensem tanta animi alacritate ad arma concurrisse, ut vix senes, puerique, ac mulieres domi resederint, difficultatem rei timens, suos in castris continuit. Anxius autem plurimum fuit eo die ob mortem M. Antonii Columnæ, quem cum Camillo Trivultio, Jo. Jacobi filio, dum extra tabernaculum ambo deambularent, ferrea pila ab hostium vallo tormento excussa disjectu domus ibi propinquæ interfecerat, magno totius exercitus incommodo; in ejus enim prudentia & fortitudine jampridem Rex plurimum fiduciæ posuerat. Cæterum Lautrechus sperabat rei pecuniariæ inopia milites urbi inclusos seditionem facturos; quippe quibus tenuiter pecuniæ per Joannem Emanuelem è vectigalibus Regni Neapolitani subministrabantur; ita ut quicquid toto hoc in bello contulerit, non suffecerit ad trimestre peditum Hispanorum stipendium; quod à morte Leonis Pontificis ad initium hujus secundi belli transactum est: reliquum vero è tributis Mediolanensium conferebatur; quod cum in superiore bello eadem ipse inopia pressus difficillimum cognovisset, fieri posse non putabat, ut post illata civibus tot damna, tantus exercitus unius civitatis opibus sustentaretur: sed vix credibile est, quantum Mo-

Moroni sedulitas, & in sumptibus parsimonia, profecerit, ac paucorum odio quantum exegerit pecuniarum : nam & qui ultro conferebant, & qui ablatis pignoribus cogebantur, animadvertentes pro communi periculo depellendo id fieri, haud magnopere indignabantur; sed spe victoriæ & restitutionis facile exactionem tolerabant; adventante præsertim Francisco Sfortia ipsorum Duce; de cujus virtutibus ab iis, qui Tridento venerant, multa referebantur. Jam enim occupata Croariæ Arce transitum per Veronensem agrum arripuerat, nemine repugnante; & cum sex millibus Germanorum peditum per Mantuanum agrum profectus apud Casale majus Padum navibus collectis trajiciebat. Inde quum Placentiam accessisset, juncto sibi Mantuano Principe, ac trecentis equitibus Ecclesiæ stipendio militantibus, per Transpadana loca iter faciens, Papiam ingressus est : quod Lautrechus ægre ferens, triduo antequam adventaret, moto exercitu ad Cassinum, quinque passuum millibus ab urbe situm, in via Papiensi se collocat, ea ratione, ut Prosperi exercitum à copiis Germanorum per Sfortiam Ducem adductis discluderet : ibique castris communitis, ne tempus incassum tereret, audiens Thomam fratrem è Gallia Genuam venisse, & collecto peditatu per Transpadanam regionem iter facientem, ad se venire, Federicum Bozulum cum quadringentis equitibus, & peditum septem millibus, partim ex Helvetiis, partim Italici generis, trans Ticinum mittit : qui cum Viglevanum haud magno negocio recepissent, Novariam inde profecti sunt : quam quum aliter in potestatem redigere non possent, admotis tormentis, prostrata murorum parte, civitatem dato signo invadunt; quumque bis magno animorum ardore, qui intus erant, hostes dejecissent, non sine magna suorum cæde, tandem tertio depulsi mœnibus Sfortiani viam hostibus dedere, ut in urbem irrumperent: ipseque Torniellus, civitatis Gubernator, cum duobus peditum Ducibus patritiis Mediolanensibus captus fuit, urbsque direpta, ac cives & milites in Gallorum potestatem pervenerunt : quæ res Mediolanensium animos vehementer fregit, neque in ore populi multa adversus Franciscum Sfortiam & Prosperum defuit increpatio, quod auxilio destitutum Torniellum cum tot peditibus & validam urbem hosti objecissent : sed Prosper nihili vulgi verba faciens, illud ante omnia curabat, ut militibus, qui secum erant, & iis, qui cum Sfortia Papiam nuper venerant, in unum coactis, adversus Gallum exercitum educere valeret; cui occurrere, & prælio (si sors tulisset) debellare non abnuebat : indeque occasionem nactus, dum pars hostium trans Ticinum abesset, Sfortiam, ut quamprimum ad urbem veniat, hortatur; ipseque nocte intempesta Mediolano egressus adventantem cum Germanorum copiis ad sextum lapidem excipit : atque ita Mediolanensium Dux summo cum totius populi plausu ac favore urbem ingreditur.

Vix autem Mediolanum applicuerat, quum Federicus Bozulus cum Thoma Fusio expugnata Novaria ad Lautrechum reversus est : quumque relatum esset, Papiæ parum præsidii cum Mantuano relictum fuisse, qui multum rogatus Mediolanum venire noluerat; ne Placentia & ab Ecclesiæ ditione longius abesset, Lautrechus ob auctas hostium copias spe Mediolani amplius recipiendi frustratus Papiam tentare decrevit. Quamobrem Prosper cæterique Cæsarianorum Duces, simulac de hostium discessu nuncius ad ipsos pervenit, de Papia solliciti centum & mille pedites ex Corsica insula jamdiu militiæ assuetos nonnullis adjunctis Hispanis deligunt, & quamprimum Papiam jubent contendere; qui non solum tanta celeritate iter arripuere, ut Lautrechum cum exercitu proficiscentem anteverterint, sed etiam per media hostium castra transeuntes, multis eorum cæsis, pugnando viam sibi fecere, atque urbem oportune ingressi Mantuani animum adeo erexere ad defensionem, ut jam neque Helvetios tanquam oppugnationi minus aptos, neque hostilium timeret tormentorum vim, quibus licet Lautrechus triginta fere murorum cubita humi stravisset, tamen haud segniter ab obsessis diruta mœnia vallo aggeribusque muniebantur : atque adeo Dii Cæsarianis videbantur favere, ut propter juges pluvias eo tempore demissas, neque naves rebus ad victum necessariis onustæ, præ nimio aquarum impetu, Ticino vehi potuerint; & oppidani, qui lucri causa commeatum ad exercitum adducere consueverant, viis omnibus aqua oppletis, aliquot dies idem facere non valerent; ita ut exercitus Gallicus propterea summam annonæ caritatem pati cogeretur : & vel hac ratione, vel quod præter spem Gallus præsidium hostium urbem fuisse ingressum sciebat, urbem adoriri non est ausus : quin audiens, Prosperum Mediolano cum copiis suis egressum, eadem pluviarum causa Binasci consedisse, jam deficiente stipendio per Magnum Magistrum è Gallia allato Papia abscedere necessarium ducit, antequam hostis propinquior fieret; qui ut primum per cæli serenitatem licuit motis castris ad cœnobium Cartusiense in septo, quod ad domesticas venationes prisci Mediolanensium Duces passuum viginti millium ambitu muro clausere, (*Parcum* appellant) se collocat, cum Gallo dimicaturus, si in castrametando Lautrechus pugnæ occasionem non detrectasset: sed quum per levis armaturæ equites hinc inde aliquamdiu pugnatum fuisset, Lautrechus ad vicum Landrianum inter fines Laudensis & Papiensis agri cum exercitu tendit; indeque Moguntiam petiit : quæ profectio etsi fugæ similitudinem non haberet, tamen Prospero ac cæteris Ducibus verisimile videbatur, quod quotidie variis rumoribus & nunciis significatum erat, Helvetios diuturnam militiam ferre nolle, præsertim quum stipendium paulo post defuturum intelligerent; & propterea Gallum in ea loca hac solum ratione venisse, ut commodius per velites pecunias, nuper è Gallia Aronam usque ad se delatas, reciperet, itaque Helvetios in officio contineret. Verum per Anchisem Vicecomitem, qui cum quingentis peditibus aliquotque levis armaturæ equitibus à Morono missus juxta Bustum oppidum haud procul Arona consederat, timor non mediocris iis fuerat incussus, qui deferendæ pecuniæ onus susceperant: ita ut inde abscedere per aliquot dies minime auderent. Quo effectum est, ut Helvetii, qui jamdudum inviti militabant, postquam Moguntiam venere, efflagitarent, sese domum dimitti, vel fieri pugnandi potestatem : & quamvis durum utrumque Lautrecho videretur, quippe qui pugnandi ancipitem fortunam semper timuit, tamen quum dimissis Helvetiis dissolvere exercitum necesse sibi fore perspiceret, universis Ducibus, qui secum erant, ad id consentientibus, collaudata eorum promptitudine ac fide, cohortatisque ad pugnam cæteris militibus, in posterum diem jussit omnes adesse, ut adversus hostem proficiscerentur, & manum audacter consererent : ad quos in hunc fere modum verba fecit : *Quod toto hoc in bello, fortissimi milites, semper exoptavi, ut virtutis vestræ periculum facere aliquando daretur, id hodie vobis ita exposcentibus contigisse gratulor. Magnam enim victoriæ spem plerumque pollicetur militum alacritas, quam in vobis præcipuam cognoscere mihi videor, quum pugnandi cum hoste potestatem tantopere poposceritis : quod ut temere faciendum nunquam putavi, ita vestros animos tanquam ferri aciem retundere minime æquum duxi, præsertim quum adversus eundem hostem decertandum sit, quem in urbe Mediolanensi per bimestre obsessum adeo tenuistis, ut vix sui videndi copiam*

*piam facere unquam ausus fuerit. Nec mirum: quid enim equitatus ex Hispania, Regnoque Neapolitano, ubique semper contemptissimus, lucrari vobiscum potuisset? qui omni tempore apud omnes nationes summam in bello laudem retulistis. Quid tria millia Hispanorum peditum adversus vos, fortitudine & numero longe superiores, proficient? neque etiam timorem vobis incutere debent Germani, (etsi bellicosa ea gens semper habita sit) cum ii, qui in exercitu hostili sunt, non è vera illa Germania trahant originem, sed in Tridentinis Saltibus sint collecti, & aliàs militiam nunquam exercuerint: reliquus vero peditatus ex agro & populo Mediolanensi, cui tot annos imperavimus, delectus fuit potius ad speciem exercitus quam ad pugnam. Jam vero quid Prosperum Columnam eorum Ducem recenseam? hominem senio confectum, & qui in prælio nihil magis quam de fuga cogitaturus sit, ut vestras manus effugiat; non immemor, superioribus annis se Christianissimi Regis, dum contra eum arma ferret, multos menses captivum fuisse. Quid Ferdinandum Davalum peditatus Ducem æque timidum, parumque honoris sui studiosum? quippe qui paulo ante justissimis ex causis ob violatam scilicet in fœdere Comensi fidem ad singulare certamen a Joanne Cabaneo provocatus, non modo congredi, sed ne respondere quidem fuit ausus: quocirca Deo optimo maximo juvante arma mecum milites capessite, fortitudineque vestra non solum Mediolanense Imperium, verum etiam totam Italiam, ex hostium manibus hoc uno prælio vindicate: ita maximum Regi decus, vobis perpetuum nomen, & virtutis vestræ uberes fructus inde referetis.*

Hujusmodi oratione cum hostium vires parvi penderet, suorumque extolleret virtutem, & magnis victoriæ propositis præmiis militum animos satis excitatos existimaret, sub solis ortum, curatis tamen prius corporibus, Moguntia egreditur, rectaque iter arripit versus * Picocham; qui locus tribus passuum millibus Mediolano distat; ubi domus est villæ valde oportuna, circumque viridaria haud exigua sunt, profundis fossis vallata; juxta etiam prædia effossi fontes, indeque deducti rivi ad prata irriganda, intra quos Prosper exercitum communiverat, tutum & oportunum locum ratus, tum ut majore commodo pugnaret, si forte ad prælium provocaretur, tum etiam ut hostem ab urbe excluderet: quod quidem ante omnia, postquam civitate exierat, cordi habuit, ne ipsum egressum aliquando Galli ad eam occupandam properantes prævenirent: & forte ubi nunciatum est adventare hostes, Moronus paulo ante in castra venerat; ad quem conversus bono animo esse jussit, se jam vicisse affirmans, si hujusmodi in loco exercitum suum hostes adorirentur, simulque hortatur, ut Mediolanum quam primum revertatur, & aliquot millia peditum Mediolanensium ad se mittat: quod tantis animis effectum est non solum à populo, sed ab ipso etiam Duce Sfortia, ut universis passim pugnandi ardor incredibilis innatus videretur. Egressi itaque sunt ex urbe circiter sex peditum millia & quadringenti equites cum ipso Duce, reliquis juxta aggeres ad urbis custodiam dispositis: & quamprimum ad Picocham ventum est, jam multæ Helvetiorum phalanges cum bellicis tormentis adversus frontem Cæsariani exercitus contendebant, quam Germani pedites sub Georgio Frondespergo Duce imperterriti tutabantur; à latere multi ex Helvetiis ab Hispanis sclopis interficiebantur: nec præ fossarum altitudine poterant Helvetii (qui mos est eorum in prælio) adversus hostilia tormenta progredi: à sinistra vero parte Fusius cum trecentis equitibus, ex robore exercitus delectis, peditumque acie per viam Mediolanensem festinabat ad pontem, per quem in castra hostium erat aditus: sed Ducem Franciscum & Mediolanenses nactus, postquam paululum pugnasset, coactus est pedem referre: à dextra autem alia equitum ala, mutata cruce alba, qua Galli signantur, in rubram, nitebatur Lautrechus una cum Cæsarianis castra ingredi: sed fallacia in tempore cognita jussit Prosper suos omnes herbæ aut spicarum, quibus agri tum referti erant, manipulos capiti imponere, ut ab hostibus dignoscerentur; itaque evitato dolo victoria penes Cæsarianos & Mediolanenses fuit. Cecidere in eo prælio Helvetiorum tria millia cum decem & septem eorum Ducibus: in Cæsaris autem exercitu pauci desiderati sunt; unusque tantum è Ducibus Joannes Cardonensis, Colossani oppidi in Sicilia Comes, sagitta faciem transfixus occubuit, dum in medio ardore pugnæ cassidem elevat, ut quid agendum foret absque impedimento cerneret. In hunc modum Galli potius pugna abscedere coacti quam fracti tormenta reduxerunt, impedimenta quoque, si quæ secum attulerant, Moguntiam reportarunt; ubi quum solam noctem Lautrechus quievisset, sub solis ortum ad oppidum Tritium, quod in ripa Abduæ positum est, proficiscitur: confectoque ponte Helvetios, qui sese dimitti flagitabant, per Bergomatum agrum in patriam redire permisit. Cum Helvetiis Renatus quoque Sabaudianus, Galeacius Sanseverinus, & plurimi Gallorum proceres abscesserunt. Quamobrem Lautrechus magnis æstuans curis Laudem Pompejam munire decrevit, ut ejus urbis præsidio Cremonam & trans-Abduanam oram facilius tutari posset; antequam hostis novo pugnæ successu fretus præveniret.

Interea maxima Prospero objecta erat difficultas; nam Germani pro victoria menstruum stipendium sibi dono dari flagitabant, & non solum ipsi, Adurnoque, qui eos è Germania adduxerat, haud auscultabant, cum objicerent, pecuniam non deberi, quod in pugna quamvis exstitissent superiores, tamen hostem non debellassent, qui se incolumem receperat, reduxeratque tormenta, ac impedimenta servaverat: quinimo reliquos etiam milites, ut seditionem facerent, impellebant, adeo ut oppugnatoria tormenta abducerent, hostilia insuper Ducibus minitati, nisi stipendium erogaretur, manusque in ipsum Prosperum violentas injicerent. Quod Franciscus Dux Mediolani sentiens, ne parta victoria è manibus per seditionem elaberetur, cum Germanorum Ducibus re composita menstruum stipendium militibus intra trigesimum diem dono dare pollicetur, atque ita promissa non sine magna difficultate postea exsolvit; quippe qui trimestri bello & diutina exercitus sustentatione, nullis adhuc fere exactis vectigalibus, nesciret unde sexaginta & amplius aureorum millia assumeret, ut promissam pecuniam immerentibus elargiretur. Certiores itaque milites efflagitati muneris ad oppugnandam Laudem civitatem profecti sunt; quo jam Lautrechus sex equitum turmas præmiserat, peditum præsidium paulo post transmissurus: sed quum opinione celerius Hispani muris appropinquassent, externus miles in urbem paulo ante ingressus, nondum stationibus dispositis, quas unusquisque præsidio adversus hostes tueretur, invasione adeo repentina territus, facilem adscensum Hispanis per aggeres murosque reliquit; & fuga trans Abduam, prout quisque potuit, sibi salutem quæsivit: nonnulli tamen è Gallis cæsi, multi etiam capti, & impedimenta omnia amissa, ac urbs penitus fuit direpta, civesque fere omnes pecunia libertatem redimere coacti sunt. Et quamquam hæc victoria maximam oportunitatem conficiendi totius belli attulerit, tamen non tam Francisco Sfortiæ jocunda exstitit, quam molesta depopulatio civitatis: quare una cum Morono, per quem omnia fere negotia tractabat, quamprimum eo se contulit; ac postquam de recuperanda Cremona,

* Alii *Bicocam* scribunt; unde vox Gallica *Bicoque*, juxta quosdam.

na, & reliqua Mediolanensi ditione, cum Prospero & cæteris Ducibus egit, Mediolanum revertitur ad res urbanas componendas, & Magistratus, qui jus populis dicerent, creandos: quod adhuc ob bellorum strepitus minime factum fuerat.

Interea Prosper dimisso ad recipiendum Pisleonum cum militum parte Davalo, ipse cum reliquis copiis Cremonam pergit: Galli autem, qui præsidio Pisleoni stabant, unaque oppidani Gallicæ factioni addicti, jam rebus suis diffidentes, accepta incolumitate deditionem fecerunt. Inde ad Cremonæ mœnia admoto exercitu, quum jam antea Lautrechus in Brixiensem agrum se recepisset, & aliquandiu ibi moratus, tandem per Helvetiorum fines familia sua tantum comitatus in Galliam decrevisset reverti, Thomas ejus frater, cui totius exercitus provinciam commiserat, cum Prospero ad has conditiones devenit: Se Cremonæ cum exercitu regio quadraginta dies datis tamen obsidibus permansurum, & nisi interea è Gallia tantum præsidii mitteretur, quod Padum fluvium per vim transiret, aut unam saltem civitatem ditionis Mediolanensis præsidio militum firmatam expugnaret, se Cremonam Prospero, vel cui ipse vellet, redditurum, modo cum militibus suis, ac cum tormentis, vexillisque in speciem exercitus explicatis, ac cum impedimentis omnibus in Galliam proficiscendi potestas fieret: interim utrinque læsum iri neminem. Additum insuper est, ut captivi ultro citroque redderentur, & oppida omnia & loca, quæ à Gallis adhuc tenerentur, post exactum hujusmodi tempus, deditionem facerent, Mediolanensi tamen, Cremonensi & Novariensi Arcibus exceptis; quas Regi liceret, quoad posset, tutari. Quæ postquam scripto ac jurejurando firmata fuerunt, Prosper uno tantum è suis Cremonæ dimisso, qui Gallorum promissa observari curaret, ipse cum exercitu Genuam contendit, secum ducens Antoniotum & Hieronymum Adurnos fratres, ad quos rerum Genuensium procuratio attinebat: ut per eos commeatus plaustra, boves operarii, ac alia ad bellum necessaria, exercitui suppeditarentur.

Genuæ per id tempus imperium administrabat Octavianus Fulgosus, tum prudentia & rerum usu admirabilis, tum morum probitate Genuensibus admodum carus: qui etsi corpore esset imbecillo, longaque ægrotatione affectus, ita ut male belli munia posset obire, tamen & Galliarum Regis tutela, qua potissimum nitebatur, fretus, & per Federicum fratrem, Archiepiscopum Salernitanum, hominem impigrum, omnia belli ministeria præparat, peditum Italorum duo millia ad urbis defensionem disponit, amicos & nominis Fulgosi studiosos, qui plurimi in Liguria erant, in armis esse jubet, Regem etiam admonet, Cæsarianos jam Gallico bello in Insubribus confecto, Genuam properare; & propterea valido præsidio ad tutandas Genuæ res opus esse; quod nisi cito mittatur, frustra proculdubio sera postmodum fore auxilia, præsertim quoniam propter Adurnorum adventum non minus intra urbem quam foris sibi timendum esset. At Rex, qui Italiæ res summopere cordi habebat, jam post cladem apud Picocham acceptam, peditum quatuordecim millia è Vasconia & provincia Narbonensi cum quingentis equitibus cataphractis, milleque sagittariis equestribus delegerat, mandaveratque, ut Duce Roberto Scoto in Italiam properarent, & rebus suis afferrent auxilium: sed quia suos in tempore ad opem Genuensibus ferendam vehire posse non sperabat, idcirco Petrum Navariensem, Ducem rei militaris peritissimum, qui paulo ante in Galliam ex Italia redierat, cum duabus triremibus Genuam confestim misit, & forte civitatem eo tempore ingressus est, quo Ferdinandus Davalus cum Hispanico atque Italico peditatu ab ea parte, qua olim stabat Phari turris, castra mœnibus admovebat; & jam tubicinem præmiserat cum litteris ad præfectos urbis, conditiones afferentem, ut intra unius diei spacium præsidium omne Gallicum dimitterent; Antoniotum Adurnum in ipsorum Ducem assumerent; classem omnem, quoties è re Cæsaris esset, paratam haberent: si hæc facerent, de cætero eos suis legibus uti permissurum: quod si mandata negligerent, omnia hostilia, si in bello succubuissent, illis esse subeunda. Quare plurimi in urbe, quæ novarum rerum cupida semper exstitit, nisi novum militum præsidium vetasset, mandata accipienda suadebant; sed præ timore libera haud erat civitas, & propterea Benedictus Vivaldus, qui, plusquam par erat, Fulgosis obsequebatur, civium Genuensium nomine ad Davalum, qui expugnandæ urbis assumpserat provinciam, mittitur; & dum sub spe res Genuenses componendi, moram in castris trahit, pedites, qui turrim quandam prope portam eo die pluribus tormentorum ictibus prostraverant, dum incautius, qui juxta mœnia stationes agebant, urbem custodiunt, inscio Davalo, & cum Vivaldo ad rem componendam intento, turrim facto impetu occupant, aditum sibi ab ea parte facientes, qua murus aliquot in locis ruinam dederat. Fit undique in exercitu concursus, & clamor ingens; elevantur à cohortibus signa, peditesque, qua primi irruperant, circumquaque invadunt: ipse autem Davalus dimisso concilio versatur inter primos; & muri parte occupata ingressus, suos, qui temere progredi videbantur, subsistere imperat. Admonet præterea de victoria Prosperum, qui cum Germanis & equitatu fere omni in alia parte constiterat, quæ Besania dicitur, ut cum reliquo exercitus in urbem jam captam introeat: mox suis in unum collectis præcipit, ut ordinibus servatis procedant; fit fuga undique ab iis, qui urbem tutandam assumpserant, nec ullus jam audet vel se ipsum defendere: ipse Archiepiscopus Salernitanus cum Centurione, qui Curiam custodiebat, magno militum & civium numero stipatus naves conscendit, & ad littus occidentale, Massiliamque, iter dirigit: Octavianus Gubernator, ejus frater, quia in lecto ægrotaret, postquam Curiæ portas claudi jussisset, mittit è suis unum, qui è fenestra nuntiet hosti, se in Ferdinandi Davali potestatem venturum: captus est etiam Petrus Navariensis, aliique cum eo multi; urbs omnis direpta: & quia tantum prædæ inibi fuit, quantum vix hostis amplius optare decens putasset, Prosper edicto mandavit, ne quis è civibus captivus à quoquam fieret: postero etiam die, ut populationibus tandem modus imponeretur, civitate exercitum omnem eduxit; dolens eam urbem direptam, è qua propter immensas opes Cæsareum exercitum multos menses pecunia sustentare potuisset.

Atque ita capta Genua audiens Prosper, Gallum cum novo Galliarum delectu Alpes transire, versus Hastam civitatem cum copiis iter arripit, illi occursurus, si res Insubrum & pacta Cremonensia turbare niteretur. Sed postquam ad vicum in agro Hastensi, qui *Villa nova* dicitur, Gallus applicuit, cognita Genuæ jactura tantisper substitit, quoad Regis jussu, cujus mentem trans Alpes miserat exploratum, in Galliam cum novo exercitu reversus est. Igitur Thomas Fusius, qui Cremonæ inerat, spe omni auxilii sublata, postquam quadraginta dies secundum conventa præteriere, quamprimum cum mandatis nuncium ad Prosperum misit, qui & captivos & arces reddi juberet; ipse autem cum Gallicis reliquiis & cum tormentis bellicis ex fœdere in Galliam proficiscitur, fide ducibusque itineris à Prospero acceptis: in cujus laudem tam multa Galli prædicabant, ut non regii exercitus eversorem, sed potius servatorem in Galliam Cisalpinam venisse faterentur; quippe qui neminem unquam præter-

terquam in acie occidi passus fuerit; quique etiam devictis hostibus tantas multoties commoditates concesserit, quantas alius vel amicis fortasse denegasset.

Recuperatis è Gallorum manibus totius fere ditionis Mediolanensis civitatibus, & arcibus paucis, quæ adhuc in hostium potestate erant, obsidione cinctis, major, quam crederetur, restabat pecuniæ difficultas ad continendum exercitum; verum, ut impensæ pars tolleretur, dimittuntur aliquot Germanorum millia. Atque interea Carolus Lanojus apud Neapolim regiæ potestatis, & Joannes Emanuel Cæsaris Legatus, conventu inter se Romæ habito, freti Cæsaris auctoritate, cujus nomen jam fugato Gallo plerique in Italia verebantur, summam aureorum centum quadraginta millium à Florentina Rep. Mediolanensium Duce, Senensibus, Genuensibus, & Lucensibus, prout eorum quisque magis onus laturus videbatur, exigere statuunt pro totius equitatus & peditatus Hispani aliquot mensium stipendio: quos in Insubribus permanere necessarium existimabant, non quod sufficerent ad Regis vires Italia arcendas, si expeditionem rursus Italicam tentaret, quod plerique facturum rebantur; sed quia Germani facilius evocari, ac Itali, quoties esset opus, deligi possent. Illud etiam gravius urgebat, quod neque Cæsar à Flandria, aut ab Hispania bellum Gallo movere poterat, pecuniæ inopia, & rebus omnibus imparatis: neque Anglicus Rex solus bello, quod in Nortmannos & Picardos ea æstate inferebat, quidquam profuturus videbatur. Quare Cæsar monitus à Prospero, cujus consilia semper, & Italiæ quietem, Imperiique Rom. amplitudinem, ac rerum firmitatem respiciebant, Venetias Hieronymum Adurnum mittit, vigilantia, usuque, ac singulari prudentia præditum; ut quoquomodo è dignitate Cæsaris melius fieri posset, res inter eos componerentur. Quod etsi diutius protractum est, propter intempestivam ipsius Adurni mortem, nihilominus tandem per Marinum Caracciolum, Protonotarium Apostolicum, post nonum mensem fœdus inter eos initum est his conditionibus, ut pro communi rerum Italicarum tutela peditum sex millia, ac utriusque armaturæ equites mille & ducentos alter alteri, cui opus foret, dare in auxilium teneretur: quod tanto Mediolanenses affecit gaudio, ut plerique, disjunctis à Gallo Venetis, illum nunquam amplius cis Alpes descensurum timerent; neque aliud jam cogitarent, quam quomodo sese à Cæsarei exercitus onere eximere possent; qui consumptis jamdiu Italorum Principum tributis in solos Ducis Mediolanensium humeros incumbebat; & facta paulo ante in agro Hastensi seditione Viglevanum usque omnia hostiliter depopulatus fuerat, ita ut circiter centum aureorum millia Francisco Sfortiæ exsolvere opus fuerit pro seditione compescenda; præsertim ne in tanta spe res Venetas componendi omnia hujusmodi tumultu turbarentur, neque amplius pax sequeretur, sine qua res Mediolanensium nullo modo possent habere firmitatem.

# GALEATII CAPELLAE DE BELLO MEDIOLANENSI, SEV DE REBVS IN ITALIA GESTIS PRO RESTITVTIONE FRANCISCI SFORTIAE II. *MEDIOLANENSIVM DVCIS*, AB ANNO MDXXI. VSQVE AD MDXXX.

## *LIBER* III.

Svbsecvta altera æstate, postquam Galli apud Picocham cladem acceperant, quum omnes fere, qui in arce Mediolanensi obsessi erant, vario morborum genere defecissent, reliqui moræ tædio non exspectato bello, quod magnis viribus denuo instaurabatur, arcem ipsam Sfortiæ dediderunt, incolumem in patriam reditum cum armis & impedimentis paciscentes: quod quamvis Regi plurimum difficultatis afferebat, tamen quum nihil æque cordi ac rerum Italiæ amissarum recuperationem haberet, & à Cæsare & ab Anglorum Rege, qui sese magnum bellum in Galliam moturos sæpius jactaverant, omnia frigerent, quam maximum potest Italorum peditum equitumque levis armaturæ numerum stipendio conducit, tormenta bellica, tormentorum materiam omnem, jumentorum & vehiculorum ingentem apparatum instruit; ac inprimis tantam contrahit pecuniarum summam, & vectigalia mercatoribus Lugdunensibus oppignerando, & decimas sacerdotibus, & tributa in unaquaque regni provincia passim indicendo, quantam nemo unquam antea in Gallia collegerit. Oratores etiam mittit ad Helvetios pro requirendo peditatu, ut eos, cum primum in Taurinos descenderit, sibi adjungat. Quod sentientes Franciscus, Mediolensium Dux,

& Prosper Columna, etsi rebus Cæsaris suisque ex fœdere ac pace Veneta magnum præsidium paratum sperarent, tamen ad tanti belli defensionem, aliud etiam fœdus magno labore & studio Romæ componunt inter Pontificem Hadrianum VI. Cæsarem, Florentinam Rempublicam, Mediolanensium Ducem, Genuenses, Senenses, & Lucenses, pactoque invicem firmant, ut trimestrem pecuniam, quanto magis quisque pro viribus posset, erogaret, pro sumptibus belli perferendis adversus eos, qui Italicam quietem turbare niterentur: Prosperumque Columnam deligunt, cujus ductu & imperio res bellica gubernaretur; qui variis rumoribus Gallorum motus audiens, jamque de futuro bello certior, in Germaniam mittit, qui peditum inde sex millia Mediolanum adducerent; plurimis etiam, quos in re militari strenuos antea cognoverat, onus injungit peditum in Italia deligendorum: & quamquam per adversam valetudinem jam aliquot menses collapso stomacho, amissoque ciborum appetitu, non solum corpore, sed animo quoque imbecilli factus esset, tamen loca omnia Mediolanensis Imperii, qua possent hostes irrumpere, lustrat; tandemque statuit, ad ripam Ticini fluvii hostium impetum propellere: firmataque in hoc sententia, nihil ulterius de urbe munienda cogitat, tanquam hostis fluminis transeundi potestatem nusquam esset habiturus.

Quæ cum pararentur, Franciscusque Sfortia (quod bellum adhuc longe abesset) Moguntiæ æstus fastidia vitaret, haud mediocre subit discrimen. Inter ejus Aulicos versabatur Bonifacius Vicecomes, qui cum antea peditum cohortis præfectura ad arcis Mediolanensis obsidionem privatus fuisset, præturæ quoque vallis, quæ à Sesite amne nomen accepit, in Novariensi agro tulisset repulsam, ac ob Hestoris Vicecomitis cædem, quam mandante Morono perpetratam fuisse æmuli ejus asserebant, valde & illi & Duci succensebat. Quapropter dum Mediolanum redeuntem Principem cum cæteris Aulicis comitaretur, ut ad quadrivium antea destinatum applicuit, eum à tergo pugione aggreditur, sinistrumque humerum percutit; sed quia ipse in equo sublimis sedebat, Princepsque parva mula vehebatur, & ferientis impetum sentiens caput inclinavit, leve, minimeque profundum, inferre potuit vulnus; & idcirco Vicecomes, quam celerius licuit, fugam corripuit, nec ex illis, qui fugientem secuti sunt, quisquam valuit adsequi. Quare Princeps, qui majores timebat insidias, Moguntiam quamprimum redire optimum esse arbitratus est. Allato Mediolanum hujusmodi nuncio, Moronus congregatis urbis primatibus Palavicinum Vicecomitem, Episcopum Alexandrinum, tanti facinoris suspectum, & quem dudum Duci infensum ob Hestoris fratris cædem plerique existimabant, Prospero mandante, de quo eum confidere haud ignorabat, evocari curat, ne si vim adhibere voluisset ob generis splendorem & clientelas plurimas, in urbe tumultus excitaretur. Mox detento per Prosperum Episcopo, multi ejus affines & amici carceri mancipantur; adhibitaque per tormenta questione nonnulli fatentur factam fuisse in domo Episcopi conjurationem, neminemque ad perpetrandum tantum facinus Bonifacio magis idoneum visum, statimque interfecto Principe animum illis fuisse Moronum, ejusque amicos, in curia obtruncare; Prosperum, quod exosum non haberent, comprehendere; à nonnullis civibus & mercatoribus, quam maximam possent, pecuniæ summam extorquere; ad id peragendum nonnullas habuisse peditum cohortes in Monteferrato, Vercellis, & in Glareabduano agro. Sed quia Bonifacius triduo ante statutum diem facinus aggressus sit, ideo pedites & Duces imparatos fuisse, neque conjuratos quivisse perficere quod in animo habebant, Regi scilicet urbem ditionemque Mediolanensem tradere, ut ita gratiam apud eum nanciscerentur. Atque id tametsi ab uno & item ab altero assertum fuerit, tamen plurimi adhibitis etiam tormentis constanter omnia negaverunt: ipseque Bonifacius postea non semel coram multis attestatus est, se nemine conscio, sed proprio impulsu, id molitum fuisse, quia Principem novisset nulla sua culpa in se male animatum. Fama vulnerati Ducis increbrescente, quum plerique ex iis, qui longius aberant, necem inde secutam putarent, Galeacius Biragus Mediolanensis, qui partes Gallicas sequebatur, nonnullos pedites in Pedemontana regione & Monteferrato collegit; quorum auxilio Valentiam oppidum juxta Padum occupat, arcem etiam per quosdam oppidanos in deditionem accepit. Quod sentiens Antonius Leva, qui Prosperi jussu Hastam usque cum Hispano peditatu & equitibus levis armaturæ ad continendos in fide populorum animos processerat, Valentiam cum parte copiarum proficiscitur, & quum spacium, qui intus erant, non habuissent oppidi muniendi, intra biduum expugnat, Biragumque captivum facit, antequam à Gallis ullum afferri posset auxilium: nam etsi opem ferre properarent, nihilominus & longinquitate itineris, & Caroli Burbonii Ducis suspitio, iter agentem exercitum aliquot dies retardavit: non enim Regi bene consultum videbatur, si (ut decreverat) ipse in Italiam descenderet, relinqueretque in Gallia Burbonium jam irritatum, Comestabulatus officio ac Burbonensi & Arvernorum opulento Ducatu potentissimum. Quapropter quum Rex ipse Lugdunum pergeret, illum visitaverat domi ægrotum se simulantem, ne in Italiam venire cogeretur. Mox cum præcepto Regio evocatus esset, lecticam vacuam, in qua jacere se ægrotum finxerat, biduum antequam detegeretur dolus, deferri jussit; ipseque clam duobus tantum comitibus in Burgundionum Comitatum (quæ regio Caroli Cæsaris est) proficiscitur; ubi duodecim peditum millia ipsius jussu, quam occultius fieri poterat, jam conveniebant; quibus, quamprimum Rex Alpes transisset, Burbonius bellum in Galliam erat illaturus. Nam jam antea per Hadrianum Flandrensem, Cæsaris Oratorem, simulato mercatoris habitu ad se profectum, cum ipso Cæsare convenerat, ejus sororem Heliodoram in uxorem accipere; & de Gallia cum eo & Rege Anglico pactus fuerat, injurias ulcisci cupiens, quas à Rege sibi existimabat inferri, dum aliquot oppida ex hereditate paterna, & Burbonensem etiam Ducatum, in litem deducere cogitur. Quamobrem Rex, dum Lugduni esset, certior factus, Germanos pedites in dies ad Burgundiæ fines appropinquare, admonitusque à nonnullis, qui litteris quibusdam indignationem ipsius Burbonii paulo ante cognovisse asserebant, sibi ab eo timendum esse, mutato consilio expeditioni in Italiam jam instructæ Gulielmum Gonfierium maris præfectum (quem barbari *Amiraldum* vocant) præficit; mittitque cum quattuor millibus peditum, & quingentis equitibus, Magnum Magistrum, ut Burbonium comprehenderet, qui postmodum Ditionem illius omnem redegit in Regis potestatem. Interea Amiraldus cum triginta millibus peditum, duobusque equitum millibus, totidemque sagittariis equestribus in Italiam descendit: quumque Hispani, qui cum Antonio Leva erant, retrocederent, neminem habuit, qui ipsius conatibus obstaret, donec ad Ticinum pervenit: ubi quattuor millia Hispanorum peditum, totidem adjunctis Germanis, cum tota Cæsarianorum equestri acie convenerant: ipseque Prosper, quamquam corpore invalidus, tamen lectica ad citeriorem fluvii ripam se deferri jusserat: sentiens autem jam magnum hostium numerum ad ulteriorem fluminis ripam pervenisse, aquasque præter morem ex longa, quæ antea fuerat, siccita-

te minime profundas, sero timens se non posse eo loci Gallo obstare; præsertim quia Itali pedites, qui diversis in partibus conscribebantur, nondum applicuerant, primum graviora tormenta Mediolanum remittit; ne, si major quæpiam vis ingruisset, ea hostibus relinquere cogeretur. Mox ubi omne exercitum Regium Viglevani convenisse audivit, suosque in citeriore ripa, maxime qua custodiam agebant Germani, ab hostibus, qui in ulteriore stabant, tormentis sclopisque arceri, & non modo equites, sed pedites quoque, fluvium vado transire frustra aliquoties repugnare conatus, motis castris exercitum omnem nemine amisso Mediolanum reducit, adeoque civitas ex hujusmodi nuncio consternata est; ut si confestim hostis insequebatur, obviam habiturus esset neminem. Sed dum Amiraldus suos colligit, & eos, qui serius venerant, exspectat, Cæsariani, ipsique Mediolanenses animo confirmati, aggeres reficere conducta innumerabili fossorum manu properant. Interea pedites Itali adventabant, & commeatus intra urbem nullo intermisso tempore deferebantur: Hieronymus quoque Moronus post introductum exercitum, insecuta altera nocte per totam urbem iterum atque iterum ad arma jussit conclamari; ut certior fieret, quantum præsidii à populo sperare posset: quem adeo bene animatum ad repellendum hostem cognovit, ut nihil unquam fuerit promptius. Quare Prosper omni prorsus abjecta urbis relinquendæ opinione, quæ ipse per adversam valetudinem præstare non poterat, per alios exsequebatur. Jam in urbe duodecim peditum millia contraxerat, magnusque populi numerus, quoties opus foret, in armis aderat. Miserat præterea Papiam validum cum Antonio Leva præsidium, dum Mediolani ipse à Ticini ripa rediret; & supra mille pedites Alexandria relicta Cremonam proficisci mandaverat: ita ut à tribus saltem civitatibus, si à reliquis non posset, hostium impetum propelleret. Cæterum Amiraldus sero copias ad urbem admovisse cognoscens, mutato oppugnationis consilio, positis prope civitatem inter Laudensem, Ticinensemque, viam castris, ad recipiendam Moguntiam partem exercitus mittit: mox Petrum Bajardum, ductorem impigrum, cum octo millibus peditum, tormentis decem bellicis, validoque equitatu Laudem Pompejam proficisci jubet. Quod ubi sensit Mantuanus, qui ex fœdere cum Pontifice inito in eam civitatem cum quingentis peditibus & totidem equitibus venerat, se tam modicis copiis defendendæ urbi imparem cernens, antequam Gallus adventaret, admonitu Federici Bozuli affinis sui, qui Gallicum peditatum ducebat, inde discessit. Gallus, Laude civitate præsidio firmata, ponte super Abduam confecto quamprimum Cremonam contendit; ibique adjuncto sibi Rentio Cerro Romano cum quattuor peditum millibus, quos Carpi & in ditione Ferrariensi regia pecunia collegerat, statim oppugnare civitatem aggreditur: neque Venetorum copias timet, quæ etsi in Pontevico oppido propinquo consederant, tamen neque Gallo pares erant, neque sine Veneti Senatus auctoritate extra fines suos audebant pedem ponere. Quin ita Prosper, & ii qui Mediolani de re bellica consultabant, fore existimantes, tum è Papia urbe, tum ex Alexandria Cremonam evocaverant tres mille & quingentos Italos pedites sub Ducibus Mayno, civitatis Gubernatore, Francisco Salamone Neapolitano, Bartholomæo Martinengo Brixiensi, & Mediolanensi Francisco Stampa: neque à Mantuano, qui urbem Laudem in hostium potestate reliquerat, amplius poscere æquum ducebant, ut cum militibus suis Cremonam ingrederetur; veriti ne vir, qui Princeps esset, nimis fortasse de se sollicitus salutem propriam aliquando saluti civitatis anteferret. Per Oratores tamen Ducem Urbinatem, Provisoremque Venetum, ac Mantuanum obsecrare non desistunt, ut exercitus suos prope Gallum admoveant, ita ut cogant metuere si urbem adoriri tentaret.

Sed Gallus à proposito non dimotus est, quin admotis tormentis triduum urbis mœnia quassavit: & quum supra triginta muri passus humi stravisset; & dato signo militibus præcepisset, ut ingredi niterentur; jamque omnes ad jussa maturanda instructi essent, tantæ repente de cœlo pluviæ per quattriduum demissæ sunt, ut rem differre opus fuerit. Interea qui Cremonæ obsidebantur, spatium ad reparanda strata mœnia habuere: & quod utilius etiam fuit, quum Gallo solum à Laudensi agro & ab ora trans-Abduana, quæ ad victum pertinebant, subministrarentur, quod cætera loca circumstantia parum pacata eis essent, difficultate itinerum & jugis pluviæ victus penuria laboravere: ita ut coacti fuerint multa sumere ex arce Cremonensi, in quam commeatus plurium mensium paulo ante attulerant. Ceterum jam spe recipiendæ Cremonæ frustratus Amiraldus, simulque cognoscens earum copiarum discessu muniendæ civitatis Mediolanensis maximam commoditatem hostibus præbuisse, suos denuo ad Mediolanum obsidendum redire jubet, atque ita cum Moguntiam venissent, propter duos hostium exercitus diversis à lateribus urbem obsidentes, non nisi difficulter iis, qui commeatum afferebant, erat aditus: & quum molas frumentarias, quæ foris erant, incendio Galli absumpsissent, nec adhuc intus, quæ hominum manu fruges molerent, perfectæ essent, tanta farinæ intra quattriduum oborta est penuria, ut supra centum hominum millia hebdomadam totam pane caruerint, leguminibus & oriza vitam trahentes; donec instructis tandem molis farina hominum manu abunde fieri cœpit. Interea Prosper, quia ægrotus esset, Fernando Alarconi, qui Cæsaris jussu è Calabria Mediolanum per eos dies venerat, ut peditum præfecturam gereret, donec Davalus adesset, summam regendi exercitus committit: qui bene gerendæ rei studiosus, extemplo ut hostem ab urbe summoveret, aggerem effossa terra & ex cespitibus, trabibus, & arborum ramis intextis in speciem turris erigit: in cujus vertice erat area ambitus pedum circiter ducentorum; quæ à fronte cratibus terra oppletis vallata, tormentis & peditibus collocandis spacium relinquebat: atque ita aliquot dies Gallos crebris tormentorum ictibus infestans, multos ex eis interfecit. Sed cum id parum ad liberandam obsidione urbem Prospero videretur, Principi Mantuano, qui se ad commune beneficium alacrem præbebat, injungit, ut cum equitibus Ecclesiæ militantibus Papiam se conferat, ut inde viatores, eosque, qui annonam ad exercitum hostium deferebant, infestaret. Cæterum quoniam durante diutius bello, stipendium à confœderatis in commune collatum consumptum erat, & ob mortem Hadriani Pontificis nemo ne obolum quidem Roma amplius mittebat, Florentinaque Respublica, Genuenses, ac Lucenses exacto primo trimestri pecuniam ulterius pendere gravabantur, quum aliunde non posset, decrevit Prosper, reddita Alphonso Ferrariensium Duci Mutina, quam Guidus Rango Romanæ Ecclesiæ atque Italorum confœderatorum nomine adversus illum tutabatur, pecuniam in usum exercitus parare, jamque missis ultro citroque Oratoribus, de summa conventum erat, nisi Bartholomæus Cattinarius, unus è Cæsaris Consiliariis, qui per eos dies à Carolo Lanojo Bononiam præmissus fuerat, iis, qui negotium tractabant, significasset, haud è re Cæsaris & confœderatorum fore, urbem bello oportunam tradere Ferrariensi, Gallici nominis studiosissimo, Ecclesiamque sibi reddere infensam, præsertim in tanta æmulatione & studio creandi Pontificis, aut Cæsari, aut Gallo

lo faventis; neque deinceps, si paululum tolerarint, pecuniam defuturam, Lanojo jam cum pedestribus equestribusque copiis Neapoli in Insubres proficiscente, & cum eo etiam redeunte Ferdinando Davalo, qui ut superiore anno ne Prospero pareret in Hispaniam abierat, ita impræsentia sub Lanojo vices Cæsaris gerente, cum munere gubernandi totius peditatus, militare non detrectabat: quare Oratores à Prospero Mutinam missi re infecta rediere.

Dum hæc geruntur, jam quotidie major rerum omnium copia Mediolani suppetebat; Gallusque timere cœperat, ne à Mantuano & ab iis, qui Papiæ inerant, occupato ponte, quo Ticinum è regione Viglevani conjunxerat, commeatus penuria laboraret. Propterea Petrum Bajardum & Rentium Cerrum cum copiis, quæ Moguntiæ erant, revocat: quorum discessu à Briganteis collibus, totoque superiore agro, tanta civitati facta est abundantia, ut nulla amplius famis formido superesset. Jamque de obsidione minime Amiraldus cogitabat, neque aliter occupandæ urbis ulla suberat spes, patefactis præsertim insidiis, & proditione à Morganto Parmensi primipilo in legione peditum Joannis Medicis tentata. Nam cum is pontem sublicium, quo extra aggeres urbis iter erat, occiso cohortis centurione ibi in statione posito, occupare polliceretur, & Gallum inde introducere: & jam tres conjurationis conscios adjutoresque haberet, Joannem Ferrariensem ex peditatu Stephani Columnæ, qui sibi proximus excubias agebat, dato jurejurando socium ad facinus peragendum requirit, præmium, quod ab hoste accipiebat, cum eo communicaturus: sed Ferrariensis fidei plenus, ut rem omnem manu firmius teneret, operam suam Morganto pollicetur; quumque cognovisset quid se facere, & qua hora vellet, extemplo Stephanum Ducem suum adiit, remque omnem patefacit: quamobrem Joannes Medices, sui militis crimen ægre ferens, Morgantum statim, cæterosque conjuratos comprehendit; disquisitioneque per tormenta habita, criminis reos agnoscens, lanceis transfigi à militibus jubet.

Amiraldus igitur, quia jam hiems instaret, neque belligerare eo tempore absque summo militum incommodo poterat, inducias duorum mensium à Prospero petit; quas ut facilius impetraret, omnia cis Ticinum bello parta reddere pollicetur. Quod quum facere Prosper aliis Ducibus inconsultis recusaret, Gallus locum inter castra sua & urbem deligit, ac signato pro fide diplomate, aliquos è Cæsarianis mitti requisivit, duos ipse pariter missurus, pro tractandis induciis, & si quæ utrique parti conducere viderentur: missique propterea sunt Fernandus Alarco, Hieronymus Moronus, & Paulus Victorius Florentinus; è Gallis venere Galeacius Vicecomes, & Thomas Boierius, exercitus quæstor: quumque Moronum ambo reperissent, qui utrique erat compater, & alias amicitia conjunctus, easdem inducias poscunt, quas à Prospero ante petierant; commemorantque, quantum hæc bella, quæ jam triennio exacto initium habuere, Insubres premant; quantum è re Mediolanensi futurum sit, si quoquomodo ab armis discedatur: ita Mediolanenses damnis, cædibus, rapinis, incendiisque, quæ bella afferre solent, posse modum invenire; atque interea tempus multa allaturum, quibus pax aliqua inter Regem & Cæsarem, Mediolanensesque, cohærere posset. Contra Moronus, & qui cum eo erant, sese post restitutum in ditionem paternam Franciscum Sfortiam, nunquam bellum quæsivisse, verum Regem nimio propagandi imperii ardore jam bis non modo Mediolanensem Ducatum, in quo nullum ei jus spectet, sed Italiam totam turbare nixum fuisse; & propterea Italos Principes communi consensu commune damnum repellere. Jam non de restituendis cis Ticinum locis, sed de recuperanda tota ditione, agi; inducias, quas petant, si rebus in Italia per vim occupatis cedant, Carolum Lanojum, qui à Cæsare & confœderatis missus in Cisalpinam Galliam propediem venturus sit, non denegaturum, & idcirco ad eum proficiscerentur: neque enim de induciis, neque de pace, aut de rebus componendis, illo inscio sese quidquam acturos. Atque ita Gallis in castra, aliis in urbem redeuntibus, Amiraldus propter subitam nivis demissam copiam non amplius sub dio exercitum continere æquum ducens, statuit in hyberna concedere; solutaque Mediolani obsidione Abbiagrassum se recipit: indeque pedites à Narbonensi Provincia & Delphinatu, quia nullius essent usus, dimisit; novoque Helvetiorum delectu adventante, primos, qui missionem postulabant, persolutis stipendiis ad suos permisit redire; & ne interea dum Cæsariani Carolum Lanojum serius venientem Mediolani nihil agentes exspectant, ipse quoque frustra tempus tereret, Rentium Cerrum cum septem millibus Italorum peditum Aronam, oppidum munitissimum in finibus Verbani lacus, proficisci jubet; ubi Anchises Vicecomes Mediolanensis cum militum præsidio pro Sfortia tam bello quam pace imperabat; tuncque ad famam appropinquantis hostis habuerat supplementum mille & ducentorum peditum. Quamobrem licet per triginta dies nunquam cessans Rentius tormentis arcem oppido imminentem quassaverit, sine qua oppidi receptio nihil profutura erat, ita ut ferreæ pilæ sex mille adversus mœnia excussæ fuerint, ac multoties instructis ordinibus irruptio tentata sit, tamen tanta semper virtus fuit intus propugnantium, ut innumeris suorum cæsis Rentius re infecta abire coactus sit.

Interim Carolus Lanojus Papiam applicuit, ibidemque aliquot dies moram trahens, evocato ad se Morono, postquam de rebus bellicis consilium habuisset, Mediolanum venire decrevit; quod antea distulerat, audire scilicet cupiens, quem Prosperi valetudo exitum esset habitura; nam jam octavum mensem non sine propinati veneni, sive amatorii medicamenti, suspitione graviter ægrotabat. Verum ubi mente jam prorsus alienata paucos dies vivere posse cognovit, urbem ingressus præstantissimum belli Ducem, antequam moreretur, videre, ejusque funeri interesse voluit; & vita functum cum M. Antonio Columna nepote ex fratre in patriam sepeliendum ex testamento deferri curavit. Post hæc, ne diutius bellum traheretur, cum Veneto Oratore constituit, ut Venetus exercitus trajecto Abdua sese Cæsareis copiis conjungat, saltem quo tempore sex millia Germanorum peditum Mediolanum applicuerint; quos præsenti pecunia adduci mandaverat. Agit etiam cum Oratore Clementis VII. qui paulo ante summo cum omnium Italorum gaudio electus fuerat Pontifex, ut equites, sub Mantuano Ecclesiæ militantes, exercitui Cæsareo adjungantur; vigintique aureorum millibus ab eo acceptis per litteras & nuncios cum Florentinis, Senensibus & Lucensibus statuit, ut pecuniam secundum fœdus ad se mittant; & ne belli diuturnitate nimis grave videretur omnem conventam pecuniam tradere, rem quoquomodo potest componit; ad id persolvendum, quod reliqui erogare nollent, Sfortiam Ducem coacturus; ita ut ei præter portionem ex fœdere spectantem necesse fuerit ingentem pecuniæ summam tradere exercitui Cæsareo, jamdudum pro exacti temporis stipendio debitam, antequam Mediolano, ubi jam quintum agebat mensem, egrederetur. Qua in re incredibile est, quantum Mediolanenses semper sese promptos exhibuerint, tum præcipua quadam Principis comitate, qua plurimum ad conciliandam hominum benevolentiam poterat, tum variis artibus, & Moroni ora-

oratione persæpe impulsi, ita ut bonorum depopulationes, exactiones pecuniæ, & villarum incendia, quæ quotidie patiebantur, non tam gravia essent, quin spe victoriæ & Gallorum expulsionis lenirentur: præsertim quum privatas omnes pecunias in superiore bello collatas intra sextum mensem è vectigalibus publicis Sfortia restituisset: idem etiam pro suo in populos studio & fide facturus, nisi reddendi facultas crebrioribus belli sumptibus sublata exstitisset: & cum, jam transgressis cis Abduam Venetis, Germanoque peditatu adventante, Lanojus cum exercitu egressus fuisset, innumera civium multitudo Principem suum ad exercitum proficiscentem cum armis secuta est, & militiæ munera obire non recusavit, donec Venetis ita suadentibus decretum fuit, ut Mediolanum rediret, neque in tanta æmulatione Mediolanensis Imperii variis ipse belli periculis se objiceret; satis enim esse, si Moronus in castris versaretur, tum ut consiliis Ducum interesset, tum ut per eum oppidanis multa, quæ in exercitu erant usui, imperari possent. Gallus Cæsarianos copias educere, & Venetos cum eis conjungi præter spem intelligens, etsi perculsus erat clade apud Robechum nuper accepta, quo paulo ante nocte intempesta Lanojus, Davalus, & Joannes Medices cum valida equitum, peditumque, manu venerant, ac plures gravis armaturæ hostiles turmas, nihil tale metuentes, adorti partim ceciderant, partim equis, armisque, spoliatas, ac prope seminudas aufugere coegerant, tamen, ut tantam belli molem posset sustinere, sex millia Helvetiorum præter eos, quos secum habebat, quamprimum ad se deduci curat; ita ut ex ea natione duodecim millium peditum numerum expleret: quibus secum conjunctis (si fors ita tulisset) prælium detrectare nolebat: Cæsariani autem postquam aliquot dies apud Binascum, mox apud locum, qui Mota Vicecomitum dicitur, moram traxissent, ut hostem Abbiagrasso, ubi tutus esse videbatur, extraherent, relictis præsidio Mediolani adversus exercitum Gallicum, si forte urbem adoriretur, peditum Italorum quinque millibus, copias omnes trans Ticinum adducunt, & Gambaloti primum castra locant. Ipse autem Urbinatum Dux, qui in exercitu Veneto imperabat, & Trumelli decreverat castrametari, quum Garlascum hostium præsidio firmatum inter se & Papiam urbem interjaceret, ita ut à commeatu, qui Papia mittebatur, non solum Veneti, sed etiam Cæsariani parvo conatu possent excludi, ad expugnandum oppidum quamprimum tendit: quumque murorum partem humi stravisset, jubet pedites equitesque adhibitis scalis in muros evadere; jamque ab iis, qui intus erant, Veneti repellebantur, ipseque Dux acrius instabat, & retrocedere suos non patiebatur: tandem nonnulli ex Ductoribus Venetis, & magis strenui milites, per fossas mento tenus aqua plenas transiliunt: tunc pariter omnes, qua mœnia magis obruta erant, & hostes reficiendis aggeribus intenti minus repellere poterant, acrius urgere, & majore vi irrumpere conantur: ita ut undique fuga ab iis, qui præsidio erant, fieri cœpta sit, oppidumque direptum: cæsi captique eo die plusquam quadringenti ex hostibus sunt. Quæ victoria maximum Duci Urbinati decus, Cæsarianis autem magnas commeatuum utilitates attulit.

At Gallus, ubi hostes trans Ticinum profectos, Garlascoque potitos, intellexit, ne Viglevano quoque, & cæteris Laumellinæ locis excluderetur, omni prorsus spe potiundi Mediolani dejectus, relicto Abbiagrassi mille peditum, equitumque centum, præsidio, trajectoque Ticino, Viglevani castra locat: & quia cunctando tempus terere videbatur, sibique, quotiens levibus præliis cum hoste certamen evenerat, fortuna semper fuerat adversata, magnumque equitum jam numerum amiserat, biduo exercitum in aciem deduxit, pugnandi copiam hostibus faciens: qui tametsi numero ac militum virtute superiores haberentur, tamen, & Venetis ita suadentibus, & quia ex litteris interceptis cognoverant pecunias hosti deesse, minime visum fuit tentare ancipitem pugnæ fortunam, quum tutiorem eventum cunctando sperarent. Cæterum, ne omnino nihil agerent, quoniam post Ticini trajectionem Gallum Abbiagrasso dimoverant, simili consilio Viglevano quoque tentant ejicere: Sartiranam itaque profecti, quod oppidum est in citeriore Padi ripa, ubi quingenti pedites cum nonnullis equitibus præsidio stabant, tormentis muros sternere aggrediuntur: Amiraldus, ne suos sineret paulatim deficere, Viglevanum reliquit, obsessis auxilium laturus. Verum, antequam Mortarium veniret, nunciatum est, Ugonem Pepulum Bononiensem, & Joannem Biragum, qui oppido & Arci præerant, expugnato utroque loco in Cæsarianorum manus captivos pervenisse, militesque omnes, qui intus erant, ad internecionem cæsos: quare, quum jam sera essent auxilia, Mortarii se continuit. At Cæsariani, hujusmodi victoria subnixi, Vercellensium animos per Hieronymum Pegium, eorum civem, tentant à Gallis divertere. Quod illi haud difficile fuit Gibellinæ factionis studio, cujus primas partes in ea civitate semper tenuerat: à civibus itaque receptus, ejus opera commeatus, & alia quæque necessaria, inde ad Cæsaris exercitum in dies deferebantur: quod quidem tanti fuit momenti, ut Lanojus cæterique Duces sperare jam auderent, Gallis reditum in patriam intercludere: & propterea ad locum inter Vercellas & Novariam, qui Arcus Marianus dicitur, proficiscuntur: Amiraldo, qui Novariæ cum exercitu inerat, duo adhuc supererant, in quibus spem poneret, ne à Cæsarianis interclusus fame premeretur, prohibitis non modo commeatibus à Pedemontana regione, quæ hactenus ei victum suppeditaverat, sed etiam ad hostilem exercitum conversis: unum erat in Helvetiis; quorum decem millia ad se quamprimum mitti per Oratores petierat; atque iis exspectabat, ut quadringenti equites, qui è Gallia veniebant nuper, adjungerentur: alterum restabat in Grisonibus; qui ad numerum quinque millium selectorum peditum stipendio Gallico per Bergomatum agrum descendebant: propositumque erat per trans-Abduanam oram sese cum Federico Bozulo, qui cum magna Italorum peditum manu regio nomine Laudem urbem obtinebat, conjungere, atque ita hostes è Laumellina revocare, nisi Mediolanum (quod minime credendum erat) in discrimen adducere mallent. Quod sentiens Sfortia Joannem Medicem cum quattuor millibus peditum & ducentis equitibus, qui suo stipendio militabant, in Bergomatum fines trans Abduam mittit, ubi aliæ, præter quas secum duxerat Urbinatum Dux, convenerant Venetorum copiæ: itaque juncti Venetis Sfortiani sese interponunt, ne Grisones iis, qui in urbe Laude erant, etiamsi maxime eniterentur, conjungi possent: ipse vero Joannes Medices, egregie strenuus, quotidie per levis armaturæ equites gentem hujusmodi præliis inassuetam infestabat; adeoque eos perculsit, ut quidquam proficere diffisi, postquam triduum ibidem morati sunt, in patriam regrederentur; & paulo post pacem & amicitiam cum Francisco Sfortia transmissis Mediolanum Oratoribus petierint.

Hoc igitur timore liberatus Sfortia, ut Gallum Novariæ ex altera parte obsessum à commercio eorum, qui Abbiagrassi stabant, intercluderet, à quibus bonam commeatuum partem sumebat, eo Medicem se conferre cum copiis jubet: expugnatoque primum Ticini ponte, quem Gallus præsidio tenebat, ipse in castra profectus, tormentis oppidi mœnia à

Nnnn solis

ſolis ortu ad meridiem quatit: mox, magno Mediolanenſis populi numero militaribus copiis adjuncto, pugnæ ſignum dat; tantoque animorum ardore oppidum oppugnatum eſt, ut quamvis intus pluſquam mille propugnatores tutarentur, tamen Mediolanenſes per aggeres & foſſas aqua plenas muros transilirent; ita ut ſtatim captum & direptum oppidum fuerit, hoſtes tum cæſi, tum una cum oppidanis capti; prædaque haud mediocris victoribus contigit, quæ cauſam poſtmodum magnæ attulit calamitatis: nam cum ob diuturnam militum in oppido ſtationem ex nimio fœtore peſtis homines invaſiſſet, præda pleroſque milites infecit; & fere quiſque, qui aliquid inde exportaverat, peſte corripiebatur: atque ita ea contagione paulo poſt tota urbs Mediolanenſis infecta eſt. Expugnato Abbiagraſſo Sfortia lætus haud minima cum laude Mediolanum rediit.

At Cæſariani, qui non longe à Novaria caſtra habebant, in dies arctius Gallum obſidebant; & adempta cis Ticinum commeatus & auxilii facultate Helvetiis, qui jam Eporediæ ad numerum quinque millium convenerant, viam ſeſe cum iis, qui Novariæ erant, conjungendi intercludere nitebantur: ſed Gallus militibus, & præſertim Helvetiis, quos ſecum habebat, continua novem menſium militia jamdudum feſſis cupiebat bello finem imponere, & trans Alpes reverti: quare ſuis Novaria eductis inſtructa acie ad oppidum Romagnanum tendit, certus ab Eporedia Helvetios, ut ſeſe cæteris conjungerent, ad Seſiten fluvium proficiſci deſiderio potius ut ſuos in patriam reducerent, quam pro Gallis amplius pugnandi. Cæſariani cum Venetis, qui in vico Mariano erant, cognita Gallorum profectione, caſtra quamprimum movent; confectoque paſſuum ſex millium itinere Lanojus, penes quem ſumma erat regendi exercitus, ulterius nolebat progredi. Verum Carolus Burbonius, qui re in Burgundia male geſta in Italiam venerat, & ut ſuum in Cæſarem ſtudium & fidem magis declararet, in exercitu & agendo & conſulendo nunquam defuerat, tantum eo die itineris confici jubebat, ut in poſterum abeuntem hoſtem formidinis plenum ad pugnam vel invitum poſſent cogere. Atque in hac Ducum altercatione Amiraldus nocte intempeſta motis caſtris, ſub diei crepuſculum jam adventantibus ad ulteriorem Seſites ripam Helvetiis, qui Eporedia venerant, ipſe vado cum exercitu fluvium tranſivit. E Cæſarianis quamvis pluſquam mille pedites non ſint inſecuti ſine vexillis, equiteſque fere totidem levis armaturæ, tamen tantum terroris hoſti jam perculſo intulerunt, ut nemo reſiſtere auderet, ſed, prout quiſque magis poterat, iter acceleraret: capta ibidem ſunt tormenta ſex bellica, & quamplura ab hoſtibus relicta vexilla: à ſclopetariis cæſi ſunt Petrus Bajardus & Joannes Cabaneus, equitum Ductores, ipſe etiam Amiraldus eodem teli genere adeo grave in brachio vulnus accepit, ut lectica neceſſe fuerit illum in Galliam deferre; neque amplius præ nimio vulneris dolore in exercitu potuerit obire munus imperatorium. Quare cæteri Duces omni alia cura omiſſa incolumem in Galliam exercitum reducere conantur; tormenta, quia magnæ eſſent molis, & per vallem, cui Auguſta Prætoria nomen dedit, qua ipſi proficiſcebantur, carris traducendis iter non erat, in arce quadam novem paſſuum millibus ab urbe Eporedia relinquunt. Marchio etiam Rothelini, unus è Galliæ proceribus, qui Seguſium uſque cis Alpes auxilium Amiraldo laturus cum quadringentis equitibus jam venerat, in Galliam revertitur. At Cæſariani Duces præmiſſis tantum velitibus, qui hoſtem abeuntem ſequerentur, & per eos receptis tormentis, quæ Gallus cum gravioribus impedimentis reliquerat ad oppidum, quod ſancta Agatha nuncupatur, conveniunt: ibique quum Proviſor Venetus Rempublicam ſuam Cæſari ac Mediolanenſium Duci ſatisfeciſſe diceret, jam pulſis Italia Gallis, illud etiam Cæſarianis expoſtulantibus, denegare non potuit, ut antequam exercitum dimitteret, Laudem civitatem à Gallis occupatam liberaret; donec interea Davalus cum Hiſpano peditatu reciperet Alexandriam, quam è Gallorum manu Vitellius Romanus Adurnorum armis fruſtra aliquot menſes recuperare tentaverat. Ibi etiam in concilio Cæſarianorum Ducum recitatæ ſunt litteræ Caroli Cæſaris, Henricique Anglorum Regis, quorum uterque pulſo jam Italia Gallo expeditionem in Galliam procurabat: ideoque Carolo Burbonio decernuntur ſexdecim peditum millia, equites mille, tormenta bellica quatuordecim; ipſeque Lanojus Prorex eidem numerari jubet ducenta aureorum millia; quæ Cæſar in Hiſpania mercatoribus Genuenſibus numeraverat, ut Genuæ certo tempore redderentur: Riccardus etiam Pacæus, Orator Anglicus, magnam pecuniarum ſummam ad id bellum Regis ſui nomine pollicetur.

Per id tempus Moronus, ut Mediolani quoties opus eſſet pecunia æquiore lance exigeretur, decrevit cenſum longa temporum intercapedine antea nunquam renovatum agere: & quoniam urbs in ſex claſſes, quas vulgo *portas* vocant, diſtributa eſt, ipſæque claſſes in centum circiter vicinias dividuntur, è quibus duo cives ex prudentioribus rebus publicis ſemper præfecti ſunt, vocatis ipſis præfectis ad novum cenſum agendum incumbit; æſtimatoque fortunarum omnium pretio, actus eſt cenſus centies centenorum millium aureorum: quo vix conſtituto peſtis, quæ poſt direptum Abbiagraſſum anno poſt cœptum bellum quarto urbem invaſerat, tantum accepit incrementi, ut Princeps in arcem Tritii, Moronus autem cum ſenatu & reliquis magiſtratibus Moguntiam ſe recipere coacti fuerint: itaque poſt modicum temporis contigit, ut neque panis, neque alia ad victum neceſſaria Mediolani reperirentur; adeo ut qui peſte infecti extra civitatem emiſſi fuerant, quorum maximus erat numerus, quum ad eos commeatus nec à civitate, nec aliunde ob peſtis timorem importaretur, ſeditione facta urbem ingreſſi ſint, omnia tumultu armiſque miſcentes: & niſi blanda quorundam civium oratione ſedati ad ipſorum tabernacula non longe ab urbe poſita reverſi eſſent, præter vim, quam plurimis attuliſſent, miraculo potius adſcribi poterat quam diligentiæ, ſi quis à peſte incolumis evaſiſſet. Moroni igitur juſſu poſtmodum vicini ad urbem in ſingulos dies commeatum adferebant; Princepſque, pauperum rationem habens, ex publico ſumptum eis ſubminiſtrari jubebat. Sed quanquam neceſſaria ad victum ex eo tempore non deeſſent, & plerique ſacco induti nudiſque pedibus ſupplicationes per totam urbem Diis facientes veniam irarum cœleſtium, finemque peſti expoſcerent, non tamen niſi poſt quartum menſem vis morbi imminuta eſt: quo tempore ſæpe contigit, ut ſupra mille homines unius diei ſpatio vita defungerentur; adeo ut multitudine morientium vix ſepulturæ eſſet cura. Mortui ſunt igitur peſte abſumpti è populo Mediolanenſi ſupra quinquaginta hominum millia, præter eos, qui in reliqua ditione innumerabiles occubuerunt. Dum peſtis (uti diximus) in urbe deſæviret, Urbinatum Dux cum exercitu Veneto Laudem Pompejam profectus Federicum Bozulum, affinitate & fraterno amore ſibi jam multos ante annos devinctum, per tubicinem ad colloquium evocat; docetque nihil amplius ſpei in Gallo eſſe, qui jam Alpes ſine armis & impedimentis transgreſſus erat; & idcirco ſatius eſſe civitatem reddere, quum nihil aliunde auxilii ſperaret, quam, quid poſſet vis, experiri: quamobrem Federicus, qui plane noſcebat ſe plus com-

commodi Galliarum Regi afferre posse, si duo millia & quingentos veteranos pedites in Galliam adduceret, qui Regi magno usui futuri erant, quam si frustra civitatem ad nullum præsentem usum custodiret, cum Urbinate de urbe reddenda pactum init, accepta potestate cum militibus in Galliam redeundi.

Per eosdem etiam dies Bussius, qui Alexandriæ præerat, sive diffisus urbem posse tutari adversus strenuum hostem & peritissimum belli Ducem, sive cæteris in Gallia Cisalpina amissis locis, superfluum existimaverit, unam urbem Regi conservare, cum Ferdinando Davalo de ea restituenda pariter paciscitur, si cum armis ac rebus suis in Galliam abire liceat. Atque ita recepta Alexandria Bussii milites cum Laudensibus, qui per id tempus discesserant, quinque millium peditum numerum explevere: ex quibus postea plus utilitatis Rex nactus est in bello Massiliensi, quam si non modo Laudem urbem & Alexandriam, sed & totam Mediolanensem ditionem custodissent: per eos enim effectum est, ut Massilia, maritima civitas, valde bello opportuna, contra Cæsaris exercitum defenderetur, donec Rex equitatum suum diuturno bello non solum fessum, sed magna etiam ex parte amissum instauraret: & novum ex Helvetiis ipsaque è Germania præmiis pellectum peditatum colligeret: quo fretus post quartum mensem non solum Cæsarianis se opponere, sed ipsos etiam discedere coactos à Massiliæ oppugnatione antevertere, & in Italiam ipse proficisci ausus est.

# GALEATII CAPELLAE DE BELLO MEDIOLANENSI, SEV DE REBVS IN ITALIA GESTIS PRO RESTITVTIONE FRANCISCI SFORTIAE II. *MEDIOLANENSIVM DVCIS*, AB ANNO MDXXI. VSQVE AD MDXXX.

## *LIBER* IV.

POSTQVAM Carolus Burbonius diutius cum exercitu in Gallia stetisset, neque quidquam profecisset in oppugnatione Massiliæ, redditus certior, neque Cæsarem ab Hispania, aut à Flandria, neque Regem Anglicum à Normannis in Galliam eo anno arma laturum, sero cognoscens, se nimis arduam provinciam sumpsisse, statuit in Italiam regredi: quare majora tormenta, quia carris & vehiculis propter Alpium difficultates iter non erat, navibus imposita Genuam transmittit, minora autem in frusta comminuta mulis vehenda imponit; ut ex eodem metallo, si opus foret, quum in Insubres venisset, refici possent. At Rex sex millibus Helvetiorum peditum, totidemque Germanorum, ac decem millibus tum ex Italia, tum è Gallia comparatis, cataphractisque equitibus ad numerum millium, ac totidem sagittariis equestribus comitatus, incredibili quodam recuperandæ Mediolanensis ditionis desiderio accensus, nemini auscultando, qui ipsum ab hujusmodi expeditione deterreret, in Italiam quantis maximis potuit itineribus contendit: jam non alium quam se Ducem fore exercitui æquum ducens, aliis, quos delegisset, jam ter Italia pulsis, & quia ipsi itineri jam accincto Lodovica mater significaverat convenire cum se cupere, antequam Alpes transiret, quum alioqui semper illi fuisset obsequentissimus, veritus, ne à suscepta provincia filium pio quodam affectu dehortaretur, colloquium parentis respuit, & Cancellario Galliarum, nonnullisque à secretis, qui alias Regi comites esse etiam extra Regnum proficiscenti consueverant, mandavit, ut cum matre ad gubernandam Galliam remanerent, donec ipse bellum Mediolanense confecisset: quod ut celerius fieret, statuit Cæsarianos, qui per Alpes littoreas magnis itineribus in Insubres revertebantur, & jam duorum dierum itinere anteibant, non amplius insequi: atque ita ipse Alpes Pœninas (recentiores montem *Juniperum* vocant) transiens juxta Salutianorum fines ad occupandum Mediolani Imperium festinavit, conatus Cæsarianos prævenire.

In hoc rerum turbine Carolus Lanojus, qui totam æstatem Hastæ consumpserat, jam bellum procul dubio oriri sentiens, litteris Sfortiam Ducem sollicitat, ut Mediolanum confestim redeat, quoniam propter pestem, quæ sævissime ea æstate civitatem afflixerat, non solum ipse Princeps secesserat, sed universi fere cives ex urbe discesserant. Verum Sfortia, qui ex litteris regiis multoties per id tempus interceptis, & multorum relatu cognoverat, quantis viribus Gallus in Italiam reverteretur, quique res Cæsarianorum Massiliensi expeditione male tentata perculsas videbat, parum præsidii in eis ad sustinendum contra potentissimum Re-

gem bellum existimans, in tanto rerum discrimine malebat Mediolano abesse, quam absque militum præsidio accurrere ad urbem, quæ prima hosti objiceretur; & propterea Pisleono, quo se jamdudum contulerat, non abscedere satius ducens, Moronum ad Lanojum Proregem mittit, ut una quid agendum esset in bello decernerent. Interea jam prima Gallorum acie, in qua Rex ipse erat, cis Alpes traducta, cæterisque subsequentibus, quum nullis ordinibus Cæsariani trajectis Alpibus in Italiam pervenissent, Lanojus, ne Mediolanensi ditione ab hoste excluderetur, audiens Regem jam Taurinum cum parte copiarum advenisse, Alexandriam cum militibus, quos in Italia retinuerat, se recipit: eodem etiam tempore Davalus cum Carolo Burbonio Gallum adeo festinabat prævenire, ut quo die Rex cum prima acie Vercellas applicuit, ipse Alba profectus Viqueriam oppidum juxta Padum (quod quadraginta milliariorum spatium est) cum Hispanis, atque Italis peditibus, & cum equitibus pervenerit: itaque quum postero die omnes præterquam Germani Papiam venissent, qui spacio tantum aberant itineris unius diei, cognitumque esset Sfortiam adhuc esse Pisleoni, & eo etiam Moronum, quoniam nihil præsidii in populo Mediolanensi ob hominum paucitatem reperiisset, se contulisse, ipsi Lanojus, Burbonius, & Davalus Sfortiam admonent, ut quamprimum Papiam una cum Morono se conferat ad defensionem rerum Mediolanensium, quo res expostulaverit venturus: ipseque Davalus litteris manu sua, ut efficaciores essent ad persuadendum, conscriptis, commemorat se viginti dies, totidemque noctes, festinando à Massilia eo usque iter fecisse, ut rebus Cæsareis & Sfortianis suppetias ferret, & ne amitteretur parta toties contra Gallum gloria, orareque propterea ne in tam necessaria defensione sibimet deesset: quum tot bellorum Duces, ipseque semper victor exercitus, non solum opes, sed animam etiam, & sanguinem ipsum offerret pro rerum Mediolanensium tutela: quo nuncio vespere accepto, quum sub diei crepusculum discedens Papiam venisset cum Aulicis, & magno civium suorum numero, qui undique urbe effluxerant, ne Gallum, contra quem sæpius arma sumpserant, Mediolani viderent imperantem, offendit Duces exercitumque omnem Papia discessisse, exceptis duntaxat Germanis peditibus, qui paulo ante eo applicuerant: at Sfortia & Moronus nihil differendum rati, etsi de via fessi non solum homines, sed jumenta etiam essent, nullo assumpto cibo statim Mediolanum gressum dirigunt; vixque duo milliaria prætergressi erant, quum Ferdinandus Castriota, qui tormentis & machinis adducendis præerat, præmissis aliquot ex equitibus suis Sfortiam pone venientem admonet, magnas Gallorum copias tam pedestres, quam equestres, postquam Cæsarianus exercitus Binascum fuisset prætergressus, advenisse, noctеque proxima majorem partem exercitus hostium cis flumen Ticinum esse profectam, & propterea se occlusa via cum tormentis Papiam reverti: atque ita Dux Castriotæ monitis regressus, à Prorege, & cæteris Cæsarianis Ducibus, qui Mediolanum venerant, frustra exspectatus, maximam de se male cogitandi occasionem dedit: nam quum neque vallum urbis refectum offendissent, neque farinam ad panem conficiendum, aut lignorum copiam in civitate esse cognovissent, pœnituit eos cœpti consilii, Principe præsertim & Morono absentibus, quorum studio superioribus in bellis totum populum habuerant obsequentissimum: itaque nescire eo tempore unde fossores ad reficiendos aggeres, & munienda mœnia, & instrumenta ad opus faciendum assumerent; & in tanta rerum difficultate jam Gallis cis Ticinum castrametantibus, incertis rumoribus ferebatur Sfortiam & Moronum cum Gallo consentire contra Cæsarem, eaque ratione in tanto belli motu Mediolano abfuisse: quare omnibus exercitus Cæsarei Ducibus mandatur, ut in sequentem diem copias instruant, quo decretum fuerit profecturi: Gallus autem, qui omnem spem victoriæ in celeritate posuerat, instructis ordinibus Mediolano appropinquabat: quod sentientes Cæsariani, præcepto per omnes urbis regiones confestim facto, milites exire & via Laudensi iter facere jubent; vixque Davalus, qui in ultimis ante portam stabat, ut instructo ordine, & sine fugæ specie progrederentur, porta Romana egressus erat: quum per Ticinensem & Vercellensem Gallicus exercitus ingressus est; qui si eo die relicto Mediolano insequebatur Cæsarianos, ultimus ille dies bello gentique fuisset: nullius enim erat operæ, hostem abjectis magna ex parte armis, amissisque equis, tam longo itinere fatigatum ad internecionem cædere, vel turpiter abeuntem compellere in præceps: sed nimia Regis (ut creditur) potiundi Mediolani cupiditas, in cujus oppugnatione duobus superioribus bellis ejus Duces frustra tot menses incubuerant, ipsum hoc prævidere non permisit: qui tamen omni tempore clementissimus nihil hostile in civitate fieri voluit; quin paucos, præter eos qui arcem obsessuri erant, civitatem introire passus, ipse ne eam quidem videre voluit, quoniam nisi confecto bello muris se tenere haud decorum esse existimabat. Interea cum amissæ urbis nuncium Sfortia accepisset, relictis Papiæ quinque Germanorum peditum millibus una cum Morono, & magna Mediolanensium caterva, secundo Padi flumine Cremonam ire pergit, veritus id quod paulo post contigit, Regem cum exercitu ad oppugnandam Papiam primum venturum, ut eam civitatem, & tormenta bellica, quæ omnia ibi Cæsariani habebant, in potestatem redigeret: quod Antonius Leva, qui in urbe cum Germanis & aliquot Hispanis militibus remanserat, ita fore haud dubitans, excubias stationesque militum circum mœnia disponit; molas etiam frumentarias, quæ manuum opera farinam conficerent, quas plures quanta maxime potest celeritate parari jubet; ne cis transque Ticinum à Gallo obsessus, omnibusque molis, quæ plurimæ in fluvio erant, exclusus, panis penuria laboraret, deligit quoque nonnullos Papienses, qui triticum, vinum, & reliquum commeatum in urbe describerent: & quia militibus stipendium unde daret non habebat, ipsos à civibus ali voluit, sumptibus juxta cujusque facultates æqualiter distributis: atque ut plurimis belli necessitatibus, quibus pecunia opus erat, non deesset, sacro prophanoque argento passim collecto monetam excudit, in qua ad posterorum memoriam signatum fuit, CAESARIANI PAPIAE OBSESSI. M. D. XXIIII.

Interea Lanojus, relicto in urbe Laude præsidio, in Cremonensem agrum se contulit, statimque Moronum, cujus industriam & promptitudinem in superiore bello cognoverat, ad se per literas evocavit, & cum illo congressus perspexit antea se & de Duce & de ipso diversi consilii nefas injuria suspicatum esse: auditaque ibi Regis ad oppugnandam Papiam profectione convocatis Ducibus aliquot Germanum peditatum minus aptum existimabant ad ferendam obsidionem, nec sine stipendio, quamvis à civibus alerentur, credebant militiæ onus laturos; & idcirco duo millia Italorum peditum, qui Alexandriæ substiterant, ea urbe tanquam minus oportuna derelicta, Papiam evocari suadebant. Sed postremo vicit melior sententia, sero scilicet pedites Alexandria venturos, minusque esse convenіens, eam civitatem deserere, qua iter Genuam & inde in Hispaniam esset; præsertim quum à Gallo jam cis Ticinum profecto minime timendum foret, ut magnas vires adduceret ad illam oppugnandam: quare eo enixius operam esse dandam, ne Papia

pia eo tempore amitteretur, quæ facile in fide contineri posset. Illud etiam multo magis esse advertendum, Germani si inde educantur, ut ex alia natione imponatur præsidium, ipsos justam irascendi causam habituros, quod eis minime Duces confidere viderentur, hominesque suspiciosos & iracundos fortasse civitatem hosti esse tradituros: & propterea, cum nulla nisi in Germanis urbis defendendæ spes reliqua esset, decernunt, eis Papiæ dimissis, exercitum quamprimum instaurandum, augendumque esse novo Germano peditatu: ad quem conducendum Lanojus Prorex cum pecuniis certos homines miserat. Injunctum est insuper Ferdinando Davalo, ut adjuncto secum Morono cum Hispano peditatu Laudem Pompejam contineat, tanquam urbem maxime oportunam ad bellum, & ad instruendum exercitum, propter fluvium Abduam, ultra quem omnia pacata erant; ne si forte Gallus eo divertisset, non solum Papiæ obsessis succurrendi, ubi supplementum ex Germania advenerit, oportunitas amitteretur, sed tota etiam trans-Abduana ora, & Cremonensis ager in hostis potestatem perveniret.

Interim Rex admotis tormentis Papiæ muros pluribus in locis quassare, mox instructa acie, qua magis mœnia diruta erant, milites fossas transire, & murum adscendere jubet: sed acriter Germanis, & aliis, qui intus erant, repugnantibus, non sine multorum cæde Gallicus exercitus repellitur. Itaque vim frustra expertus, Ticinum fluvium, qui supra civitatem in duo scinditur cornua, alteroque tantum civitatem alluit, aggeribus in alveo factis, tentat divertere; sed ubi jam immensos in opere fecisset sumptus, tantæ de cælo deciderunt pluviæ, ut nimia aquarum vi tota moles corrueret: quamobrem obsessi Cæsariani ab ea parte, qua fluvius præterlabitur, fossa præalta, & vallo murum, qui tenuis admodum erat, confestim reparant; ita ut si hostes (quod deinde evenit) iterum fluvium divertissent, possent non minus ab ea parte quam ab aliis adversus exercitum Gallicum sese tueri. Verum Rex, qui totis viribus totoque animo erat intentus, non solum Cæsarianos ditione Mediolanensi, sed etiam Regno Neapolitano expellere, cum Clemente VII. Pontifice agit per Albertum, Carpensium Principem, Oratorem suum, & Joannem Matthæum Gibertum, ipsius Pontificis Datarium, qui ad se in castra venerat, ut secum in gratiam redeat postpositis odiis, quæ Leonis X. tempore exorta erant: eorumque hortatu Joannem Scotum, Albaniæ Ducem, cum decem millibus peditum, & sexcentis equitibus, ac cum Rentio Cerro, & magna Ursinorum caterva, mittit ad invadendum Regnum Neapolitanum: simulque dat operam, ut magna sulphurei pulveris, & ferrearum pilarum summa in tormentorum usus ab Alphonso Estensi, Ferrariensium Duce, tradita, per milites, qui Padum cum Albaniæ Duce transierant, ad se adduceretur: præsertim quia Lanojus & Davalus cognita Gallorum trans Padum profectione, relicto in urbe Laude modico præsidio ad impediendum hostium conatum, cum omni exercitus robore Padum transibant. Quum enim Regem hujusmodi rerum apparatu plurimum egere audivissent, existimabant ob id solum Gallicas copias Padum transisse; nec verisimile putabant Mediolanensi imperfecta expeditione Gallos Neapolitanum (quod variis rumoribus jam ferebatur) aggredi: itaque quum Monticelli Cæsariani applicuissent oppidum trans Padum, Placentiam versus quinque millibus passuum à Cremona situm, Florentiam sese postero die conferre decreverant, nisi per levis armaturæ equites quidam Regis Cubicularius, & alter Amanuensis Albaniæ Ducis, captivi in castra fuissent adducti: ex quibus cognovere, Gallos, qui trans Padum profecti erant, à Rege admonitos fuisse, ut omni studio niterentur hostem à Padi ripa quam maxime abducere: ut quum procul abesset, ipse posset armatis aliquot navibus (quum brevi itinere Papia Cremonam secundum fluvii cursum tendatur) pontem occupare, quem Cæsariani paulo supra Cremonam instruxerant, atque ita hostibus Pado exclusis totam ipse, nemine repugnante, ditionem Mediolanensem facilius adipisceretur. Quod haud difficile factu perspicientes Cæsariani, Monticelli sese continent: præsertim quod Regi & ejus copiis se minus pares sperabant, cum rebus cæteris, tum pecunia, quæ segniter à Cæsare subministrabatur: & Romanus Pontifex & Florentina Respublica, ut in superioribus bellis consueverant, non solum non juvabant, sed jam aperte favebant Gallo: & nunciis ac litteris Pontifex hortabatur, ut Lanojus relicta Cisalpina Gallia cum exercitu in Neapolitanum Regnum reverteretur, pollicitus Regem mutato consilio ab expeditione Neapolis temperaturum. Neque solum Pontificiæ & Florentinæ pecuniæ deerant, sed ab ipsa etiam Neapoli, & à Duce Mediolanensi, cui fere sola Cremona relinquebatur, ne minimam quidem partem ejus, quæ fuisset usui in tanto bello, percipere poterat: ita ut necesse fore prospiceret, stipendii defectu non modo exercitum augeri non posse, sed brevi dissolutum iri. Non parum etiam angebat, quod Veneti Cæsari superiore anno fœdere conjuncti ex pacto debitas auxiliares copias mittere tergiversabantur, neque Oratores, qui Cæsaris Francisci que Sfortiæ nomine crebro Venetias & ad Urbini Ducem propterea mittebantur, quidquam proficiebant: id scilicet effecerat timor potentissimi Regis, adversus quem pugnando majus in se odium nolebant concitare: & maxime etiam illos movebat suspitio non ab re ante concepta, ne si forte Cæsariani adversus Gallum victores exstitissent, ejecto Sfortia Mediolanense Imperium ipsi occuparent; quod valde eos angebat, ne vicinum tam potentem habere cogerentur, à quo haud ignorabant ipsorum Reipublicæ maxime timendum esse. Quare Carolus Lanojus, ejusque consiliarii, conditionibus opera Pontificis à Rege acceptis, relictis Insubribus, cum exercitu in Neapolitanum Regnum reverti optimum esse affirmabant: idque procul dubio fecissent, nisi Davalus, qui & rei militaris scientia, & magnanimitate facile primas partes in exercitu obtinebat, ac etiam Hieronymus Moronus summam turpitudinem esse prædicassent, additis nuper sex millibus Germanorum peditum, totidemque paulo post in auxilium venturis, de discessu tum disserere, quum de pugna cogitandum esset; affirmantes, nisi frustra tempus teratur, exercitum Cæsari addictissimum, & tam longo stipendio ditatum, posse aliquot adhuc dies exigua pecunia contineri; modo Germanis nuper adductis non desit unde sese alere possint: nec pro virili Sfortiam Ducem impræsens (ut antea semper fecit) defuturum; cujus exemplo debere Proregem non modo Neapoli quantam maxime possit pecuniam cogere, sed privata etiam vasa aurea & argentea ipsum & reliquos Duces pro sustinendo bello conferre: quæ sententia quum vicisset, omnes cis Padum regressi, Laudem Pompejam proficiscuntur, materiamque omnem tormentariam ad Regem deferri permittunt: atque ut contra exercitum hostilem, si Neapolim peteret, non deesset præsidium, Lanojus Honoratum Cajetanum unum è primoribus, qui apud se essent, Neapolim mittit, ac per proceres & principes Regni Neapolitani equites peditesque deligi mandat ad vim repellendam. Ipse interea Davalus, qui majore spe bellum moliebatur, animoque jam conceperat cum ipso Rege belli fortunam, ubi Germani omnes advenissent, experiri, ne quid sibi à tergo relinqueretur, cum omnibus fere copiis pergit ad Cassiani arcem supra Abduam recipiendam, quam Galli primis belli diebus occupaverant; admotisque tormentis, ubi nullum propugnatores auxilium mitti senserunt, vitam tantum

tum incolumem paciscentes, relictis armis impedimentisque omnibus, ex pacto ad suos revertuntur: magnusque tum Gallos, qui Mediolani stabant, invasit timor, ne ad urbem occupandam Cæsariani pergerent: quod quidem semper dissuaserat Moronus, tum ne adducto ad urbem exercitu, hosteque repugnante, pulcherrima civitas vastaretur, tum ne Hispanus miles occasionem nactus non ante civitate, si ea potiri contigisset, vellet excedere, quam stipendium jamdudum debitum acciperet. Quare præsidio arci in deditionem acceptæ imposito, ad civitatem Laudem omnes reversi sunt: ibique ex litteris Antonii Levæ cognoverunt, Germanos Papiæ obsessos pecuniam efflagitare, minitarique civitatem hosti tradere, nisi stipendium penderetur. Davalus igitur & Moronus, quibus victoriæ nanciscendæ major cura inerat, quum neque præsentem haberent pecuniam, neque fieri posset ut eo tempore, etiamsi affuisset, Papiam deportaretur, vafrefacto Germanos quietos reddere statuunt: duos itaque homines deligunt fide & industria præditos, qui cum equis vino onustis conferant sese in castra regia, triaque millia aureorum in parvo vase occlusa reponunt in grandiore vase vinario. Quamobrem ubi Papiæ erant, propiora hostis castra tabernaculum ponunt tanquam vinum vendituri. Interea litteris, ignotis caracteribus scriptis, Antonius Leva in urbe de tota re edocetur, qui extemplo ab ea parte, qua signum datum erat, complures milites ad leve prælium emittit: dumque acriter in castris ad arma conclamatur, tabernaculaque & tentoria tolluntur ob hostium timorem, alter ex iis, qui deferendæ in urbem pecuniæ provinciam sumpserat, fracto vase vinario & arrepta pecunia inter tumultum elapsus Papiam ingreditur: & ad Antonium Levam adductus, significat se pecuniam portasse, non ut Germanis omnibus satisfieri posset, sed ut Ducum, qui foris exercitum gubernabant, satisfaciendi studium perspicerent, simulque intelligerent, quanto cum discrimine illud quicquid erat pecuniæ attulisset: Davalique ac cæterorum Ducum nomine obsecrat, ne in tam diuturno bello, quod tanto sumptu sustinetur, amittendæ pecuniæ auctores esse velint. Germanus miles, qui nuncium dicere, ac Davalum vera scribere cognoscebat, seditionem non modo compressit jam excitatam, sed usque ad belli exitum à petendo etiam stipendio abstinuit.

Per eosdem etiam dies Præfectus Germanorum Papiæ moritur ex acuta febre, vel, ut multi existimavere, incerto veneno; quum haud mediocris inesset suspicio, illum cum Rege ad prodendam civitatem consentire: & ne tumultus inter milites excitaretur, si aut in judicium vocatus fuisset, aut violenter trucidaretur, tutius consilium nonnulli captum fuisse affirmarunt, illum de medio ea via tollere. Interea cum è Germania sex insuper peditum millia Laudem Pompejam advenirent, & persæpe ipsum Lanojum Neapolim reverti volentem Davalus tandem consilium mutare coegisset, Moronusque Cremona tantum pecuniæ attulisset, quantum satis esset ad equitatum hybernis movendum, & adversus hostem deducendum, quantumque ad providendum sufficeret, ut operarii tormentorum apparatus, funes & ferramenta cum reliquis belli ministeriis non deessent: ipse Davalus, cui à Carolo Lanojo totum onus belli gerendi propter magnam rerum omnium difficultatem relinquebatur, ut miro ardore flagrabat immortalem sibi gloriam comparare, ita omnia ad bellum necessaria Morono strenuam operam impendente præparat, Ducesque & cohortium Centuriones hortatur ad prosequendum bellum, & necessarium, & gloriosum: quumque omnes ferme bene animatos agnovisset, convocatis Hispanis peditibus, à quibus summopere colebatur, & in quorum promptitudine, & militandi peritia maximam victoriæ reposuerat spem, suggestum adscendens, ut facile ab omnibus audiri posset, in hanc sententiam orationem habuit: *Nisi vos hactenus commilitones agnovissem, quæcumque bellorum discrimina gloriæ vestræ, & Cæsarei nominis amplificationi posthabuisse, profecto absque stipendio adversus hostem educere posse non considerem; sed quum animadverto eosdem vos esse, qui proximis annis Gallum Mediolano non modo fortiter expulistis, sed etiam cum magna copiarum multitudine reversum acie profligastis, & tandem Italia coegistis turpiter abscedere, bonæ spei plenus timorem omnem abjicio, certamque victoriam vestra virtute fretus mihi polliceri posse videor: quin Regem ipsum, qui nunc adsit, non majores vires ad bellum afferre, sed si victus fuerit plus prædæ allaturum existimo: atque illum in Italiam hoc tempore descendisse verisimile est, quia suis jam ter inde pulsis, nihil ultra confidat; tantoque facilius eum vinci posse arbitror, quanto nimio animi ardore uno eodemque tempore & Papiam urbem munitissimam frustra tres menses oppugnet, & exercitus partem ad tentandum Regnum Neapolitanum mittat; quasi copias nostras ad hunc diem semper invictas contemnat, quia penuria rei nummariæ paululum laboremus. Quod quidem vos minime movere debet, qui tot annos Cæsaris auspiciis militastis, & licet aliquando sera tamen debita semper stipendia retulistis, quæ neque hoc tempore amittetis, certissimis paulo ante nunciis admoniti, in Hispania ingentem auri summam mercatoribus Genuensibus numeratam esse, quæ paulo post quæstoribus exercitus in vestrum usum danda sit. Quod si de amittendo stipendio nonnulli fortasse timent, nihil hujusmodi nisi hoste victore metuendum est, quoniam vobis victoribus ab omnibus Italiæ & Galliæ locis pecunia minime defutura est, victoriamque è manibus nostris vix elabi posse arbitror, si in aciem descendere, & paucos dies stipendiorum solutionem exspectare volueritis; tot hostibus devictis, tot civitatibus & oppidis expugnatis aliquando ditati. Jam hostis non amplius duorum dierum itinere abest; brevi possumus (modo ipsi non detrectaveritis) manum cum eo conserere, cui & numero & fortitudine præstamus. Nec vereor, ut Rex obstinato quodam animo nunquam se Papia abscessurum nisi ea recepta prædicat: quin etiam viribus inferior, ne obsessis opem ferri patiatur, ad pugnam descensurus sit: quod si forte præter multorum opinionem non præstiterit, tamen æquum est eos, qui Papiæ inclusi sunt, & pro salute reliqui exercitus sese jam tertium mensem obsideri patiuntur, liberare, maxime etiam gloriosum cogere potentissimum Regem ad relinquendam jamdiu cœptam obsidionem. Cæterum tantum mihi desiderium cum ipso dimicandi quotidie suggeritur, ut jam (si sors pugnam obtulerit) spei plenus sim, illum nullo modo manus nostras evasurum; gloriamque & nomen Cæsaris ac vestrum adeo auctum iri; ut non modo toti Italiæ & Galliæ formidandum sit, sed leges etiam imponere debeat.* Audita Davali hortatione quum non solum Duces, sed milites etiam sese alacres exhibuissent ad pugnam, offerrentque, quoties jussisset, contra hostem exire, paratosque fore dies triginta stipendii solutionem prorogare, Germanum peditatum etiam admonet, ut parte stipendii accepta, quo cibaria in castris emere possent, reliquum exspectare ne graventur, quod ubi antea ab Hispanis promissum fuisse audiverunt, pariter sese idem facturos pollicentur. Reliquum igitur erat, id etiam equitibus persuadere, qui jam multo ante stipendium non acceperant, & difficiliores ad id faciendum videbantur: quare ad diversa Glaræabduæ & Cremonensis ditionis loca, ubi hiberna agebant, Davalus profectus, eis persuasit, ut parte stipendii accepta, per idem tempus, quod Hispani milites promiserant, & ipsi militare non abnuerent.

Atque ita rebus cum exercitu constitutis, Cæsariani hyeme nondum exacta Melignanum primum profecti sunt, ut Mediolano ad decem millia passuum propinqui animadverterent, an Galli metu ur-

urbem essent deserturi: sed postquam cognitum est, nulla signa timoris edere, mutato consilio ad expugnandum oppidum Sancti Angeli revertuntur, quod ferme medium est inter Laudem urbem & Papiam: neque id ab re; nam nisi eo expugnato à civitate Laude, ubi, qui commeatum adducebant, frequentes conveniebant quotidie, nulla ferme cibaria ad exercitum deferri potuissent: erant autem in oppido pedites Itali octingenti cum ducentis equitibus sub Pyrrho Gonzaga; & paulo ante Rex, hostium adventum timens, Jacobum Cabaneum & Federicum, ipsius Pyrrhi fratrem, eo miserat; ut perspicerent, an oppidum adversus hostem satis munitum esset, & quales militum animi viderentur: Regique retulerant, omnia diligenter provisa esse. Sed Davalus, dispositis tormentis, ut primum mœnia lustravit, ad Moronum, qui pedibus ægrotus in urbe Laude substiterat, scripsit, se in posterum diem tormentorum vi oppidum quassaturum, oppugnaturum, atque expugnaturum: resque litteras comprobavit; prostratis enim aliquot speculis, è quibus propugnatores tela & sclopos emittebant, omnes, qui præsidio intus erant, relicta murorum defensione, intra Arcem sese recipiunt: tunc Davalus cum paucis militibus in fossam (aqua enim, licet profunda esset, carebat) descensus ab Hispano Centurione, qui lapidum fragmenta manibus apprehendens, pileum rubrum lancea paulo supra muri altitudinem elevari jubet: dein apprehensum puerum toto capite supra murum extollit; quumque nemo in eum ejacularetur, oppidi defensores aufugisse existimans, Hispanus saltu in murum evadit; hunc statim insecutus est ipse Davalus: quamobrem admirati milites non solum Ducis prudentiam, sed etiam magnanimitatem, per muros introire in oppidum pergunt, donec per ingressos reclusa porta aditus omnibus patefactus est. Nec majorem defensionem, qui in Arcem confugerant, fecere; quin statim omnes sese Davalo tradiderunt, quos equis tantum armisque demptis, exceptis eorum Ducibus, incolumes cum vestimentis abire permisit, ea conditione, ut trans Abduam sese reciperent, nec nisi post exactum mensem contra Cæsaris exercitum rursus militarent. Quo effectum est, ut eo die præter adeptam gloriam, haud mediocrem etiam benevolentiam hostium Davalus sibi conciliarit. Igitur Rex expugnatione Sancti Angeli audita, quum Cæsarianos adversum se quamprimum profecturos minime dubitaret, ne (quod initio nullo modo facere statuerat) ab obsidione Papiensi recedere cogeretur, omnes copias præter paucas, quæ trans Ticinum ad continendos in fide populorum animos intra oppida hyemabant, in unum contrahit: & ut obsessis auxilium ferri prohiberet, in valle quadam, quam Vernacula rivus perfluit, exercitum collocat, ab ea parte, qua Cæsariani venturi erant. Atque ut tutior contra hostem foret, jamdudum Joannem Medicem cum tribus peditum millibus & trecentis equitibus conduxerat, Sfortiæ infensum: quod ab eo, cujus stipendiis hactenus militaverat, dum Romæ ipse esset, & bellum à Gallis jam gereretur acriter, non requireretur: multos etiam alios ductores Italici generis sollicitat, & præsertim Guidum Rangonem Mutinensem, magni nominis virum, & Franciscum ejus fratrem, ac præcipue Joannem Ludovicum Palavicinum, qui etsi in Gallum ob supplicium Manfredi fratris aliquandiu male animatus fuisset, tamen ut contra Salviatorum familiam, & Joannem Medicem, quorum inimicitiam ob Pontificis affinitatem timebat, præsidium firmum pararet, postquam pecuniarum inopia à Francisco Sfortia & Cæsarianis militum Præfecturam habere non potuit, quinquaginta equitum Ductorem, & peditum Præfectum se Regi requirenti obtulit. Evocati etiam à Rege sunt duo mille pedites Itali, Massilia nuper Saonam profecti, ubi superiore æstate pro ejus urbis defensione sub Rentio Cerro militaverant. Sed dum prope flumen Urbæ in agrum Alexandrinum pervenissent, Gaspar Maynus Mediolanensis, qui ab initio belli cum mille & septingentis peditibus Alexandriæ tutandæ præfectus fuerat, cum parva militum manu urbe egressus, illos de via fessos, nihilque tale cogitantes, offendit; atque animose in hostes facto impetu, postquam paululum substitissent, fugat, fugientesque insequitur usque ad oppidum Castellatium, unaque ingressus, paucis eorum cæsis, cæteri sese dedidere: at Maynus eorum armis, equisque, militibus suis concessis, omnes incolumes, præter duos Centuriones, dimisit: & non parvam inde retulit laudem, captis præsertim in ea pugna decem & septem vexillis.

Per id etiam tempus quum in castris regiis militarent peditum Grisonum circiter sex millia, Joannes Jacobus Medices Mediolanensis, qui arcis Mussi juxta Larium lacum præfecturam gerebat, vafrefacto illos à Galli auxilio ita revocare aggressus est. Clavenna oppidum est supra lacus caput, à Rhætis possessum, ubi ars supra collem stabat, à domibus, quæ in oppido frequentes sunt, satis longo intervallo distans: qua dum Præfectus, nihil tale suspicatus, forte egressus esset, à Medicis militibus, qui non longe ab arce inter quasdam rupes occulti stabant in insidiis, comprehenditur: accersitaque ad portam Præfecti uxor, timens conjugi, quem milites strictis gladiis occidere minitabantur, nisi statim arcem traderet, illos intromittit. Atque ita Medices, accepto à suis peracti facinoris signo, cum trecentis peditibus, quos propinquos jam adduxerat, per arcem ingressus, oppidum in potestatem redigit: ac quamprimum tumultu in locis vicinis excitato non solum Grisones, qui domi erant, in armis fuerunt, sed eos etiam, qui cum Rege apud Papiam militabant, per litteras revocarunt: & ubi non profecerunt litteræ, bonorum & vitæ proscriptionem minati, omnes in patriam reverti quam primum jussere. Quod quidem Regi plurimum obfuit: nam quum tam prope castra hostium haberet, quantum lapidis esset jactus, discessus sex millium fortissimorum peditum, præter attenuationem exercitus, cæterorum etiam fregit animos: jamque vincendi totam spem duabus tantum in rebus Rex posuerat; unam scilicet in hostium rei pecuniariæ inopia, quæ tanta erat, ut Germanis peditibus singulis septem diebus dimidium nummi aurei daretur, quo vix panem emere possent; & Hispani pedites transacto tempore, quo absque stipendio in castris permanere Davalo polliciti fuerant, injussu Ducum passim prædam quærentes abirent, neque in castra nisi magna cum difficultate revocarentur: ita ut ad eos continendos necesse fuerit tantam tritici & vini summam singulis eorum cohortibus dare, quantum sese absque carne aut aliquo obsonii genere alere possent; quod nequaquam tamen fieri potuisset, nisi Moronus eventura multo ante prospiciens, castellum castris propinquum, in quod magna vini & frugum summa ex proximioribus villis convecta fuerat, ne à militibus diriperetur, magna diligentia servari curasset. Altera supererat spes in iis copiis, quam jam delegerat Palavicinus, cui Rex mandaverat, ut Cremonam, modico Sfortianorum præsidio munitam, occupare niteretur; & quam maxime posset commeatum, qui inde ad hostium castra deferebatur, impediret: quamobrem ille confestim cis Padum cum peditibus duobus millibus & quadringentis equitibus profectus, Casale majus ingreditur: & quia nulla mœnia oppidum cingebant, carris, vasis vinariis, cratibus, aggeribusque, ut commodius potest, oppidum firmat: mox equitibus viatores & colonos villarum deterrere & populari cœpit: quapropter Sfortia, qui Cremonæ substiterat, magnis anxius curis ægre à civibus, qui jam multa tributa contulerant, tan-

tantum æris exigit, quantum satis esset ad pedites mille quadringentos continendos: quos cum paucis equitibus sub Rodulpho Varano Camerinensi militantibus, & cum levis armaturæ turma ad corporis sui custodiam antea parata, Alexandro Bentivolo Bononiensi parere jubet: qui vel hoste numero inferior quamprimum ad oppidum Casale majus contendit, tanquam oppugnationem pararet. Palavicinus igitur, etsi propediem Franciscum Rangonem Mutinensem cum peditum & equitum manu venturum ad se non ignoraret, tamen parum sibi à Sfortianis impræsentia timendum ratus, cum copiis ad pugnam egressus, equites Bentivoli primum in fugam vertit. Sed ubi Sfortiani omnes obviam Palavicino iverunt, manusque misceri cœptæ sunt, & Bentivoli, & militum ejus fortitudine paulisper, qui cum Palavicino erant, pedem retro ferunt, donec ipse quam maxime enixus suis animos addere in Sfortianos impetu facto equo excussus, vivus in hostium venit potestatem: atque ita fuga undique exoritur, & Sfortiani hostes insecuti una oppidum ingrediuntur. Capti permulti ex hostibus fuere; plures tamen diversa in loca abierant, neque ullo postea in loco sedem firmarunt. Magnam laudem hujus pugnæ successu Bentivolus retulit; tantumque præsidii rebus Cæsaris & Sfortianis attulisse visus est, ut Franciscus ipse Sfortia tum primum bene de toto bello sperare cœperit; ipsique Cæsariani Duces magna lætitia ex tam felici eventu affecti sunt. Imprimisque Davalus nihil cogitabat, nisi quomodo cum Rege absque loci incommodo congredi posset, sperans quemadmodum levibus præliis, & ipse, & reliqui, qui Cæsari favebant, quoties hostem offendissent, superiores exstiterant, ita etiam, si tota acie decertaret, victor evadere: ejusque erat studium per diem plures horas in equo esse, & castra hostium circumquaque lustrare, ut quo in loco Helvetii, in quo Itali pedites stationem agerent, ubi equitatus moraretur, ubi tormenta essent hostilia, non minus ipse quam hostis sciret; fossas etiam agrorum, vias, exitus, ingressusque omnes viarum propinquos optime callebat: noctu vero multoties ad arma hostem excitabat; & modo à fronte, modo à latere urgens, aliquando integras cohortes cæcidit. Quo effectum erat, ut formidabilis Cæsarianus exercitus Gallo jam esset; optimeque consulere videbatur Albertus Carpensis, qui Roma Pontificis nomine certos nuncios ad Regem mittebat, ut omnino decertandi occasionem vitaret, exercitumque ita communiret, ut necessitate adductus cogi non posset ad pugnam: brevi enim fore, ut exercitus hostilis pecuniæ defectu dissolveretur. At Rex, etsi vera amicum suadere cognosceret, & magno suo incommodo paulo ante Joannes Medices, idem belli scientissimus atque audacissimus, in levi prælio sclopo juxta pedis talum vulneratus fuisset ita, ut præ effracti ossis dolore Placentiam nave secessisset, tamen magno sibi dedecori fore existimans, si Papiensem obsidionem ob timorem intermitteret, minime eos audiebat, qui inde discedere consulebant.

Cæterum Davalus, qui exercitum suum eo videbat adductum, ut nisi celerem reportaret victoriam, paulo post inde discedendi necessitatem esset habiturus, evocatisque in castra militibus, qui aberant, ac rebus omnibus ad pugnam paratis, ex omnium Ducum sententia media nocte castra movit, equitumque duas, peditum autem quattuor, acies instruxit; quarum primam ex duobus millibus Germanorum, totidemque Hispanis, admixtis Italis constituit; secundam ex solo Hispano peditatu, tertiam & quartam ex Germano. Quumque Rex exercitum omnem inter castra Cæsariana & Papiam haberet à fronte, à tergo & à sinistro latere præaltis fossis & vallo castra munierat; à dextro autem muro Parci Papiensis se tutum esse credebat, præsertim quoniam intra palatium Mirabellum nuncupatum, ubi antiquitus Duces Mediolanenses, quum venationi darent operam, habitare soliti erant, nonnullas equitum turmas & peditum cohortes disposuisset. Sed Davalus, instructo exercitu, per fabros lapidarios militum etiam auxilio sexaginta muri passus tanto silentio prostravit, ut strepitus ab hoste nusquam fuerit auditus: itaque cum Parcum ingressus esset, prima peditum acies, cui Alphonsus Davalus, Vasti Ammonis Marchio, præerat, Mirabellum, reliquum vero exercitus ad Regia castra contendit: quo factum est, ut confestim ad arma in exercitu Gallico conclamaretur. At Rex, cujus castra superioribus noctibus aliquot in locis ab Hispanis infestata fuerant, suspicatus fortasse Cæsarianos Mirabellum proficisci, propterea quod intra Parcum hostes venisse plerique renuntiarent, suis statim opem ferre decrevit: jussis igitur militibus arma capere, castrorum relicta munitione, Cæsarianis æquo loco pugnandi fecit potestatem: & quum primum agmen Hispanorum obviam habuisset, à sclopetariis, quibus plurimum ea gens valet, Gallorum primi multa cæde & sanguine coguntur retrocedere; donec Helvetii pedites, equitatusque à latere urgens, Hispanos repellunt: sed subsecuti Germani, in cuneatam frontem aciem porrigentes, Helvetios post magnam illatam cædem profligant. Tum Rex, magno equitum cataphractorum numero stipatus, pugnam ingressus, suos à fuga compescere quam maxime enititur: verum postquam paululum pugnavit, equo graviter icto effusus à quinque Cæsarianis militibus nondum illis notus capitur; statimque Lanojus, qui casu eo advenerat, corporis proceritatem & armorum pulchritudinem miratus, ipsum, jam se qui esset palam ferentem, in potestatem recipit. Eodem etiam tempore Alphonsus Davalus cum prima acie equites Gallicos, qui Mirabelli substiterant, sternit; & Antonius Leva cum Germano peditatu Papia egressus Gallos à tergo cædebat: donec fuga undique cœpta nemo amplius è tanto exercitu resistere auderet; sed omnes, quibus primus impetus vitam non ademerat, sese captivos reddunt; ita ut præter postremam equitum aciem, cui Carolus Dux Alanconii, Regis sororius, præerat, & qui statim conserta manu cum tota acie prælio se subtraxerat, pauci ex aliis, qui superfuere, Cæsarianorum manus evaserint. Cecidere in ea pugna, tum ferro, tum fugientes Ticino summersi, ex Gallorum exercitu supra octo hominum millia, éque primoribus totius Galliæ circiter viginti: inter quos fuerunt Gulielmus Gonfierius Amiraldus, Thomas Fusius, & Jacobus Cabaneus, Magistri equitum, (Galli *Marescallos* vocant) Ludovicus Tremellius, Burgundiæ Præfectus, Galeacius Sanseverinus, ab armis equisque ipsius Regis magnus scutifer nuncupatus, & alii quamplures, Rex ipse captus cum reliquis fere exercitus Ducibus. Ex Cæsarianis vix septingenti defuerunt, nemoque è Ducibus, præterquam Fernandus Castriota, desideratus est; tantumque prædæ totus exercitus, & præcipue Hispani, tum è castrorum direptione, tum è captivis congesserunt, ut præter summam laudem & gloriam sibi comparatam, potentissimo Rege capto, & deletis ejus copiis, ac recuperato Mediolanensi Imperio, nulli unquam in Italia milites ditiores effecti sint.

GALEA-

# GALEATII CAPELLAE DE BELLO MEDIOLANENSI, SEV DE REBVS IN ITALIA GESTIS PRO RESTITVTIONE FRANCISCI SFORTIAE II. *MEDIOLANENSIVM DVCIS,*

## *LIBER V.*

PROFLIGATO ad Ticinum Gallorum exercitu, captoque eorum Rege, duo potissimum impedimentum attulerunt, quominus Carolus Lanojus victricia signa inferret in Galliam, quam tanta accepta clade omni nudatam præsidio reperiisset; unum quod sine pecunia non poterat novum bellum parari, alterum, quod nisi explorato Cæsaris animo tam arduam provinciam aggredi haud æquum ducebat. Accedebat præterea, quod Regis captivitate maximas controversias, quæ inter duos Christianorum potentissimos Principes variis de causis obortæ aliàs fuerant, sedari tum posse sperabat. Quare Cæsarem quamprimum de victoria certiorem facit: quo autem id celerius fieret, Regem ad scribendum litteras ad matrem hortatus est, quibus rogabat, ut nuncii in Hispaniam proficiscentes, & inde etiam redituri, tuto iter agere possent; fore enim, ut id sibi magnopere proficeret apud Carolum Proregem: cujus auctoritate & gratia, præterquam quod captivus commode acceptus erat, sperabat etiam à Cæsare libertatem adipisci. Quod non solum poscenti ultro concessit mater, sed nuncio etiam properanti aliàs ipsa dedit litteras, quibus Cæsarem obsecrabat, ut humanæ conditionis esset memor: fieri enim posse, ut mansuetudinis & clementiæ gratiam aliquando acciperet: atque id illi haud difficile fuit exorare; nam Cæsar, ut in Italia debellatum & Regem captivum esse intellexit, animum ad pacem extemplo adjecit; neque ob tam insignem victoriam ullum lætitiæ edidit signum, sed tantum supplicationibus gratias egit Diis immortalibus, qui sibi rerum in Italia componendarum tam facilem viam aperuissent: simulque Lanojo per litteras mandat, ut Regis animum, & loquendo, & consulendo ad id ipsum hortaretur. Interea Lanojus, accepta à Francisco Sfortia Pisleonensi Arce, Regem custodiendum eo adducit; postmodum Papiam reversus, quum magnum sibi onus incumberet tot stipendiorum militibus persolvendorum, magnam exercitus partem in Placentinum & Parmensem, ac etiam Regiensem, agrum ire præcipit; ea ratione Clementem Pontificem & Alphonsum Ferrariensium Ducem adducturus, ut pecuniam in exercitus usum erogarent; Legatum etiam Venetum admonet Reipub. suæ præstare persuadeat, quod impensæ amplius in bellum factum erant pro militibus, quos Veneti in auxilium mittere tenebantur, cum ipse in augendo exercitu eam rationem habuerit, ut numerum eorum expleret, qui ab eis mitti ex fœdere debuissent. Atque tantus jam erat in Italia Cæsarianorum metus, ut paucis diebus Clemens Pontifex centum viginti quinque aureorum millia, & Alphonsus Estensis quinquaginta numerarint, ne hostium loco haberentur: Veneti etiam auri signati octingenta pondo polliciti sint. Sed dum Lanojus spe consequendæ majoris summæ moras nectit, immutatam illorum repperit voluntatem: nam nisi renovato fœdere, & fide ipsius Cæsaris accepta, Lanojo credere haud satis tutum existimabant. Per eosdem etiam dies pecuniæ, quæ jamdudum in Hispania à Cæsare mercatoribus Genuensibus numeratæ fuerant, Quæstoribus in Italia redduntur: quod vero reliqui in stipendia exercitus debebatur, id omne Sfortiæ Duci necesse fuit persolvere; ut tot milites, qui non modo oppida & villas passim vastabant, sed intra urbem populaturi omnia venire minabantur, à cervicibus populorum dejiceret: atque ita in Hastensem & Salutianum agrum, ac in Taurinos exonerata hujusmodi procella, Mediolanenses ingenti periculo liberati videbantur; nisi idem Lanojus, qui superiore bello à Cæsare Mediolanensis Ducatus diploma Sfortiæ concessum accepisse palam dixerat, quo Italos Principes certiores redderet ab ipso Cæsare Monarchiam non affectari, ipsius jussu duodecies centena aureorum millia postulasset, ut Sfortia justis Ducatus Titulis insigniretur: neque propterea Ditionem Mediolanensem à Cæsare vendi ajebat, qui majorem tam in ea defendenda quam in adipiscenda impensam fecisset. Cæterum quum id gravius onus, quam quod ferri posset, videretur, haud imprudenter responsum fuit, Sfortiam propediem Legatos ad Cæsarem missurum, ut quo statu res Insubrum essent, certior redderetur: neque vereri, quin multa de Lanoji postulatis detraheret. Atque ita in aliud tempus re hujusmodi dilata, Lanojus Pisleonum secessit; ubi Franciscus, Galliarum Rex, magna cura in Arce custodiebatur: cumque crebris cum eo colloquiis multa de Cæsaris benignitate quottidie polliceretur, magnam spem Regi injecit, ut, si cum Cæsare congredi posset, æquis pacis conditionibus in libertatem restitueretur. Et propterea Lanojum obsecrabat, ut in Hispaniam potius quam Neapolim, quo sibi proficiscendum esse antea audierat, adduceretur: neque ad id minus intentus erat Lanojus, quippe qui & magna præmia & haud minorem gloriam sibi speraret comparare, si ipsius opera inter duos adeo potentes, eosdemque infensissimos, Reges finis impo-

imponeretur simultatibus: quamobrem Regi persuadet, ut iter in Hispaniam à Gallis tutum reddat, proptereaque Anna, Momorantii Dominus, unus è purpuratis regiis, ad Lodovicam matrem, cui statim, audita Regis captivitate, Regni procurationem Gallia omnis demandaverat, ire pergit; ejusque jussu deductis è portu Massiliensi sex triremibus, fideque ab ea accepta, Lanojum cum Rege profectum, ad Portum Delphini viginti passuum millibus Orientem versus à Genua offendit: cumque in illum usque diem non modo palam, sed & cum Ducibus, ipsoque Carolo Burbonio, & Ferdinando Davalo, semper dixisset se Regem Neapolim adducturum, tunc converso ad Occidentem itinere cum decem & septem triremibus in Hispaniam ire properat: accepto nuncio Lanojum cum Rege in Hispaniam ad Cæsarem proficisci, reconciliationem inter eos tractari, nemo amplius dubitavit: quare in animos Italorum Principum statim irrepsit opinio, Italiæ Monarchiam à Cæsare affectari, Regisque libertate ingentem quæri pecuniæ summam; atque ita Cæsari facile fore, qui Regnum Neapolitanum possideret, & in Insubribus victorem haberet exercitum, alias Italiæ urbes & loca in potestatem redigere, ab aliis pecuniam extorquere, quæ placerent diripere, militum hospitia pro libitu in oppidis & civitatibus distribuere.

Quo metu perculsi Clemens Pontifex & Veneta Respublica, crebris litteris & legationibus hinc inde missis, consilium inire cœperunt, qua potissimum via hujusmodi conjunctionem impedirent: nihilque magis conducere visum est, quam Lodovicam Regis matrem Italicis viribus in spem filii liberandi inducere: sed ad id peragendum, censebant oportere Galliam Italiæ esse pacatam: fore enim, ut Cæsar rebus suis metueret, si inter se consentientes tot Principes perspiceret: quorum auxilio potius quam propriis viribus superiora confecisset bella, existimabantque Sfortiam Mediolani Ducem, ut ditionem suam onere Cæsarianorum militum liberaret, una cum eis consensurum: præsertim quum jamdudum à Cæsare insignia, & justi Ducatus tituli, nonnisi durissimis conditionibus promitterentur: atque hujusmodi conjunctione facilior Italiæ foret defensio, per Hieronymum Moronum tentant Ferdinandum Davalum à Cæsaris obsequio divertere: magnaque propterea pollicentur præmia, primum scilicet totius Italicæ militiæ Ducatum, Neapolitanique Regni sceptrum, quod non modo communi Principum sumptu adipisci, sed etiam tutari, si opus fuerit, pollicentur: quod cum non abnuere Davalus videretur, modo sine dedecore & proditionis specie facere liceret, Juris Civilis & Pontificii auctoritate demonstrare nituntur Neapolitanum civem, quod jus ejus ditionis ad Romanam Ecclesiam spectet, non posse solum à quocunque alio absque ignominiæ aut defectionis nota, ut Rom. Ecclesiæ adhæreat, desciscere, verum etiam ad parendum Pontificiis mandatis obligari: atque ita cum in ipsorum sententiam transisse illum existimassent, Sigismundum Alberti Carpensium Principis à secretis deligunt; quem in Galliam mittant ad fœdus cum Italis Principibus tractandum: verum seu quod in itinere interceptus eo non pervenerit, seu quod Rex in Hispaniam trajectus maluerit pace quam bello de libertate sua cum Cæsare agi, Galli non ut antea Italici fœderis cupidi videbantur; quinimo, ut filio captivo Lodovica mater morem gereret, Margaritam filiam, ex morte Caroli Alanconii Ducis paulo ante relictam viduam, in Hispaniam una cum Legatis mittere non recusavit. Quod quidem factum est in obsequium Cæsaris, qui jam animo agitabat, Heliodoram sororem suam, quam Carolo Burbonio superius pollicitam retulimus, Francisco Regi, ipsius autem Regis sororem Burbonio, in matrimonium tradere: atque ita illum in Ducatum, quo ob secutas ipsius partes fuerat expulsus, restituere.

Cum ergo Legati in Hispaniam applicuissent, inducias primum sex mensium fecerunt; quibus Carolo Burbonio iter tutum ex Italia ad Hispaniam pateret: mox cum ad conditiones, pro Regis libertate allatas, deventum esset, Cæsarque quibuscunque Italiæ juribus, necnon etiam juri, quod Senatus Parisiensis in provocationibus Flandriæ jamdudum obtinebat, ac imprimis Burgundiæ renunciari à Gallo vellet, Legati inter cætera mandatum habere significant, ne particulæ quidem Transalpini Regni cederent: cumque aliter Cæsaris animus ad pacem haud inclinaretur, una cum Regis sorore, quæ Caroli Burbonii nuptias confestim adspernata fuerat, in Galliam re infecta redière. Quamobrem Rex, qui recuperandæ libertatis non parvam spem in ea Legatione posuerat, animo consternatus, in adversam valetudinem incidit: & nisi Cæsar ægrotum visitasset, bonoque jussisset esse animo, in magno versabatur vitæ discrimine: sed Cæsaris comitas, renovataque ex illius oratione libertatis spes, brevi hominem ad pristinam reduxit incolumitatem: idque maxime ut speraret, præstabant nuncii, qui sæpe ad illum veniebant, clamque significabant, quotidie Cæsarem à suis in Italia moneri, ut pacem Gallicam honestis conditionibus non adspernaretur, neque sineret Gallos Italis jungi; periculum enim imminere, ne dissoluto exercitu, qui rei pecuniariæ inopia diutius contineri non poterat, non modo ejus auctoritas in Italia, sed Regnum etiam Neapolitanum in discrimen adduceretur: atque ita sero coactum iri, quomodocunque pacem à Gallo accipere, quam in præsentia majore commodo dare posset: quæ cum veri similitudinem habere viderentur, valdeque Caroli Imperatoris animum moverent, illud etiam magis movit, quod Ferdinandus Davalus, quæcunque in Italia adversus Cæsarem agitata essent, per certum nuncium patefecit, nec de se male amplius permisit suspicari; nam antea & Antonii Levæ, & Ferdinandi Marini exercitus Quæstoris litteræ multa à Principibus Italiæ haud è re Cæsaris tractari significaverant: nec poterant plerique non admirari, quod Davalus, cui totius exercitus demandata erat cura, in tanto negocio nihil scriberet: incertum autem est, an ad id impulsus fuerit, sive quod Francisco Sfortia in graviorem valetudinem, & in summum vitæ discrimen præter spem redacto, maluerit ipse, si illi mori contigisset, præesse Insubribus, quam cum majore periculo majorem dignitatem quærere; sive quod eo animo simulaverit se Cæsari iratum, suamque adversus illum operam petentibus non negaverit, ut Adversariorum consilia intelligeret, atque ita eorum conatus facilius posset infringere. Patefacta igitur Principum Italorum conjuratione, Cæsar statim Davalo rescripsit, ut, quoquomodo ei melius videretur, provideret, ne quid res suæ detrimenti acciperent: itaque Davalus retracto ex Taurinis exercitu, ubi per æstatem stativa habuerat, Mediolanum versus præter omnium spem venit: & quamprimum Novariam applicuit, per litteras Hieronymum Moronum ad se evocat, qui ut erat callido ingenio, & in indagandis hominum consiliis perspicax, nonnullis rumoribus edoctus, ei parum fidebat: sed cum Davalus nihil non fuisset pollicitus, ut ad se venire non recusaret; Moronus sperans virum famæ & honoris cupidissimum nunquam adductum iri, ut contra datam fidem quicquam mali in se præsertim amicissimum moliretur, Novariam venit: multaque cum illo collocutus dum discessum parat, Antonio Leva ita jubente, à militibus comprehenditur: quo nuncio consternatus Franciscus Sfortia Jacobum

bum Philippum Saccum Jureconsultum ad Davalum mittit, ut suam erga Carolum Cæsarem voluntatem & observantiam declararet. Sed quoniam Moronus vel ea potissimum ratione conjectus erat in carcerem, ne hominis ingenium, quod ipsi multoties aliàs usui fuerat, impræsentia officeret, iisdem artibus, quibus Moronum ad se traxerat, benigne & comiter acceptum Oratorem ad hortandum Principem pellexit, ut civitates, & munitiora loca Cæsaris nomine custodienda traderet: fore enim, ut cognito ejus animo, atque erga Cæsaream Majestatem promptitudine & fide, sedatis suspicionibus, quæ non temere de Pontifice & Venetis in dies suboriebantur, protinus restituerentur, gratiorque Princeps efficeretur Cæsari. Quæ quidem etsi graviora essent, quam ut tam facile deberent concedi, tamen, & ut magis declararet Imperium, quod à Cæsare acceptum habere semper præ se tulerat, paratum ad ejus utilitates reddere, & ne tantam in se Cæsarianorum vim concitaret, quum omnia ab Italiæ Principibus adhuc imparata essent, præter Mediolanensem, Cremonensemque Arces, quas ad corporis sui tam male ex longa ægrotatione confecti custodiam reservavit, reliqua totius ditionis loca ac civitates Davalo concessit, fidereque haud minus innocentia & benignitate Cæsaris, quam Davali pollicitationibus videbatur: qui se nil præterea innovaturum non semel affirmaverat. Sed Principem statim fefellit opinio: nam Davalus quamprimum munita loca præsidio firmavit, cum valida Germanorum & Hispanorum peditum manu, ac nonnullis equitibus ad urbem gressum dirigit; nemineque adversante, distributis intra privatas domos militum hospitiis, extemplo sibi postulat Arcem dedi: res profecto haud æqua, ut jam non id agi videretur, quo rebus Cæsareis consultum esset, sed ut Princeps causa incognita non modo Ducatu, sed etiam libertate, spoliaretur: sero itaque Sfortia agnoscens, se nimiam Davali verbis fidem adhibuisse, passus est se potius obsidione cingi, quam Davali animum in se amplius experiri.

Interea Carolus Cæsar, qui ob ea, quæ Mediolani agitabantur, plane cognoscebat, quanto magis à se Principum Italorum animi quottidie alienarentur, satius duxit conditiones à Rege captivo oblatas non adspernari, quam ansam relinquere, ut Lodovica ejus mater Clementi Pontifici atque Italiæ Principibus jungeretur, præsertim quum post infectam cum Legatis in Hispania pacem, fœdus cum Henrico Angliæ Rege à Gallis renovatum esset; atque ad id incitabat, quod Rex libertatis desiderio Burgundiæ cedere pollicebatur, dicebatque se effecturum, ut tota Gallia, postquam in regnum esset profectus, consensum præbere haud abnueret: quibus promissionibus fretus Imperator, plerisque ejus Consiliariis, maxime Carolo Lanojo, & Henrico, Nausonis Comite, ita suadentibus, fœdus ita cum Rege ictum est: ut Gallus Juri suo cuicumque in Italia cederet, Senatum Parisiensem à Flandriæ provocationibus abdicaret, Burgundiam relaxaret: utque ipsi, ad sumendam Imperii Coronam in Italiam venturo, peditum sex millia, equites cataphractos sexcentos, cum totidem sagittariis, penso in semestre stipendio, in auxilium præberet, proque iis observandis, & donec libertate adepta, promissa denuo sibi rata esse juraret, filios duos natu majores daret obsides: utque pax firmior, & fœdus arctius jungeretur, Heliodoram ejus sororem viduam in matrimonium acciperet; ex qua si filios contingeret nasci, Burgundiæ Duces eos efficere Cæsar pollicebatur. Atque ita firmata Pace, minus jam rebus Italiæ sibi timendum existimans, Pontifici haud auscultabat, quottidie pro restitutione Francisci Sfortiæ oranti: neque culpam transferebat in Davalum; quem ille omnium adversus Cæsarem agitatorum reum arguebat, quum patefactis ab eo adversariorum consiliis, de fide ipsius dubitare inconveniens videretur. Itaque cum nulla à Cæsare refulgeret spes Sfortiæ liberandi, statim Pontifex & Veneti animum ad Regem Galliarum conciliandum adjecerunt: quem eo animo fœdus cum Cæsare existimabant percussisse, ut libertate adepta causam quæreret non servandæ pacis: propterea ad eum in Gallias mittunt gratulatum pro accepta incolumitate, & ad suos optatissimo reditu, mandataque Legatis præbent fœderis percutiendi; quod postmodum initum est his conditionibus, ut Gallus omni ditione Italiæ, excepta duntaxat Hastensi civitate, cedat; quotannis autem per Franciscum Sfortiam ei pendantur quinquaginta aureorum millia, ipsumque non solum Mediolanense Imperium possidere patiatur, sed etiam una cum Pontifice & Venetis teneatur communi sumptu in paternum Imperium restituere. Quod vero ad Neapolitanum Regnum attineret, eligendum esse Regem, qui septuaginta aureorum millia in singulos annos Galliarum Regi persolveret; hujuscemodique tributis contentum esse debere: exercitum quoque per Pontificem & Venetos parari tanto equitatu peditatuque, tum Italico, tum ex Helvetiis, ut Cæsarianis esset superior, sustentandosque stipendiorum sumptus, donec penitus exercitus Cæsarianus Italia pelleretur. Quo fœdere ita firmato, ut belli gerendi Pontifex justam habere caussam demonstraret, ad Cæsarem in hæc ferme verba litteras dedit. *Non opus esse arbitramur longo sermone ad demonstrandum, quo studio, quibusve curis, & actionibus à nostri Pontificatus initio, tum pacem communem totius Christiani nominis, tum privatim tuam nobiscum conjunctionem procuraverimus. Sunt enim omnia acta cogitataque nostra tibi æque nota ac nobis. Illud vero silentio præterire non possumus, nihil nos unquam prætermisisse, quod vel ad boni pastoris erga universum gregem officium, vel privatim ad fidelis amici animum erga te pertineret: cujus tamen voluntatis atque amoris erga te nostri eum sumus exitum consecuti, ut repulsi à benevolentia & conjunctione tua semper fuerimus. Quocirca ad ea consilia, à quibus natura & voluntate omni tempore abhorruimus, necessario sumus compulsi, licet serius quam & rerum indignitas, & honoris nostri, publicique commodi ratio postulabat: jam enim patientia nostra ad negligentiam rerum publicarum convertebatur, nisi tandem arma caperemus, quæ & justitiæ, & Italiæ libertati, & nobis ipsis præsidio essent. Etenim ut causas breviter attingamus, quibus adacti sumus ita facere, meminisse potes, antequam ad Pontificiam dignitatem assumeremur, nos summopere tibi addictos fuisse: & quo rerum tuarum is exitus esset, quem tu optabas, neque laboribus, neque periculis, aut impensis nos pepercisse; & postquam ad Pontificatus honorem vocati fuimus, tuique hostes magnas in Italia copias haberent, etsi pro dignitate abstinendum nobis ab armis operæ pretium fuisset, tamen ne te tuaque negotia impedita relinqueremus, non solum Florentinorum auxilia, sed Romanæ etiam Ecclesiæ copias in tuis subsidiis & castris versari permisimus: nec pecunias cessavimus tuis suppeditare, donec depulsum illud periculum fuerit. Quod si idem postea in sequenti bello, quod ad Ticinum confectum est, non præstitimus, id non voluntati nostræ erga te imminutæ, sed Pontificatus dignitati, quæ communis in nobis patris personam exposcit, potius adtribuendum est; præsertim quum tu ipse videre potueris, quæ nobis esset cura rerum tuarum: nam si societatem hostium tuorum sequi voluissemus, maxima nobis præmia non solum proponebantur, sed jam parata erant: & tui tam facilem victoriam nunquam nacti fuissent, ob quam, quum sublata omnis contentio videretur, cum tuis Ducibus fœdus inivimus, & quo ali ac sustineri exercitus tuus posset, plusquam mediocrem auri summam dedimus, ea conditione, ut à finibus nostris exercitus abduceretur, restitueretur que pecunia, si tu fœderi cum illis inito non consentires. Quod quamquam minime apud te ratum fuerit, nihilominus neque aurum recuperavimus, & contra promissa in Romanæ Ecclesiæ locis diutius exercitus tui bona pars versata nullum crudelitatis, nullum avaritiæ,* aut

*aut immanitatis genus in nostros prætermisit. Quamobrem cum ita à te & à tuis accepti essemus, ut nulla meritorum nostrorum ratio haberetur, nemini mirum esse debet, si quæ in tui detrimentum à Ferdinando, Piscariæ Marchione, occulta consilia haberi cœperant, cum ad nos delata essent, non penitus adspernati sumus. Cæterum, quum tui Mediolanense Imperium occupassent, circumvallereque perrexissent Franciscum Sfortiam à te toties declaratum Mediolani Ducem, tantam indignitatem (ut verum fateamur) ægre quidem tulimus, & cunctis prope Christianis Principibus auxilium conferentibus, pro communi Italiæ periculo non neglexit arma capere: ita tamen, ut Oratorem tuum, qui pro componendis (uti ajebat) rebus venerat ad nos, interea audiremus, & relapsi in pristinam conciliandæ amicitiæ spem, & perpetuitatem, & benevolentiæ nostræ fructum tibi polliceremur: modo per te Mediolanensium Duci, etiamsi quo pacto errasset, clementia impartiretur, sine qua res Italiæ eo tempore securitatem habere non poterant. Sed tu plus iniquis tuorum, quam par erat, consiliis fidei adhibens, pro clementia justitiæ rigorem obtulisti: quæ tamen nescio quomodo justitia appellari possit, quum judicium atque sententiam pœna antecesserit; & Princeps, tui hactenus semper observantissimus, incognita causa jam septimum mensem acerrimam tuorum obsidionem patiatur. Quibus tot & tantis causis de te diffidere, & quodam modo desperare, coacti sumus, nostramque amicitiam, quam tu toties repudiasti, multis & magnis Principibus adjungere: quorum optimum in Christianam Rempublicam animum si essemus adspernati, non pastoris & communis patris laudem, sed superbi & insolentis nomen, acquisivissemus. Habes rationem actorum & consiliorum nostrorum: quæ idcirco à nobis summatim explicata est, ut non solum coram Deo, (is enim inspector est cordis) sed etiam coram hominibus testatam optimam voluntatem nostram relinquamus.*

Dum hæc fierent, Franciscus Sfortia in arce Mediolanensi inclusus diutius obsidionem tolerare non poterat. Quamobrem Antonius Leva, Alphonsusque Davalus, qui mortuo Ferdinando Davalo vices Cæsaris Mediolani susceperant, quæcunque onera vel intolerabilia urbi imponere in animum inducunt, potius quam Principi obsesso opem ferri patiantur: imprimisque cives, qui jurare pro fide Cæsari servanda abnuebant, nisi sibi cautum esset, Cæsareum dominatum haud iniquum fore, modo æqua pollicendo, modo metu ne deteriora contingerent, jusjurandum facere compellunt. Postremo cum diuturna stipendii inopia, imminentisque belli metu, opus esset pecunia, à plurimis, qui mercatura aut opificio divitias comparaverant, non parvam efflagitant auri summam; pignoribusque ablatis & carcere detrectantes ad erogandum pecuniam cogunt. Quare senatus populusque Mediolanensis conventu inter sese habito omnes uno ore coram Legatis Cæsaris queruntur, non modo villas, oppidaque, diuturno militum sumptu quotidie exhauriri, agrosque colonis passim discedentibus incultos remanere, sed etiam in urbem ipsam & cives manus injici, privatasque pecunias contra toties promissam fidem extorqueri, à quibus cum temperari posthac enixe contenderent, omniaque sese facturos Cæsariani pollicerentur: in hoc firmata sententia Mediolanenses discessere, ut si cuipiam in posterum pro eroganda pecunia vis inferretur, vicinorum implorata ope arceretur injuria: & ut hujusmodi Decreto Deus Opt. faveret, supplicationes à summo Virginis Matris templo ad Divi Ambrosii Tutelaris ædem triduum decernunt. Sed nihilominus Cæsariani, quibus cordi magis erat habere pecuniam quam pollicita observare, missis satellitibus in privatum fabri cujuspiam domum, cui nudius tertius aurei quingenti fuerant imperati, totam urbem tumultu concitarunt: dominus enim domus, quum sibi per vim auferrentur pignora, correptis repente armis, auxilioque vicinorum implorato, abire coegit satellites: qui quum paulo post Antonii Levæ jussu, ad quem factum retulerant, majorem in numerum rediissent, portasque domus occlusas perfringere conarentur, à vicinis pariter omnibus ad arma conclamatum est: itaque paulo post tumultus totam urbem pervadit: neque quidquam tamen ultra eo die tentatum est, quam ut vis arceretur. Perterritus subito tumultu Antonius Leva, è Curia per minus frequentem urbis partem ad loca Arci proximiora, ubi tria millia Germanorum peditum ad Arcis obsidionem collocata erant, quamprimum se contulit; collectaque militum manu, & Gaspare Mayno, non parvæ auctoritatis inter cives patritio, comitatus, qua populi armati turba densior erat, ire pergit, hortaturque, ut depositis armis quisque digrediatur, neque hujusmodi tumultibus minime profuturis omnia misceant. Idem etiam alia ex parte faciebat Davalus, qui eo æquiore animo audiebatur, quo minus populo erat invisus. Itaque quum diei ferme dimidium totam urbem perequitassent, ea conditione populus ab armis discessit, ut Cæsar, ejusque Legati vectigalibus contenti, privatæ parcerent pecuniæ, neque ullum præterea militem, quam quos ab initio ad Arcis obsidionem disposuerant, in urbem adducerent. Sed quum postero die nonnullos ex Hispanis Ducibus cum paucis equitibus adventantes vidissent, crebrisque nunciis admonerentur, integras cohortes peditum, equestresque turmas properantes ad urbem sequi, præmissis aliquot ad Davalum & Levam Patritiis, qui resumendorum armorum causam in ipsos compingerent, magno adeo tumultu totam urbem concitarunt, ut de linquenda urbe Cæsariani deliberaverint. Cæterum, quum magnum populi numerum ad Curiam diripiendam, ubi rerum criminalium Præfectus cum peditum manu diversabatur, accurrisse cognovissent, reassumptis animis, vias trabibus tabulisque, quo melius fieri poterat, obvallare pergunt: & ut adversus populum tutiores essent, paucis relictis ad Arcis custodiam, obsessis erumpendi occasionem dedere: nam Princeps multorum pollicitationibus fretus, qui magna pro ipso sese facturos jactaverant, emissa militum manu, statim munitiones hostium occupat. Sed ubi qui opem ferat, aut commeatum, conspicit neminem, abjecta auxilii spe jam clamorem & strepitum in urbe paulatim sedari audiens, suos intra Arcem recipit. Interea multi pugnæ inassueti, multi etiam ob direptam Curiam præda onusti abire, & signa pro libitu deserere, adeo ut quibus tutandæ Patriæ major cura erat, animus deficeret, nec spernendæ à Cæsarianis oblatæ conditiones videbantur: qui præter Germanos, ad obsidionem Arcis jam pridem positos, cæteros milites non modo ex urbe, sed ex agro Mediolanensium amovere promittebant. Sicque quum à solis occasu ad ortum incerto eventu pugnatum esset, utrinque ab armis discessum est: aliquotque postea diebus quieta urbs videbatur, licet plerique id Cæsarianos potius, quia è re sua esset, eo tempore ab armis cessasse, quam ex animo promisisse, existimarent: præsertim cum multi ex militibus non modo sese in Mediolanenses male animatos palam jactarent, sed brevi asserent vindictam sumpturos. Neque aliter quispiam, qui sano esset judicio, poterat arbitrari; quum à Pontifice, à Venetis, ab Helvetiis, à Gallia, imminente bello, necesse illis esset, nihil intentatum relinquere, quo tot hostium impetum sustinerent. Principium igitur à nonnullorum civium relegatione cœptum est, qui majorem antea gratiam Cæsarianorum promeruerant; quum in superioribus bellis ad arma toties adversus Gallos sumenda alacres sese exhibuissent: hos enim ob Sfortiani nominis studium habebant cæteris suspectiores, & tumultus paulo ante in urbe concitati culpam in illos transferebant. Quod ubi populo renunciatum est,

est, indignatus occasionem quæri, qua Ducibus suis, si facto denuo opus esse contingeret, privaretur, ad amovendam eorum suspicionem vades dare promittit. Sed dum nonnulli ex iis, qui pro vadibus nomina profitebantur, minus probarentur à Cæsarianis, populusque nolle quemquam è civibus relegari, etiam atque etiam contenderet, & in civitate non deessent seditiosi, qui omnia cuperent tumultu misceri, primo de Legatis & Cæsarianorum Ducibus palam obloqui, mox arreptis armis, si quempiam militum, maxime ex Hispanica natione, nacti essent, trucidare, spoliatumque necare: & quamvis id Primatibus, & iis præcipue, quibus civitatis salus erat carior, displiceret, ac Centuriones cum aliquot armatis per urbis portas dispositi essent, ad hujusmodi hominum amentiam compescendam, tamen tantus facinorosos furor invaserat, ut arma civium, qui ad urbis portas ingressos milites nihil tale metuentes adsociabant, pro omnium defensione non sufficerent. Hanc occasionem nacti Antonius Leva & Alphonsus Davalus, tum ut militibus prædæ avidis morem gererent, tum etiam ut parere docerent Mediolanensem populum, denuntiarunt protinus sese nulla amplius promissorum fide erga civitatem teneri. Atque idcirco, admonitis Ducibus Hispanis, quos cum armatis cohortibus ad urbem appropinquare jusserant, ipsi ea parte, qua stationem suorum posuerant, vallo & munitionibus per noctem firmata, collecto militum agmine, improviso alia ex parte egressi, primum occiso quodam ex infima plebe, qui caput honoris causa detegere (ut moris est) coram ipsis adspernabatur, mox tribus aliis, quos in via obvios habuerant, trucidatis, initium pugnæ dederunt; igneque ex turri accenso signum cæteris accedendi ad urbem dedere. Commovit universos cives tam inopinata cædes; quæ ipsis Davalo & Leva non modo præsentibus, verum etiam jubentibus, hostiliter erat edita: nec quisquam tam pacato animo in civitate fuit, qui non vel cum omnium fortunarum & vitæ periculo arma esse capescenda censeret. Sed nullus eo tempore Cæsarianos timor invadebat: quippe qui supra mille armatos, præter eos, qui obsidioni Arcis antea stabant, paulo ante clam in urbem introduxerant; occupaverantque pleraque loca urbis eminentiora, unde à sclopetariis crebris ictibus Mediolanenses interficiebantur. Quare multi è civibus, abjecta omni victoriæ spe, præmisso tubicine deligunt Oratores, qui benigna oratione Cæsarianorum Ducum iram lenire studeant: sed cum in eo persisterent, ut suspecti emitterentur à populo, in concione acclamatum est, minime æquum esse, quum totus exercitus hostiliter ad urbem appropinquaret, ut inde abirent, qui præsidio forent civitati. Atque ita redintegrata pugna, miserabilis erat tam inclitæ urbis casus: Germani enim in propinquas domos ignem injecerant, ne Mediolanenses è tectis & speculis suos interficerent; ipsi autem è turriculis & fenestris, quas militibus munierant, passim prosternebant cives: nec quisquam eo in prælio vivus capiebatur, sed ubique vulnera, cædes, incendia apparebant. Redacta in tanto discrimine civitate cum Leva & Davalus fore perspicerent, ut si reliquæ Hispanorum peditum cohortes in ipso pugnandi ardore admitterentur, non solum totam urbem direptioni objectam iri, sed eundem cædibus fore finem, qui & militum foret satietati, Duces nondum ingressos admonent, ne absque ipsorum jussu civitatem introeant; audientesque populum de pugna fessum esse, & non solum eos, quos antea exire jusserant, sed majorem etiam numerum migrare velle, ab armis hinc inde cessatum est; cum à solis occasu ad nonam diei horam utrinque armati stetissent; maximoque cives videbantur soluti periculo, nisi paulo post cognovissent, diem illum tot malorum, quæ postea subsecuta sunt, fuisse initium.

# GALEATII CAPELLAE DE BELLO MEDIOLANENSI, SEV DE REBVS IN ITALIA GESTIS PRO RESTITVTIONE FRANCISCI SFORTIAE II. *MEDIOLANENSIVM DVCIS,*

## *LIBER* VI.

POSTQVAM ex ejus diei pugna innotuit, quantum veterani milites inconditæ multitudini præstarent, mœstitia & dolor, qualis in capta urbe esse solet, in omnium animo & vultu apparebat. At Cæsariani, voti compotes, urbem ingressi obseptas vias recludi, ibique à civibus non militarem victum, sed opipare ac perquam eleganter parari imperant: designatisque per totam urbem hospitiis, pro militum libito coguntur cives præter epulas, etiam vestes & indumenta præbere: quibus sumptibus, & interdum etiam contumeliis & verberibus, vexati, multi quotidie, vel relicta supellectile, uxore, & liberis, tot impendentium periculorum metu, abibant; neque bonorum proscriptione, aut ædium ruina, quas milites à fundamentis in odium fugientium demoliebantur, retineri poterant. Interea Pontifex & Veneta Respublica, undique coactis militibus, Duces suos in Insubres maturare imperabant; ut juxta fœdus, cum Francorum Rege paulo ante initum, Cæsarianum bellum aggrederentur, Franciscoque Sfortiæ jam dudum obses-

so opem ferrent: quod cum Alphonsus Davalus, Antoniusque Leva prospicerent; neque esset dubium, quin Veneti Laudem civitatem essent tentaturi, ut ibi sedem ad omnia belli exsequenda negocia constituerent, & propterea tres Hispanorum peditum cohortes præsidio urbis disposuissent: tamen Hispani, qui Mediolanum à suis direptum iri existimabant, nullo jussu retineri potuerunt, quin statim ad urbem advolarent, relicto in civitate Laude sub Fabricio Maramaldo Italorum peditum septingentorum præsidio: qui Duce suo ita permittente in cives nullum prætermittebant insolentiæ genus, adeo ut plerique de fuga potius, abjecta rei familiaris cura, cogitarent, quam diutius in hujusmodi servitute vivere, nisi Lodovicus Vistarinus patritius, qui pro Centurione cum Cæsarianis militabat, adjecto ad liberandam patriam animo, clam pactis cum Francisco Urbinatum Duce, ac Petro Pisauriensi, Legato Veneto, conditionibus, juvenes aliquot delegisset; quorum operam in tradenda Venetis urbe strenuam sperabat fore: itaque admonito Urbinate, ut quam secretius fieri posset, noctu cum parte copiarum ad urbem appropinquaret; ipse in aliquot vicinis domibus, suis dispositis, assumptisque tantum secum duobus comitibus, ad turriculam quandam occultiorem, ubi sex tantum pedites excubias agebant, pergit, tanquam animadversurus in eos, nisi vigilantes reperisset; subsecutisque paulo post iis, qui facinus aggredi parabant, tanta celeritate omnes comprehensos necavit, ut strepitus nusquam sit exauditus. Patrata itaque hujusmodi cæde, Vistarinus per vallum demissus ad accelerandum Venetorum adventum pergit, antequam Maramaldus, aut alius quispiam, facinus agnosceret: adeoque favit Fortuna, ut Veneti prius trajecto Abdua fossas & munitiones urbis transirent, quam hostes advenisse quisquam intelligeret. Cæterum re tandem cognita, Maramaldus collectis suis omnibus in Arcem se recipit; quam deserere turpe existimabat, nisi prius ab Alphonso Davalo & Leva admoneretur, quid sibi in tanto rerum discrimine agendum esset. Sed cum magni momenti Cæsarianis hujusce urbis amissio videretur, extemplo Hispani omnes Mediolani in armis fuerunt, & ad tria millia peditum civitate egressi cum Alphonso Davalo & Joanne Urbina Tribuno, ante horam diei quintam Laudensem Arcem ingressi, adjunctis Maramaldi peditibus, usque ad forum perveniunt: jam Franciscus, Urbinatum Dux, cum magna exercitus Veneti parte urbem ingressus fuerat, vicosque omnes, & domos plurimas, quæ ad eam portam, qua ipse intraverat, respiciebant, præsidio firmatas tenebat ea de causa, ut si major ingruisset hostium vis, iter sibi liberum ad discessum pateret. Quare haud segniter ab Hispanis, qui urbem recuperare conabantur, dimicatum est; & non semel tentatum, si qua possent, Venetorum præsidium propellere. Sed cum illi acriter repugnarent, & cominus gladiis atque hastis, eminus etiam sclopis certaretur, Hispani, qui potius Laudem urbem amittere, quam Mediolanum in discrimen adducere, volebant, & ad protrahendum ibidem bellum nihil paraverant, reductis secum peditibus Italis, qui cum Vistarino haud consenserant, relicta etiam Arce, Mediolanum revertuntur; statimque Germanos mille & quingentos Papiam destinant, ne ea quoque civitate amissa omnis abeundi via, si quid durius incideret, præcluderetur: equites etiam tam gravis quam levis armaturæ Mediolanum reducunt, vel ut tutiores contra hostes essent, vel ut majore sumptu Mediolanenses gravarent, quibus adeo erant infensi, ut nonnunquam cives, & matronas, ac etiam pueros domi vinctos asservarent, tanquam sumptuum obsides, reliquamque familiam mancipiorum loco haberent: videreque erat tabernas passim occlusas, Deorum templa nullis ornamentis referta, quæ cum omni lautiore supellectile & mercimoniis passim in caveis & terræ visceribus abscondebantur: quamquam id haud impune à multis fiebat; nam & servos & ancillas, in quibus major inerat suspicio, cogebant, ubi civium bona absconderentur, manifestare: & ipsi, tanquam canes sagaces, armorum, quæ ad se jusserant conferri, perquirendorum prætextum habebant, ut omnes domus latebras rimarentur: & si quidpiam, quod placeret, aderat, (nam quisque fortunarum hospitis sui arbitrium sibi vendicaverat) protinus auferebatur: ipsique Antonius Leva, & Davalus, ac Carolus etiam Burbonius, qui nuper ex Hispania à Cæsare Insubribus præfectus redierat, adeo pro libito milites debacchari permittebant, ut universi cives suppliciter peterent, relictis facultatibus, abire quo vellent sibi licere, ut saltem à militum injuria corpora libera essent. At Burbonius meliora illos sperare hortatus, Deumque Opt. testem invocans, primis tormentorum hostilium ictibus caput suum devovebat, nisi exsoluto aureorum triginta millium tributo, quibus menstruum stipendium militibus dare posset, extemplo tam gravi onere liberaret urbem: quod creditum est illi postea Romæ ob perjurium contigisse; frustra enim intra paucos dies à Mediolanensibus pecunia numerata est, & nihilominus Hispani in vexandis civibus adeo perseverarunt, ut reperti sint, qui tot ærumnarum tædio sibimet laqueo mortem consciverint, quique è sublimi nonnunquam præcipites sese dederint.

Verum apud plerosque plusquam Burbonii pollicita spes Laudensis victoriæ valebat: nam cum civitatem illam tam turpiter à Cæsarianis in hostium potestate relictam fuisse audivissent, fieri posse non putabant, ut quinque millia Hispanorum, cum tribus Germanorum peditum millibus, paucoque equitatu, præsertim deficiente stipendio, & nulla annonæ acervata summa, tam vastum urbis spatium diutius tueri possent adversus omnes consentientis Italiæ vires. Atque id prima belli præ se tulerunt initia. Nam quam primum Hispani Laude cesserunt, Pontificii, qui ad numerum octo millium peditum cum valido equitatu in agrum Placentinum paulo ante pervenerant, confecto ratibus ponte Padum transiere: & Venetis adjuncti Mediolano appropinquabant; miserant etiam antea Octavianum Sfortiam, Episcopum Aretinum, ad Helvetios, qui Francisci Regis favore quattuordecim peditum millia conscripserat: & per Rhætos & Bergomates descendens liberum iter ad exercitum Italicum habebat. Sed cum longitudo viæ plures dies proficiscentes remoraretur, Sfortiani in Arce Mediolanensi obsessi ad id inopiæ redigebantur, ut præter panem, qui ex farina furfuribus admixta conficiebatur, quo pluribus impartiri posset, nihil haberent: quare delectu inter eos facto, circiter ducentos homines tertia noctis vigilia ex Arce emittunt, qui per hostium munitiones egressi, qua negligentius excubias fieri antea animadverterant, per vim arrepta via Melignanum pervenere, ibique reperto Francisco Guicciardino, Pontificio Legato, Francisco Veneti exercitus imperatore, ac Petro Pisauro Provisore, ac plerisque aliis Ducibus, obsessorum inopiam significant; asseruntque si diutius auxilium ferri protrahatur, Arcis deditionem brevi secuturam, vel quod pejus erit, omnes in hostium potestatem venturos: quamobrem Itali Duces, jussis Sfortianis bono animo esse, magis ut hostium animos tentarent, quam ut sexdecim peditum millibus nuper collectis sperarent Cæsarianos veteranos milites Mediolano expellere, ad portam, quæ Romana dicitur, quæ prima eis erat obvia, gressum dirigunt: cumque Joannes Medices, qui primam aciem ducebat, sex tormentis turrim quandam obruere aggrederetur, ut patefacto per eam aditu facilior esset irrumpendi via,

via, ad id loci omne Cæsarianorum robur protinus accurrit; & non tantum civitatem tueri, sed etiam egredi audent, & manum cum hoste conserere: postquam autem levibus aliquot præliis hinc inde usque ad horam diei nonam pugnatum esset, Itali, qui intra paucos dies Helvetios venturos haud ignorabant, quibus adjunctis minime dubium erat, quin superiores evaderent, reductis tormentis & militibus, qui usque ad hostium munimenta pugnando processerant, Melignanum regressi sunt, non sine magno Cæsarianorum favore; qui cedente hoste, nihil sibi ulterius timendum ab eo existimabant. At Mediolanenses ingens oppresserat mœror, cum audirent exercitum Italicum, in quibus pristinæ libertatis paulo ante effulserat spes, retrocessisse, neque in hominum animos cadere poterat, id hostium metu, sed potius haud sincera erga Ducem Sfortiam voluntate, factum fuisse.

Hoc successu elati Cæsariani, cum omnes prius intra urbis interiora mœnia hospitia delegissent, aggeres circa suburbia aliàs constructos reficere properant, & quotquot tam è populo, quam etiam è Patritiis, nacti erant, ligonibus & batillis in evacuandis fossis cogebant insumere operam, adeo ut hujusce contumeliæ verecundia aliquot dies nemo ex Optimatibus in publicum prodiret: sed variis in locis occlusi, adventantibus Helvetiis, meliorem fortunam præstolabantur: non enim verisimile videbatur, Franciscum Francorum Regem, qui toties omni adversante Italia res Insubrum in discrimen solus adduxisset, & qui in præsentia Helvetios in Galliam Cisalpinam transmittebat, nunc adjunctis Italicis viribus imparem tam parvo hostium exercitui fore. Quare Sfortiani redintegrata spe, licet vix paucissimorum dierum cibus, & is quidem exiguus ac pessimus, superesset, tamen de deditione nullum faciebant verbum, haud dubium auxilium exspectantes: sed dum tardius excercitus Italicus, Melignano discedens cum jumentis compluribus & vehiculis commeatu onustis, progreditur, & superiorem viam, qua ad Arcem itur, duobus passuum millibus ab urbe capessit, ut venientes Helvetios sibi adjungat, sine quibus in pugnæ discrimen iterum nolebat descendere, Sfortiani obsessi, jam non famem, sed mortem ipsam in faucibus habentes, extrema necessitate adducti Jacobum Philippum Saccum Jureconsultum ad Carolum Burbonium & cæteros Duces emittunt; qui postquam multa de eorum adversus Sfortiam odio conquestus fuisset, quod innocentissimum Principem, & Cæsarei nominis ac amplitudinis semper studiosissimum, æmulorum calumniis circumventum tamdiu obsessum teneant; tandem offert Arcem reddere, si non iniquæ interea conditiones fiant; donec Cæsar re intellecta justitiæ melius possit consulere: quod quidem haud adspernati sunt Cæsariani, omni enim se prorsus hostium timore liberos existimabant, si Arce potirentur: & propterea nihil Sfortiæ non dare pollicentur. Illud tantum difficultatis inerat, quod Burbonius cum Mediolanensi Cremonensem etiam Arcem reddi postulabat, asseverabatque, id cum à Duce, qui innocentiæ confideret, minime recusari debere, tum à se maxime expetendum, ut rebus Cæsareis, adversus quas omnis Italia cum Gallis & Helvetiis armaretur, consultum esset: qua de re cum antea Sfortiani dubitassent, Sacco in mandatis dederant, ut, si aliter fieri non posset, pro Principis & suorum salute ac libertate omnia polliceretur. Sed dum Orator, ex vultu & sermone hostium recuperandæ Arcis desiderium agnoscit, cautius agens, ad suos rediturus gradum vertit, tanquam de Cremonensi Arce nihil facturus. Itaque flexis Cæsarianorum animis, pactum fuit, ut Sfortiæ cum suis omnibus, ac tota eorum supellectile, abire liceret: illique Comum civitas, quam ipsi præsidio tenebant, assignatur, cum non modicis redditibus, donec à Cæsare super Imperio Mediolanensi, & criminibus, quæ in Principem impingebantur, judicatum esset: traditusque propterea est Cæsarianis exposcentibus Joannes Angelus Ritius, vir à Secretis ipsius Sfortiæ, ut ab eo omnium actorum & consiliorum, quæ Mediolani agitata fuisse ferebantur adversus Cæsarem, ratio intelligeretur: sed ille eximia fide & prudentia præditus, adeo utranque causam, & Ducis, & suam, æquam esse ostendit, ut intra paucos dies dimissus non sine adepta ipsius etiam hostis benevolentia abierit.

Firmatis hujusmodi deditionis conditionibus, Franciscus Sfortia quamvis Hispanorum promissis non satis fideret, & minime se putaret incolumem, donec in Cæsarianorum potestate esset, tamen dissimulato metu relictis in civitate impedimentis, quæ paulo post ipsius discessum magna ex parte ab Hispanis direpta fuerunt, (jumentorum enim & vehiculorum usus non suppetebat) in castra Italica viam capessit. Cæterum magna etiam injecta est suspicio, quum ipsi honoris gratia Antonius Leva se comitem usque ad vallum urbis adjunxisset, verebatur enim ne mala potius quapiam ex causa, quam ex officio, id potissimum ab illo factum esset: quod etiam plerique Patritii Mediolanenses, qui obsidionem una tulerant, veriti, arma induti gradum faciebant, ut si Princeps comprehenderetur, ipsis cum militibus (quibus ut parceretur mos invaluerat) abire liceret. Igitur postquam in castra Italica præter spem incolumes pervenerunt, Sfortia, qui omnem tot malorum culpam non Cæsari, sed ejus Ministris, adtribuebat, statuit omnino, vel invitis amicis omnibus, qui multa de Cæsaris injuria adversus ipsum loquebantur, Comum se transferre, ibique manere, quoad æmulorum calumniæ innotescerent; nisi Sforcinus, qui cum militum præsidio ad recipiendam civitatem præmissus fuerat, renunciasset, Hispanos, qui præsidio urbis stabant, inde egredi nolle, etiam quod Princeps intro admitteretur; quoniam conventum fuisset, ut Comum redderetur, neque pactum, ut Hispani inde abscederent: itaque cognito Cæsarianorum animo, Franciscus Sfortia quamprimum in castra rediit; & cum hactenus contra Cæsarianos nulla in re consensisset, tunc Italicum fœdus cum cæteris Principibus iniit, & bellum adversus illos tanquam communes hostes pro virili suscepit.

Per eos dies Sigismundus Malatesta, unus è Ducibus, qui pro Cæsarianis Laude inerat, & postquam civitas in Venetorum potestatem pervenit, cum Alphonso Davalo regressus Mediolani militabat, tubicinem cum litteris ad Vistarinum mittit; quibus illum ad singulare certamen provocabat, eo quod contra jusjurandum, & militare decus, civitatem, ipsius fidei creditam, hosti tradidisset; polliceturque armorum judicio, quæ mentiri haud solere plerique opinantur, hujusmodi perfidiam demonstrare. At Vistarinus neque se contra jusjurandum, neque contra militiæ decus, fecisse asserebat; qui pro libertate patriæ id facinus aggressus esset, immo sibi plusquam mediocre præmium deberi, quod de tyranni & sævissimorum hostium manu cives suos vindicasset: itaque statuto die cum armis equestribus equo sublimi vectus, spathaque & clava ferrea cinctus, in certamen descendit; pariterque Sigismundus, magna Hispanorum caterva comitatus, in castra Italica, ubi pugnæ locus electus erat, proficiscitur: & paribus armis indutus, agilitate corporis, qua plurimum fidebat, Vistarinum primo circuire, & modo à dextra, modo à sinistra invadens, vulnus, si qua posset, inferre nitebatur; neque tamen præter equum, quem duobus affecit vulneribus, hostem lædere potuit: sed ille, qui & corpore procerio-re,

re, & viribus plus poterat, postquam Malatestam, tot gyris fatigatum, incautius ictum frustra tulisse adspexit, spatha aggressus, eum in dextra vulnerat, adeo ut præ dolore gladius è manu excideret: quare acrius jam vulneratum, & sui defendendi impotem, insecutus, totam duelli aream coegit non semel retrocedentem circuire, donec occidente jam sole, cum quattuor horas pugnassent, Vistarino palma certaminis adjudicata est, non sine manifesto totius belli omine, quod absque cruenta militum cæde nisi sero finem esset habiturum.

Interea cum jam inclinante æstate præter unam Laudem Pompejam nullum fuisset receptum oppidum, & Mediolani oppugnatio videretur durior, quoniam Cæsariani non modo fortiter intus urbem defendebant, sed foris etiam quottidie levi prælio pugnabant audacter; dimissis ad obsidionem Helvetiis una cum Pontificiis copiis, omnique equitatu, Malatestæ Ballioni Perusino, impigro Duci, cum octo millibus peditum, Cremonæ expugnatio destinatur, ubi mille Germani pedites cum quingentis Hispanis, & equitibus ducentis præsidio inerant: verum postquam aliquot dies Malatesta circumsedisset urbem, & tentato infæliciter per arcem, quam Sfortiani tenebant, ingressu, supra mille homines amisisset, ne res amplius frustra tentaretur, Franciscum Urbinatem, Veneti exercitus imperatorem, cum omnibus Venetorum copiis eo tendere oportuit. Is igitur patefacto usque ad munitiones aditu, quibus Cæsariani urbem ab arce secluserant, fortiores milites clam traducebat, qui scutis obtecti una cum sclopetariis vallum adscendebant, atque ita eminus vulnerati plerique concidebant propugnatores: tormenta etiam ex arcis turribus crebra emittebantur, adeo ut ex iis, qui hostibus obviam prodirent, pauci redirent incolumes. Tot itaque Cæsariani difficultatibus pressi, civitatem reddere paciscuntur, nisi intra decem dies auxilium à suis feratur: conventum etiam est, ut Germani trans Alpes in patriam redeant, Hispanis autem nisi post annum in Mediolanensi Ducatu militare liceat.

Interea Romæ Clemens Pontifex, ob diuturnum in Insubribus bellum difficultate pressus pecuniaria, cum Vespasiano, Prosperi filio, totius Columnensis familiæ nomine paciscitur de injuriis ultro citroque remittendis, satius utrique parti existimans, eventum totius belli exspectare, quam novo militum delectu & sumptibus domi fatigari: hujusmodique fœdere dimissis tribus peditum millibus, qui Romæ jamdudum stipendia meruerant, tutus fuisset, nisi Ugo Hispanus, qui superioribus mensibus à Cæsare frustra missus Romam venerat pro rebus Italiæ componendis, nactus occasionem Pontificis opprimendi, Pompejum Cardinalem & Ascanium Columnenses impulisset, quia nullam ipsi fidem dedissent, tumultuariis collectis militibus Romam invadere; fore enim, ut Clemens nullo munitus præsidio, vel in palatio vivus comprehenderetur, vel saltem à bello adversus Cæsarem descisceret: itaque delectu armatorum duorum millium clam facto, Romæ prius nunciatum est, Cardinalem Columnam cum magnis copiis apud Divi Joannis Lateranensis esse, quam quisquam tale quidpiam suspicaretur; & idcirco cum frustra Pontifex præsidium in tempore niteretur parare, hostes jam adpropinquare audiens, via occulta cum plerisque Cardinalibus, Episcopis, & vario hominum genere, Curiam Romanam sequentium, qui vel in Pontificio palatio habitabant, vel officii, aut metus causa eo convenerant, intra molem Hadriani, quæ nunc Arx sancti Angeli dicitur, se recipit: seroque admonitus, non modo carnes & alia esculenta, sed annonam & vinum tot hominibus intra paucos dies defuturum, maluit aliquid de jure suo decedere, quam ad deditionem famæ cogi: & propterea missis Oratoribus ab Hispano, qui hæc jactabat fecisse, non tam ad Pontificem offendendum, quam ut eum in partes Cæsaris accedere cogeret, conditiones accipit: ut, servatis quattuor mensium cum Cæsare induciis, copias, quas in agro Mediolanensi habebat, cis Padum reduceret; datisque in id obsidibus, Columnenses eo libentius discessere, quod etsi haud ignorarent Arcem non diuturno tempore ad deditionem ob nimiam obsessorum multitudinem potuisse cogi, tamen haud existimabant, Pontificem tam vecordem fuisse, ut eo se recepisset, ubi quattuor dies se continere nequivisset: & ipsi pauci, ac sine pecunia & commeatu, depopulati omnem Pontificiam supellectilem abire incolumes satius ducebant, quam exspectare, donec milites deligerentur, atque ita turpiter inde cogerentur abscedere.

Dum hæc fierent, Franciscus, Galliarum Rex, ex fœdere cum Pontifice & Venetis inito, Vasconum quattuor millia, & quadringentos equites cataphractos, totidemque velites, Duce Michaele Antonio, Salutianorum Principe, in Italiam destinat: qui Italico exercitui adjunctus communibus auspiciis bellum adversus Cæsarianos gerat: & forte per id tempus iter faciens in ora Transpadana aliquot oppida receperat, cum ei renunciatum est, ob Ecclesiasticas copias, quæ Pontificis jussu discessum parabant, & Veneti exercitus absentiam, cujus magna pars apud Cremonam deditionem urbis exspectabat, Cæsarianos non modo Mediolani non obsideri, sed populari omnem undique agrum, & magnos commeatus in dies in urbem comportare: quare spreta Transpadanæ regionis cura, trajectis copiis Hispanos coercere ab agrorum & villarum incursionibus pergit. Verum hæc sero providebantur: nam seu quod antea parum curaverant, castella urbi propinqua redigere in potestatem, & impositis præsidiis prohibere, ne quidquam in urbem portaretur, seu quod ea est soli ubertas, atque urbis amplitudo, ut non nisi longo tempore res ad exitum deduci posset, Hispani per æstatem omnia ad tolerandam diu obsidionem, si ita opus fuisset, congesserant, & civium sumptu prope incredibili in dies lautius epulabantur: illud etiam Cæsarianis addebat animos, ut non modo pares Italis, sed etiam superiores evaderent: quod Georgius Frondespergus, qui duobus superioribus bellis in Italia pro Cæsare cum magna laude militaverat, à Gaspare filio, qui Mediolani Germanis imperabat, & ab Alphonso Davalo, Antonioque Leva, magnis pollicitationibus accitus, propriis pecuniis quattuordecim peditum millia delegerat; exsolutoque in singulos homines, ultra Ducum & Centurionum stipendia, aureo nummo, per Tridentinos Saltus iter in Italiam tentabat arripere. Quo nuncio consternati Italorum animi, ne obsidionem penitus intermittere cogerentur, cænobium quoddam ab urbe duobus passuum millibus munire properant, ubi tria peditum millia cum quingentis equitibus tuto hyemare possent: Moguntiam etiam oppidum firmari jubent præsidio, ut pluribus à locis viatores avertere & deterrere sufficerent, quominus ad urbem commeatus adportaretur. Verum in hoc rerum apparatu cum innotuisset, Germanos Frondespergo Duce cum tormentis & valida equitum manu, à Ferdinando Pannoniæ Rege tradita, Alpes, frustra repugnante Venetorum præsidio, transisse, abjecta hujusce muniminis cura, Mediolanensem obsidionem penitus intermittunt; ipsique Urbinas & Joannes Medices cum equitibus & expeditiore peditatu proficiscuntur adversus Germanos, qui jam Pischeriam juxta lacum Benacum applicuerant, ac pleraque Venetorum oppida, & loca immunita, partim annona & cibariis, partim pecunia mulctabant: & ut suorum

rum animos Veneti confirmarent, prohiberentque, si qua possent, ne hostibus ulla re auxilium feretur, quottidie in armis esse, Germanosque iter facientes infestare; adeo ut levibus præliis eorum multi quottidie deficerent. Verum ubi omnes in Mantuanos iter direxerunt, Urbinas & Medices, ut proficiscentes quiescere haud sinerent, cum valida equitum & peditum manu à latere & à tergo hostes adoriuntur: ipseque Medices, utpote audacior & levibus magis assuetus præliis, antegressus, sclopo crus graviter saucius, pugna statim coactus est excedere; & Mantuam deportatus, non sine magna totius Italiæ jactura, intra decimum diem vitam finivit.

Interea Mediolani soluta penitus obsidione, Hispani stipendia multorum mensium efflagitare, palamque minari, nisi quamprimum pendatur, sese omnia turbaturos: & ut res militum animos comprobaret, tabernas & domos diripere, cives, quos obviam habuissent, spoliare, & captivos facere, adeo ut ad hujusmodi tumultum accurrentes ipsi Burbonius, Alphonsus, & Leva, promisso quinque mensium stipendio, seditionem vix sedare potuerint: utque pollicita servandi facultas suppeteret, non modo per noctem plerosque è civibus & mercatoribus, quos ditiores existimabant, comprehenderunt, & carceri inclusos quam maximam pecuniæ potuerunt summam exsolvere coegerunt; sed argentum etiam & aurum ex ipsis Deorum templis abstulere: itaque numerata in singulas cohortes stipendiorum parte, Papiam, modo hos, modo illos, quamvis id esset difficillimum, atque haud scio, an quicquam toto hoc in bello difficilius fuerit, transmittebant; eo enim animo Mediolanum venerant, ut nunquam nisi pecunia & præda onusti inde abscederent: verum ubi id omnino impossibile fore cognoverunt, præsertim tanto militum sumptu, plerisque ad egestatem redactis, fortunas civium ex urbe discedentium multi invaserant: multique ut cives ejicerentur, coloni tantum & fœminæ retinerentur, ad ipsorum utilitatem persuadebant: sed ob Germanorum Frondespergo Duce adventum, qui apud Casale majus ope Mantuani Principis trajecto Pado Florentiolam, agri Placentini oppidum, sese contulerant, sententia immutata est.

Cum Mediolanensis Ducatus, præsertim diuturno bello vastatus, amissa etiam Cremona, & Laude Pompeja, tot gentibus haud sufficere videretur, quamobrem alias sedes quærere, alioque tantam exonerari procellam placuit. Adjectus est igitur animus ad Pontificis urbes, in quem, tanquam pristinæ amicitiæ desertorem, male animati erant; Placentiaque primum eorum sensisset impetum, nisi Salutiano & Venetis persuasum fuisset è re Italiæ fore, Clementem, & secum fœdere adjunctum, & Pontificem, ab injuria tutari, præsertim pollicentem post transactos quattuor menses bellum instaurare. Atque ita transmisso in urbem valido præsidio, mœnibusque vallo & fossa communitis, Burbonio, qui cum Hispano peditatu & equitibus adductis machinis eo venerat, tanquam equo ferociter exsultanti frenum injectum est, adeo ut vim experiri noluerit; Italicum scilicet exercitum veritus, qui non longe ab ipso præter sex passuum millia castrametatus, licet pugna abstinere decrevisset, tamen quottidie levibus infestabat præliis; equitatuque commeatum hostium prohibebat; quo effectum est, ut Cæsarianis summa pecuniæ inopia laborantibus, cum per villas & oppida ad parandum victum vagari non liceret, novo consilio feliciorem fortunam quærere satius visum sit.

# GALEATII CAPELLAE
## DE
# BELLO MEDIOLANENSI,
## SEV DE
# REBVS IN ITALIA GESTIS
## PRO RESTITVTIONE
# FRANCISCI SFORTIAE II.
## *MEDIOLANENSIVM DVCIS,*
## *LIBER* VII.

Iam nihil Cæsariani in oppugnanda Placentia proficere sperabant, & necesse erat exercitum, cui stipendium non suppetebat, spe prædæ continere: quare ex omnium Ducum sententia, Burbonius adversus Florentinos & Pontificem cum tanto exercitu statuit iter dirigere, Antonium autem Levam cum quattuor Germanorum, totidemque Hispanorum, cohortibus in Ducatum Mediolanensem remittit; ubi tria millia Germanorum peditum victum sibi à civibus Mediolanensibus parari imperaverant: & jam conventum erat, ut in quattuor urbis classibus alerentur juxta civium censum, vel in singulos sexta pars aurei nummi in dies numeraretur: utque onus facilius tolerari posset, viciniarum præfecti non solum divites, sed etiam eos, qui labore quottidiano vitam agebant, pro virili coegerant ad sumptum faciendum. Cæterum adeo multi ex urbe abierant, ut juxta censum mille aureorum unicuique esset alendus unus militum: neque tamen reliquæ duæ classes immunes evadebant, sed Italis peditibus, ad numerum circiter duorum millium sub Ludovico Barbiano militantibus, & iis, qui cum Antonio Leva regressi erant, stipendium pendere cogebantur. Igitur senatus consulto decretum erat, ut omnes, qui citra triennium urbe abscesserant, quamprimum reverterentur, & militum onera tam in præsens,

 quam

quam in futurum, ferre tenerentur. Senatus autem, qui à Leva immunitatem hoſpitiorum impetraverat, litibus, quæ propterea oriebantur, ſemper intentus nihil magis curabat, quam nullam militibus excitandi tumultus occaſionem relinquere; & idcirco præconis voce fugientes ſub capitis pœna evocabantur, eorumque bona, nulla abſentiæ admiſſa excuſatione, donabantur militibus.

Dum hæc Mediolani agerentur, jam Franciſcus Sfortia è Cremonæ & Laudis vectigalibus ac tributis ad tria millia peditum in armis habebat; & non modo duas civitates, oramque trans-Abduanam, militum ſuorum firmaverat præſidio, ſed in agrum quoque Mediolanenſem illos progredi jubebat: forteque eo tempore evenerat, ut Sfortiani repentino impetu Moguntiam occuparent. Quamobrem ſi impune id ferret, dedecori ſibi fore Antonius Leva exiſtimans, cum ſeptem armatorum millibus ad oppidum properat. At Sfortiani, qui omnia imparata, nullamque auxilii ſpem habebant, propterea quod exercitus Italicus, paucis Venetorum exceptis, qui trans Abduam ſtativa habebant, Burbonium Italiæ inferiora loca petentem ſequebatur, oppidum diripiendum Cæſarianis relinquunt: in urbem itaque Laudem regreſſi, reliquum Mediolanenſis Ducatus cis Abduam in hoſtis poteſtatem permittere coguntur. Ejectis Moguntia Sfortianis una tantum melioris fortunæ ſupererat ſpes; quod Burbonium, qui ne oppidum quidem, quo ſe reciperet, habebat, ſine pecunia, ſine commeatu cum toto exercitu aliquo in præceps iturum exiſtimabant: neque in animum cadere poterat, unius Alphonſi Eſtenſis opibus, qui tum ſolus contra priſtinum inſtitutum ob odium in Clementem Pontificem, Cæſarianorum partibus favebat, tantam gentium colluviem diu poſſe ſuſtentari. Cæterum pleroſque fefellit opinio: nam poſtquam in Florentinorum ditionem pervenere, atque occupandæ urbis, cujus opibus tot milites ditari ſperaverant, facultas non dabatur, ſpretis induciis à Carolo Lanojo cum Pontifice nuper pactis, Burbonius maximis itineribus Romam contendit, ubi Pontifex, exauctoratis magna ex parte militibus, accepta Lanoji fide, ſe tutum exiſtimabat: itaque aditu per vim occupato, cum ipſe Burbonius murum adſcendens ſclopo ictus ſtatim mortuus concidiſſet, Cæſariani milites non modo hoſtiliter urbem diripuerunt, ſed ipſum etiam Pontificem, qui in Adriani molem confugerat, ad deditionem adductum, captivum tenuerunt: neque dies ille, quo alma urbs prædæ fuit, quo ipſæ Divorum reliquiæ altaribus erutæ ſunt, quo tot virgines intra caſtos parietes occluſæ libidinem coactæ fuerunt militum explere, quo non modo in homines, ſed ipſa etiam in marmora, & antiquas Romanorum ſtatuas, ſævitum eſt, finem dedit malorum: nam milites diſpoſitis in tota urbe per domos paulo ante direptas hoſpitiis, Cardinales, Epiſcopos, Principum Oratores, civeſque, & mercatores, ac omnem Romanum populum, quibus paulo ante innumerabili pecunia redemptis nihil omnino ſupererat, ad alendum tantum exercitum cogere: ipſique per ludibrium ſacerdotalibus veſtibus induti urbem perequitabant: &, tanquam ibi eorum perpetuum foret domicilium, quæcunque ad voluptatem & delitias quærebant, neque exercitum Italicum, qui vicinorum populorum in ſe ſtudium & fidem continere nitebatur, neque Francorum Regem metuentes, qui alium exercitum validiſſimum parabat Duce Lautrecho ad comprimendas in Italia Cæſarianorum vires, & præſertim ad reſtituendam Pontifici libertatem: cui expeditioni ſumptuum partem Rex Anglicus impartiebatur; & male animatus in Cæſarem, cum ob alias cauſas, tum ob non reſtitutam jamdudum mutuo creditam pecuniam, nihil magis cupere videbatur, quam ejus potentiam compeſcere. Sed antequam Gallus Alpes tranſiret, Veneti auctis copiis, adjunctiſque tribus peditum Sfortianorum millibus, adverſus Cæſarianos, qui Mediolani æſtiva agebant, proficiſcuntur. At Leva minime æquum ducens, quum præcipuum Italici exercitus abeſſet robur, paulo ante collectos milites, eoſdemque paucos, formidare, cum Germanis peditibus, Hiſpaniſque ferme octingentis, totidemque Italis, ac non magna equitum turma, urbe egreſſus occurrit hoſtibus, ſtatimque illos coegit jam caſtra intra Melignanum collocantes potius retrocedere, quam committere, ut oppidi immuniti cauſa pugnæ locus eſſe poſſet. Per id tempus Joannes Jacobus Medices, quem ſupra Arcis Muſſi præfectum eſſe retulimus, aucto nomine, & viribus ob Clavenæ ſtrenuum facinus, non modo à Franciſco Sfortia & Venetis majora ſtipendia merebatur, ſed ipſi etiam Francorum Regi dignus viſus eſt, quem cum magna peditum manu in Ducatum Mediolanenſem præmitteret: & propterea dum Helvetios accepto Gallico ſtipendio apud Larium lacum exſpectat, cum paucis armatis arcem inter Leucum & Comum, Mongutium dictam, per dolum occupat; quam Alexander Bentivolus, nihil hujuſmodi metuens, inhabitabat, tanquam domum propriam: quamobrem Antonius Leva ſtatim recuperandæ arci Ludovicum Barbianum præficit; qui tentata infœliciter oppugnatione, ac cæſis ferme è ſuis centum, re infecta Moguntiam abiit. Liberato itaque ſuorum præſidio Medices, collectis circiter duobus millibus & quingentis peditibus, in agrum Mediolanenſem deſcendit: at Leva, qui Melignani caſtrametabatur, ſive quod milites commeatum omnem emere cogerentur, & alieno ſumptu vivere aſſueti, ſtipendium, quod à Mediolanenſibus pendebatur, donec extra urbem permanerent, in ſumma annonæ penuria non ſufficiebat; ſive quod urbi tam propinquo duobus à lateribus hoſte metueret, ſublatis tabernaculis intro rediit; certiorque factus, Medicem cepiſſe locum caſtris immunitum (Caratum vocant) quattuordecim paſſuum millibus ab urbe, ipſe prima vigilia cum omnibus copiis egreſſus, ſub ſolis ortum hoſtes nihil tale opinantes adoritur: quare territi novi milites, domibus, in quibus diverſabantur, relictis, in planitie juxta villam, ſepibus circumdatam, aciem inſtruunt, velites cum ſclopetariis ad leve prælium non omnes hoſtium copias putantes advenisse: ſed opinione fruſtrati, cum loco humili & clauſo tanquam carcere ſepti eſſent, abſque defenſione, aut cæſi ſunt, aut capti in hoſtium venerunt poteſtatem: multi tamen, cum Joannem Jacobum Ducem arrepto equo fugam quæſiiſſe intelligerent, diverſa in loca, quo timor & occaſio ſuadebat, abiere. Adepta hujuſmodi victoria Antonius Leva cum ſuis incredibili gaudio Mediolanum regreſſus eſt; ubi tantummodo armatos ducentos reliquerat, minime Venetos timens, qui decem tantum paſſuum millibus aberant.

Cum iis itaque, qui tanti belli finem cupiebant, parum ſpei in Venetis ſupereſſet, reliquum erat, auxilium à Gallis præſtolari; qui ſuperatis Alpibus Duce Lautrecho Haſtam applicuerant, exſpectataque Helvetiorum Legione, in unum cogebant copias: & forte per id tempus Ludovicus, Lodronii Comes, cum valida Germanorum manu Boſchi (oppidum eſt in agro Alexandrino) pecuniam ad ſumptus militum, qui Alexandriæ inerant, perferendos exigebat: quum Lautrechus juſſis equitibus cum parte Helvetiorum ad oppidum properare, Germanis viam ad ſuos Alexandriam redeundi præcluſit; ſubſecutoque poſtmodum toto exercitu, & admotis machinis, aliquot in locis pergit quaſſare mœnia: ſed intus propugnantium multitudo plures dies Gallum detinuit, tandem expugnato op-

oppido, hostiliterque direptis & incensis domibus, oppidani, qui fugam non arripuerant, coacti sunt pecunia libertatem redimere: Germani autem, qui primo impetu mortem evaserant, Gallicum stipendium sequuti Lautrecho adhæsere.

Dum hæc agerentur, Andreas Auria Genuensis, Gallicæ classis præfectus, solutis è Massiliensi portu decem & septem triremibus, oram Ligusticam infestabat; & usque ad Genuæ portum progrediens, non modo Genuensium impediebat mercimonia, sed etiam nonnullas naves onerarias, quæ maximam vim frumenti devehebant, intercipere conatus, intra portum quendam inter Genuam & Saonam obsederat, ita ut inde exire non auderent: eodemque tempore Cæsar Fulgosus, qui ob adversam factionem Adurnis Genuæ imperantibus exsul Venetis militabat, & paulo ante cum auxiliaribus Venetorum copiis ad Lautrechum venerat, Galli jussu terrestri itinere adversus Genuenses proficiscitur: atque ut civitas, quam summa victus penuria laborare haud ignorabat, celerius ad deditionem cogeretur, qua sibi iter erat, pecora atque armenta abigere, oppida & villas, quæ ob locorum asperitatem paucæ sunt, depopulari, neque ullum edulii genus intra urbem importari sinere. Quibus rebus permoti Genuenses, cum omnem civitatis tuendæ spem in illis navibus positam esse perspicerent, eductis armatis sex triremibus auxilium ferre, si qua possent, tentare, & præsertim Auriam navali pugna detinere, ut interea naves portu egressæ Genuam properarent: adeoque Genuensibus favit fortuna, ut subito ventorum turbine compulsus hostis Saonam se recipere coactus sit: sedata itaque paulo post tempestate, onerariæ naves cum armatis triremibus incredibili omnium lætitia Genuam pervenere: atque hoc secundo rerum successu Genuenses non solum adversus Fulgosum intus sese tueri, sed etiam exire jam audent, & hostem pugna lacessere: nec Fulgosus prælium detrectat; quippe qui præter trecentos Hispanos, paucos præterea intus milites, eosdemque tirones, esse haud ignorabat: itaque cœpto inter illos prælio, populus Genuensis, ut ad omnes rerum mutationes facile inclinatur, excitato intra urbem tumultu, & correptis armis, Galliæ nomen iterum atque iterum conclamat: quare Adurnorum milites, pugna paulatim subtracti, intra urbem sese recipere ad tumultum compescendum nituntur: verum id frustra insequentibus hostibus conati, una omnes ingrediuntur: atque ita Genua in Gallorum potestatem pervenit; Lautrechusque, paulo post subsecutus, Præfectum Regio nomine cum præsidio urbi imposuit, & recepta paucos post dies per deditionem Arce, in quam Adurnus cum Cæsarianis se receperat, & civitatem, & omnem oram Ligusticam ditione tenuit.

Interea exercitus direpto Boscho Germanos Alexandriæ inclusos infestare, & ne commeatus amplius introferretur, prohibere: donec Lautrecho reverso mœnia circumsederi & oppositis machinis prostrari cœpta sunt: & primo quidem aggressu maxime declinaverunt Cæsarianorum animi ob militum amissionem, qui Boschum profecti inde redire non potuerant. Verum cum paulo post Albericus Barbianus cum armatis quingentis per colles, Alexandriæ proximos, præter Galli spem in urbem intravisset, difficilior oppugnatio reddebatur: nam strata etiam machinis murorum parte vallum magna celeritate intus reficiebatur, & sine ingenti cæde Galli ingressum per vim tentare non poterant, præsertim antequam Veneti tormenta non pauca cum pulvere sulphureo transmitterent; quibus postea diversis in locis mœnia adeo quassabantur, ut Baptista Lodronius diutius urbem tueri posse diffisus deditionem facere coactus sit his conditionibus, ut sibi cum Germanis atque impedimentis omnibus in patriam, Barbiano autem in Pedemontibus abire liceat; modo per semestre contra Galliarum Regem, atque ejus Confœderatos, arma non inferant. Recepta itaque urbe quingentos ferme è suis Lautrechus delegerat, quos Alexandriæ præsidio imponeret, nisi Franciscus Gavatius Sfortiæ Legatus, implorata Anglici & Veneti Oratoris fide, conquestus fuisset, jam in ipso belli initio fœdus non servari: & propterea Lautrechus, cum se id ob Genuensium vicinitatem & commodum militum, qui adhuc è Gallia venturi essent, ad restituendam Italiæ libertatem facere asseveraret, quando ipsis aliter videretur, ut Sfortianum urbi imponeretur præsidium permisit.

Per hos dies Antonius Leva, qui debellatis Medicis copiis Mediolanum se contulerat, exercitumque continebat in suburbiis, neque cives alia re præterquam stipendio militum gravabat, queri pecuniam serius à civitate subministrari, neque ad tantos sumptus sufficere. Quocirca Mediolanenses, qui hæc ad majus imponendum onus tendere non ignorabant, polliceri supra vires sese facturos, quo stipendium militibus non deficeret, modo extra privatas domos continerentur, & parceretur urbi, tam diu superiore anno ab Hispanico exercitu vexatæ. Sed nihil proficiebant querelæ civium, mosque gerebatur militibus, ut epularum & lucri causa enixius adversus tam validas hostium vires sese tueri conarentur. Introducto itaque intra urbem exercitu, distributa juxta civium censum hospitia militum fuerunt: qui etsi numero non multi admodum erant, tamen, quia in unaquaque cohorte plerisque duplex aut triplex stipendium pendebatur, multo plures pecuniæ distributiones ad sumptus quottidie conferre oportebat: & multis arrepta fuga, multis etiam egestate compulsis, portiones suas non conferentibus, reliqui ad illorum sumptus cogebantur. Quum autem Antonius Leva, alioquin in rebus etiam duris intrepidus, jam capta Genua, & Alexandria, ac tanta vi hostium adveniente, tam modico exercitu, præsertim sine pecunia, sine cujusquam auxilii spe, adeo magnam urbem tutari posse diffideret, dicitur animo agitasse, Papiam se recipere: cæterum, quia certior factus est, eam urbem commeatu carere, Mediolani se continere maluisse, ea fiducia, quod viro in re militari magni nominis, etiamsi hosti cedere oporteret, nunquam honestæ conditiones defuturæ essent. Atque ita transmisso Papiam Lodovico Barbiano, cum ipse antea quam plurimis edictis cives urbe abscedere prohibuisset, tunc, modo juxta censum pecuniam duorum mensium numerarent, volentes abire permisit, diplomataque obsignabat abeuntibus, ut apud hostes etiam morari liceret: id autem plerisque ob periculi magnitudinem haud displicebat; & nisi rei pecuniariæ obstitisset inopia, pauci oblata hujusmodi oportunitate in urbe remansissent.

Dum hæc Mediolani aguntur, Galli pactis induciis cum Joanne Cervilione Hispano, qui Caselium oppidum in Transpadanis munitissimum tenebat, ne abeunte jam æstate nimiam in oppugnatione moram traherent, in agrum Mediolanensem proficiscuntur: & cum haud longius, quam octo passuum millia, ab urbe castra locassent, ex eo loco præter omnium spem Papiam ire perrexerunt; incertum, sive id factum sit, quia Francisci Sfortiæ restitutionem ægre ferrent, sive quia occasionem Papiæ expugnandæ prætermittere noluerint: transmissis enim à Barbiano Mediolanum paulo ante militibus circiter quadringentis, quo Lautrechus trajecto Ticino profe-

cturus videbatur, Papia erat expugnatu haud difficilis, Sfortianis præſertim & Venetis adjunctis; qui tantam adduxerant tormentorum & pulveris ſulphurei copiam, ut quattuor diebus, quibus acriter urbs oppugnata eſt, magna murorum pars ſolo æquata ſit; neque ullo modo, qui intus erant, contra tantam ſtragem ad vallum opponendum ſufficerent. Quamobrem Papienſes ſupplices Barbianum obſecrant, ſi ſibi ipſi, ſi militibus nollet parcere, parceret tot matronis & virginibus, quas irrumpente hoſte jam rapi, jam per vim ſtuprari videre videbantur: ſed cum nihil eo tempore profeciſſent preces, tandem ſero admonitus militibus & civibus, qui una propugnationi aderant, jam nimio labore feſſis, tubicinem ad Lautrechum pro reddenda urbe mittit: ſed dum Gallus ipſe, qui profectus erat in Venetorum caſtra, perquiritur, milites acie jam ſtructa maximo impetu, qua murorum ruinæ aditum dabant, urbem ingrediuntur: quod ubi conſpexit Barbianus, reſerata porta confeſtim in hoſtium caſtra ultro pergit; deductuſque ad Lautrechum captivus Genuam tranſmittitur. Interea Galli ob acceptam ſuperioribus annis apud Papiam cladem, urbi infenſi, poſt cædem primo ingreſſu editam, ac direptas non ſolum privatas domos, ſed Monachorum etiam cœnobia, & Divorum templa, nullum captivandis civibus modum facere, ſed pleroſque ter & quater ad ſeſe redimendum pecunia cogere: poſtremo Vaſcones, qui præter cæteros erant immaniſſimi, ignem in multas domos inferre, & totam urbem miſcere incendio, niſi ipſe Lautrechus tandem poſt octavum diem militum furorem in immeritam urbem ulterius debacchari prohibuiſſet.

Recepta in hunc modum Papia, Lautrechus quamprimum cum Innocentio Cardinale Legato Bononienſi, qui ad ipſum paulo ante Pontificis libertatem procuraturus venerat, agere cœpit de profectione adverſus Cæſarianos, qui Romam occupabant: quod cum diu ſecreto contineri non potuiſſet, Franciſcus Sfortia, magno Optimatum cœtu, qui ad ſe Mediolano confluxerant, comitatus ad Lautrechum, antequam Papia diſcederet, venire non abnuit: tum ut ſuam in Regem demonſtraret obſervantiam & ſtudium, tum etiam ut ipſi Lautrecho, qui hujuſmodi honores ambire videbatur, perſuaderet, ſatius eſſe Inſubrum prius expeditionem perficere, quam relictis propinquis hoſtibus longinquos ſectari: & haud quidem minus vere, quam ex animo, quia è re ſua eſſet, admonebat, idemque ſe ſentire Lautrechus profitebatur: ſed duorum Galliarum ſcilicet atque Angliæ Regum, quorum communi ſumptu continebatur exercitus, præcepta obſtare, qui ſe in Italiam potiſſimum tranſmiſerint pro recuperanda Pontificis libertate, quo perfecto haud difficile fore Antonium Levam Mediolano expellere: interea ipſum Sfortiam cum Venetis poſſe urbem obſidere, & brevi compellere ad deditionem, ſi præſidiis impoſitis oppida & caſtella propinqua muniantur, arceanturque per equitatum viatores, qui commeatum ad urbem adferre ſolent. Atque ubi hæc parum ſufficiant, ſe in Inſubres Deo Opt. favente, pro cujus Eccleſia militet, victorem paulo poſt rediturum, &, ſi quid radicum hoſtilium adhuc ſupererit, exſtirpaturum. Cæterum, quamquam hæc Sfortia in bonam partem acciperet, tamen non eum latebat, quod multi pro certo aſſerebant, Regem idcirco nolle in præſentia ipſum in Ducatum ſuum remitti, quod metueret, quamprimum eſſet reſtitutus in partes Cæſaris tranſiturum; vel potius, quia in ipſius arbitrio haud fuiſſet reſtituto Principe Mediolanum reddere, ſi pro filiorum recuperatione Gallo paciſci contigiſſet de tradenda Cæſari Italiæ poſſeſſione. Habito hujuſmodi colloquio, Sfortia poſtero die Laudem Pompejam revertitur: at Lautrechus paucos dies Papiæ moratus dimiſſis Helvetiis, qui Romanam expeditionem ſequi noluerunt, cum Germanis, qui Gallia frequentes Regis juſſu ad ſe veniebant, Placentiam tranſmiſit; ibique per Oratores Alphonſum Eſtenſem Ferrarienſium Ducem, ac Federicum Principem Mantuanorum, quo tutiores eſſent partes Regis, jungit fœdere. Interea Antonius Leva, cum Galli diſceſſiſſent, parum Sfortianos & Venetos timens, qui ad gerendum bellum cis Padum ſoli remanſerant, cum quattuor armatorum millibus & magna tormentorum vi Abbiagraſſum circumſedit; & multis ictibus mœnia quatiens, Sfortianos, qui oppidum præſidio tenebant, unius diei ſpatio coegit ad deditionem: & jam naves ad trajiciendum Ticinum parabat, idem adverſus Viglevanum, Mortariumque, ac reliqua Laumellinæ & Novarienſium oppida, facturus, niſi Lautrechus Petrum Navarienſem, peditatus Regii præfectum, cum valida Vaſconum manu remiſiſſet: atque ita paucis diebus receptum Abbiagraſſum Sfortiani majore militum præſidio, & convecto undique commeatu, muniverunt: quo effectum eſt, ut quamvis Vaſcones Placentiam ad Lautrechum redierint, tamen Leva ſpe potiundæ Laumellinæ fruſtratus Mediolani plures dies ſe continuerit: ſed poſtquam relictis Inſubribus Lautrechus in Flaminiam pervenit, Italos & Hiſpanos milites emiſit, ut victus penuriam, quæ diuturno bello omnia Mediolanenſis Imperii loca invaſerat, aliqua ex parte levaret, aditumque, qua poſſet, patefaceret, iis, qui lucri cauſa annonam & cæterum commeatum in urbem comportabant; ſimulque ut regionem & oppida, quæ minore conatu expugnari poterant, reciperet, hoſtiſque ſentiret ſibi animos & vires haud deficere. Redacto itaque in poteſtatem toto ſuperiore Mediolanenſi agro (quem Seprium incolæ vocant) Philippus Torniellus, qui Italis erat præfectus, collectis navibus cum mille ferme & ducentis peditibus, ac pauco equitatu, Ticinum tranſgreditur: atque urbem Novariam per Arcem, quam Galli expugnare parum curaverant civitatem, ingreſſus, Sfortianos, qui numerum quadringentorum non excedebant, inde abire coegit: pars itaque Aronam ad Federicum Borromæum, reliqui cum Corſino Laudenſi profecti ſunt Mortarium: atque ibi tanquam frontem pro defenſione Laumellinæ & Papienſis agri adverſus Torniellum & Cæſarianos ſeſe oppoſuerunt; donec tranſmiſſo validiore præſidio, Torniello facultas adempta eſt ulterius evagandi, ſed tantummodo levibus præliis quottidie invicem certantes, totam hyemem conſumpſerunt: neque facinus ullum memorabilius edebatur, quam quod oppida & loca omnia immunita paſſim diripiebantur: & non modo deprehenſi viatores, (adeo res in formam latrocinii venerat) ſed etiam intra proprias domos oppidani captivabantur: neque hæc tantum edebantur à latronibus, quorum numerus, tum ob hominum egeſtatem, tum ob intermiſſas pleraſque bellorum diuturnitate mercenarias artes, haud erat exiguus: ſed ipſi etiam milites nullum prætermittebant latrocinii genus: & ſi quem nacti erant, cui aliquid corradi poſſe exiſtimarent, inauditis antea cruciatibus laceratum cogebant aurum excutere.

Per id tempus Joannes Jacobus Medices, qui communi Italorum confœderatorum ſtipendio militabat, ne omnino nihil ageret, Leucum, tanquam oppidum ſibi opportuniſſimum, in extremo lacus Larii cum ſexcentis peditibus circumſedit: neque poterant Hiſpani Como auxilium obſeſſis mittere ob multitudinem navium, quas ipſe jampridem Comenſibus eripuerat. Quare Antonius Leva, ne per ignaviam oppidum amitteretur, decrevit, quando claſſe non poſſet, terra auxilium fer-

ferre: eductis igitur Mediolano omnibus copiis, ipse cum Germanis ad quintum decimum ab urbe lapidem castra locat; Hispanos autem atque Italos pedites, quorum numerum receptis Novariensibus per hyemem auxerat, expugnata Olginati Arce, in ripa Abduæ posita, quam Medices antea occupaverat, trans Abduam ire jubet, ut terrestri itinere Leucum (est enim in altera lacus ripa) ingredi possent: Philippoque Torniello, impigro Duci, auxilii per vim obsessis ferendi cura demandatur. Nam Medices antea explorato Cæsarianorum adventu, & cum Venetis, & cum Sfortia Principe egerat, uti ad se auxiliares armatorum copiæ mitterentur; & acceptis à Venetis aliquot tormentis bellicis, omnes aditus, qui ob locorum & montium asperitatem difficiles erant, vallo, fossisque obstipaverat: vimque hostium hujusmodi auxilio haud magno conatu repellere sperabat; & ne tanta spe frustraretur, ipse, quo periculum majus imminebat, adesse suos ad strenue pugnandum hortari, ut præteritam ignominiam præsenti virtute resarciant: arma ac instrumenta ad instaurandos aggeres adversus venturos hostes parare, operarios militibus jubere adsistere; Venetos præterea in locis asperioribus præsidio ponere, ut quanto locorum natura tutiores essent, tanto longius abessent periculo. Verum id frustra provisum est: nam Cæsariani occupato ex adverso latere monte, quod Leuco imminet, tentato infœliciter pluribus in locis aditu, tandem, qua Venetorum cohortes præsidio stabant, irrumpunt: quod sentiens Medices, suspicatus quamprimum id, quod antea variis rumoribus ad se delatum fuerat, Sfortiam ægre laturum, si Leuco ipsum potiri contigisset, tormenta protinus, quæ à Venetis acceperat, navibus imposita abducit: ipse quoque cum suis naves adscendens, quas in ripa ad omnem casum paratas habebat, Torniello & Cæsarianis facultatem reliquit oppidi pro libito muniendi; statimque agitare animo cœpit, quando hac via Leuci potiundi facultas secus cesserat, alia rem aggredi: nam Hieronymus Moronus, quem supra à Ferdinando Davalo carceri inclusum fuisse retulimus, post transactum annum ingenti auri summa à Carolo Burbonio liberatus, & una cum eo Romam profectus, jam apud Philibertum, Orangiæ Principem, qui post occisum Burbonium totius exercitus præfecturam susceperat, magnam sibi vindicaverat auctoritatem; neque quidquam sine ejus consilio à Cæsarianis Romæ agebatur: is igitur, sive quod Medici bene esse cuperet, sive quod in partes Cæsaris majore quam antea studio transiisset, Antonio Levæ litteras mitti à Principe persuasit: quibus monebatur, ne Medicis amicitiam adspernaretur: quæ magno ei aliquando usui esse posset, simulque ipse ad Medicem in eandem scripserat sententiam: & ut hominem, quem rerum propagandarum cupidissimum agnoscebat, magis alliceret, se juribus oppidi Leuci, quod à Sfortianis, à Francisco Galliarum Rege, & ab ipso Ferdinando Davalo, Cæsaris nomine, dono habuerat, cessurum obtulit, modo partes Cæsaris juvaret: neque conditiones adeo optatas Medices respuerat; sed animi sui consilia minus declarans, quid ferret rerum eventus exspectabat. Verum postquam Veneti, qui præsidio ad Leuci oppugnationem venerant, Cæsarianis (uti retulimus) cessere, dolum subesse ratus, conditiones à Morono oblatas, Antonio Leva ultro eas concedente, suscipit; & Leuco potitus, magnas Cæsarianis, præsertim in vendenda Mediolanensibus annona, utilitates attulit.

Interea Carolus Imperator, qui jam certior erat, summis Gallorum viribus, omniumque fere Italorum Principum consensu, Lautrechum in Italiam descendisse, ne per ignaviam sui opprimeretur, Henricum Juniorem, Brunsvicæ civitatis in Germania Inferiori Ducem, in Italiam mittit: & quamvis Veneti transitum ejus impedire conati sint, Franciscumque propterea Urbinatum Ducem accersiverint, qui toto superiore anno in Umbria cum Salutiano Principe steterat adversus Cæsarianos, qui Romæ inerant, tamen tantis viribus, tantoque belli apparatu, Germanus stipatus erat, ut tutius consilium secuti Veneti civitates & oppida munitiora præsidio firmare, quam extra milites continere maluerint. Quare Germanus miles nemine obstante Alpes transgressus, alia oppida depopulari, alia incendere, ab aliis pecuniam extorquere, coloni præterea undique fugere, pecus intra civitates, ne præda hostibus esset, abigere. Dum hæc agerentur, jam Mediolanensium calamitates eo processerant, ut miseranda opulentissimæ olim urbis esset facies: nam vix quattuor annorum redditus suffecerant ad sumptum hyemis unius tolerandum; & plerique ad extremam inopiam compulsi nihil habebant, non modo quod impartirentur militibus, sed nec quo sese alerent. Si quis autem ex iis, qui hujusmodi sumptus perferre non posset, militum, præsertim Germanorum, incurrebat manus, catenis vinctus, tanquam capitis reus esset, carnifici custodiendus dabatur, donec pecuniam recuperaret: & reperti sunt, qui pro mortuis in tam atroci carcere, cum vivos redimere non potuissent, coacti sunt aurum majore cura perquirere, ne cadavera honore sepulchri carerent. Et tamen in tanta civitatis calamitate non deerant, qui vel Magistratuum & privati lucri causa, vel in odium Sfortiani nominis, reliquis persuadere nitebantur, satius esse pecuniam, quamvis magno fœnore, perquirere, ut præsentibus malis exitus exspectari posset, quam in alienas terras proficisci, victumque ab ignotis quærere, præsertim tot impendentibus in itinere latronum & militum periculis, quæ quidem paucos remorabantur: nam quo majus imminebat periculum, eo majore diligentia fugæ occasio arripiebatur. Quocirca reliquum erat, fugientium nomina & fortunas proscribere: quorum tantus erat numerus, ut typis imprimerentur, quandoquidem manu describere nimis longum esset: accedebat ad hasce Mediolanensium calamitates tam ingens annonæ penuria, ut greges pauperum fame morientium quottidie in viis publicis reperirentur: Patritii autem, qui pauci admodum in urbe erant, obsiti squallore & sordibus conspiciebantur; januæ domorum & artificum tabernæ passim erant occlusæ; atque in frequentioribus antea urbis regionibus urticæ & sentes accreverant.

Igitur, quum eo in dies redigeretur status civitatis, ut diutius durare non posset, Antonius Leva, quasi Mediolanensium conditionem miseraretur, convocatis civibus jurejurando promittit, si ex privato censu (publica enim deerat pecunia) viginti dierum stipendia militibus pendantur, exercitum urbe educturum, neque posthac aliud onus à se impositum iri: quod cum Germanis haud placeret, ne quidpiam intactum in urbe relinqueretur, Monachorum & Virginum cœnobia ingressi, præter epulas, quas laute sibi parari jusserunt, tot quottidie molestias illis exhibebant, ut plerique mutatis vestibus religionem dissimulare cogerentur: neque prius ad cœnobia reversi sunt, quam Germani omnes, Antonio Leva ita jubente, urbe excessere: jam enim æstas adventabat; & Papia, quam tantis viribus, tantoque belli apparatu, Lautrechus expugnaverat, parvo negocio in Cæsarianorum redierat potestatem, dum civitas, Annibale Piccnardo, Sfortianorum peditum Tribuno, ad continendos in fide Transpadanos profecto, segniter à Petro Longhenna & Venetis, qui ejus tutandæ provinciam sumpserant, custoditur. Hujusmodi victoria subnixus, reliquam ditionem recipe-

cipere properans, milites omnes, & Mediolano, & aliis etiam ex urbibus ac locis eduxit; primumque Abbiagrassum petiit: quod vix quattuor tulit tormentorum ictus, cum defensores omni auxilii spe vacui sese tradiderunt. Postmodum Aronam aggredi animo volvebat; nisi Federicus Borromæus, Sfortiæ rebus diffidens, in partes Cæsaris transiisset. His itaque peractis, una tantum civitas Laudensis inter duos amnes, Ticinum atque Abduam, restabat: quam etsi valde cuperet Sfortianis eripere, utpote quæ prima Cæsarianorum effugerit manus, initiumque recuperandi Imperii Francisco Sfortiæ dederit, tamen, quia majoribus viribus ad expugnandam civitatem, quam suis, opus erat, Henrico Brunsvicensi, ipsum exposcenti ad colloquium, in agrum Bergomatem obviam proficisci statuit; ut illi persuaderet, ne ante in Regnum Neapolitanum trajiceret ad auxilium Cæsarianis à Gallo obsessis ferendum, quam totum Mediolanensem Ducatum recuperaret: quod quidem tam valido exercitu asserebat brevi posse fieri, præsertim ob Sfortiæ inopiam; qui hactenus, ut belli impensam toleraret, præter consueta vectigalia, multa tributa, & diversi generis onera, Laudensibus & Cremonensibus imposuerat; ac ex Alexandria ægre tantum pecuniæ percipere poterat, quantum satis esset ad continendum ejus civitatis præsidium. Accedebat, quod in tanto Germanorum metu, parum à Venetis sperandum erat auxilii, qui relinquere nolebant sua, ut aliena tuerentur. In quam sententiam cum Germanus transiisset, relicta Bergomi oppugnatione, sive quod Venetorum timuerit potentiam, sive quod pecuniam propterea acceperit, ad Laudem civitatem traduxit exercitum: at Franciscus Sfortia, qui ob adversam valetudinem bello interesse non poterat, Brixiam profectus, in urbe Laude Joannem Paulum fratrem cum duodecim peditum cohortibus reliquit: vixque circumsessa à Cæsarianis fuit civitas, cum Germanus Princeps & Leva fecialem una cum tubicine ad poscendam urbem, tanquam Cæsari debitam, miserunt; multum omnibus, qui intus essent, minati, nisi statim civitas redderetur. Ad ea Sfortia respondit, se ab ipsomet Antonio Leva, dum Papiam adversus potentissimum Regem tueretur, didicisse, quam pulchrum sit minis hostium haud terreri; nihilque sibi optabilius, quam palam omnibus facere, quantum Sfortiana virtus valeat. Quocirca reliquum erat Cæsarianis vim experiri: & prima quidem tentandæ irruptionis provincia Antonio Levæ & suis cessit: qui ut sibi animos aut vires non deesse demonstraret, post quassata machinis bellicis aliquamdiu mœnia, Hispanos, quorum promptitudini & audaciæ plurimum fidebat, ad murum, qua majorem ruinam dederat, præmittit: qui scutis ingentibus tecti, subsequentibusque sclopetariis, signa inferre intra urbem, propugnatores è muris dejicere, suisque aditum aperire, quam maxime eniti: contra Sfortiani præter plumbeas & ferreas pilas, quas tormentis sclopisque emittebant, saxa & sudes in Cæsarianos volvere, gladiis atque hastis irrumpentes, cum scutis hostes detrudere, ac in fossas præcipitare, ingentique clamore hostium ignaviam increpare; quod, patefacto per strata mœnia aditu, tamen ingredi non auderent. Itaque cum supra horam tertiam atrociter pugnatum esset, nox inæquali jactura prælium diremit: nam Cæsariani ob suorum cædem, qui tot præteritarum victoriarum memores spe potiundæ civitatis gloriosam mortem oppetiverant, mœsti redibant in castra. At Sfortiani, repulsa tantis animis hostium vi, ingentem hostium numerum, eorumque minas, parvi pendebant, cupiebantque, ut rursus prælii fortunam experirentur. Sed quia secus primum certamen cesserat, & ante maturas fruges urbem Cæsariani circumsederant, victus penuria brevi sperabant, Sfortianos ad deditionem cogi posse: neque illos diutius ea spes frustratura erat; nam congesta in unum intus omni annona, jam nemini præterquam militibus panis impartiebatur: adeo ut universus populus, vel summo cum captivitatis, aut cædis, periculo egredi, vel intus fame mori cogeretur: nisi eo anno incertum, an cæli intemperies, an tot impendentium periculorum metus, an forte, ut plerique arbitrantur, divina vindicta tot perniciales morbos attulisset; ut in unaquaque regione Italiæ innumerabiles intra paucos dies ægroti morerentur, adeo ut multo plures ea æstate, quam defæviente in Cisalpina Gallia superioribus annis peste, fato cesserint: invasit itaque ea lues Cæsarianorum castra, qui Laudenses obsidebant, & præcipue Germanos milites; neque ullus, postquam ægrotasset, convalescebat: & plerique fatum illud evitare non sperabant, nisi in patriam redirent: atque tum hac potissimum causa, tum ob victus penuriam, quam diuturnitas attulerat belli, Germani frequentes quottidie ex castris discedebant, & in Germaniam per Rhætorum & Helvetiorum loca revertebantur: neque ea res Ducem eorum valde movebat, quum tentata infeliciter prima expeditione, difficiliores, quam antea speraverat, res Italiæ cognovisset: accedebat, quod consumpto fere omni militum ex Germania allato stipendio, non modo suos in Neapolitanum Regnum ad liberandum Cæsaris exercitum, adducere non poterat, sed nec diutius apud Laudem urbem in castris continere: atque ab Antonio Leva, qui ad eam diem suos privatis aluerat oppidanorum sumptibus, quottidie edocebatur, quanta Mediolanensium esset calamitas, ut omnem exueret spem, si quod ab eis corradi ad sustentandum tam numerosum exercitum posse existimaret; simulque omnia ipsius Levæ facta & consilia eo spectabant, postquam ditionis hujusmodi auxilio redintegrandæ spe dejectus est, ut Germanus quam primum Italia abscederet, ne Mediolanensium Imperio, quibus solus ad eam diem ipse præfuerat, excluderetur.

GA-

# GALEATII CAPELLAE DE BELLO MEDIOLANENSI, SEV DE REBVS IN ITALIA GESTIS PRO RESTITVTIONE FRANCISCI SFORTIAE II. *MEDIOLANENSIVM DVCIS,*

## *LIBER* VIII.

INTEREA Franciscus Galliarum Rex, qui assiduis Lautrechi nunciis certior reddebatur, quantum sibi immineret periculi, tum ob stipendii defectum, tum ob easdem febres, quæ, ut in cæteris Italiæ locis, ita in ipsius exercitu plerosque ex militibus, præsertim Germanos & Gallos, invaserant, Franciscum Burbonium, unum ex proceribus, Sancti Pauli Comitem cognominatum, cum aliquot equitum turmis & peditum octo millibus in Italiam mittit: ea ratione, ut si Henricus, Dux Brunsvicensis, in Neapolitanum Regnum proficisceretur ad Cæsarianos liberandos, pariter & ipse sequeretur, Lautrecho suppetias laturus: sin minus, Venetis & Sfortianis conjunctus, in Insubribus adversus Antonium Levam bellum gereret, neque per ignaviam sineret res Cæsaris incrementum accipere: & forte in Italiam eo tempore applicuit, quo Dux Brunsvicensis ob suorum discessum in Germaniam reditum parabat: itaque hujusmodi cura liberatus, recuperatis in finibus Transpadanorum prius aliquot oppidis & castellis, quæ paulo ante in potestatem Cæsarianorum pervenerant, dum Sfortiani Germanorum metu vires omnes ad defendendas civitates contraxissent, in agrum Cremonensem pervenit. Interea Germani, qui pro Carolo Cæsare in Italia militabant, ad pauciores quottidie redigebantur, Italique admixtis Hispanis vix trium millium explebant numerum, equitatus etiam erat exiguus; ipseque Antonius Leva, ad quem post recessum Ducis Brunsvicensis summa rerum redierat, relicta jamdudum Laudensis urbis obsidione, cum omni militum robore Melignani castrametabatur, neque diutius stipendii defectu ibidem morari poterat: sed necesse illi inerat alia ratione exercitum alere, animoque agitabat, quomodo Mediolani ad urbis præsidium Germanos saltem proximam hiemem continere posset: quamobrem Mediolanenses metu perculsi, ne iterum ad contributiones, aut ad præbenda militibus cibaria, redeundum esset, etsi bis antea Oratores ad Cæsarem in Hispaniam ad quærendum tot malis auxilium frustra misissent, tamen ne sibimet defuisse viderentur, tertium cum litteris Oratorem in hanc sententiam destinarunt: *Jam dudum, serenissime Cæsar, calamitates nostras, & per litteras, & per Oratores Majestati tuæ patefecimus: quos singillatim, quibus hactenus ærumnis à militibus tuis vexati fuerimus, significasse non ignoramus. Sed quia nullum adhuc remedium sensimus adhiberi, necessitate coacti Oratorem hunc novissimum mittimus, ut, si alii leniores in quærenda tot malis medela visi fuerint, is tanquam postremus totum vulnus detegat; ne te ignorasse unquam asserere possis, quæ & quanta, postquam hic à tuis dominari cœptum est, pertulerimus. Post exactum enim diuturnum à nobis militum tuorum stipendium, omnem exercitum tuum intolerabili in nos licentia debacchantem octo menses aluimus: mox renovato bello & deficiente rursus stipendio, quindecim alios menses coacti fuimus quotidie pecuniam juxta singulorum mille aureorum censum ad sumptum duorum peditum contribuere; quæ summa ad quadringenta aureorum millia excrevit: neque tam diuturno malo, nisi collato etiam aureorum triginta quinque millium tributo, finis impositus est: quod ut in tempore exigi posset, plurima prædia, ad pauperum usum testamento diversimode legata, vilissimo precio vendere oportuit. Atque eo tempore tot domus à militibus tuis dirutæ, tot virgines, tot nuptæ, tot viduæ & infantes catenis multoties, ob conferendæ pecuniæ impotentiam, vincti fuerunt; tot cives, dignitate atque opibus antea splendidissimi, à militibus tuis pecuniæ causa in vincula conjecti occubuerunt, ut nemo diuturnius aut miserabilius ullius unquam civitatis excidium viderit. Nam præter eos, qui domi, forisque, ob victus inopiam, vita excesserunt, plerique ex iis, qui nondum defecere, pane tantum & aqua diu vitam tolerarunt. Quid totius agri vastitatem, agricolarumque fugam referre opus est? quibus, ob crebras militum incursationes, nihil ad vitam tuendam relictum jam dudum fuit: ut non alia ex causa tot exitiales morbi omnem ditionem Mediolanensem invaserint; qui & magnum civium nostrorum numerum sustulerunt, & paucos in agris reliquerunt superstites: si qui autem evaserunt, tanquam prorsus omni melioris fortunæ spe destituti, in alienas profecti sunt regiones, ut quod vitæ superest, in quietioribus locis transigant. Atque in hoc rerum statu novum tamen bellum, quemadmodum minime tibi ignotum esse arbitramur, adversus hanc infœlicissimam urbem parari audimus: quocirca, quum nihil nobis reliqui sit, quod ad sustinendos belli sumptus denuo conferamus, præter animam, eam ipsam, tanquam à Deo acceptam, ipsi uni cupimus (quoad licet) servare: ut autem aliquandiu liceat, te, Cæsar invictissime, suppliciter, multisque cum lachrymis, obtestamur, obsecramusque, ne eam nobis clementiam deneges, quam etiam hosti non impartiri turpe esset. Huic urbi nonnunquam dominatæ sunt externæ gentes, quæ urgentibus bellorum necessitatibus Imperium relinquere maluerunt; licet fortassis (ubi melior sese offerret occasio) illius recuperationem tentare in animum induxissent, quam nobis nihil tale merentibus excidio esse. Eam autem civitatem, Cæsar, quæ non modo opes, sed vitam etiam & sanguinem pro ejus exercitu sustinendo jam-*

*jamdudum contulit, pessum ire patietur? honestissimasque populi aliquando de se benemeriti preces negliget? neque tot malis ipse, qui solus potest, auxilium feret? Quod si nullum, aut serum, futurum est, audies paulo post, eos, qui adhuc Mediolani superfuerunt, quum jam ad patiendum non sufficerent, patriam reliquisse, & victum miserabiliter petere ab ignotis, si modo, qui præbere non abnuat, quispiam reperietur: secus ferarum more herbis vescemur; quod adhuc plurimi ob inopiam facere coacti sunt: neque id tamen absque tuæ laudis imminutione evenire poterit, cujus causa nos ad hujusmodi miserias adductos fuisse palam feretur: meminisseque debes, te quoque natum esse mortalem, atque in hac suprema Imperii sede ad salutem, non ad hominum perniciem, à Deo constitutum, eidemque omnium abs te reddendam aliquando esse rationem.* Nihil autem ea legatio, litteræve, profecerunt, præterquam quod Cæsar post tertium mensem eos per litteras hortatus est, ut paululum adhuc tolerarent, fore enim, ut brevi intelligerent nihil quiete Italiæ sibi esse carius.

Interea Antonius Leva animo volvens, quam odiosum esset superiorum contributionum nomen, excogitata alia recuperandæ ingentis auri summæ ratione, pœna capitis & fortunarum proscriptione indicit, ne quis panem conficere possit, aut farinam domi habere, præter eos qui hujusmodi vectigal conduxerant, à quibus in singulos farinæ medimnos aureos tres novem postea menses exegit: eaque pecunia non modo Germanis, sed & Hispanis, & equitibus stipendia abunde præbuit; reliquos autem Novariæ & in Laumellinæ aliquot oppidulis, ac per villas agri Mediolanensis, totam hiemem non tantum victum quærere, sed impune etiam, quum aliter continere eos non posset, prædari permisit. Dum hæc ab Antonio Leva ad protrahendnm bellum pararentur, jam Franciscus Burbonius, junctis Sfortianorum ac Venetorum copiis, ad circumsedendam Papiam profectus erat: neque Leva præter ducentos Germanos atque Italos ferme octingentos, quos in civitatem paulo ante præsidio miserat, quidquam auxilii poterat amplius ferre; sed Melignani se continebat, rei exitum exspectans. Verum postquam magna vi ab hostibus mœnia quassari audivit, Mediolanum redire satius esse duxit, quam foris sine auxilii præstandi facultate diutius pernoctare. Oppugnata itaque aliquot dies civitate, & strata haud parva murorum parte, Galli, admixtis Venetis & Sfortianis, dato pugnæ signo tanta animi promptitudine prælium ineunt, ut qui intus erant, licet strenue resisterent, ad propugnandum non sufficerent: sed postquam Petrus Biragus, unus ex ipsorum Ducibus, sclopo crus graviter saucius concidit, neque se ab humo tolli, ne interea sui prælium desererent, passus est, & Petrus Butigella, Cæsarianorum pariter Dux, eodem teli genere vulneratus, pugna absçessit, tunc sine ulla amplius difficultate Sfortianis, & præcipue Annibali Picenardo Cremonensi, qui peditibus mille & ducentis præerat, maxima laus urbis captæ cessit.

Per eos dies Genua, quæ totam æstatem atrocissima peste laboraverat; adeo ut non solum cives, sed ipsi etiam milites, qui urbi præsidio stabant, urbem deserere cogerentur, magno in discrimine constituta erat: nam Andreas Auria, quem supra Regiæ classis præfectum esse retulimus, parum gratum existimans in se Regis animum, majus, quam dici posset, odium in illum contraxerat: duoque hominem præcipue movebant; unum, quod non tantum Lautrechus, sed ipse etiam Rex, ab eo efflagitaverat Alphonsum Davalum, Ascanium Columnam, nonnullos alios Cæsarianorum Duces; quos, occiso Ugone Hispano Neapolis Prorege, Philippinus, ejus ex fratre nepos, magna cum laude dissipata Neapolitana classe, captivos fecerat; ipsique valde Rex succensere, nisi illos redderet, videbatur: quod quidem Auria iniquum esse asseverabat, quoniam jure belli facultatem sese pecunia redimendi captivis fecisset, neque fidem suam frangi, neque pecuniam sibi debitam eripi æquum putabat. Alteram prætendebat offensionis causam ob subductum promissum stipendium; & propterea missionem aliquoties expostulaverat, ut sibi quo vellet cum triremibus abire liceret: quam quum Rex minime concederet, testatus jurejurando, quod ipsi aliàs præstitisset, amplius non teneri, jam se Regis hostem aperte profitebatur, & cum Genuensibus, à quibus ob rei navalis scientiam plurimi fiebat, inibat consilia Patriæ libertatis restituendæ; multorumque animos adversus Gallum irritabat, quod non solum Saonenses, qui antiquo jure Genuensibus semper paruerant, liberos effecisset, sed contra toties promissam fidem antiquam etiam Genuæ oppressisset libertatem. Quæ quidem multo ante prospiciens Theodorus Trivultius jamdudum ad Regem scripserat, satius esse Saonam Genuensibus reddere, quam populis natura levissimis eo tempore novandarum rerum præbere causam; simulque monebat Auriam, virum ad omnem rem maritimam oportunissimum, liberalitate atque officiis continere optimum sibi videri.

Sed dum Rex fidelibus Trivultii consiliis minus auscultat, Auria forte nactus occasionem, dum pestis adeo sæviret, ut civitas pene ab omnibus desereretur, ipseque Trivultius urbis præfectus multitudinem fugiens intra arcem se contineret, cum armatis aliquot triremibus urbi appropinquat; quamvis in recipienda per vim civitate parum profuturus, nisi Gallica classis, quæ tum in portu stabat, metuens ne sibi iter in Galliam intercluderetur, confestim abiisset: itaque paucis repugnantibus Auria cum suis, qui numerum quingentorum non excedebant, Genuam ingressus est: vocatisque statim ad libertatem civibus, omnes ad arma suscipienda hortatur; ipsique Dii velle videbantur Italiæ imperium è Gallorum manibus vindicari: nam intoleranda vis morbi omnium ferme corpora in tota Italia per eam æstatem adeo vexavit, ut temporis vitio pauci reperti sint, qui non ægrotaverint: quamobrem in Gallico exercitu, qui jam quartum mensem Neapolim obsidebat, multitudine languentium plerique neglecti desertique moriebantur, quottidianaque funera ob omnium oculos erant. Et quamvis eadem quoque morbi vis Cæsarianos invasisset, tamen umbræ tectaque urbis ipsos recreabant. At Galli diu circumsedendo, locique ipsius gravitate, ex quinque & viginti armatorum millibus intra triginta dierum spatium, amisso interim Lautrecho Duce, ad quattuor millia redacti sunt; atque ita Neapolis obsidionem deserere coacti, capti & spoliati prope omnes ad Aversam urbem fuere. Hujusmodi igitur nuncio Genuenses tanquam divino auxilio freti, Theodorum Trivultium non solum obsidere intra arcem pergunt, sed etiam adversus Franciscum Burbonium, qui ex Insubribus digressus cum tribus millibus expeditorum militum Genuam properabat, alacres urbem tuentur, & obsidionem arcis haud intermittunt. Quare Gallus, qui omnem recuperandæ civitatis spem in celeritate posuerat, & propterea minorem commeatus secum adferendi habuerat rationem, cum ob locorum asperitatem & populorum in Gallos concitatum odium, nullatenus efficere posset, ut in usum exercitus annona in tempore ad se adferretur: & cum paucis ipse profectus præter spem hostes magno in numero intra urbem venisse intelligeret, re imperfecta retrogressus, Alexandriam se contulit, ibique, quoniam tempus ita expostulabat, hibernare cum militibus constituit. At Genuenses majoribus animis obsidioni innixi, intra paucos dies Trivultium penu-

nuria victus coegerunt ad arcis deditionem: mox cum validioribus copiis adversus Saonenses profecti, servitutis jugum nemine auxilium ferente subire coegerunt.

Adempta igitur in hunc modum Gallis Genua, cum in proximum annum omnis Francisci Sfortiæ recuperandi Mediolanensis Ducatus spes conjecta foret, reliquum erat per hiemem nequaquam sinere hostium vires in Insubribus incrementum accipere: dum interea Galliarum Rex validiores copias pararet, quibus & amissum prope partum Neapolitanum Regnum recuperare posset, & Cæsarianos juxta fœdus Italia expelleret. Cæterum, nihil æque Regis animum angebat, ac Genuæ amissio; quod & civitas esset ob vicinitatem peropportuna rebus suis, & antiquo titulo obnoxia; & quod privatus civis, qui tot annos ipsius stipendio militasset, nullo externorum Principum auxilio, non solum florentissimam civitatem occupasset, sed pulso etiam undique Gallico præsidio Regiam potentiam contemnere videretur. Quamobrem Franciscus Burbonius, qui Regis animum plane noverat, quum per exploratores audivisset, Genuenses, tanquam ab hoste securi essent, omnem ferme militarem custodiam intermisisse, simulque relatum esset, invisam esse multis nimiam Auriæ potentiam, occasionem recipiendæ Genuæ oblatam esse existimans, Montejano peditum præfecto negocium dat, ut cum expedita militum manu celeri itinere proficiscatur; fieri enim posse, ut in proximam noctem Genuam adventaret, antequam occuparet urbem, quam quidquam tale à civibus suspicaretur: & quoniam relatum quoque erat, Auriam nonnunquam in suburbano extra civitatem pernoctare, ejus per noctem comprehendendi cura Valcerchæ, uni ex Centurionibus, qui melius de facie hominem noverat, injuncta est. Et militibus quidem conficiendi itineris sedulitas non defuit: sed quum omnia, quæ de Genuensium negligentia dicta erant, vana esse cognovissent, neque in suburbano per eam noctem Auria moram traxisset, ne tantum itineris frustra esset confectum, direpta ipsius Auriæ domo, omnes Alexandriam extemplo rediere: neque amplius Genuensis expeditionis tentandæ Gallo oblata est oportunitas: nam postquam Carolus Cæsar in Hispania Auriæ facinus agnovit, haud ignarus quantum antea rebus suis in Italia detrimenti allatum esset ob Genuæ jacturam, urbem rei maritimæ oportunissimam, in discrimen amplius adduci noluit: igitur navibus eo transmittit Hispanorum peditum circiter duo millia, vel ad oræ Ligusticæ (si opus fuerit) defensionem, vel ad augendum Levæ in Insubribus exercitum. Quocirca ipsius Levæ jussu quamprimum Lodovicus Barbianus, qui jamdudum Gallorum manus effugerat, Genuam proficiscitur, ut peditibus Italicarum rerum ignaris præesset: & postquam aliquandiu inter saxa & rupes milites omnium rerum egenos continuit, ægreque illi in villis & montanis oppidulis sine stipendio & pecunia victum sibi parare poterant; neque Genuenses intra urbem illos admitterent, per Apennini saltus in Placentinos profectus, Gallum ac Venetos una cum Sfortianis fefellit: qui jampridem æstate adventante instauratis exercitibus, auctisque tam pedestribus, quam equestribus copiis, in primis Barbiano & Hispanis nuper adductis, iter ad Antonium Levam intercludere nitebantur: sed dum Derthonensem atque Alexandrinum agrum observant, qua venturos existimabant, illi longiore via profecti, per montana loca, quæ Romanæ Ecclesiæ parebant, celeri cursu ad alteram Padi ripam adversus Belgiosum oppidum perveniunt: cumque eo Antonius Leva adductis omnibus copiis Mediolano venisset, nacti ab incolis naves nemine repugnante Padum trajiciunt: venerant autem ex Hispania adeo omnium rerum egeni, neque præter victum quidquam in Liguribus superlucrari valuerant, ut plerique sine calceis, multi absque indusio & lacerna, omnes autem prope seminudi prodirent in publicum; colore etiam & vultu ita squallidi erant, ut fame consumpti viderentur, ac ut verissimo vocabulo *Egeni* ab omnibus nuncuparentur. Neque eorum in urbem adventus minores quam antea reliquorum militum calamitates attulit: nam quum Germani, quibus abunde stipendia ex novis panis vectigalibus pendebantur, eo importunitatis processissent, ut pro libito domos civium ingressi, hic prandium, illic cœnam, sibi parari, nec nisi accepta etiam pecunia abire vellent, occlusis foribus plerique intra privatos parietes delitescebant: neque propterea tuti erant; nam per tecta, per fenestras, trans muros allatis scalis introibant, nihilque proficiebant, qui tantæ insolentiæ ad Antonium Levam deferebant querelam: quin adeo mos hujusmodi invaluerat, ut verteretur in jocum, si in quampiam domum, dum aliquis egrederetur, Germani statim irrumperent.

Postquam autem *Egenorum* multitudo in urbem confluxit, id adjectum est mali, quod per compita & vias interdiu nonnunquam vestimenta civibus detrahebantur per vim, & cum pecuniis crumena auferebatur: quocirca (uti dictum est) plerique ex his, quibus quidpiam adimi poterat, domi occlusi totos dies permanebant, exspectantes, quem finem tam diuturnum bellum aliquando esset habiturum: jam enim Gallus Mortarium per vim receperat, & Philippus Torniellus relicta Novaria Mediolanum se contulerat, neque præter duas Arces quisquam locus Cæsarianis trans Ticinum parebat; Venetique trajecto Abdua cum omnibus copiis Melignanum rursus venerant; ipsi autem Sfortiani, licet numero pauciores, tamen fortitudine & robore præstantes, partim ad Gallum, partim ad Venetos, transiverant, ut in utroque exercitu, quoniam bellum confici sua magis intererat, adversus hostes pugnarent. Verum statim conficiendi belli spes concidit; postquam enim in aciem exercitus prodiit, cognitum est, & Gallum, & Venetos, pauciores militum copias adduxisse, quam sese antea habituros jactaverant. Quamobrem Sfortia admonebat, quando Mediolanum urbem adeo vastam, præsertim novis Hispanis ad Levam auxilio profectis, oppugnare ipsi haud sufficerent, ut divisis copiis Veneti Cassianum, Galli Abbiagrassum, sese reciperent, equitatuque prohiberent quidpiam ad hostes comportari; fieri enim posse, ut civitas parvo temporis spacio ad deditionem cogeretur, quum ob diuturnum bellum in toto agro Mediolanensi nullæ ferme essent segetes, omniaque alia esculenta jamdudum direpta fuissent: sed Gallus, ubi recuperandæ Mediolanensis ditionis facultas non daretur, mandatum à Rege accepisse asserebat, ut rem potissimum Genuensem curaret, & propterea trans Padum redire sibi satius esse, quum Veneti Cassiano, Sfortiani autem Papia & Viglevano, hostem comprimere valerent, ne longius evagaretur. Itaque in castra reversi Duces, confestim Veneti Melignano movent; ipse autem Gallus, qui suos propius urbem admoverat, ad vicum Landrianum, duodecim passuum millibus inter Papiensem & Laudensem viam ab urbe, se contulit: ibique dum impedimenta & machinas bellicas, unaque primam suorum aciem præmittit, & ipse serius discedit cum media & postrema acie. Leva Mediolani per speculatores certior redditus, Gallum præmissa copiarum parte Landriani moram trahere, vocatis ad consilium Ducibus: *Magna*, inquit, *adipiscendæ victoriæ nobis sese offert occasio: Veneti, unaque Sfortiani, sicuti hodie accepi, cum Gallo discordes Melignano abierunt, Gallus autem*

*Landriani substitit: huic ego congredi, si me sequi volueritis, jamdudum animo agito; nec vereor, quin vestris viribus nihil tale opinantem ante opprimam, quam arma expedire, quam aciem dirigere, valeat. Cæterum, si forte prius inde abierit, fugati hostis gloria, simulque ex ultimo agmine nobis præda minime poterit deesse.* Cumque omnes in eandem sententiam transissent, ad arma per totam urbem conclamatur: & in unum coacti omnes, superinduto armis albo indusio, ut per noctem à suis dignoscerentur, Antonium Levam secuti sunt, non sine magna civium admiratione: qui hostes divisis copiis abiisse nescii, non obstupescere non poterant, cum viderent ipsum Levam ob podagram & articularem morbum sella incubantem à quattuor hominibus armatum gestari, memoresque cladis apud Caratum superioribus annis Medici illatæ, existimabant strenuum quidpiam facinus tentari; sed ob numerosiorem, & omnibus rebus magis instructum, hostem, dissimilem exitum sperabant. Constitutis igitur in hunc modum inter spem & metum Mediolanensibus, quum per noctem Cæsariani sine tubarum aut tympanorum sono pedetentim processissent, atque ad duo milliaria vicinos haberent hostes, iterum ab exploratoribus admonitus Leva, illos nondum Landriano abiisse, citatiore gradiens passu prius illos invasit, quam ipsorum adventum persensissent: quare cum vix arripiendorum armorum tempus concederetur, jamque prima acies sub Joanne Thoma Galerato Mediolanensi præmissa abesset longius, neque admonita in tempore reverti posset, reliquum erat Gallo his copiis, quæ secum erant, pugnæ fortunam experiri: maximam autem spem posuerat in Germanis peditibus, quos ad duo millia & quingentos, tum è Germania, tum è Cæsarianorum transfugis antea collegerat, nisi & ipsi fortunam, animosque, cum Domino mutassent: nam in primo congressu perculsi loco cesserunt; & nisi aliquantisper Italorum peditum circiter duo millia Ducibus Hieronymo Castilionensi, & Claudio Rangone Mutinensi, impetum sustinuissent, nemo in toto exercitu erat, qui non statim omnem salutis spem in fuga poneret: sed dum Italis eorum conspectum fugere, quos nuper oppugnatum venerant, summum dedecus videtur, præliatum est parumper æquis animis; mox equitatu & Germanis terga dantibus, Itali pariter pugnæ victoriam hostibus concedunt; ipseque Burbonius, dum frustra præaltam fossam equo transilire nititur, cum Castilionensi, & Rangone, atque aliis quamplurimis, in hostium manus incidit. Atque ita equi, jumenta, vehicula, omnis fere & Gallorum & totius exercitus supellex, machinæque imprimis bellicæ, Cæsarianorum præda fuere: reliqui autem, qui abjectis, aut relictis, impedimentis abiere, cum prope Papiam applicuissent à Picenardi militibus, qui præsidio ibidem inerant, armis atque equis exuti, plus avaritiam in hominibus, jamdudum prædæ assuetis, quam amicitiam, aut fidem, posse perspexerunt.

Per idem fere tempus Novariæ memoria dignum facinus editum est: nam postquam Antonius Leva exploratis hostium viribus cognovisset, sibi ab eorum impetu parum timendum esse, Philippum Torniellum cum trecentis ferme peditibus, parvoque equitatu, Mediolano emiserat ea ratione, ut dum hostes cis Ticinum moram traherent, Torniellus amnem transgressus Novariam, reliquaque ejus agri loca, reciperet: sed quia nullæ naves ad trajiciendum fluvium aderant, lembos duos carris impositos secum adducit; atque ita cum paulatim sui amnem transassent, equique habenis ab iis, qui in lembis erant, deducti, ad alteram ripam incolumes pervenissent, improviso nonnullos Sfortianos pedites, qui arcem quandam circumsederant, aggressus, nihil tale opinantes oppressit: itaque armis impedimentisque spoliatos, capto eorum Duce, abire permisit. Post hæc Novariam ire pergens, per arcem, quæ à Cæsarianis tenebatur, in urbem intromissus, alterum Sfortianorum Ducem cum peditum cohorte coegit ad urbem tradendam: exinde, quia maturæ erant segetes, & coloni Gallis & Sfortianis victoribus bona spe pleni armenta è montibus domum coegerant, emissis militibus properat undique prædam agere: at Præfectus arcis, jam semotis hostibus nihil sibi amplius timendum putans, cum aliquot è suis animi relaxandi gratia per urbem nonnunquam inambulabat, quum captivi quinque, duo scilicet Sfortiani, reliqui Novarienses, custodiæ causa eo adducti, nonnullorum auxilio, qui in arce opus faciebant, arreptis armis & paucis Hispanis, qui intus erant, partim trucidatis, partim in carcerem conjectis, dominatum adsumunt: & quia nondum Gallos profligatos fuisse audiverant, auxilium à suis haud frustra sperabant: nam Sfortia, quamprimum Torniellum Mediolano egressum esse per exploratores cognoverat, Novariam ipsum petere existimans ad suorum tutelam, Joannem Paulum fratrem cum valida peditum atque equitum manu jusserat properare: jamque Viglevanum applicuerat, quum Torniellus audiens Præfectum arce exclusum, nullam moram interponendam ratus eo accurrit, minisque primum propugnatores, nisi portam recluderent, terrere, mox arma expedire, scalasque parare, ac suos ad conscendendum hortari: at Sfortiani, qui intus erant, ob paucitatem diffisi, nihil præterquam de conservanda ipsorum vita pacti demisso ponte Torniellum intro admiserunt: itaque ipsi incolumes reliquis Novariensibus trucidatis validissimam arcem, quam inopinato eventu hosti eripuerant, deserere coacti sunt.

Dum hæc agerentur, jam fama erat, Carolum Cæsarem, post Gallorum apud Neapolim excidium, ingentem triremium atque omnis generis navium numerum parasse, Italiamque decrevisse eo anno petere, ut de more Imperatoriam coronam adsumeret; & idcirco Barcinonæ fœdus cum Clemente Pontifice percusserat, oblitteratisque odiis Medicum familiam, quam Florentini, direpta à Cæsarianis Roma, civitate ejecerant, restituere promiserat. Insuper quietem Italicam sibi jamdudum cordi esse asseverans, nihil pro communi Christianorum pace, simulac in Italiam venisset, prætermissurum pollicebatur: jamque Andreas Auria ipsi obviam cum Genuensium classe in Hispaniam profectus erat: & Galliarum Rex, omnia sibi in bello adversa hactenus contigisse prospiciens, malebat legationibus de rebus suis, quam armis, cum Cæsare agi, sperabatque æquiores conditiones referre, si fœdus ante adventum ipsius in Italiam tractaretur: atque ob id Lodovicam matrem, adhibitis aliquot Regni Consiliariis, in Picardos præmiserat, ut una cum Margareta ipsius Cæsaris amita, quæ jamdudum Flandriæ administrationi præerat, in confinibus utriusque Provinciæ conveniret. Nec difficile admodum fuit, utrinque animis ad concordiam inclinantibus, rem componere, Gallo præsertim Heliodoram, ipsius Cæsaris sororem, viduam in matrimonium ducente, & numerante pro filiorum redemptione aureorum vigesies centena millia. Fama adventus Cæsaris in Italiam increbescente, Franciscus Sfortia, qui profligato exercitu, & capto Francisco Burbonio Duce, nullam amplius in Gallo spem sibi superesse prospiciebat, & sua cum Venetis arma ad Ducatum recuperandum parum esse arbitrabatur, quomodo Cæsari reconciliari posset, in dies animo volvebat; nemoque ad id Pontifice magis idoneus videbatur, tum quod Romanæ Ecclesiæ haud minimum conducebat, Italiam esse pacatam, tum etiam quod, Cæsare in Insubribus occupato, nulla subjugandæ Flo-

Florentinæ Reipublicæ aderat occaſio. Acceſſit inſuper ad movendum Cæſaris animum bellum, quod eo tempore Solimanus Turcarum Imperator adverſus Ferdinandum, ipſius Cæſaris fratrem, tantis viribus gerebat, ut paucis diebus omnem inferiorem Pannoniam, expugnatis arcibus & locis quibuſcunque ejus Provinciæ munitioribus, in poteſtatem redegerit; adeo ut niſi Vienna, civitas magno militum præſidio munita, obſtitiſſet, qui tantos conatus retardaret, in tota Germania obviam habiturus eſſet neminem. Quamobrem Carolus Cæſar, ubi Genuam applicuit, his copiis, quas ſecum navibus advexerat, Placentiam ire perrexit; evocatumque ſtatim ad ſe Antonium Levam, qui poſt captum Franciſcum Burbonium, & profligatos Gallos, adverſus Venetos Caſſiani ſupra Abduam caſtrametatos, exercitum adduxerat, comiter excepit, unaque de rebus Inſubrum collocutus, etſi maxime ejus animus ad pacem Italicam inclinaretur, tamen homini, ſumma cupiditate conficiendi jamdudum cœpti belli inflammato, exercitum adverſus Sfortianos, qui Papiæ inerant, adducere permiſit; propterea quod à Legatis Franciſci eorum Ducis impetrare non potuerat, ut eam civitatem atque Alexandriam ſequeſtro Clemens Pontifex teneret, donec de innocentia Principis cognoſceretur.

Erecta eo tempore mirum in modum omnium erant ſtudia: nam & qui Cæſaris partibus favebant, nihil ipſum in Italia agentem non conficere poſſe ſperabant, & qui Franciſcum Sfortiam cupiebant imperare, tum ob ejus innocentiam Pontifice præſertim interceſſore, tum ob conſervandam Germaniam adverſus ingentes Turcarum vires, Cæſarem neceſſitate adductum iri ad Principem reſtituendum exiſtimabant: haud enim veriſimile erat, adventante jam hieme, totum bellum eo anno confici poſſe; & in proximum differre in tanto Turcarum metu non ſatis tutum videbatur. Non parum etiam movebant tot exercitus nuper ex Germania atque Hiſpania adducti, præter veteranos, qui ob ipſius Cæſaris adventum, non ſolum præſens ſtipendium, ſed præteriti etiam temporis efflagitabant; & facta ſeditione ad quingentorum numerum Mediolanum ingreſſi, cum in urbe circiter viginti dies moram traxiſſent, præter cæteras vexationes ſumptum dedere civibus aureorum pluſquam decem millium. Reliquum igitur erat, rebus compoſitis, Franciſcum Sfortiam in paternum avitumque ſceptrum reſtituere, niſi id è dignitate Cæſarea haud eſſe Antonius Leva aſſeverans, magnis viribus Papiam oppugnare, machinas bellicas & tormenta quamplurima adducere, ſcalas parare, militeſque ad prælium expedire properaſſet: quibus rebus etſi parum movebatur Annibal Picenardus, qui præſidio urbi inerat, tamen quum in ſecundum uſque menſem commeatus intus non ſuppeteret, & emiſſis paulo ante quattuor peditum cohortibus ad ſancti Angeli oppidum, quo ipſe Leva exercitum adducere diſſimulaverat, paucos in urbe contra tantas hoſtium vires haberet, antequam ab hoſtibus oppugnatio fieri cœpta eſſet, de civitate tradenda, accepta militum & rerum ſuarum incolumitate paciſcitur, non ſine maxima adeptæ antea gloriæ imminutione, atque avaritiæ nota, quod metu amittendæ ad eam diem congeſtæ prædæ deditionem fecerit. Sed utcunque ſit, hoc unum detrimenti Picenardus attulit, quod amiſſa Papia graviores poſtea conditiones impoſitæ ſunt: pacis enim conſilia haud propterea adſpernatus Cæſar, antequam Bononiam proficiſceretur, quo Clemens Pontifex ad ipſum excipiendum Roma veniebat, Mercurinum Cattinarium Cardinalem, ſummumque Imperii Cancellarium, Cremonam miſit, ut cum Sfortia de conditionibus reſtituendi Ducatus ageret; moxque Antonium Levam, quem huic cœpto exiſtimabat obſtare, Bononiam ad ſe evocat: atque interea Lodovicum Barbianum Inſubribus præpoſitum eſſe jubet.

Cæterum, ne dum pax tractaretur, milites, qui in Inſubribus hibernabant, nihil agerent, Barbianus Hiſpanos atque Italos pedites, quos ad ſeptem millia ſecum habebat, ad oppidum ſancti Angeli adducit, quod Sfortianorum duæ totidemque peditum Venetorum cohortes præſidio tenebant: ſed poſtquam aliquandiu tormentis & machinis oppugnaſſet mœnia, nactus oportunitatem jugis pluviæ, cum ſclopetariorum ſub dio pro muris dimicantium nullus eſſet uſus, Barbianus ſuos ſcutis innixos gladiis & pilis adverſus hoſtes pugnare, imprimiſque ipſe inter medios verſari, ac ſtrenuos quoſque murum adſcendere hortatur: Sfortiani igitur & Veneti, cum ignitas cordas ob pluviam manibus tenere non poſſent, & idcirco abjectis ſclopis cominus pugnare neceſſe eſſet, fracti animis paulatim hoſti cedere, atque aditum Cæſarianis præbere intra oppidum. Itaque ingreſſi, quos primum habuere obviam, ad unum fere omnes neci dedere; reliquos autem jam mitigatis animis inermes, pecuniiſque ſpoliatos, abire permiſerunt. Hoc ſucceſſu elatus Barbianus, etſi valde cuperet Laudenſem expeditionem aggredi, propterea quod eam civitatem toto in bello tanquam duriſſimam frontem Cæſariani obviam ſemper habuerant, tamen, & hieme jam adventante, & parum ſuppetente militum ſtipendio, ſatius duxit trans Abduam proficiſci, ubi nullis anteacto anno militum hoſpitiis homines vexati commeatu abundabant, quam fruſtra civitatem præſidio & mœnibus munitiſſimam tentare. Jamque Caſſiani ſupra Abduam confecto ponte, & parte copiarum tranſmiſſa, nonnullæ Hiſpanorum cohortes ex iis, qui *Egeni* nuncupabantur, retrocedendi conſilio inito Mediolanum properabant; quum Barbianus audita ſuorum ſeditione ad urbem advolat; & ne cives per vim illos alere, aut quidquam durius pati, cogerentur, quemadmodum paulo ante Leva Papiam oppugnante contigerat, præcipit omnibus, qui per ætatem poſſint, arma caperent. Quare Hiſpani, quibus ſine prælio introire non licebat, retrocedere, ad exercitumque proficiſci quam pugnæ periculum facere, ſatius duxerunt.

Per id tempus Veneti, ne ſoli quietem Italiæ ægre ferre viderentur, de pace cum Carolo Cæſare Bononiæ agere cœperunt. Quocirca Franciſcus Sfortia magis ad pacem accenſus decrevit quoquomodo reſtitutionis conditiones accipere; & allato pro fide incolumitatis diplomate Bononia proficiſcitur: utque primum ad conſpectum Cæſaris acceſſit, verba fecit in hanc ferme ſententiam: *Nihil mihi unquam fuit optatius, dum per tuos, inviсtiſſime Cæſar, licuit, quam ut aliquando daretur occaſio, qua meam erga te obſervantiam & ſtudium demonſtrare poſſem; cognoviſſes enim te nullatenus in immemorem beneficium contuliſſe: ſed quando ſors ita ferebat, ut non ſufficeret tuo me auxilio in paternum Ducatum reſtitutum eſſe, niſi iterum atque iterum victricia tuorum arma contra hoſtem multoties bellum inſtaurantem præſto fuiſſent, gaudebam ſaltem, quod in tantis rerum turbinibus, inclinante nonnunquam ad hoſtes fortuna, animum tamen ſemper eundem ſervaveram; neque hoſtis pollicita, neque cujuſpiam ſtimuli meam erga majeſtatem tui nominis fidem labefactare potuerant. Quod quum ita palam eſſet, ut te nullo modo ignorare exiſtimarem, fieri poſſe non putabam, ut quum tanta fidei in me documenta perſpexiſſes, in ſuſpicionem læſi Romani Imperii apud te inciderem. Sed quoniam in non obſcura multorum æmulatione tibi neceſſe erat interdum conſiliis tuorum, quibus immitiora conſilia magis placebant, aures adhibere, ipſe caſum meum potius ſemper dolui, quod per locorum diſtantiam cauſam meam juſtiſſimam apud te probare non poſſem, quam tuam in me (etiam cum tuorum armis acerrime obſidebar) aſperitatem, aut inclementiam, unquam*

*accusavi: quin etiam speravi omni tempore, non modo tot calamitatibus Italiæ, sed meæ etiam expulsioni, nullum ab alio quam à te salutarius remedium afferri posse; itaque adventum tuum votis exposcebam: in animum enim induxeram, quando te absente incognita causa fueram damnatus, nunc te judice in Italia exsistente innocentiam meam ab invidorum calumniis tutam fore.* Atque hæc cum dixisset Sfortia, reddito statim Cæsari diplomate, nulli rei se magis confidere quam benignitati clementiæque ipsius asseruit. Quocirca Cæsar pro re pauca respondit, amplexatusque Principem bono jussit esse animo; postmodumque Pontificis & Mercurini Cardinalis opera constitutis de restitutione conditionibus, Sfortiæ necesse fuit præter ea, quæ Purpuratis ipsius Imperatoris dono dedit, summam aureorum noningentorum millium ipsi Cæsari polliceri; è quibus primo anno, qui erat à partu Virginis trigesimus supra millesimum & quingentesimum, atque hujusce belli decimus, quadringenta millia, reliqua æquis pensionibus in annos decem numerare teneretur.

Cognita Francisci Sfortiæ restitutione, Hispani iterum, jam Ludovico Barbiano ex acuta febre Mediolani vita functo, seditione facta, urbem hostiliter minantur ingredi, nisi emerita jamdudum stipendia sibi à civibus pendantur. Quamobrem Mediolanenses converso in mœrorem gaudio, quod ob restitutum Principem suum conceperant, Legatos ad Cæsarem mittunt, obsecrantes, ut, jam firmatis cum Francisco ipsorum Duce pacis conditionibus, miserrimam civitatem ad superiores sumptus & ærumnas, quibus plus æquo jamdudum vexata fuit, redire non sinat; & propterea, si quæ militibus restant exsolvenda stipendia, ea ex privatis Mediolanensium pecuniis, quæ jampridem exhaustæ sunt, nequaquam erogari debere. Quod cum Cæsar æquum esse asseruisset, ut eo metu civitatem liberaret, militum partem exauctoratam in patriam redire jussit, reliquos autem traduxit ad Florentiam obsidendam; neque in Insubribus quemquam remanere permisit; præter illos, qui Comi & in arce Mediolanensi custodiæ præfecti erant, utrumque enim locum in pacis conditionibus tanquam pignus pecuniæ primo anno promissæ sibi reservaverat. Quamobrem Franciscus Sfortia, acceptis à Carolo Imperatore justis Ducatus Mediolanensis titulis, Alexandrum Bentivolum vices ipsius gerentem, Jacobum Philippum Saccum senatus præsidem, cæterosque Magistratus, Mediolanum ad suscipiendam Imperii administrationem mittit: qui statim vocatis urbanarum rerum præfectis, ut tam ingens pecuniarum summa exigeretur, vectigalia primum omnia duplicarunt; mox, cum ob populi paucitatem ea minime sufficerent, ne tanti oneris quisquam immunis esset, decretum est, ut in singulos farinæ triticeæ medimnos aureus nummus tertia parte adjecta, parumque plus ejus dimidio in parem siliginis & milii mensuram, at in unamquamque vini metretam asses æris viginti tantum exsolverentur. Cæteris quoque in civitatibus & locis Mediolanensis ditionis præter consueta vectigalia par tributum, licet alia, atque alia ratione, impositum est. Atque hæc quamquam gravissima essent, præsertim populis tam diu atrocissimo bello, fame, ac peste vexatis, tamen tanta animi moderatione antea Franciscus Sfortia imperaverat, ut eo restituto omnes in meliorem vivendi spem erecti sint.

# FINIS.

# CAROLI A BASILICAPETRI,

## *EPISCOPI NOVARIENSIS,*

DE

# METROPOLI MEDIOLANENSI

*LIBELLUS.*

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO,

# D. D. CO. FEDERICO BORROMAEO

## S. R. E. CARDINALI,

## AC MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPO,

## AVGVSTINVS TRADATVS

*Bibliopola*

S. P. D.

DISSERTATIONEM *de Metropoli Mediolanensi* superioribus annis non tam publice editam, quam ad instructionem, ut accepi, caussæ cujusdam impressam, à multis conquiri audieram; cum minime jam exempla invenirentur, cumque eam à Reverendiss. Carolo à Basilicapetri Episcopo Novariensi olim conscriptam fuisse cognovissem, dum in numero Clericorum Regularium S. Pauli viveret, accepissemque à doctis viris libello ejusmodi dignitatem Metropolis Mediolanensis, antiquitatem multarum urbium, & Ecclesiarum ejusdem provinciæ, tum alia ad jus Metropoliticum in universum spectantia, magno labore, eruditioneque, tum vero paucis chartis contineri; commodum illius arte mea multis comparare cupiens, eum tandem à doctissimo J. C. Hieronymo à Basilicapetri obtinui, & quidem, ut is affirmavit, ab ipso auctore antea emendatum, melioremque redditum. Tibi autem, Cardinalis amplissime, omnino dedicandum putavi: nam etsi tenuitas mea dissuaderet, materia tamen libri maxime suadebat; tum ea cogitatio, quo loco, & quo pretio Reverendiss. Auctor apud te haberetur. Accipe igitur, Præsul amplissime, pignus hoc reverentiæ erga te meæ animo quo soles gratissimo, meque tibi addictissimum in tuam fidem ac tutelam suscipere ne graveris. Vale.

---

## Summa eorum, quæ in Libello de Metropoli Mediolanensi continentur.

# CAROLI A BASILICAPETRI,
## *EPISCOPI NOVARIENSIS,*
## DE
# METROPOLI MEDIOLANENSI
## *LIBELLUS.*

Dicturi de Metropoli Mediolanensi, originem prius ac veterem statum regionis, civitatumque ipsius ante Christum natum repetemus; ea tantum commemorantes, quæ aliquid earum dignitatis, aut excellentiæ demonstrent. Ad salutis deinde tempora veniemus. Erit hoc quasi de stipite silvestri agere; ut ad arborem ipsam postea domesticis ac fructuosis ramis insitis cohonestatam veniamus. Monemus autem ante omnia; ne quis à nobis tralatitia quædam, vel fabulosa urbium initia exspectet, quæ multi scriptis suis tradidere. Scribit Livius, datam esse hanc veniam antiquitati, ut humanis divina miscendo primordia urbium augustiora faceret; & origines suas consecrans, ad Deos referret auctores: quod magni judicii vir minime probare videtur; poeticisque dicit ea esse magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis. Sed neque omnino improbat, ut Martem ipse quoque populi Romani, de quo scribit, auctorem faciat. Nostri, qui divino munere illustrati, Deorum commenta, fabulasque rejiciunt, levitatem tamen Veterum illorum imitantur: ac vel ad gentium fabulosos heroas, seu Deos, vel ad ipsos Noe filios, patriæ originem unusquisque nititur referre; idque ea plerumque asseveratione, eoque conatu, ut si res narraret plane compertas: quæ tamen, cum neque verisimilia sint, neque ab hominibus eruditis, aliquove allato probato testimonio dicantur, omittenda sunt, ut ne refelli quidem possint sine levitatis, aut ineptiæ culpa. Nolumus etiam ea curiose indagare, quæ nonnulli majore quidem doctrina, sed non majore fortasse veritate, pro hujusmodi originibus ex dubiis auctoribus & argumentis in medium afferunt. Laudandum in iis ingenium, sed simplex tamen veritas potius est amplectenda; hoc præsertim loco, ubi præcipua tantum, ac certa harum rerum testimonia nobis sumenda sunt.

I. Igitur gravissimi auctores Mediolani, & reliquarum fere urbium totius regionis, originem referunt ad Gallos, qui Tarquinio Romanorum Rege in Italiam trajecerunt. Sed iidem indicant, antequam Galli advenirent, & populos & urbes in hac Italiæ parte fuisse: neque vero existimari potest, fertilissimam regionem, humanitateque semper celeberrimam, tum desertam fuisse, cum Gallia & Germania multitudinem hominum suorum capere vix posset. Itaque Polybius *lib.* II. Tyrrhenos scribit hanc regionem primo tenuisse: Gallos vero ejus fertilitate pellectos, exercitu comparato, in Tyrrhenos impetum fecisse, campos occupasse: campos ipse, hanc Italiæ partem inter Apenninum & Alpes, omnis Europæ maximos atque uberrimos appellat, forma quasi triangulari: quorum copiam atque ubertatem, tum hominum proceritatem multis describit. Livius *lib.* III. Tuscos ait ad inferum, superumque mare longe, lateque imperasse: omnia etiam loca inter Apenninum & Alpes, excepto Venetorum angulo, tenuisse: cum urbes duodecim intra Apenninum haberent, totidem trans eum colonias misisse. Tusci igitur imperabant in hac regione; & quidem, ut intelligendum est, regionis ipsius populis: populos ejusmodi ante Gallos Livius ipse memorat, Insubres, Levos, Libuos: pro duobus autem postremis putatur Polybius dixisse Laos, & Lebecios; quos propius Alpes collocat, quam Insubres. Sed Livius Levos quidem circa Ticinum amnem incoluisse ostendit, ut facile cum Polybio consentiat: Libuos vero eam partem, ubi Brixia est: ac Plinius *lib.* III. *c.* XVII. videri potest cum Polybio consentire, dum Vercellas oppidum Libycorum dicit. Idem vero Plinius plures prodit regionis populos: de quibus tamen singulis, Galli ne fuerint, an Itali, non satis clare affirmat: Sallyos, Libycos, Vertacomacoros, Levos, & Maricos, quos Ligures dicit, Orobiosque. Mitto populos Alpinos, & etiam Ligures, quamquam hi potissimum ad mare inferum incoluerunt. Fuerunt igitur ante Gallos hujus regionis populi, & urbes; quarum historia tamen nulla est: nam rerum Romanarum scriptores nostra fere non attigerunt; nisi quantum necesse fuit propter bella, quæ cum Romanis postea gessere Galli: atque ita vel urbium ipsarum initia ab ipsis tantummodo Gallis duxerunt; à quibus verisimile tamen est, oppida aliqua fuisse condita, vel aucta; nomina etiam mutata, ut suorum memoriam renovarent. Mediolanum à Gallis conditum dicit Livius, ab Insubribus Plinius: qui tamen non satis explicat ab Insubribus ne Italis urbs condita sit, qui priores Gallis locum tenuere, an à Gallis Ceduis, quorum pagum ait Livius Insubribus nostris fuisse cognominem: sed si Catonis fragmenta, quæ habentur, apud nos valeant; tum Tuscos, tum Italos Insubres auctores esse urbis, quod alioqui etiam valde probabile est, affirmabimus, non autem Gallos. Vercellas quoque, Novariam, & Ticinum idem auctor, quemadmodum & Plinius, ad antiquiores populos refert: item Comum ac Bergomum; si ita interpretandum sit quod ait, stirpis hæc duo oppida fuisse Orobiorum.

II. Verum quidquid sit, ut ad Gallorum tempora veniamus; Prisco Tarquinio Romæ regnante, hoc est, anno ab Urbe condita circiter centesimo quinquagesimo, ante Christum natum ad sexcentesimum, Livius ait, Ambigatum Celtarum Regem, quæ pars Galliæ tertia est, regnum suum, quod præ hominum multitudine vix administrare poterat, exonerare voluisse: ideo Bellovesum ac Sigovesum, sororis filios, impigros juvenes delegisse; qui populis sibi, quos vellent, & quo numero vellent, adjunctis, alias sibi quærerent se-

des; Bellovesо sorte obtigisse, ut in Italiam iret; atque cum Biturigibus, Arvernis, Senonibus, Æduis, Ambarris, Carnutibus, Aulercis, Alpes Taurino saltu superasse; Tuscos haud procul Ticino flumiue acie fudisse; in agro Insubrium consedisse; Mediolanum condidisse: alias urbes ab illis ædificatas Livius non commemorat; tantum, Germanos (alii Cænomanos legunt) Elitovio Duce itidem Alpes transgressos constitisse in Libuis; ubi, inquit, nunc Brixia, & Verona est; Salvios quoque secutos, antiquam gentem Levos Ligures, circa Ticinum incolentes, expulisse: Bojos deinde, Lingones, Senones advenisse: omnia denique inter Apenninum & Alpes occupasse. Justinus *lib.* xx. ad fin. ab Gallis non Mediolanum solum, sed Comum etiam, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vicentiam, Tuscis pulsis, conditas esse, ex Trogo Pompejo memoriæ prodidit. Paulus Diaconus etiam Ticinum urbem ab eis conditam scribit; quanquam ut homo, qui multis post sæculis scripsit, in eo errare videatur, ut pro Belloveso, eorum Gallorum Duce, qui in Italiam venerunt, Brennum nominet, eorum Ducem, qui Romam ceperunt. Cum igitur Galli hanc totam Italiæ partem occupaverint, suasque in ea sedes posuerint; & universa dicta est Gallia Cisalpina, seu citerior; & ejus partes, veteribus fere nominibus omissis, Gallica nomina receperunt. Regionem, & quæ gentes in ea essent, ita distinguit Polybius: inter Padum & Alpes, quæ pars appellata est Transpadana, primo collocat Laos, qui Levi putantur; mox Lebecios, deinde Insubres, post eos vero Cænomanos: loca mari Adriatico vicina Venetis relinquens. In altera parte, quæ est inter Padum & Apenninum, primo ponit Ananes, postea Bojos, inde Eganes, postremo juxta mare Adriaticum, Senones: tot nationes, tum indigenæ, tum Gallicæ, in has tantum ex Polybii sententia evasere: sed hæ ipsæ ad quattuor fere, quantum ex veteribus historiis apparet, postea redactæ sunt, seu in eas transfusæ, Senones, Bojos, Cænomanos, Insubres, ex quibus Insubrum tantummodo nomen ex veteribus Italis mansit. Quid autem ipsis populis antiquis factum sit, dubium videri potest. Sed credibilius est, mansisse, & una cum Barbaris habitasse, sicuti postea de Longobardis evenit: nimirum ob ejus fertilitatem hæc fuit Italiæ conditio; ut exteri locorum commoditate capti, in eam sese, suis relictis sedibus, inferrent: ipsa exteros quidem subjugaret, sed suas nollet mutare sedes: ac tanta est cæli clementia, & regionis, ut ita dicam, humanitas, ut illatam barbariem semper temperaret, & ad humanitatem paulatim perduceret: quamquam & illud in eo genere profuit, quod magna ex parte barbaræ gentes postea bello victæ, etiam pulsæ, & ejectæ sunt. Tuscorum tamen multitudo, ut Trogus, Liviusque docent, non mansit; sed Gallos fugiens Duce Rhæto Alpes petiit, unde Rhæti exstiterunt: qui contra locis ipsis Alpinis, ut ait Livius, efferati, linguæ sonum tantummodo, eumque non incorruptum, retinuerunt; eorum metropolis nunc Curia est trans Alpes sita.

III. Ducentis prope annis Galli Romanos acerrimis, periculosissimisque bellis fatigarunt. Primo subjugati fuere Senones anno ab Urbe condita quadringentesimo septuagesimo*; ad quos nostræ metropolis jus postea pervenisse non reperio: nam & ea pars statim usque ad Rubiconem Italiæ adjuncta est, Galliæque adempta. Boji deinde superati sunt anno quingentesimo vigesimo octavo, & ad deditionem compulsi: demum autem Insubres; nam Cænomani, legationibus Romanorum deliniti, amicitiam Pop. Romani, ut Polybius ait, societati Gallorum prætulerunt. Insubrum ingentem nationem idem auctor appellat, ac re ipsa demonstrat: scribit enim, cum Galli reliqui, vel à Romanis jam victi essent, vel eorum socii effecti, Principes Insubrum cum Romanis decernere statuisse; & signis aureis quibusdam è templo Minervæ sublatis, quinquaginta hominum millia adversus Romanos, immo & contra Gallorum partem, profectos fuisse: victos bellum redintegrasse, conductis è Transalpinis regionibus Gessatarum triginta millibus. Consules autem Romani cum exercitu in Galliam profecti, urbem Gallorum Acerras oppugnarunt; eam Gaudentius Merula putat fuisse, quæ nunc nobilis est vicus in diœcesi Novariensi ultra Ticinum amnem, & Ceredanum dicitur; Tristanus vero in Padi ripa urbem fuisse putat. Insubres contra ad Clastidium oppugnandum, quod non multo ante in potestatem Romanorum venerat, sese contulerunt. Marcellus consul, collega ad Acerras relicto, ad liberandum Clastidium profectus, eos Virdumaro Rege interfecto superavit: deinde Mediolanum cepit anno ab Urbe condita quingentesimo trigesimo primo†: Polybius, Plutarchus, Zonaras, & alii auctores. Insubriam, Sigonius observat, à Ticino ad Ollium flumen, item ab Alpibus ad Padum pertingere: Acerras quoque, & Novariam ultra Ticinum; item ultra Padum tenuisse Clastidium videtur; sed est etiam verisimile pro bellorum varietate, has gentes suos fines nonnihil varios habuisse. Præcipuam vero Insubrum civitatem Mediolanum, & Polybius idem appellat, & ratio hujus postremi belli demonstrat. Polybium secutus Strabo *lib.* v. in *descript. Ital.* Mediolanum fuisse dicit Insubrum Metropolim; & pagum tamen, quod Insubres primo per pagos habitarent: in quo significasse videtur, quæ Polybius scribit de moribus Gallorum, quos tamen satis cito moderatos Italiæ humanitate fuisse, dubium non videtur. Suo vero tempore, hoc est, paulo ante Christum natum, Mediolanum insignem dicit fuisse urbem, ἀξιόλογον πόλιν. Plutarchi verba victoriam Marcelli narrantis hæc sunt, Latine reddita, in *Vita Marcelli*: *Hostibus magna ex parte cæsis, lectisque spoliis, revertitur ad collegam, cui res adversus Gallos bellum gerenti ad urbem Galliæ maximam & frequentissimam (Mediolanum vocant) male cedebat: hanc Galli Cisalpini pro capite habent.* Ita Plutarchus: pro *capite* Græca nomen habent *Metropolis*: hæc sunt Græca verba, πόλιν μεγίστην καὶ πολυανθρωποτάτην ..... μητρόπολιν.

Porro ex Plutarcho, aliisque perspicitur, quosdam ex nostris non omnino male scripsisse, quodam tempore Mediolano Reges fuisse: ac splendidissimum quidem, auroque & argento ornatissimum, Regem Virdumarum eodem loco Plutarchus describit. Post Marcelli victoriam, Gallia Cisalpina Provincia facta est; missique deinceps cum imperio, qui eam regerent**: quamquam multis etiam post annis, varios magnosque tumultus Galli excitarunt; ac Annibalem in Italiam transgressum contra Romanos ita adjuvarunt; ut eorum exercitum ad Ticinum amnem præclara is victoria fuderit. De civitatibus Galliæ, quæ præter quarumdam superius tactam originem memorari possint, quantum equidem pro argumento proposito reperi, hæc fere sunt, quæ sequuntur: ac quamvis totius fere Galliæ & Liguriæ urbes (utimur nunc antiquis nominibus) ad Mediolanensem Metropolim ex narratis pertinuisse videantur, non omnes tamen subtiliter persequar; sed eas præcipue, quas aliis argumentis in Metropoli contentas esse postea demonstrabo. Ultra eam, quæ Bojorum fuit, regionem, non videtur Metropolis jus esse perductum. In hac vero, quæ etiam Galliæ Togatæ nomen habuit, hæ fuerunt civitates, Bononia,

* Sigonius in *Fast.* ann. 479.

† Idem lib. 1. *de ant. jure Ital.* cap. 24. ** Idem *loco citato.*

nia, Mutina, Parma, Placentia, Cremona, Coloniæ, variis temporibus à Romanis deductæ, vel præsidio contra Gallos, vel ut in loca de Gallis capta Romana gens propagaretur: de quibus nihil fere insigne suppetit, quod ex antiquitate referatur; nisi Placentiam & Cremonam illustres urbes à Strabone appellari, Mutinam à Cicerone in *Philipp.* dici præsidium ac propugnaculum Pop. Rom. aliæ urbes fori nomine sunt appellatæ, quod sedes juris dicendi, vel nundinationis, ibi à Romanis constituta esset. Forum fuit Regium Lepidi, & Cornelii, quæ urbs deinde Imola dicta est: de Faventia, aliisque nonnullis ejusdem regionis, nihil habeo quod proferam; urbes nonnullæ periere, ut Brixillum: loca post Placentiam, quibus locis Polybius Ananes videtur collocare, Plinius & alii Liguribus tribuunt; urbesque memorant, Dertonem, seu Dertonam, Astam, Aquas Statiellorum, Albam Pompejam. Dertonem insignem urbem appellat Strabo. Casale & Alexandria novæ urbes sunt. Sed trans Apenninum, eorumdem Ligurum urbes fuere; quoniam & ea pars quoque, ut apparebit, ad propositum spectat; Genua, quam Ligurum emporium dicit Strabo, Albium, Intemelium, Albium Ingaunum, Vadum Sabatium memorat Plinius, aliique. Briniates meminit Livius: Briniatum oppidum postremo Episcopum habuit. Neque Alpinos populos & earum urbes omittere debemus: in Salassis Augustam Prætoriam, aliam Taurinorum Augustam, quas Plinius colonias dicit, *lib.* III. *c.* XVII. Eporediam à Cæsare coloniam deductam contra Salassos Strabo ait *lib.* IV. Plinius vero *lib.* XVII. Sibyllinis libris à Populo Romano condi jussam: firmissima tamen Transpadanæ regionis municipia Tacitus appellat lib. III. *Annal.* Mediolanum, Novariam, Eporediam, & Vercellas. Ticinum Strabo & Tacitus simpliciter memorant. Comum, quoniam ad Insubres redimus, prius oppidum fuisse mediocre Strabo ait; à Pompejo magni patre postea instauratum; deinde à C. Scipione, colonis adductis, auctum; à Cæsare demum nobilitatum, & Novocomum dictum. Laudem Pompejam coloniam putat Sigonius, lib. III. c. II. *de ant. jure Italiæ*, conjectura ex nomine ducta; licet à Bojis ædificatam Plinius narret; qui quidem optandum esset, ut clariora, certiorave de hujusmodi antiquitatibus attulisset: ad Pompejum vero, Cn. patrem, nomen videtur referendum, qui alias deduxit colonias. Idem vero Plinius Comum, Bergomumque dicit Orobiorum stirpem; ac Licinoforum quoque, & Barram, quæ duo oppida perierunt: quorum, quæ nunc sint vestigia, alii disputant. Cremæ nuper Episcopus datus est, licet alteri Metropoli assignatus. Brixiam, ut quasi circuitu quodam ad eos veniamus, dixit Livius *lib.* XXXII. fol. 259. Cænomanorum caput; Veronam urbem magnam Strabo; Gallia provincia facta, nihil reperimus; quamobrem Mediolanensis metropolis conditionem esse mutatam judicemus, annorum fere ducentorum spatio usque ad Imperatores; neque etiam postea, ut demonstrabitur: plura vero sunt indicia, præstantiam ejus, quæ potuit in tali statu servari, perseverasse. Conventus ab eis, qui provinciam obtinerent, ibi actos, jusque dictum, Prætoresque, ac Proconsules ibi resedisse, & est verisimile ex conditione urbis, & Sigonius scripsit in iis, quos *de antiquo jure & de regno Italiæ* conscripsit, libris: vid. cap. XXVI. lib. I.

Cajum certe Cæsarem, credibile est, etiam opportunitate Transalpinæ Galliæ regendæ, quemadmodum & posteris temporibus Imperatores, ibi conventus eos egisse, *lib.* I. in fin. ad quos, ut ipse scribit *lib.* VI. in fin. citra Alpes veniebat: quam ad rem aliquo modo facit, quod de ejus magna modestia Mediolani adhibita Plutarchus narrat, cum apud Valerium Leonem cœnasset. Ac Proconsulem hic moratum fuisse, jusque dixisse, Suetonius *De claris Rhetor.* ostendit, de C. Albutio Silo Novariensi rhetore agens: *In cognitione cædis*, inquit, *Mediolani, apud Lucium Pisonem Proconsulem, defendens reum, cum cohiberent lictores* * *nimias laudantium voces, ita excanduisset, ut & deplorato Italiæ statu, quasi iterum in formam provinciæ redigeretur: Marcum insuper Brutum, cujus statua in conspectu erat, invocaret, legum ac libertatis auctorem, ac vindicem; pene pœnas luit.* Bruto posita videtur statua, cum Galliam magna cum virtutis laude antea administrasset: eam Plutarchus † statuam æream fuisse ait affabre factam: quam Cæsar Augustus, postea cum Mediolani vidisset, præteriit: mox subsistens vocavit Magistratus, fractam sibi fidem questus est, Mediolanenses hostem suum apud se habere: negabant illi, vicissimque admirantes, sese intuebantur; conversus Cæsar ad statuam; *Nonne hic stat*, inquit, *hostis noster.* Obmutuere illi: at Cæsar arridens, eos laudavit; quod amicis etiam in adversis rebus fidem suam præstarent, jussitque ne statua suo loco moveretur.

IV. Hic agendum erat, quoniam ad salutis tempora ventum est, de hujus Metropoliticæ urbis ecclesiastica dignitate; sed cum de iis ornamentis agere cœperimus, quæ ab Imperatoribus ad conservationem excellentiæ suæ habuit, prosequemur alia quasi præcurrentes, quæ in hoc genere præcipua nobis occurrunt, deinde ad ecclesiæ initia revertemur. Imperatores ergo Augusti morem secuti sunt; quem Suetonius in *ejus Vita* cap. XX. scribit ob quædam Transalpina bella, ut vel interveniret, vel non longe abesset, Ravennam, aut Mediolanum, aut Aquilejam venisse: & ut quæque pars erat provinciæ, unde bellum oriebatur, commodior, ita in ea parte, quæ amplissima urbs, & Imperatoriæ Majestati magis apta videbatur, eligebant, in qua commorarentur, & bellica negotia tractarent. Omnino Mediolani multum fuisse Imperatores, regiisque ornamentis decoratam fuisse urbem, & ita suam retinuisse in tota regione præstantiam, certissimis demonstratur argumentis. Mittamus quod Blondus generatim ait in *Lombard.* post Marcelli triumphum, urbem Mediolanum adeo pacatam, florentemque, ut Nerva, Trajanus, Adrianus, & alii deinceps Rom. Principes, quoad per occupationes licuit, Mediolani habitaverint: nosque attingamus singula; gravia tamen, non enim placet historicorum loca quasi mendicare, quibus appareat, aliquem ex Imperatoribus Mediolani fuisse, aut etiam ex ea ortum esse: illud fortasse non prætermittendum, uxorem Severi, nondum tamen Imperatoris, Juliam filium Getam Mediolani peperisse, ut Spartianus auctor est: non enim casu locus eligitur, ubi Principum virorum uxores pariant. Illud etiam ad rem videtur pertinere, quod scribit Orosius *lib.* VII. *c.* XXII. Gallienum, cum Rep. deserta Mediolani libidinibus inserviret, occisum esse: licet alii circa Mediolanum occisum scripserint. Illud item, post ejus mortem, Aureolum Imper. appellatum Mediolani consedisse. Sed multo illustrius, quod Mamertinus in *Genethliaco Maximiani* scribit, de utroque Imp. Diocletiano & Maximiano loquens, cum Mediolanum trajectis Alpibus venere: *Quale*, inquit, *pietas vestra spectaculum dedit, cum in Mediolanensi palatio admissis, qui sacros vultus adoraturi erant, conspecti estis ambo, & consuetudinem simplicis venerationis geminato numine repente turbastis? Nemo ordinem numinum solita secutus est disciplina, omnes adorandi mora restiterunt, duplicato pietatis officio contumaces. Atque hæc quidem velut interioribus sacrariis operta veneratio eorum modo animos obstupefecerat, quibus aditum vestri dabant ordines di-*

* In *Comparat. Dionis cum Bruto.* † Alii legunt, *cohibente lictore.*

*gnitatis: ut vero limine egressi per mediam urbem simul vehebamini, tecta ipsa se (ut audio) pene commoverunt, omnibus viris, fœminis, parvulis, senibus, aut per fores in publicum proruentibus, aut per superiora ædium limina imminentibus, clamare omnes præ gaudio, jam sine metu vestri, & palam manu demonstrare, Vides Dioclecianum, Maximianumque? vides? ambo sunt, pariter sunt.* Et paulo infra: *Ipsa etiam gentium domina Roma, immodico propinquitatis vestræ elata gaudio, vosque è speculis suorum montium prospicere conata, quo se vultibus vestris propius expleret, ad intuendum cominus, quantum potuit, accessit: lumina siquidem Senatus sui misit, beatissimæ illi per eos dies Mediolanensium civitati, similitudinem majestatis suæ libenter impertiens; ut ibi tunc esse sedes Imperii videretur, quo uterque venerat Imperator.* Hæc Mamertinus. Sed ea lætitia versa est in luctum Mediolanensibus, piisque omnibus, cum sævissimi Principes cœperunt Christianos ubique persequi. Traditur Maximianus regia multa monimenta Mediolani reliquisse, quippe qui etiam Mediolanensis à quibusdam * dicatur: imperium certe ibi deposuit; ac etiam cum Massiliæ jussu Constantini strangulatus esset, (Sigon. *de Imp. Occid.* lib. II. p. 309.) ejus cadaver Mediolanum delatum est; de cujus sepulchro S. Ambrosius commemorat in *epistola* XXXIV. *ad Theodosium.* Delegit eandem urbem Constantinus, in qua sororis Constantiæ nuptias celebraret, quam Licinio in matrimonium collocavit, ut Zosimus *lib.* II. scribit: quam quidem regiam celebritatem vere lætam ac jucundam Mediolanensibus effecit Constantini pietas.

Sed jam pene supervacaneum videtur afferre plura; ut Imperatores demonstremus Mediolani, tamquam in primaria atque amplissima civitate, frequenter ac diu moratos esse, regiasque celebritates egisse: nam de reliquis etiam Imperatoribus perfacile est idem ostendere; Constante & Constantio filiis, Juliano, Valentiniano seniore ac juniore, Gratiano, Theodosio, Honorio: quemadmodum ex Ammiano Marcellino, & S. Ambrosio, aliisque scriptoribus passim unusquisque potest facile cognoscere. Ædificia publica regio splendore ibi posita idem plane demonstrant. Palatium Imperatoris jam prodidit Mamertinus: adjungas licet Ammianum, *lib.* XV. & XVI. qui Constantii res gestas narrans, & eum ipsos annos Mediolani habitasse ostendit, & regiæ mentionem facit, in qua ille morabatur: ibi etiam Julianum Cæsarem fecisse, & ei Helenam sororem in matrimonium dedisse; unde etiam in Germaniam abeuntem Constantius ipse comitatus est usque ad locum duabus columnis insignem, qui Laumellum interjacebat, & Ticinum: qui quidem locus nunc nullus est. Palatium regium à Trajano factum quidam meminerunt: utcumque sit, ante Maximianum fuisse Mamertinus ostendit. Verum paucis Ausonii poetæ versibus, qui Gratiani præceptor fuit, & vir consularis, narrationem hanc concludemus; qui *de claris orbis totius Urbibus* commemorans, post Romam, Carthaginem, Constantinopolim, Antiochiam, Alexandriamque, sextam quidem homo Gallus Trevirensem ponit, Mediolanensem vero septimam: de qua honorificentius non videtur fere dicere potuisse: ac satis erat, primo versu omnia Mediolani esse mirabilia dixisse: & ultimo, omnia excellere, ita ut Romæ non cederet; sed enumerat multa tamen his verbis:

*Et Mediolani mira omnia; copia rerum;*
*Innumeræ cultæque domus; facunda virorum*
*Ingenia; antiqui mores; tum duplice muro*
*Amplificata loci species; populique voluptas*
*Circus; & inclusi moles cuneata theatri:*
*Templa; palatinæque arces; opulensque Moneta;*
*Et Regio Herculei celebris sub honore lavacri;*
*Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis:*
*Mœniaque in valli formam circumdata limbo.*
*Omnia quæ magnis operum velut æmula formis*
*Excellunt; nec juncta premit vicinia Romæ.*

Quorum quidem monumentorum, temporis & hostium injuria consumptorum, quædam vestigia adhuc manent: nam locus est, ubi ad Palatium dicitur, ubi ædes est magna S. Georgii nomine dicata: alius, ubi ad Monetam, ubi ecclesia est S. Matthæi; alius ad Circum, ubi S. Mariæ; alius ad Theatrum, ubi S. Victoris ecclesia est. Verum de his satis, si pauca posteriorum scriptorum testimonia addiderimus; & primo Gelasii Pontificis, circiter ann. fere quingentesimum; qui in *epistola* XI. *ad Dardanos*, Imperatores Mediolani habitasse, ac sedem habuisse obiter affirmat: *Numquid apud Ravennam*, inquit, *apud Mediolanum, Sirmium, apud Treviros multis temporibus non constitit Imperator? numquid harum urbium sacerdotes ultra mensuram, sibimet antiquitus deputatam, quippiam suis dignitatibus usurparunt?* Jornandes Gotthorum Episcopus, qui vixit sub Justiniano Imper. hoc est, circa annum Dom. quingentesimum sexagesimum, de Hunnis loquens: *Mediolanum*, inquit, *Liguriæ metropolim, & quondam regiam urbem, pari tenore devastant; nec non & Ticinum æquali sorte dejiciunt.* Quid autem Liguria tum contineret, postea apparebit. Procopius, ejusdem temporis gravissimus scriptor Græcus; *Prima*, inquit lib. II. *inter Occidentis urbes post Romam esse hæc civitas* (Mediolanum) *creditur; & facile ceteras anteire, ut magnitudine, ita & hominum copia, reliquisque item fortunæ bonis.* Ac inferius eadem repetens, addit: *Adversus Germanos & Barbaros alios propugnaculum est; &, ut ita dixerim, pro obice totius Imperii Romani exposita.* Idem vero tradit inferius, ut urbis magnitudinem agnoscamus, cum à Gotthis capta est, in ea virorum tercenta millia fuisse trucidata: quo in numero mendum suspicatus, Sigonium tamen eadem referentem legi. Nunc ad Ecclesiæ initia redeamus.

V. S. Barnabam huc sacrosanctum Euangelium attulisse, plures sunt auctores; non ii tamen omnes, de quibus ex nostris quidam, & Petrus quoque Galesinus in *Notationibus ad Martyrologium*, affirmarunt: sed scripsit id Dorotheus, Episcopus Tyri, Græcus auctor, in *Synopsi*, item Hippolytus Martyr, ut refert in *Notationibus Martyrologii Romani* doctissimus atque optimus Baronius meus: post hos autem antiquos auctores plures alii scripsere, Blondus in *Lombard.* Sigonius *de regno Ital.* Baronius idem in *Annalibus:* præterea traditum est à majoribus, mandatumque litteris, non solum in Mediolanensi, sed in aliis quoque provinciæ ecclesiis, Brixiensi, Bergomensi, Taurinensi, confirmantque templa in ipsis urbibus & aliis regionis locis eidem dicata; tum mons etiam S. Barnabæ prope Alpes, de quo Bonaventura Castilioneus *de antiq. Insubrum sede.* Immo etiam, quod argumentum haberi debet admodum grave, in Albingaunensis Ecclesiæ libro veteri manuscripto, die undecima Junii, hujus Apostoli proprium officium, pluresque hymni habentur; quibus continetur, totam etiam regionem illam Ligusticam ab eo fuisse primo illustratam; cujus officii exemplum apud nos est. Monumentum præterea hujus rei nobis pulcherrimum reliquit Andreas Alciatus: quod etiam N. Fontejus, seu Fontana, Mediolanensis ex volumine quodam Saxonico in Germania sumpsit: sunt autem carmina ad fontem S. Barnabæ olim Mediolani posita à S. Protasio veteri Episcopo Mediolanensi, quæ putantur in excidio urbis fracta, & ab nonnullis exscripta: sunt vero hæc:

*Hunc fontem tibi dedicat, atque Deo super undis*
*Consecrat impositam famulus Protasius aram,*
*Qua Ticina silex, & Martia porta, beate*
*Barnaba, te Ligures advectum nuper in oras*
*Audiit hortantem cœtus, & rite lavantem.*

Deest

* Vid. Zonaras & alii.

Deeſt verſus.

——— ——— ——— *flamine victo*,
*Ut per te tua plebs luſtrali admota ſacello.*

Alciatus ſic habet ſequentes verſus:

*Quam facies eſt alba urbi, quam candida genti,*
*Tam niveis animis colat intra mœnia Chriſtum.*

Fontejus autem ſic:

*Atque hæc præcipue colat intra mœnia Chriſtum*
*Urbs Mediolani ante Italas ingentior urbes.*

Hic vero fons apud Ticinenſem portam eo nomine pie adhuc Mediolani viſitur; quod in eo S. Barnabas multos ex Mediolanenſibus baptizaverit.

VI. Ex duobus autem, quæ demonſtravimus, profana urbis antiqua dignitate, & Apoſtolico S. Barnabæ officio ei tributo, (quorum alterum alteri fidem facit) vehementer confirmatur id quod alioqui dubium non eſt, Eccleſiaſtica, Metropoliticaque, ab initio uſque Mediolani dignitas: non dico, ex dignitate urbium profana ſtatim conſequi eccleſiaſticam; quamquam principum virorum opera, & eorum qui poſſunt conceſſione, id plerumque conſequitur: S. Leo *Ep.* LIV. ad Martianum Auguſtum de Anatolio Conſtantinopol. Epiſcopo agens, qui ſedem ſuam, quod civitas eſſet regia, aliis contra Veterum inſtitutum & Nicæna decreta præferebat: *Habeat*, inquit, *ſicut optamus, Conſtantinopolitana civitas gloriam ſuam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ veſtræ fruatur imperio: alia tamen ratio eſt rerum ſæcularium, alia divinarum.* Et Gelaſius eadem de re agens in *Epiſtola* jam memorata ad Dardanos: *Riſimus autem, quod prærogativam volunt Acatio comparari, quia Epiſcopus fuerit regiæ civitatis: numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treviros, multis temporibus non conſtitit Imperator? numquid harum urbium ſacerdotes ultra menſuram, ſibimet antiquitus deputatam, quippiam ſuis dignitatibus uſurparunt?* &c. Licet hoc verum ſit; negari tamen non poteſt, Domini providentia, qui ſuavi quadam ratione, & commoda, ſua omnia conſtituit atque ordinat, initio plerumque eveniſſe, ut eccleſiaſticus principatus conſtitueretur, ubi erat ſæcularis; & præſtantiores Euangelii prædicatores ad præſtantiora quoque mitterentur loca; præterquam quod ex omni parte id convenire nemo non videt, & pene eſſe neceſſarium: nam neque loca omnia ſubito adire poterant Apoſtoli, & quæ prima eſſent, ea primo adire, & ad auctoritatem firmius, & ad propagationem expeditius erat: itaque tum in Oriente, tum in Occidente videmus, quæ urbes provinciarum præcipuæ, vel capita quædam, fuerunt; eas ab Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, fere inſtitutas, & vel Patriarchales, vel Metropolitanas ſedes antiquitus eſſe conſtitutas. Antiochiæ, Alexandriæ, aliarumque, tum in Italia Ravennæ ac Aquilejæ exempla ſunt in promptu: immo in ſingulis provinciis id reperire poſſent, quibus otium eſſet, urbes, deinde etiam majores Epiſcoporum dignitates, cognoſcere. Prudentiſſime igitur idem S. Leo in *Epiſtola* LXXXIV. *ad S. Anaſtaſium Ep.* ſine dubio memor, quid de Conſtantinopolitani Antiſtitis alioqui temeritate ſentiret, ſic ait: *Quibus* (Epiſcopis) *cum ſit dignitas communis, non eſt tamen ordo generalis; quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis; & cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt, ut cæteris præemineret. De qua forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio; & magna diſpoſitione proviſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent; ſed eſſent in ſingulis provinciis, quorum inter fratres haberetur prima ſententia; & rurſus quidam in majoribus urbibus conſtituti, ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad unam Petri ſedem univerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil uſquam à ſuo capite diſſideret.* Ita S. Leo. Quo loco & majorum urbium in auctoritate Metropolitica conſtituenda habitam eſſe rationem, & in ſingulis provinciis id factum fuiſſe, confirmat: tum duplicem etiam Metropolitæ auctoritatem tangit; primæ in ſacris conſultationibus ſententiæ, & amplioris in adminiſtratione eccleſiaſtica ſollicitudinis, in qua ordinandorum provinciæ Epiſcoporum cura, atque auctoritas includitur: totam vero rem ad Apoſtolicum inſtitutum referre S. Leo videtur: cui conſentiunt canones eccleſiaſtici, à Gratiano *Diſt.* LXXX. & aliis allati. Atque ſingulas provincias adminiſtratione ejuſmodi ab initio Eccleſiæ rectas eſſe; ita ut & ad Metropolitani auctoritatem Epiſcopi, & eorum ordinationes, Eccleſiæque omnes, nulla excepta, exemptave, referrentur; veteres canones, quos brevitatis cauſſa non deſcribimus, Nicææ, Antiochiæ, Laodiceæ, Sardicæ, Carthaginis, Taurini, aliique demonſtrant*: quibus Innocentii Pontificis, ad Victricum *c.* I. aliorumque Pontificum decreta conſentiunt. Ex his omnino decuit & Apoſtolum Barnabam Mediolanum ad Galliam Ciſalpinam Euangelio illuſtrandam venire; & primam ibi provinciæ eccleſiaſticæ dignitatem inſtitui: quinimmo ſi Metaphraſti credimus in *Vita SS. Apoſt. Petri & Pauli*, etiam ipſe Apoſtolorum princeps Petrus quandoque Mediolanum vidit. Atque Metropolitanæ dignitatis fundamenta ipſo initio etiam ex eo videre licet; quod ut apud nonnullas provinciæ civitates litteris mandatum eſt; ipſe S. Barnabas Mediolano ad eas venit, & ibi quoque Chriſtianos inſtituit: & non ſolum S. Barnabas, ſed Anathalon quoque & Cajus, ejus diſcipuli & ſucceſſores, eo venerunt; ita ut Brixia Anathalonis etiam corpus ſibi vendicet: ejuſmodi autem Eccleſiarum viſendarum officium, Metropolitana quædam erat adminiſtratio, quemadmodum quidem ea rerum initia ferebant: neque enim ſubito Chriſtiana res ubique ita conſtitui poterat, ut Epiſcopus dari poſſet, aut deberet, ut potius ab alio Epiſcopo amplioris frequentioriſque loci regenda eſſet; quemadmodum hoc tempore de plurimis oppidis evenit.

VII. Quæ vero civitates tunc Epiſcopum habuerint, difficile eſt affirmare. Mediolanenſium quidem Epiſcoporum à S. Barnaba continuata ſeries habetur à multis jam edita; de qua nos alibi latius, ſi Deus juvet, acturi ſumus. Brixienſis Eccleſia, ut de hac primo dicamus, quoniam, ut Cænomanorum caput, ſecunda ponenda videtur poſt Mediolanenſem, Epiſcopos ſuos nonnullos illius primi ſæculi commemorat; idem facit Bergomenſis, & Ticinenſis: pleræque vero aliæ à tempore fere Conſtantini Imp. numerant Epiſcopos ſuos: ſed illis evenit, ut cum primos Epiſcopos primo tribuant ſæculo, aliis deinde pluribus ſæculis caruiſſe oſtendant; id quod fortaſſe etiam ob vehementes fidelium perpeſſiones aliquo ſpatio fieri potuit; niſi credibilius videatur, ſtudio ſcriptorum, non ſatis plerumque gravium, id eveniſſe; qui ad urbium ſuarum dignitatem pertinere putarent, primos Epiſcopos antiquiſſimos habere: ita Bergomenſes fatentur ducentis annis Epiſcopum non habuiſſe; Brixienſes id tacite demonſtrant, cum Epiſcopos tantum numerant quinque ante Philaſtrium, qui ſanctitate floruit circiter annum Domini tercenteſimum octogeſimum; Ticinenſes quoque ante Criſpinum primum, quem ſub Leone Pontifice fuiſſe certum eſt, ut ex *Epiſtola* Synodica ad ipſum Leonem inferius apparebit, Syrum tantummodo, cum Juventio ac Pompejo, ejus diſcipulis, ſeu ſociis, & Urſicenum ponunt: igitur quattuor Epiſcopos ſolum habuerunt annis amplius quadringentis quinquaginta; quos omnes cum ad prima Eccleſiæ tempora Ticinenſes referunt, ſe-

* Nic. *can.* XVI. Ant. *c.* XXIX. Laod. *c.* XII. Sardi. *c.* V. & VII. Carth. *c.* III. & VII. Taur. *c.* I.

reliquis sæculis Ecclesiam Episcopo spoliant. At tempore S. Ambrosii, hoc est, circiter annum tercentesimum octogesimum, Episcopum habuit Ecclesia Ticinensis, quem sanctum idem Ambrosius in libris *Officiorum* appellat: neque omnino verisimile est, per ea tempora, quibus Ecclesiæ Paganorum sævitia liberatæ floruerunt, urbem aliquam, modo non ignobilem, Episcopo suo caruisse. Neque putet quis Crispinum secundum Leonis tempore fuisse, sed primum: nam Epiphanius, Maximus, & Ennodius ante Crispinum alterum fuerunt, ut etiam Ticinenses scribunt; & iidem tamen fuere post Leonis tempus. Mihi quidem probabile semper visum est, Eventium Episcopum Ticinensem tempore S. Ambrosii fuisse, quem Ticinenses dicunt Inventium, cum facilis sit mutatio: idque ea conjectura, quam postea Baronio meo in *Notationibus Martyrologii*, & recte probari vidi, & haud merito mea quidem sententia deseri: quid enim si aliud statuerant, qui Ambrosium nuper emendaverant? an necesse est omnino eos recte emendasse? conjectura autem hæc est; Epistolæ Synodicæ S. Ambrosii ad Syricium Pontificem inter alios Episcopos subscripsit Eventius, nullo urbis adscripto nomine, sicuti neque aliis: idem nomen Aquilejensi Synodo, cui S. Ambrosius interfuit, subscriptum est, adjecto nomine Ecclesiæ, sed corrupto: legitur enim duobus modis, *Citiniensis*, & *Tiniensis*: emendatores Operum S. Ambrosii Cenetensem fecerunt Eventium in ea epistola, argumento ex subscriptione Aquilejæ Synodi ducto; nam neque in veteri exemplari eorumdem Operum Basilicæ Ambrosianæ nomen Ecclesiæ Eventio adjectum est, neque arbitror in aliis exemplaribus, quæ alibi habentur. Sed ut id non probem, duo præcipue faciunt: alterum est, quod non video cur Cenetensis Episcopus, qui sub Aquilejensi Metropoli omnino esse oportebat, Mediolanum venerit, ut Mediolanensis Ecclesiæ epistolæ subscriberet: alterum est, quod Cenetensis Episcopi mentionem equidem non invenio, nisi post annos ab Synodo Aquilejæ tercentos in sexta Synodo generali: ipsa etiam corrupta verba proximiora videntur *Ticinensi* nomini, quam *Cenetensi.* Itaque rursus emendandum locum arbitror, in *libris* tum Ambrosianis, tum *Epistolarum Pontificiarum* Romæ nuper editarum, ubi alia etiam quædam nomina male adjecta puto. Historia quidem Syri & Eventii, quæ à Mombritio jampridem, nuperque in septimo *Sanctorum* Tomo auctior edita est, ad Vespasiani, atque adeo Neronis, tempora Eventium refert; quam historiam secutus est Ado: sed ea longe post id tempus, de quo significat, scripta est, quemadmodum legenti apparet: nam & Papiæ nomen habet, & alias etiam ob caussas, doctis auribus non satis fidei in multis facit; & illud etiam obstat, quod paulo ante dixi, nullum relinqui Episcopum sæculo S. Ambrosii, quem tamen non defuisse, & ratio suadet, & S. Ambrosius affirmat. Afferrem ipsarum quoque Ticinensium historiarum auctoritatem, quæ habent Inventium contra Arianos decertasse; nisi eas in ceteris antiquis rebus viderem nimis hallucinari. Sed de his hactenus; neque enim Ecclesiarum, quæ ad metropolim Mediolanensem pertinent, plenam historiam contexere institui, sed aliqua tantum commemorare, quæ ad ipsam Metropolim demonstrandam in primis sunt accommodata: & vero etiam tæderet propriam urbium historiam investigare, cum superioribus sæculis, atque etiam nostris, quidam, non opinor mala mente, sed rebus iis certe destituti, quæ ad scribendam historiam necessariæ sunt, patriarum rerum immoderato quodam studio incitati, ejusmodi historias plerisque in locis corruperint; ex quorum nugis vix potuere docti viri, si qui negotium sumpserunt, vera, quæ involverentur, excerpere: quorum apud nos quidem unus fuit ante annos fere centum Tristanus Chalcus, rerum non solum Mediolanensium, sed etiam Italicarum scriptor gravissimus, ut omittam Alciatum illum, cujus doctrina ubique pervulgata nostro non indiget testimonio.

VIII. Nunc actiones Metropoliticæ Episcoporum, qui S. Barnabæ successerunt, commemorandæ sunt: quamquam difficile fuerit in Episcopis illis priscis usque ad Constantinum propter afflictationes assiduas fidelium, scriptorumque summam penuriam. Sed, ut alios auctores omittam, Tristanus noster scribit, tempore Commodi Imp. à S. Calimero Episcopo Mediolanensi, qui ad universæ Liguriæ fidem, salutemque, multum traditur contulisse, Dertonensibus datum Episcopum Martianum ejus discipulum: nam, ut diximus, insignem urbem Dertonem appellat Strabo: deinde à Materno, qui ad res ejus Ecclesiæ recognoscendas eo se contulit, Maliodorum Dertonensem Levitam; qua ex re antiquissimum equidem provinciæ Episcopatum Dertonensem puto. Alia non occurrit actio, quæ ad propositum argumentum pertineat usque ad Constantii, Constantini filii, tempus, cujus Imperatoris jussu, & seditiosorum quorundam Episcoporum instigatione, qui Principis animum corruperant, in variis provinciis convocata sunt Concilia, nomine quidem ad S. Athanasium condemnandum, sed re vera ad impietatem Arianam insinuandam; ut vel pios Episcopos & populos cum eis ad eam perducerent; vel si repugnarent, eis pulsis, Arianos intruderent; sicuti re ipsa Mediolani pulso Dionysio, Auxentium Cappadocem non Episcopum, sed violentum Ecclesiæ occupatorem, ut S. Ambrosius ait *lib.* III. *de Sp. S.* c. XI. constituerunt; qui quidem unus Arianus Mediol. Ecclesiam compluribus annis oppressit. Dionysius igitur cum esset Episcopus, Ursatius, Valens, & alii quidam Episcopi exteri homines, Constantii auctoritate etiam Mediolani, ut in Metropoli, Concilium haberi curarunt. Eusebius tum vivebat, Episcopus Vercellensis, magnæ sanctitatis, nominisque sacerdos, Mediolanumque ad eum conventum venire recusaverat; quod fortasse rem totam melius nosset, quæ ab impiis illis tentabatur: sed adduxerunt eum tandem ut veniret. Narremus vero quid acciderit, ipsius S. Hilarii Pictaviensis Episcopi verbis *lib. ad Constantium*, qui tum fuit ex præcipuis fidei catholicæ propugnatoribus: *Venio nunc*, inquit, *ad id quod recens gestum est; in quo se etiam professio sceleris in secreto artis suæ dedignata est continere. Eusebius, Vercellensis Episcopus, vir est omni vita Deo serviens: hic post Arelatensem Synodum, cum Paulinus Episcopus tantis istorum sceleribus contraisset, venire Mediolanum præcipitur, collecta jam illic malignantium synagoga: decem diebus ad ecclesiam est vetitus accedere, dum adversus tam sanctum virum malitia se perversa consumit. Soporatis deinde consiliis omnibus, ubi libitum est, advocatur: adest una cum Romanis Clericis, & Lucifero Sardiniæ Episcopo. Conventus ut in Athanasium subscriberet, ait, de sacerdotali fide prius oportere constare; compertos sibi quosdam ex iis, qui adessent, hæretica labe pollutos: expositam fidem apud Nicæam, cujus superius meminimus, posuit in medio, spondens omnia se, quæ postularent, esse facturum, si pro fidei professione scripsissent. Dionysius Mediolanensis Episcopus chartam primus accepit; ubi profiteri scribendo cœpit; Valens calamum & chartam è manibus ejus violenter extorsit; clamans non posse fieri, ut aliquid inde gereretur. Res post clamorem multum deducta in conscientiam plebis est: gravis omnium dolor ortus est, impugnata est à sacerdotibus fides. Verentes igitur illi populi judicium, è Dominico ad palatium transeunt: cujusmodi sententiam in Eusebium, longe antequam ecclesiam ingrederetur, scripserint, de se loquitur ipsa sententia.* Hæc Hilarius. Sulpitius item Severus, Episcopus Bituricen-

ricensis, qui eodem fere vixit tempore, idem narrat lib. II. *Hist. p.* 159. hoc modo: *Interea Mediolanum convenitur, ubi tum aderat Imperator: eadem illa contentio nihil invicem relaxabat: tum Eusebius Vercellensium, & Lucifer à Caralis Sardiniæ, Episcopi, relegati: ceterum Dionysius Mediolanensium sacerdos in Athanasii damnationem se consentire subscripsit, dummodo de fide inter Episcopos quæreretur. Sed Valens, & Ursatius, ceterique metu plebis, quæ catholicam fidem egregio studio conservabat, non ausi piacula profiteri, intra palatium congregantur: illinc epistolam sub Imperatoris nomine emittunt omni pravitate refertam, eo nimirum consilio, ut si ea æquis auribus populus recepisset, publica auctoritate cupita proferrent; sin aliter fuisset excepta, omnis invidia esset in rege, & ipsa venialis; quia etiam tum Catechumenus sacramentum fidei merito videretur potuisse nescire. Igitur lectam in ecclesia epistolam populus aversatur. Dionysius, quia non esset assensus, urbe pellitur; statimque ejus in locum Episcopus subrogatur.* Ita Severus. Ex his observare licet loci dignitatem Episcopi Mediolanensis, ut Metropolitani; qui primus, in conventu Episcoporum, chartam accepit, ut fidem profiteretur: quæ res confirmatur ex eo, quod S. Athanasius de eodem negotio in *Apolog. de fuga, p.* 335. scripsit; quem Theodoretus *lib.* II. *c.* XV. Sozomenusque *lib.* IV. *c.* VIII. secuti sunt: Dionysium Italiæ Metropolitanum, seu, ut alii, Mediolani, primariæ urbis Italiæ, Episcopum, una cum aliis à Constantino Imper. in exilium ejectum: quod autem Sozomenus Mediolanum Albam nominet, ne quis miretur, in scriptis quibusdam rerum nostrarum minime contemnendis idem nomen urbis quandoque reperi. Observandum est etiam, quod obiter dictum sit, additamenta quædam hujus historiæ non posse probari, quæ multi ex Sermone quodam inter Ambrosianos LXIX. posito, sumpsere: quem Sermonem Maximo Taurinensi plerique tribuunt: initium certe simile habet Sermoni Maximi in festo S. Eusebii die habito; reliqua vero longe diversa, ut ex editione Sermonum Maximi Romana perspicitur: quis ejus sit auctor, non facile dixerim: videtur quidem, si quædam inspicias, Episcopi Vercellensis, & ejus qui non valde remotus fuerit ab ætate Eusebii: si vero alia consideres; ejus videtur, qui longe admodum ab eo sæculo fuerit; cum Eusebium dicat martyrem, quod Veterum dixit nemo: immo res ab Eusebio, Dionysioque, gestas vere ignoraverit, ut ipse quoque profitetur: quod enim ait, simulasse Eusebium se graviter ferre, quod filium Dionysium in subscriptione sibi præposuissent, ii præsertim, qui Filium Dei Patri Deo æqualem negarent, præterquam quod commentitium nescio quid ac insulsum olet, repugnat iis, quæ attulimus ex Hilario, & Severo, & omnino historiæ veritati: neque enim Ariani Episcopi illi, sese Arianos dici patiebantur, aut Filium Patri æqualem palam negabant, quod tanquam rem manifestam inepte posuisset Eusebius; imo id ducebant gravis injuriæ loco, quemadmodum notum esse necesse est iis, qui historiam eorum temporum non ignorant: catholicos & Nicænæ fidei studiosos se fingentes, Athanasii tantum condemnationem Episcoporum subscriptionibus confirmari, callide curabant; ut eo quasi gradu ad impia contra fidem decreta progrederentur; ut ex Sozomeno *lib.* IV. *c.* VIII. Cassiodorus dilucide narrat in *Tripertita lib.* V. *c.* XV. quod etiam ex iis, quæ Hilarius, Severusque dicunt, satis apparet: alioqui si studiose impietatem ii non occultassent, eos Mediolanensis in primis populus lapidibus obruisset, ut idem Hilarius aperte significat. Prætereo, quod licet ætate, vel etiam sanctitate, potuerit Eusebius dici Dionysii pater, non ideo tamen erat, cur primum postularet in Synodo subscribendi locum; contra quam etiam narrat Hilarius, non otiose affirmans Dionysium primum chartam accepisse, ut profiteretur. Verum est, Dionysium contra Athanasium subscripsisse, ut etiam Lucifer Caralitanus his verbis testatur ad Constantium, *pro S. Athan. lib.* II. *p.* 105. *Sed credo adhuc tentas negare, non te idcirco persequi nos, quia noluerimus Christiani fieri Ariani: quomodo negare poteris, cum sanctissimum Dionysium Mediolanensium Episcopum, qui jam tibi falsa credens damnaverat Athanasium, quod Arianus esse noluerit, miseris ad exilium?* Subscripsit, inquam, sed ita subscripsit errore facti deceptus, si de fide inter Episcopos quæreretur, ut Severus ait: omnino hoc Dionysii factum satis excusant Patres, qui eum tam illustri sanctitatis laude afficiunt, ac potius restitisse condemnationi commemorant. Ac in eo fidei negotio curando primas tamen partes S. Eusebio tribuit S. Ambrosius; cum ait *Ep. ad Vercell.* 665. *Ut Eusebius sanctus prior levavit vexillum confessionis, ita beatus Dionysius in exilii locis propiore martyribus titulo vitam exhalavit.* Ex hujusmodi vero subscriptione narratio illius sermonis conflata videtur; & in eo quasi fundamento, ut fit, fabula successu temporis exstructa illius Eusebianæ artis.

IX. Transeamus nunc ad metropoliticas S. Ambrosii actiones; cujus tempore, quam perrexerint Imperatores urbem Mediolanensem colere, ex ipsius scriptis, aliorumque historiis, facile omnes intelligunt: in his autem actionibus commemorandis ordinem temporis servare minime profitemur. Atque occurrit primo Syricii Papæ epistola, quam ad Ecclesiam Mediolanensem, hoc est, ad S. Ambrosium, & Episcopos provinciæ Mediolanensis dedit: significans se damnasse Jovinianum, & alios quosdam, qui virginitatem, jejuniaque, docebant esse rejicienda, ut hæresim ipsi quoque damnarent. Respondit Ambrosius, etiam Episcoporum suorum nomine, hæresimque illam latius refutavit, damnavitque: epistolæ habentur in libris S. Ambrosii, in voluminibus Conciliorum, nuper etiam inter Pontificias Epistolas Romæ editas; quas hic brevitatis caussa non exscribimus. Sed epistolæ Mediolanensi subscripsere Episcopi octo; Eventius, Maximus, Felix, Bassianus, Theodulus, Eustasii duo, Constantius, & Geminiani nomine Aper presbyter: postremo adduntur hæc verba, *& omnes ordine subscripserunt.* Dolet non mediocriter veteribus exemplaribus non esse adjecta Ecclesiarum, immo etiam reliquorum Episcoporum nomina, quæ deesse ultima verba demonstrant, ut Ecclesiæ possent priscos Sanctos patres suos agnoscere. Sed ex Aquilejensi Concilio nonnulla possunt adscribi; cum illud sub Damaso, cui successit Syricius, habitum sit, & S. Ambrosius interfuerit: quæ ratio nimis valuit apud eos, qui postremo Ambrosium Romæ ediderunt, ut superius tetigimus: quotquot enim nomina eadem utroque loco viderunt, iis locum Ecclesiæ in Concilio notatum apposuerunt: sed respiciendum erat, ad Concilium Aquilejense convenisse pluribus ex provinciis Episcopos, Ambrosium vero ex provincia sua tantum convocasse; ut licet idem nomen esset, non idem tamen Episcopus putandus esset, si non provinciæ Mediolanensis esset. Omnino autem probabile videtur, Eventium esse Ticinensem, ex iis quæ superius dixi, Bassianum Laudensem, Sabinum Placentinum, Felicem Comensem, quos alioqui constat eo tempore fuisse; Arausicanum vero, & Octodurensem Episcopos Gallos, & Tudertinum ex Illyride, cur Ambrosius advocaverit? Geminianus, pro quo Aper subscripsit, Mutinensis fuit, ut observavit Sigonius, *de Occid. Imp. lib.* IX. ann. 382.

Quod S. Ambrosius *ep.* LXXXII. ad Vercellensem Eccl. scribit, quæ post Limenii mortem adhuc Episcopo carebat, sollicitudinem Metropolit. de qua

S. Leo tangit, & veteres canones explicant, ut superius notavimus, demonstrat: *Confligor dolore*, inquit, *quia ecclesia Domini, quæ est in vobis, sacerdotem adhuc non habet; ac sola nunc ex omnibus Liguriæ, atque Aemiliæ, Venetiarumque, vel ceteris finitimis Italiæ partibus, hujusmodi eget officio, quod ex ea aliæ sibi ecclesiæ petere solebant: & quod verecundius est, mihi adscribitur vestra intentio, quæ affert impedimentum: nam cum sint in vobis dissensiones, quomodo possumus aliquid aut nos decernere, aut vos eligere, aut quisquam acquiescere*, &c. Inferius vero: *Convenit igitur*, &c. *modestiæ vestræ, & concordiæ insigne edere, ut congruatis assensu ad postulandum sacerdotem.* Hæc S. Ambrosius. Ex quibus apparet, Vercellensium fuisse eligere ac postulare Episcopum, ut iis temporibus mos fuit; Ambrosii vero ut Metropolitani decernere ac ordinare: de quo more S. Leo in epistola ad Anastasium ita explicat, *Ep.* LXXXII. *dist.* LXIII. *cap.* ult. *Cum ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri, plebisque consensus concorditer postularit; ita ut si in aliam forte personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus, & studiis juvatur, & meritis*, &c. Interim vero S. Ambrosius illud saltem officii tribuit Ecclesiæ Vercellensi, ut ad concordiam, sanctam electionem, Christianamque disciplinam longa epistola cohortaretur; tum etiam ad hæresim illam cavendam, quæ, ut diximus, ab eo in Synodo damnata est: *Audio*, inquit, *homines, qui dicunt nullum esse abstinentiæ meritum, nullum frugalitatis, nullam virginitatis gratiam*, &c. Simul probat, quod ante diximus, Ambrosii tempore Ecclesias Episcopis suis non caruisse. Neque frustra Liguriæ, Æmiliæ, Venetiarumque Ecclesias, cum aliis quibusdam Italiæ finitimis commemorasse videtur; quasi eas omnes significet ad Metropolim Mediolanensem, & ita ad curam suam pertinuisse. Venetiæ tunc, etiam regionem, quæ olim Cænomanorum fuit, continuisse videntur, ut latius probari posset; & ita aliæ regionis ejus Ecclesiæ juris fuerunt Mediolanensis, aliæ vero Aquilejensis: Italiæ finitimas, Rhætiarum, Alpinasque Ecclesias intelligas licet: Liguria vero, si forte id quoque monere aliquem oporteat, eo tempore etiam Insubres, ac ceteros populos, quos antiqui *Transpadanos* dixere, continebat. Quod autem officium Episcopi alias ecclesias à Vercellensi petiisse dicit sanctus Antistes, significat, S. Eusebium ita suos instituisse discipulos, ut ex eis aliæ sibi ecclesiæ postularent Episcopos.

Eandem auctoritatem Metropolitanam etiam in Veronensi Ecclesia ostendunt *epistolæ* LXIV. LXV. ad Syagrium Episcopum Veronensem: scribit enim de judicio suo in causa Indiciæ virginis, quæ leviter in suspicionem violatæ virginitatis, ut rea, ab Episcopo vocata, appellasse videtur S. Ambrosii judicium; qui quidem eam, S. Marcellinæ ejus sorori traditam, absolvit, Episcopumque vehementer reprehendit: *Prospiciendum esse*, inquit, *ne de nostro obloquantur judicio charissimi nostri Veronenses, propriis texuisti litteris; non arbitror fore; certe non solent; aut si obloquantur, de quo obloqui soleant, haud dubie liquet, cum exasperati huc veniant, pacifici ad te revertantur: præsertim cum hoc judicium nostrum cum fratribus & consacerdotibus nostris participatum processerit.* Et inferius: *Qui tamen*, &c. *ubi in meo adstiterunt judicio, cum primo de origine caussæ quærerem, diversa & distantia prompsere, non locorum separati, sed mendaciorum divortio.* Ita S. Ambrosius; qui alia quoque usque ad finem *epistolæ* de illius caussæ actione refert. Postremo dicit, Indiciam inoffensi virginem muneris se pronunciasse, calumniatoresque excommunicasse: ostendit autem primis verbis, non hoc solum virginis judicium Veronense coram se actum, sed alia quoque ejusdem urbis agi consuevisse.

Bononiensis quoque cum ceteris Æmiliæ Ecclesiis, Metropolis fuit Mediolanensis: quas quidem ecclesias, aut plerasque, Valentinianus III. Imperator cum Placidia matre in Ravennam propensior, postea Ravennati Archiepiscopo curavit adjungi, ut Blondus ex Ravennate scriptore Agnello retulit *Decad.* I. *lib.* II. licet Ravennates auctores postremi contra auctoritatem etiam suorum perturbantes historiam eidem adjunctos antea fuisse scribant. De Bononiensi quidem Ecclesia fatetur Sigonius in libro de Episcopis Bononiensibus, *ann.* 450. eoque spectat, quod S. Ambrosius scripsit *ep.* LXXXIII. ad Episcopos per Æmiliam constitutos; licet doctrinæ aliquis Antistitis, non juri fortasse id tribuet: idem significare videtur vir sanctus, cum ad Eusebium Bononiensem Episcopum ei valde familiarem scribens *Ep.* XLVI. de Mediolanensi & Bononiensi puero jocatur: Valentinianum enim ferocem dicit indignatum se, quod Metropolitanus vir Bononiensi subditus nescio quomodo fieret: educabantur pueri & virgines Bononienses disciplinæ sanctæ gratia Mediolani ad præscriptum Ambrosii & Marcellinæ: qua de re ipse ita in libro *de Virginibus: Denique de Placentino sacrandæ virgines veniunt, de Bononiensi veniunt, de Mauritania veniunt, ut hic velentur: magnam rem videris; hic tracto, alibi persuadeo.* Ac adjumentum, seu suffragium, quod ei Bononiensis Episcopus ea in re, quam ipse *piscationem* appellabat, afferebat, tangit inferius, cum is esset præsens: *Et bene accidit*, inquit *lib.* III. in fin. *quia nos laboraturos Dominus sciebat, & anxium de sociis, ministravit: adest piscator ecclesiæ Bononiensis aptus ad hoc piscandi genus, da Domine pisces, quia dedisti adjutores.* Eodem refertur, quod Bononiæ reliquias sanctorum martyrum Vitalis & Agricolæ, ipsæ præcipue transtulisse videtur, ut ex ipso, & ex Paulino presbytero intelligitur.

Præterea vero ad Constantium scribens, qui nuper factus erat Episcopus in Æmiliæ urbe: *Commendo*, inquit, *tibi, fili, ecclesiam, quæ est ad Forum Cornelii, quo eam de proximo intervisas frequentius; donec ei ordinetur Episcopus: occupatus diebus ingruentibus quadragesimæ tam longe non possum excurrere.* Faventiæ Episcopum crediderim Constantium, quæ Foro Cornelii, hoc est, Imolæ, proxima est: nam Bononiensis Eusebius, ut diximus, appellabatur; Faventiam vero quandoque se contulisse Ambrosium Paulinus auctor est.

De Comensi quoque Ecclesia, & ejus Episcopo Felice referendum est, ad quem ut à se ordinatum hæc S. Ambrosius scribit inter alia *ep.* V. *Bonum fœnus spiritalis gratiæ, quod veniens Dominus cum usuris exiget; & cum te bene dispensasse invenerit, dabit tibi plura pro paucioribus: eritque mihi fructus dulcissimus, quod meum in te judicium comprobabitur, ordinatio non reprehendetur, quam accepisti per impositionem manuum mearum, & benedictionem in nomine Domini Jesu.* Quibus verbis non officium solum ordinationis, sed judicii quoque, & approbationis, demonstratur: quale autem juris Metropolitici sit argumentum, ordinatio, & approbatio, veterum Conciliorum canones & Pontificum decreta, superius allata, satis ostendunt.

Curæ Metropoliticæ erga Ticinensem Ecclesiam indicium est in *Officiorum* libris; ubi de servandis iis, quæ in ecclesiis deposita sunt, contra quamlibet potentiam, sive ea viduarum sint, sive aliorum: *Meministis*, inquit *lib.* II. *c.* XXIX. *ipsi, quotiens adversus regales impetus, pro viduarum, immo omnium depositis certamen subierimus. Commune hoc vobiscum mihi: recens exemplum Ecclesiæ Ticinensis proferam; quæ viduæ depositum, quod susceperat, amittere periclitabatur: interpellante enim eo, qui sibi illud imperiali rescripto vendicare cupiebat, clerici non tenebant auctoritatem: honorati quoque, & intercessores dati, non posse præceptis Im-*

*Imperatoris obviari ferebant, legebatur rescripti forma, directio Magistri officiorum statuta, Agens in rebus imminebat: quid plura? traditum erat: tamen communicato mecum consilio, obsedit sanctus Episcopus ea conclavia, ad quæ translatum illud depositum viduæ cognoverat: quod ubi non potuit auferri, receptum sub chirographo est: postea iterum flagitabatur ex chirographo; præceptum Imperator iteraverat, ut ipse per semetipsum nos conveniret: negatum est; & exposita divinæ legis auctoritate, & serie lectionis, & Heliodori periculo, vix tandem rationem Imperator accepit: post etiam tentata fuerat obreptio; sed prævenit sanctus Episcopus, ut redderet viduæ quod acceperat.* Hæc S. Ambrosius. Sed ea quoque magis expressa fuit ecclesiæ ejusdem cura, quam Paulinus refert, *Vit. S. Ambr.* in fin. eidem ecclesiæ Ticinensi sacerdotem ordinasse paulo antequam in eum morbum incideret, ex quo ex hac vita decessit: ut jam duos Episcopos Ticinenses Ambrosii tempore habeamus, cum neminem relinquant, qui primos ejus urbis Episcopos ad ecclesiæ initia referre conantur.

X. Novariensi quoque Ecclesiæ traditur à nostris S. Simplicianus, qui S. Ambrosio successit, Gaudentium Eporediensem, olim S. Martini discipulum, ordinasse: cui rei consentiunt scripta Novariensium vetera.

XI. Sed pulcherrimum exstat monimentum hujus Metropolitici juris tempore S. Leonis Pontificis: id epistola est S. Eusebii Episcopi Mediolanensis, qua contra Eutychianam hæresim Leonis ipsius de fide sententiam antea jam ad Orientales, tunc ad se missam, una cum Coepiscopis suis collaudat: epistolam vero ipsam, quoniam neque longa est, & integras habet Episcoporum subscriptiones, hic describendam putavimus; licet ea habeatur inter Opera S. Leonis, & in tomis Epistolarum Pontificiarum: *Domino sancto & beatissimo Patri Leoni, Eusebius Mediolanensis Episcopus: Reversis Domino annuente fratribus nostris, quos ad Orientem fidei caussa solicite provida beatitudo vestra direxerat; decursisque litteris, quas per eos tua sanctitas destinavit, omni exsultatione in Christo relevatus sum; quod effectum commissæ sibi legationis eosdem reportasse, vestra pagina designavit. Nec mirum, quod Dominus noster Jesus Christus Catholicæ fidei, quam tenemus majestatis suæ gratiam, custodiamque præstiterit, quando vos idoneos cultus sui assertores in Apostoli sui sede Præsules collocavit; qui & recta sentire de Incarnationis Dominicæ sacramento, & eadem potestis recte custodire. Admonitis ergo fratribus, & Coepiscopis meis, habitoque conventu, vestrarum formam tenuimus litterarum: nam recensens epistolam beatitudinis vestræ in sacerdotum Domini concilio, quam sanctus frater, & Coepiscopus noster; Abundantius, & compresbyter meus Senator detulerant, agnitaque eorum narratione, sicut scripta vestra significaverant, rerum gestarum ordine, continuo requisita est, recitataque epistola, quam fidei assertione plene digestam ad Orientem dudum sanctitas vestra transmiserat; quæ ad nos ex vestra admonitione, sancto fratre, & Coepiscopo nostro, Ceretio mutuante, pervenit; claruit eam plenam fidei simplicitate fulgere; prophetarum etiam assertionibus, evangelicis auctoritatibus, & Apostolicæ doctrinæ testimoniis, nitore quodam lucis, & veritatis splendore, radiare; omnibusque sensibus convenire, quos beatus Ambrosius de Incarnationis Dominicæ mysterio suis libris sancto Spiritu excitatus inseruit: & quia omnia majorum fidei, nobis antiquitus traditæ, tota puritate conveniunt, domine sancte, & beatissime pater, placuit omnibus, quorum subscriptio subter annexa nomina poterit declarare; ut eos, qui impie de Incarnationis Dominicæ sacramento sentiunt, quamvis intellectus sui pravitate à Catholicæ fidei veritate recedentes, seipsos dignos abjectione fecerint; suo etiam consensu, auctoritatis vestræ præcedente sententia, damnatione congrua persequendos. Litterarum ergo vestrarum formam secuti, modum præscriptæ ordinationis nos servasse, his per fratrem & Coepiscopum nostrum Cyriacum missis ostendimus: superest, ut annuente Domino, perfectis rebus, palmam fidei & consummati certaminis coronam quiete perpetua retinentes, hoc futuris memorabile sæculis relinquatis; ut ab hoc tempore præsenti exstincta impiæ sectæ contumacia videatur, ut vobis propugnatoribus in æternum prostrata succumberet: & alia manu; incolumem beatitudinem tuam summa divinitas tueatur, atque custodiat, domine sancte, & beatissime pater. Ego Eusebius Episcopus Ecclesiæ Mediolanensis in omnia supradicta consensi & subscripsi, anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt: eadem formula reliqui subscripsere: hi autem sunt:*

*Faventius Episcopus Rhegiensis Ecclesiæ,*
*Majoranus Placentinæ,*
*Cyprianus Brixillensis,*
*Quintinus Dertonensis,*
*Crispinus Ticinensis,*
*Maximus Taurinatis,*
*Florejus presbyter jussus à præsente sancto Eulogio Episcopo suo Ecclesiæ Iporiensis, quia ipse per infirmitatem subscribere non poterat,*
*Gradus presbyter directus ab Episcopo suo Ecclesiæ Augustanæ,*
*Cyriacus Laudensis,*
*Abundantius Comensis, pro se, & pro absente sancto fratre, Asimone Episcopo Ecclesiæ Curiensis primæ Rhætiæ,*
*Paschasius Genuensis,*
*Pastor Astensis,*
*Simplicius Novariensis,*
*Joannes Cremonensis,*
*Octavianus Brixianæ,*
*Justianus Vercellensis,*
*Quintinus Albingaunensis,*
*Præstantius Bergomatis.*

Ex quibus quidem subscriptionibus metropolis hæc cognoscitur totam pene Galliam Cisalpinam, cum Liguribus, Alpinisque populis, quod initio diximus, continuisse: nam quod ultra Rhegiensem alias ecclesias non habuerit S. Eusebius, ut olim S. Ambrosius, Valentinianus, ejus nominis tertius, non multo ante fecerat; qui, ut memoravimus, multas ecclesias Ravennati addixit Episcopo: quæ prima fuit hujus metropolis deminutio. Atque hinc perspicitur, non omnes eas ecclesias à Valentiniano quidem ecclesiæ Ravennati fuisse addictas, quas enumerat Blondus, quandoquidem hic Placentinum, Brixillensem, & Rhegiensem Episcopos subscriptos vides: credibile vero est, Exarchatum Ravennæ postea constitutum ad eam metropolim rursus amplificandam valuisse.

XII. Postea nobis occurrit S. Epiphanii, Ep. Ticinensis, ordinatio à Mediolanensi Antistite facta; sicut S. Ennodius Ep. Ticinensis in *ejus Vita* satis ostendit, non ea quidem, quæ primo Surii tomo mutila, nescio cujus culpa, edita est, sed ea, quæ septimo, cui Vaticanus codex à nobis ad hoc inspectus consentit: narrat ibi Ennodius Epiphanium, Episcopum Ticini electum, Mediolanum ductum esse, & ibi consecratum, à quo vero, ipse non explicat, sed verisimile est à Geruntio, Benignove, Præsulibus sanctitate claris, qui post Eusebium fuerunt. Idem scribit Alciatus in *Historia Patriæ* lib. III. quamquam vir alioqui doctissimus in tempore errat.

XIII. Sequitur deinde S. Laurentius Archiepiscopus: eo jam nomine metropolitam eo tempore frequentius appellabant: atque eo utitur Symmachus Pontifex ad hunc clarissimum Antistitem scribens, *Ep.* VIII. inter Pontificias, & Concil. vol. 2. Interfuit is Conciliis Romanis (Conc. tom. 2.) Symmachi ipsius jussu & causa celebratis: quibus monimentis ita metropolis hæc probatur; ut post ipsum Pontificem primum locum Mediolanensis Antistes obtineat, & Ravennati præferatur; quod observavit etiam Gratianus his verbis: *Hoc quoque notandum est, quod in hoc Concilio, & in alia Synodo Symma-*

*machi Papæ, ante Ravennatem Episcopum, Mediolanensis subscripsisse, & respondisse legitur: ex quo & sedis prærogativam ante eum habere colligitur:* ita Gratianus. Hunc Antistitem, & ejus actiones, summis laudibus celebravit Ennodius Episcopus Ticinensis, vir suo tempore doctrina, virtuteque, admodum clarus, & Episcoporum quidem Mediolanensium studiosissimus, quos plerosque carminibus singillatim laudavit: sed Laurentio in primis deditus; in cujus natali laudationem habuit, cujus res gestas magnis laudibus, versu, prosaque oratione extulit, quemadmodum ejus impressi libelli testantur. Quod autem eum in laudatione, & in quibusdam etiam versibus, summum Pontificem appellet, intelligi debet inter Episcopos, ac Pontifices suæ provinciæ: nam ejusmodi verborum usus adhuc ad Romanum Pontificem solum, cui uni vere ac proprie debetur, omnino redactus non erat; quemadmodum & Papæ nomen. Ac ad eandem Archiepiscopalem dignitatem, & ad ipsum quoque Laurentium, referri debet, quod idem auctor, S. Ambrosium in hymno invocans, precatur, licet abstrusiori quadam, ut mos ejus fuit, oratione:

*Sedis memento lux tuæ;*
*Exorna sancte posteros*
*Auctore fultus nobili:*
*Ne dux sereni culminis*
*In nube tectus horreat,*
*Qui pastor est antistitum,*
*Quod fugat omne summovet,*
*Gregem gubernat principum,*
*Magister est docentium.*

XIV. Alia metropolis Mediolanensis testimonia suppetunt in S. Gregorii, aliorumque Pontificum, litteris: sed post tot, tantaque antiquitatis monumenta, videtur jam supervacaneum in re, quæ adhuc perspicitur, & usu præsenti confirmatur, pluribus agere: tantum beati Mansueti Archiepiscopi Synodicam epistolam commemorabimus, quam ad Constantinum IV. Imp. dedit; quæ habetur in Conciliorum voluminibus, tom. 2. ante sextam Synodum, cujus titulus, & initium est, *epistola Mansueti Episcopi Mediolanen. ad Constantinum Imp. Domino serenissimo, atque tranquillissimo, & à Deo coronato, religiosissimo Constantino Imperatori, Mansuetus Mediolanensis metropolitanæ ecclesiæ indignus Episcopus; vel universa sancta Episcoporum fraternitas, quæ in hac magna regia urbe convenit, æternam in Domino salutem. Si apicem imperialis fastigii*, &c. Ob Monothelitarum hæresim Concilium habuit Mansuetus, circiter annum Domini sexcentesimum octogesimum, & contra ipsam pro catholica fide scripsit: dicitur autem Damianus Episcopus Ticinensis eam epistolam composuisse à Paulo Diacono *lib.* VI. c. IV. quem Platina & alii secuti sunt. Agatho item Pontifex ob eandem caussam Concilium Episcoporum centum viginti quinque habuit, & pro fide catholica libellum Synodi nomine ad Constantinum misit, una cum Legatis, qui Concilio interfuerunt, Constantinopoli celebrato in Secretario sacri palatii, quod dicebatur Trullus: hæc sexta Synodus est universalis: sed cum Damianus Episcopus Ticinensis epistolam nomine Mansueti Synodique composuisset, ex hac vita paulo post migrasse videtur: nam Anastasius, ejusdem urbis Episcopus, libello Synodi Romanæ una cum aliis provinciæ Mediolanensis Episcopis post Mansuetum subscriptus est: quorum hæ sunt subscriptiones: *Mansuetus Dei gratia Episcopus sanctæ Mediolanensis ecclesiæ in hanc suggestionem, quam pro Apostolica nostra fide unanimiter construximus, subscripsi:*

*Joannes indignus Episcopus sanctæ ecclesiæ Bergomatis*, &c.
*Donatus Episcopus sanctæ ecclesiæ Laudensis*, &c.
*Anastasius Episcopus sanctæ ecclesiæ Ticinensis*, &c.
*Valentinus Episcopus sanctæ ecclesiæ Aquensis*, &c.
*Desiderius Episcopus sanctæ ecclesiæ Cremonensis*, &c.
*Gratianus Episcopus sanctæ ecclesiæ Novariensis*; &c.
*Desiderius Episcopus sanctæ eccl. Eporediensis*, &c.
*Joannes Episcopus sanctæ ecclesiæ Gennensis*, &c.
*Deusdedit Episcopus sanctæ eccl.* * &c.
*Audacis Episcopus sanctæ ecclesiæ Dertonensis*, &c.
*Benenatus Episcopus sanctæ ecclesiæ Astensis*,
*Benedictus humilis Episcopus sanctæ ecclesiæ Valvensis*,
*Bonus Episcopus sanctæ ecclesiæ Albingaunensis*,
*Theodorus humilis Episcopus sanctæ ecclesiæ Vercellensis*,
*Rusticus humilis Episcopus sanctæ ecclesiæ Taurinatis*,
*Joannes Episcopus sanctæ ecclesiæ Vintimiliensis.*

Sequitur deinde subscriptio Episcopi Lunensis, & aliorum, qui ad hanc metropolim minime pertinent: quod deest ecclesiæ nomen uni ecclesiæ assignandum est ex iis, quæ desunt: quæ quidem sunt, Brixiensis, Comensis, Augustana, Curiensis. Placentinus autem Episcopus, Rhegiensis, Mutinensis, & reliqui, de quibus huic metropoli ademptis jam diximus, post Ravennatem metropolitanum suum subscripsere. Mirari autem quis possit, unde irrepserit postrema omnium subscriptio, *Magni Episcopi ecclesiæ Papiensis*; nam & superius loco suo Anastasius Ticinensis subscriptus est, neque Magnum habent in Episcoporum suorum numero Papienses: sed est valde probabile, pro *Popiliensis*, dictum esse, *Papiensis*, in exarchatu namque erat Forum Popilii; & ita dicta est ecclesia Popiliensis, sicuti eodem loco Liviensis & Corneliensis.

XV. De metropoli satis superque dictum: nam eximia Archiepiscopi Mediolani posterioris temporis incrementa, dignitatem, auctoritatemque insigniter auctam hoc quidem loco omittimus; quia potius ad humanum splendorem ac principatum, quam ad ecclesiasticam auctoritatem pertineant: is enim jam inde quidem à S. Gregorio Pontifice Italici regis creandi, coronandique, jus sibi vendicans, post annum certe septingentesimum septuagesimum tertium, hoc est, exstincto regno Longobardorum, à Carolo magno exercuit; atque inter Principes magnis potestatis humanæ titulis, opibusque, floruit, ut passim historiæ * docent. Illud potius nunc attingendum est, quo tempore, quave ratione, multæ ecclesiæ eidem metropoli detractæ sint: quo in genere, primo in universum dicere possumus; quod postquam per singulas provincias Ecclesiæ nascentis gubernatio, ut S. Leo loco superius memorato ait, instituta est: si qua Ecclesia à Metropoli, provinciaque sua, postea unquam detracta est, vel adjuncta fuit alteri Metropoli, ut de Bononiensi ac aliis quibusdam jam diximus; vel si sui juris effecta est, & ab aliis provinciis separata, id evenit ad novum aliquem principatum, quem civitas adepta est: quod quidem, vigente Imperio occidentali, cum Imperatores omnia tenebant, videtur in Italia fieri non potuisse; sed demum post Italiam Barbarorum occupatione divisam: nam & Romani Pontifices per ea prima sæcula provinciarum gubernationem cum Episcoporum ordinationibus metropolitanis, & Conciliis provincialibus, ea ratione permittebant, quam sacri canones & decreta Pontificum multa, superius citata, satis probant. Ac Ticinensem quidem Ecclesiam Longobardorum Reges, qui ea in urbe sedem habuere, videntur metropoli suæ detrahere cœpisse: nam ea est fere Principum consuetudo, ut ubi resident, ejus urbis Episcopum, vel aliis Episcopis præesse, vel saltem nemini parere velint, præter Romanum Pontificem: quod quidem etiamsi Principes negligunt, ipsi Episcopi sæpe curant, & ex eorum sese potentia efferunt: quod cum sit omnino verisimile, plurimisque doceatur exemplis, confirmatur etiam auctoritate Pauli Diaconi; cujus hæc sunt verba *lib.* VI.

* Vide Sigon. *de reg. Ital.* lib. I. 601. l. 4. 779. lib. VI. 961. lib. VIII. 1002. & 1027.

VI. c. XXIX. *Tunc quoque venit Benedictus, Archiepiscopus Mediolanensis, Romam, & caussam egit pro ecclesia Ticinensi: sed victus est, eo quod à priscis temporibus Ticinenses Episcopi à Romana fuerant ecclesia consecrati.* Hunc secutus est Anastasius Bibliothecarius, Platina, & alii; quorum nonnulli addunt aliquid: sed ex hoc quasi fonte hausere omnes. Fuit vero tum Pontifex Constantinus, resque accidisse videtur anno Domini septingentesimo decimo quinto: ex eo loco apparet, Ticinensem ecclesiam à Mediolanensis Archiepiscopi potestate jam ante cœptam aliquo modo subtrahi: id quod Regum illorum potentia, non jure aliquo, factum credibile est: quod cum videret Benedictus, vir egregiæ sanctitatis etiam Pauli ipsius testimonio, ratus sibi rem silentio minime prætereundam, neque permittendum, ut tacite jus ecclesiæ suæ eriperetur, summum Pontificem adiit: nam quod à priscis temporibus Episcopum Ticinensem à Romana ecclesia consecratum Paulus affirmat; id tantummodo de Longobardorum temporibus accipiendum est; qui jam ante annos circiter centum quadraginta quinque Ticini regnabant: atque ita prisca illa tempora hoc omnino spatio concludenda sunt; nam alioqui & S. Ambrosius Ecclesiæ Ticinensi ordinavit Episcopum, ut retulimus ex Paulino; & S. Epiphanium ab Antistite Mediol. consecratum superius demonstravimus. Duo igitur videbantur quodam modo contraria: alterum est, quod à Romano Pontifice, non autem ab Archiepiscopo Mediol. jam longo temporum intervallo consecrabantur Episcopi Ticinenses; quod erat imminuti juris Mediolan. argumentum: alterum, quod iidem à metropoli Mediolanensi nulla juris auctoritate exempti erant, ad Synodos Mediolanenses veniebant, & inter Episcopos provinciæ censebantur; quemadmodum vel ex hoc postremo Mansueti Mediolanensis, Damianique, ac Anastasii Ticinensium, facto apparet; qui paucis annis ante Constantinum Pontificem fuere. Hoc vero contra confirmabat jus Ecclesiæ Mediolanensis; ita merito potuit Benedictus Archiepiscopus antiquum Ecclesiæ suæ jus sibi vendicare, caussamque deferre ad Romanum Pontificem: nam & nefas est de viro sancto putare, quod jus illud sibi vendicare, & ideo Romam petere voluerit, idoneis aptisque argumentis destitutus, ut quidam temere videntur affirmare: & si Ecclesia Ticinensis omnino adhuc sub Mediolan. fuisset, Paulus non ita loqueretur, licet alioqui Mediolanensibus minime videatur favere, potius privilegium tunc primum concessum affirmaret; nunc autem litem institutam significat, Benedictumque Archiepiscopum victum. Hæc victoria qualis fuerit, non explicat; sed intelligenda videtur ex ejus verbis, ut Pontifex ipse Ticinensem Episcopum ordinare pergeret; quæ quidem ut imminutio quædam juris Archiepiscopalis erat; ita neque integra ratio videbatur Ecclesiæ Ticinensis ex Metropoli Mediolanensi eximendæ: potuit enim Pontifex, ut universalis metropolites, privilegii gratia, consecrationem illius Episcopi sibi reservare, neque in ceteris propriæ metropoli subtrahere: sed ex eo tempore mihi quidem neque consecrationes, neque synodicæ actiones Episcoporum Ticinensium suppetunt; quæ pristinum jus Archiepiscopi demonstrent: contra vero Ticinensis Episcopi privilegia pallii, crucisque adhibendæ ostenduntur; quæ Ecclesiæ exemptæ certa videntur argumenta: quæ tamen ante annos circiter quadringentos ab Alexandro III. ut Platina auctor est, cum aliis Pontificiarum rerum scriptoribus, ei adempta sunt: in quo quid juris statuendum sit, alii viderint.

Ecclesia Genuensis, cum ea Respublica jam amplificata esset, ab Innocentio II. circiter annum Domini millesimum centesimum trigesimum tertium Mediolanensi adempta metropolis ipsa facta est, ut idem Platina auctor est, & Episcopus Nebiensis.

Taurinensem à Sixto IV. Mediolanensi metropoli detractam scribit Pingonius: metropolim vero factam, primumque in ea Archiepiscopum creatum à Leone X.

De Augustana, Comensi, aliisque nonnullis, neque novi quando sint detractæ, neque adhuc quæsivi: ac de Comensi quidem Benedictus Jovius, cum affirmare non posset, silere fortasse potius debebat. Hi vero Episcopi ad Synodos à Carolo Cardinali Archiepiscopo superioribus annis celebratas nulla controversia convenere, quemadmodum ipsi Synodorum libri continent, Vercellensis, Albensis, Viglebanensis, Dertonensis, Casalensis, Aquensis, Brixiensis, Cremonensis, Alexandrinus, Bergomensis, Laudensis, Novariensis, Astensis, Savonensis, Intemeliensis. Aliarum quidem ecclesiarum Episcopos ad Synodum vocandos Caroli Consiliarii, cum primum ille Mediolanum Archiepiscopus venit, existimarunt, auctoritate libri usi, qui *provincialis* dicitur, in quo Albingaunensis & Placentinus huic metropoli adjecti sunt; Papiensis autem, & Ferrariensis ita, ut eos ab ea tamen exemptos fuisse, adnotetur: sed negotium postea Carolus omisit, gravioribus occupatus; licet ejus rei, ut magnæ cujusdam concertationis, quæ nulla fuit, inanem historiam quidam scripserint.

# F I N I S.

# INDEX RERVM
## MAXIMÈ MEMORABILIVM
QVAE IN
## ANDREAE ALCIATI, TRISTANI CALCHI, JOSEPHI RIPAMONTII, GALEATII CAPELLAE ET CAROLI à BASILICAPETRI HISTORIAM MEDIOLANENSEM OCCVRRVNT,
## LOCVPLETISSIMVS:

Vbi monendus es, Lector benevole, Numeros Columnarum à Columna 489. usque ad Columnam 536. inclusivè bis quidem occurrere. Verùm, ne erres in quærendis materiis, præmisimus Columnarum Numero litteras initiales T. C. & J. R. quæ Tristanum Calchum, & Josephum Ripamontium designant, apud quos quæ scire avebis tibi occurrent.

A.

Ale-

Augu-

Ca-

Ca-

Con-

Divus

Di-

Fran-

I.



Ini-

In-

Lues

Ma-

N.

## T.

## V.

# F I N I S.

ANTIQ
ITALIÆ

T. M. II
P. II